BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
12
15 D
K 9

12
15
C
36



NIC. PISONIS,

MED. LOTHARINGI,

DE COGNOSCENDIS ET CVRANDIS PRÆCIPVE INTERNIS humani corporis morbis libri tres: ex classicorum medicorum tum veterum tum recentiorum monumentis non ita pridem collecti, & nunc ab eodem recogniti & aucti.

Accessit eiusdem liber De febribus.

CVM INDICE RERVM ET verborum copiosiss.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRDI
Apud hæredes Andreæ Wecheli,
M D LXXXV.
Cum priuilegio Cæs. Maiest. ad sexennium.

mov

NICOLAVS PISO. ANNOS NATVS 52

ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, CAROLO, CALABRIÆ, LOtharingiæ, Barri Duci, &c. Domino suo clementissimo, Nicolaus Piso Medicus felicitatem exoptat perpetuam.

INVALVIT consuetudo, sereniſſime PRINCEPS, vt qui ſui ingenij monumenta ſcriptaq; in lucem proferũt, ea Principibus aut magnatibus deuoueant ac nuncupent, quo ſibi aduerſus inuidos & maleuolos prę ſidiũ quę rant, ſuiſq; operibus maiorem inde autoritatem parent. Atqui non hæc vna duntaxat, ſed alia quoq; commouit me ratio, vt has primitias vigiliarum mearum ampliſſimo tuo nomini conſecrarem: nempe quod qui ſe totum ſui Principis clientelæ ac miniſterio iam addixit, merito ſuas lucubrationes ſuoſq; labores eidẽ dicare debeat. Prę terea tanta tua in me humanitas, tanta benignitas ac beneficentia ſemper

fuit, vt maior esse nõ possit. Sed quid in me dico? cùm in omnes illa certè tanta sit, vt non modo subditorum, sed & aliorum omnium animos ac beneuolentiã tibi quotidie deuincias. Neq; ob hanc vnã causam tantopere te suspiciũt omnes & admirantur: verũ quod etiã in te fulgent omnium virtutum ornamenta, eaq; vel toti orbi sic cognita & perspecta, vt illa hic celebrare, aut te in os laudare amplius vanũ sit. Quin & generis tui splendorem, & cum summis Imperatoribus ac Regibus initam affinitatem, tanquã rem cuiuis notissimã, præstat nunc tacere, quàm verbis pluribus commemorare. Itaq; (quod reliquũ est) abs te contẽdo, supplexq; peto, vt hoc munusculũ serena fronte tranquilloq; animo suscipias, veluti μνημόσυνον quoddã & signum meæ erga tuam Celsitudinem iustę ac debitæ seruitutis, atq; idem opus in manus studiosorũ Medicinæ, te auspice, prodire sinas. Quod à tua dignitate haud erit alienum: siquidem Principes ipsi bonas literas earumq; cultores amplecti debẽt, solentque. Deus opt. max. te multos in annos cum tota familia sospitẽ atq; incolumem seruet. Nasij, Cal. Martij MDLXXX.

IN

IN TRES LIBROS DE MORBIS COGNOSCENDIS ET CVRANDIS, NICOlai Pisonis Medici ad Medicinæ studiosos

PRÆFATIO.

NOSTIS φιλίατροι *ita comparatũ esse à Natura, vt quisquis animum ad aliquam artem liberalem adiunxerit, in ea exercenda non solis ijs quibus præstat suam operam, prodesse cupiat, & conetur: sed & studiosis eiusdem artis, nec non ipsi posteritati consulat, quoad illi per otium aut vitæ diuturnitatem licuerit. Qua quidem ratione adductus sum, vt cum plures annos Medicinam fecissem, ac simul omnem diligentiam legendis classicis Medicis tum vetustis tum recentibus impendissem, tãquam fructum aliquem meorum laborum colligerem ac perciperem, quem vobis ac posteris lubẽter impartirem: Opus nimirum hoc, quod varia ob-*

seruatione variaq́ itidem lectione conflatum & concinnatum est. Verumenimuero cùm veteres accuratè rem medicam ita excoluerint, cumq́ posteà sic eam illustrarint auxerintq́ recentiores, vt innumera scripta extent priscorum scilicet ac iuniorum, Praxes vulgo appellata, quibus ad nauseam vsq́ expleri & satiari valeatis, meritò à vobis quæri potest, quorsum id argumenti genus denuo tractare ac velut refricare debui, quasi hoc institutum nonnisi ridiculum ac superuacaneum habendum sit? Sed reuera id vnum ab opere colligendo non deterruit me, cum alia permulta ad illud ipsum prouocarent, & adhortarẽtur. In primis quòd qui nostris temporibus dignotionem & curationem morborum conscripserunt, eam fere ex placitis veterum tantummodo desumpserunt. Ego verò præter ea quæ ex priscorum monumentis ab alijs antea sunt collecta, adieci etiam quæ ab ijs qui hac tempestate floruerunt, florentq́, aut inuenta aut probata sunt. Subijt etiam in mentem, quòd cùm non suppetat cuiuis tantum temporis & otij, vt omnium vel certè multorum præstantissimorum Medicorum scripta singula legere ac euoluere queat, quisquis volet ex hoc penu ac promptuario quodam ea depromet omnia, quæ morbis tum dignoscen-

gnoscendis tum curandis necessaria esse videbuntur. Præterea cogitaui meum hunc laborem non modo vtilem, sed & gratum esse posse omnibus, (nisi fortasse minus placeat ijs quibus omnia displicent,) propterea quòd sicut apes ex varijs floribus suauiores succos decerpũt, ita variorum autorum scripta quæ mihi visa sunt meliora selegi, omissis & neglectis ijs quæ haud valde digna existimaui. Et cùm non absre laudata sit diligentia Galeni, Aetij, Pauli, cæterorumq; qui maiorum suorũ decretis Medicinam ipsam locupletarunt, cùm etiam illos præclari nostræ tempestatis Medici imitati sint in congerendis aliorum sententiis, certe ego tot tantosq; duces imitari, & quod ad commune Medicinæ studium pertineat, huc quoq; audacter afferre non dubitaui. Neq; enim refutatione digni sunt, qui solo priscorũ testimonio contenti esse volunt, ac qui posteriores scriptores planè auersantur, cõtemnuntq;. Sua quippe priscis est autoritas, sua & neotericis existimatio: & vtramq; huius operis inscriptio cõmendat. De qua inscriptione obiter vos moneo, vt dum illa veterem simul ac nouam Medicinam sibi vendicare videtur, non ita accipiatis quasi hîc ego aliqua ex parte Chymisticam (quam hodie nouam Medicinam vocant nonnulli)

profitear, & doceam. Sed iuniores Medicos appello & sequor, nimirum qui nostro seculo Hippocratis & Galeni dogmata confirmarunt atq; illustrarunt: quamuis in usu remediorum quadantenus ab illis differre videantur. At redeo ad causas, quæ mihi hoc opus texẽdi occasionem præbuerunt, & addo illas nõ tantum ponderis habuisse apud me, vt ob id quod hoc opus vobis viẽdum fruendum propono, idcirco vos ab autorum grauiorum lectione auocare voluerim. Quin potius hortor, vt eos perlegatis, dũ vacabit. Siquidem ex tam multis commentarijs, quos mihi videre contigit, sat fuit mihi simplicem ac genuinam morborum tractationem velut in synopsi quadam vobis describere: nec id obstabit, quo minus & aliquãdo vos plura ac fortasse meliora animaduertatis, aut ex libris qui posthac nascentur noui, diuersa notetis, quæ & in publicum ipsi quoque suo tempore conferatis. Imo fere à citandis locis autorum, è quibus ceu fontibus hæc mihi hausta sunt, dedita opera abstinui, quò auidiùs eos cõsuleretis, præterquam quòd ne eorundem nomina tam crebrò repeterentur, vnus velut cõtextus orationis perpetuus arrisit magis. Autorum etiam verba δογματικῶς & sine autoritate sæpius attuli in medium, quòd plerique

sic

sic addicti sunt hominibus, vt eorum dicta vel scripta probent vel reijciant maiori studio, quàm res ipsas expendant, aut vni veritati assentiantur & adhæreant. Sed dum sententias aliorum accumulo, dum centones consuo, non defuturi sunt (sat scio,) qui obijcient crocitare me cum Æsopi coruo, qui pennis pauonis ornatus prodierat. Scio & alios plagij me insimulaturos esse. Interim fateor ingenuè operam dedisse me, vt ferè nuncupatis autorum verbis ac sententijs vterer, & in eo laudem inuenirem, quod minimam operis partem mihi ascriberem, & attribuerem; sed multo maiorem præclaris autoribus acceptam referrem. Nam abunde mihi est, quòd non parui laboris tum in colligendo tum in disponendo opere suscepti mihi ipse conscius sim. Proinde nemo miretur (quæso) quod aliqua sæpe sit styli & orationis inæqualitas, quódque multis in locis idem videri possit repetitum & inculcatum. Verùm illa ταυτολογία non adeò grauis molestaq; esse debet: siquidem ex varijs scriptoribus quos insequor manauit, è quibus vnus rem de qua agitur dilucidioribus verbis explicat, alius eandem tractat sed accuratius seu verbosius, cùm vni dicenda omnia vix occurrant. Ex quo contigit, vt interdum clausulæ propè

eadem appareant, quæ tamen clariores vel auctiores enunciantur. Contigit etiam vt dum ex alijs tam multa colligo, sæpius neglecto cultu orationis, vsurparim vocabula pertrita atq; ab officinis Pharmacopœorum recepta in formulis remediorum describendis præsertim: Qualia sunt illa, coton seu bombax, aqua peculi rosarum, syringa, & huiusmodi quæ ad captum Tyronum magis facere visa sunt. Superest vt hic quo ordine vtar, tandem aliquando intelligatis. Nolui sanè ab eo ordine quo qui hactenus Practicam Medicinam pertractarunt, ferè vsi sunt, deficere. Nempe à summis capillis ducto initio ad capitis dolorem perrexi, cæterarumq; totius corporis partium subiectarum affectus omnes ad imum vsque pedis prosecutus sum: imitatus Galenum tum in libris de compositione medicamentorum κατὰ τόπους, tum in tractatu eiusdem περὶ τῆς ἀπορίας ων. Rursum in singulis affectibus explicandis, primo loco nominis rationem inuestigaui. Deinde ipsius morbi seu symptomatis notionem vel definitionem subieci. Tum si affectus propositus differentijs constat pluribus, eas quoque dinumeraui. Postea partem affectam affectúsq; ipsius genus inquisiui. Subinde causas & internas & externas perscrutatus sum diligenter. Mox

& signa

& signa non tantum Diagnostica, sed & Prognostica exposui. Postremum locum curationi & medendi methodo per victus rationem atque medicamenta dedi. Hæc autem ordinis ratio ferè seruata est à Donato Altimaro, quem passim præ alijs iunioribus amplexus sum, quia felicissimè ex Galeno, Paulo, Aetio visus est mihi plurima iam collegisse. Verùm illius opera sic adiutus sum, vt sæpenumero quæ docuit fusius, ego velut in compendiũ & pauca redegerim. Quod obiter dictũ sit. Quemadmodũ & moneo in signis recẽsendis particulatim multa me trãstulisse ex Iodoco Lommio Burano, quia is diligentissimè cõpendiosam Hippoc. doctrinã multis locis disparatam, & quæ Celsus ea de re breuiter tradidit, cõplexus est. Vt etiã in curatione & remedijs instituendis, vbi recẽsui quæ veteres approbarunt, soleo transire ad alia remedia à iunioribus petita, quippe à Iacobo Syluio, Christophoro à Vega, Dionysio Fontanono, & alijs quorũ scripta extãt, ac de quib. in catalogo proximè sequẽti mentio rursum injcietur. Sed de hoc quoq; commonefaciendi estis, quòd præter sententias quas passim à classicis scriptoribus mutuatus sum, comperietis me nonnullas alias notatu dignas interseruisse, præsertim in Commentario de febribus, easq; desumptas ex

Prælectionibus & Dictatis (vt vocant) clarissimorum quorundam Medicinæ professorum Parisiensium: (quæ dictata mihi à doctis iuuenibus communicata sunt:) Itemq; adiunxisse me quasdam formulas remediorum ijsdē Doctoribus familiares & vsitatas hodierno die. Quæ causa fuit, vt tantorum virorum nomina sub finem dicti Catalogi adscripserim, quo debita cuique laus & sua dos tribuatur, quo etiam fatear candidè, per quos ego profecerim. Atqui his prætermissis quoniam de ordine particulari dixi, si quis obijciat cur non generalem morborum, causarum, signorum, & curationis tractationem prætexuerim, ne tam multa multis locis repeterentur, sciat illam generalem tractationem ab alijs iam explicatā fuisse, vt denuo à me hic explicari non opus sit. Tota enim hæc ferè particularis est exercitatio, eaq; in gratiam Tyronum comparata magis, quos etiam in vniuersalibus præexercitatos esse operæ pretium est. Sed hæc plus satis, φιλίατροι. Quare præfandi finem faciam, atq; iterum hæc velut collectanea quædam vobis nunc legenda offeram. Vestrum autem erit ea pergrato animo accipere, & æqui boniq; consulere. Bene valete.

AVTO-

AVTHORES EX QVIBVS MAIOR PARS SENTENTIARVM HIS LIBRIS comprehensarum deducta est.

Hippocrates.
Galenus.
Aretæus.
Paulus Ægineta.
Cornelius Celsus.
Auicenna.
Aëtius.
Actuarius.
Alexander Trallianus.
Oribasius.
Cælius Aurelianus.
Quintus Serenus.
Plinius Secundus.
Marcellus Empiricus.
Auerrhoes.
Ioannes Mesueus.
Rhasius.
Io. Vigonius.
Matthæus Gradensis.
Arculanus.
Gordonius.
Ioannes Manardus.
Georgius Agricola.
Iacobus Syluius.
Donatus ab alto mari.
Iodocus Lommius Buranus.
Ioannes Fernelius.
Ioannes Gorræus.
Ioan. Baptista Montanus.
Leonardus Fuchsius.
Gulielmus Rondeletius.
Iacobus Hollerius.
Iulius Alexandrinus.
Hieronymus Mercurialis.
Dionysius Fontanonus.
Camillus Thomaius Rauennas.
Hieronymus Montuus.
Antonius Beniuenius.
Ioannes Bacchanellus.
Christophorus à Vega.
Laurentius Ioubertus.
Iacotius.
Gualtherus Bruele.

Medicinæ Professores in Academia Parisiensi percelebres (quorum scripta non extant, sed Prælecta & Dictata vulgata sunt,) Duretus, Pietræus, Gormelen, Rochon, Marescot, *& alij, quorum omnium vel complurium opera vana speramus in lucem Deo dante propediē exitura.*

INDEX EORVM QVÆ LIBRO PRIMO TRACTANTVR POTISSIMVM, capitum & pagellarum numeris annotatis.

Caput		Pagina
1	DE Areis, Alopecia, & Ophiasi	1
2	De Defluuio capillorum	10
3	De Porrigine, seu furfuribus	13
4	De Pediculari morbo	17
5	De Achoribus & Fauis	21
6	De dolore capitis	26
7	De Cephalæa	50
8	De Hemicrania	55
9	De Vertigine, & tenebricosa Vertigine	57
10	De Phrenitide	66
11	De Lethargo	80
12	De Caro	87
13	De Catoche, seu Catocho, vel Catalepsi	90
14	De Comate, seu Cataphora	94
15	De Obliuione, seu memoria abolita	97
16	De Apoplexia	102
17	De Paralysi	113
18	De Spasmo cynico, & quibusdam alijs particularibus resolutionibus	125
19	De Epilepsia	131

20 De

20 De Spasmo 149
21 De Tremore 164
22 De Ephialte, seu Incubo 168
23 De Melancholia 172
24 De Mania 186
25 De Catarrho 193
26 De Ophthalmia 196
27 De effluxu lachrymarum 210
28 De vngue oculi 214
29 De oculorum sugillatione, & pure sub cornea 216
30 De Vlceribus oculorum 219
31 De Cicatricib. & Albuginib. oculorũ 222
32 De Phlyctænis, seu pustulis 224
33 De Procidentia oculi 228
34 De dilatatione pupillæ 230
35 De Tabe pupillæ 233
36 De Suffusione 236
37 De obscuritate seu offuscatione oculorum, & eorundem hebetudine 244
38 De Nyctalope 248
39 De Ægilope 251
40 De dolore aurium 254
41 De sonitu aurium 262
42 De graui Auditu, & Surditate 267
43 De Parotidibus 273
44 De olfactus læsione 278
45 De Ozænis 281

46 De Polypo 284
47 De sanguinis è naribus eruptione 288
48 De dolore dentium 296
49 De Aphthis. 305

INDEX EORVM QVÆ LIBRO SECVNDO describuntur.

1 De inflammatione columellæ 317
2 De Antiadibus & Paristhmijs 322
3 De Angina 327
4 De Tussi 337
5 De Dyspnœa, Asthmate, & Orthopnœa 346
6 De Cruenta spuitione 356
7 De Pleuritide 372
8 De Pneumonia, seu Peripneumonia 388
9 De Empyemate, seu Suppuratione 395
10 De Phthisi seu Tabe 403
11 De Palpitatione cordis 416
12 De Syncope 426
13 De lactis inopia, seu defectu 441
14 De lactis redundantia 445
15 De lacte in speciem casei, vel in grumos conuerso 447
16 De mammarum inflammatione 450

INDEX

INDEX EORVM QVÆ LIBRO TERTIO docentur.

1 De Cardialgia, Cardiogmo, & Cardiaca 453
2 De Canina Appetentia 460
3 De Bulimo 466
4 De Citta seu Pica, vel Malacia 470
5 De cibi fastidio, & auersione, seu inappetentia 473
6 De siti immoderata 480
7 De Singultu 485
8 De Nausea, & Vomitu 491
9 De Phlegmone seu inflammatione ventriculi 502
10 De Cruditate 506
11 De Ventriculi inflatione 513
12 De Lienteria & Cœliaca 518
13 De Cholera 527
14 De Diarrhœa, seu alui profluuio 535
15 De Dysenteria 548
16 De Tenesmo 565
17 De Hæmorrhoidibus 571
18 De Rhagadibus, seu Rimis ani, Condylomatis, Thymo, Sycosi 582
19 De exitu ani, seu procidentia 584

20 De Coli dolore 588
21 De Ileo seu Voluulo 600
22 De Lumbricis 607
23 De Hepaticis, vel ijs qui iecoris imbecillitate laborant 617
24 De Hepatis obstructione 627
25 De Hepatis inflammatione 633
26 De Scirrho hepatis 641
27 De Ictero, seu Morbo Regio 647
28 De Ictero nigro 657
29 De Lienis inflammatione 661
30 De Scirrho lienis 667
31 De Cachexia 671
32 De Hydrope 675
33 De Diabete 690
34 De Haemorrhagia renum 695
35 De Nephritide seu Calculo renum 700
36 De Renum inflammatione 712
37 De Renum exulceratione 718
38 De Stranguria seu stillicidio vrinæ 726
39 De Dysuria 731
40 De Ischuria seu Suppressione vrinæ 735
41 De his qui in seipsis mingunt, & vrinam continere non possunt 742
42 De Calculo vesicæ 745
43 De inflammatione vesicæ 751
44 De exulceratione vesicæ. 755

45 De Gonorrhœa 759
46 De Priapismo, & Satyriasi 764
47 De impotentia Venereorum 769
48 De suppressione Mensium 771
49 De Mensibus immodicis, seu nimio ab utero sanguinis profluuio 781
50 De fluore muliebri 789
51 De præfocatione seu strangulatu uteri 796
52 De uteri prolapsu, seu procidentia 805
53 De Mola 809
54 De sterilitate 813
55 De difficultate pariendi 821
56 De fœtus mortui extractione, & de secundis retentis uel derelictis 827
57 De uteri inflammatione 830
58 De exulceratione uteri 836
59 De Scirrho uteri, & Carcinomate eiusdem 840
60 De Hernia seu Ramice 843
61 De Ischiade 849
62 De Arthritide 856
63 De Elephantiasi 868

TRACTATVS DE FEBRIBVS

CAPITA, NOTATIS CHARtarum numeris.

1 *Quid febris, & quot eius differentiæ* pag. 876
2 *De Ephemera seu Diaria* 881
3 *De Synocho imputri* 888
4 *De Synocho putri* 893
5 *De continuis febribus in genere* 899
6 *De febre ardente* 904
7 *De febribus intermittentibus* 911
8 *De Tertiana exquisita* 915
9 *De Tertiana notha* 921
10 *De febre Quotidiana intermittente exquisita* 924
11 *De Epiala Quotidianæ annexa* 929
12 *De Quartana* 932
13 *De Quintanis, Sextanis, Nonanis & consimilibus febribus* 941
14 *De febre Hectica* 942
15 *De Semitertiana* 950
16 *De febre Pestilenti* 953
17 *De Symptomatibus febrium.* 964

AD

AD D. NICOLAVM PISONEM PRIMARIVM

SERENISSIMI DVCIS LOTHARINgiæ medicum I. Tognartij Claromontani eiusdem Ducis medici

EPIGRAMMA.

Quæ veteres medici bene, quæ scripsere minores (res
Sparsa, breui methodo, Piso, reposta doces.
Omnibus exq; illis perfectum opus atq; politum
Ingenij mira dexteritate facis.
Sic Venerem Cous posita depinxit Apelles
Ante oculos multa virgine: sed mediam.
Sic fragrantis apes florem depasta thymeti
Conficit aerij nobile mellis opus.
Ergo quod æquoreis concedit riuulus vndis,
Quod Coæ cedit cuncta puella deæ,
Quod thymus Hyblæo concedit singula melli,
Hoc operi cedunt cætera scripta tuo.
Quare age ne tarda perfectã hãc edere Praxin,
Qua volet inspecta nemo videre suam.

Ad eundem eiusdem.

Ἤρξατο μὲν Κῶος λέχνης, ἤυξησε Γαληνός,
Τὴν δ' αὐτὴν Πίσων ἐξετέλεσε σοφός.

Eiusdem in Zoilum.

Zoile, namq; tibi mordendi insana cupido est,
Quod mordere queas, hîc quoq; Piso dedit.
Pharmaca, clysteres, nodos, pessaria, glandes,
Et ducunt ægro corpore quicquid, edẽ.

AD EVNDEM D. PISONEM A. DIONYSII ATREbatis Claromontani collegij gymnasiarchæ.

Inuida fatorum series si fortè dedisset
Pisonis Coum scripta videre senem:
Nec vitam esse breuem, nec longã diceret artẽ,
In breue quam noster Piso redegit opus.
Quæ multos quondã medica reuocauit ab arte,
Discendi facilem præbuit ipse viam.

Ad

Ad eundem Florentij l'Anglois medici Principis eiusdem.

Theseidæ patrios olim disiecta per agros
Lauriferoq; Deo nymphaq; Coronide natus
Membra vt collegit dextrè, cumq; artubus artus
Aptauit, iuuenemq; Erebi reuocauit ab vmbris
Ad superas sedes: ac natus Amazone luci
Redditus aeriæ est: Ita præclarissime Piso,
Innumeris dispersa extant quæcunq; Galeni
Libris, atq; senis quàm plurima dogmata Coi,
Quæq; tenent Arabes, Graij, quæcunq; Latini,
Et quæcunque diu latuere immersa tenebris
Cimmerijs, cuncta hæc multo quæsita labore
Colligis, ac vigili studio congesta decoræ
Sedulus vt luci, celebri sic reddis honori:
Dum salubrem è sparsis confers scriptorib. artem
Hocce volumine eam totam complexus in vno,
Quo licet vt Coi in pictura cernere Apellis
Omnia Pæonio contexta volumina filo.
Quæ Phœbi spectanda etiã pulcherrima quæq;
Præbes arcana, atq; in apricũ singula profers
Piso arte insignis medica, sermone & vtroque,
Lux veterum, seculiq; tui decus, atque nepotum:
Alter Apollo vt sis iure, atque Asclepius alter.

IN D. NICOLAI PISONIS MEDICI CELEberrimi Therapeuticen εἰδύλλιον.

Audio te quoties medicis de rebus agentem,
Et scitè præscripta tibi medicamina cerno,
(Piso Asclepiadæ decus haud vulgare nepotum)
Mens stupet, ac Coïreor ora exculta magistri
In voces, totidem diuina arcana, resolui;
Atq; Sibyllinis mandari sacra tabellis.
O viue, æternum tu viuere dignus in æuum,
Qui vitæ inuitum quod erat depellere mira
Prouidus arte doces: liber hic quã suggerit, vnus
Mille alijs præstans, veterũ quos protulit ætas:
Immensæ frugis liber, immensiq; laboris.
Quem dũ Principib. studiũ atq; potissima cura
Est placuisse viris, patriã & iuuisse medendo;
Haud aliter, quã qui densum ruiturus in agmẽ,
Dux animo versat quos conferat hostib. hostes,
Qui conto, aut præstent eliso sulphure plumbo,
Qui gladio, vel qui prætensa comminus hasta,
Ordine quiq; suo, quo sic delecta virûm vis
Acceleret celebres merita cũ laude triumphos,
Et Ducis immortale ferat super æthera nomẽ,

Ὡι λαοί τ' ὀπιτρέφατα χὴ τόσα μέμιλε:
Cõstruis, oppositõ vt sanos medicamine morbos
Expugnes, diriq́ obtundas spicula Fati;
Quæ felix Arabum tellus, quæq́ India, quæq́
Belga pererrato vigil æquore, pharmaca p̃mit,
Vndiq́ conquirens, ne labes noxia corpus
Inficiat celeriq́ adigat procumbere letho.
Sic bene de patria meritũ ventura loquẽtur
Secula, sic, PISO, *laude extollêre perenni,*
Ὡι θεοί τ' ὀπιτρέφατα χὴ τόσα μέμιλε.

AD NIC. PISONEM PRINCIPIS LOTHARINGIÆ PRIMARIVM MEDICVM, IN suos de cognoscendis curandisq; corporis humani morbis libros,

EPIGRAMMA.

DIRAM Piso luẽ, morborumq; agmina vidit,
Agmina ferales aere sparsa comas.
Indoluit, prædamq; mali miseratus inermem
Nobile Apollineæ texuit artis opus.
Nẽpe omnẽ calamo morbũ depinxit, & omnẽ
Si qua Machaonia pendet ab arte salus:
Explicuit q; mali causas, legesq; medendi
Edocuit veteres, edocuit q; nouas.
Sic longum vitæ dat iter, vinclisq; moratur
Fila resecturas accelerata manus.
Quid tibi pro vitæ reddemus munere Piso,
Piso Lotharingi gloria magna soli?
Det tibi quẽ proprio cõpleuit numine Phœbus
Omnia Phœbeo nomina digna viro.
Quam bene vitales animo cõplectimur auras!
Quantus in humano pectore lucis amor!
Hanc tua nunc demum per secula longa tueri
Ars dabit à sero digna nepote legi.

Viue

Viue diu felix. Hominum namq; integra mille
Millia te ſtabunt ſtante, cadente cadent:
Inuidia infeſtis rumpantur vt ilia Parcis,
Et ſua dente fero mordeat exta Charon.

Franciſcus Loyſius
Lotharingus.

Ad eundem.

Τίπτε ἀρηϊφίλυς, τίπτε πολεμήϊα ἔργα
Ἀνδρῶν ἀνδροφόνων κλείετε μουσοπόλοι;
Τίπτ' Ἀχιλῆα θεῷ πολὺ πορδον ἐΐσκετε; τίπτε
Αἰνείην τερεῦ θυμὸν ἔχοντα λίθῳ;
Τίπτε χ' Ἡρακλέην, Ἀγαμέμνονα, χ' Μενέλαον
Αἵματι χ' σακέων ἠδομένους πατάγῳ;
Τίπτε δὲ Τυδείδην, ζωῆς ὃς ἀπείρονα λαὸν
Ὤρφανίσε φυγερῆς ἐν προφάλιγι μάχης;
Τίπτε ὁπιζαμένους ἀσεύδειν θανάτοιο τελευτὴν
Ἄδετε χ' πολέμους, πορθομένας τε πόλεις;
Ὦ μέλεοι. ὡς γὰρ θνητῶν ἀπὸ λοιγὸν ἀμύνειν
Λώϊον, ἢ θανάτῳ πένθιμον ἦμαρ ἄγειν.
Οὔτε χ' θανάτοιο κακῶν τ' ὀδυνάων ἀλκτῆρας
Λώϊον, ἢ θανάτῳ μελπέμεν ἐσσυμένους.
Νῦν δ' ἄρ ἄγ' οὐ δολιχῷ κόσμῳ βιότοιο δο-
Λυλῇ χ' λιγυρῇ Καλλιόπεια λύρῃ. (τῆσα
Ἀντία γὰρ θανάτου κρατερὴ Πείσων πολεμίζει
Ὑσμίνῃ μερόπων εἵνεκεν ὠκυμόρων.

Idem.

DE

DE M. LE POIS, PAR SON VOISIN BARNET SECRE-

taire de Monſeigneur le Duc de Lorraine & de Bar &c.

Au Lecteur.

VN grand Aſſaſien d'un grand mal affligé (ces:
A recours aux Docteurs des Cæſars & des Prin-
Et bien que doctement chacun d'eux l'euſt iugé,
Pour la diuerſité trouue leurs raiſons minces:

Cõtraint de recercher en diuerſes Prouinces,
Rencõtre ce grãd Pois, duquel l'auctorité (ces,
Réd l'obſcur tranſparãt, cõme les yeulx des Lyn-
Qui luy donne allegeance, & le guide en ſanté.

I'ay veu cela, LECTEVR, qui me faict t'aſſurer
Que tout ce qu'il te dit, tu n'en peulx eſperer
Que repos, que tout biẽ, que tout heur, que tout' (aiſe.
Car rien ne vient de luy, ſans le conſiderer:
Rien n'eſt eſcript par luy, ſans en bien conferer
A ſon muet conſeil, & que le cas luy plaiſe.

CÆSAREÆ Maiestatis priuilegio cautum est Andreæ Wecheli hæredibus, Claudio Marneo & Ioanni Aubrio, ne quis hos Nicolai Pisonis libros De cognoscendis & curandis humani corporis morbis, & librum De febribus, intra sacri Romani Imperij & omnium regnorum ac prouinciarum imperialium fines, eodem vel alio charactere excudere, aut vbicunque recudenda dare, aut alibi impressa importare, vendere vel distrahere palam vel occulte ausit. Idem priuilegium eis concessum de alijs etiam auctoribus in philosophica, medica, & iuridica facultate, alijsque disciplinis liberalibus; ad sex cuiusque editionis annos. Quod sacræ Maiestatis interdictum si quis neglexerit, non modo libris expressis, verum etiam insuper decem marchis auri puri, imperiali fisco, fraudis vindici, & dictis Wecheli hæredibus, ex æquo soluendis, mulctabitur, vt latius in Cæsareo diplomate

plomate declaratum est, dato Viennæ XXV mensis Maij, anno Domini MDLXXXII.

Rudolphus.

V. Io. Bapt. Weber.

Ad mandatum sacræ Cæs. Maiest. proprium

P. Obernburger.

DE COGNOSCENDIS ET CVRANDIS MORBIS SINGVLARVM PARTIVM HVMANI CORPORIS

Libri tres: ex monumentis classicorum medicorum, tum veterum, tum vel recentium collecti,

OPERA NICOLAI PISONIS MEDICI LOTHARINGI.

De Areis, Alopecia, & Ophiasi.

CAPVT I.

IC TVRVS de vitijs quæ singulis corporis partibus accidere consueuerunt, ordiar à capite, atque adeò ab ipsis capillis. Igitur in capite fiunt Areæ, Celso alíisque medicis Latinis sic appellatæ, quòd vtique sint priuationes pilorum, & in partibus quibus accidunt, areæ speciem præbere videantur. Portò omnium autorum consensu, Arearum duo sunt genera; quorum alterum Ἀλωπεκίαν, alterum ὄφιασιν Græci vocauerunt: eadémque nomina Latini retinuerunt. Atque illud quidem sic dictum est, quòd simili affectioni vulpes animal sit obnoxium: hoc verò, quòd partes capitis læsæ, serpentum modo glabrescant; vt plærique omnes existimarunt. *Area.* *Alopecia.* *Ophiasis.*

Sunt tamen qui Alopeciam dictam esse volunt à proprietate vrinæ huius animalis; quòd vbi vulpis lotium effusum fuerit, è vestigio infructuosus fit locus arescentibus herbis, nec alijs succrescentibus nouis. Vt verò hæ voces à figura depilationis originem suam traxerunt, ita certè inter vtrumque vitium discrimen est præcipuè secundum figuram, non etiam iuxta speciem. In eo enim conueniunt hæ duæ affectiones, quòd sint amissiones pilorum à serosis humoribus putridis genitæ: ac proinde vna eademque affectio dici possunt. Sed in Alopecia totum ferè caput caret pilis, nullamque figuram habet peculiarem: in Ophiasi autem partes solum quædam depilatæ sunt, cæque instar vestigiorum serpentis, vt paulo antè dictum est. Quod Celsus significauit, cùm scripsit Alopeciam sub qualibet figura dilatari: Ophiasin verò sub certa extendi. Nam incipit ab occipitio capillus defluere duorum digitorum spatio, vitiumque ad aures duobus capitibus serpit, quibus dam etiam ad frontem, donec se duo capita illa in priorem partem committant, ita vt serpentem repræsentet, vel (vt alij volunt) carinam. Discrimen quoque aliud est, quòd Ophiasis perpetuò sedem in capite obtinet, (quanquam & in mento contingere aliquando scribunt nonnulli) & pueris tantùm euenit, vel ijs qui ad Elephantiasin proni sunt: Alopecia autem barbam reliquásque corporis partes à natura pilis conuestitas deturpat & afficit, non minus quàm caput: nec minus etiam alias ætates, quàm infantiam infestare solet. Tertium discrimen adiungi potest, quòd Alopecia nunquam nisi ope medicamentorum euelli possit, cùm Ophiasis absque vllo externo auxilio, suaque sponte interdum desinat, præterquàm in ijs qui ad lepram sunt propensi. Est autem controuersia inter neotericos oborta, tum de parte hîc affecta, tum etiam de affectus ipsius natura. Inter quos sunt qui existiment cutem hîc affici, & Alopeciam atq; Ophiasin inter morbos cutis capitis meritò recenseri. Sunt enim (inquiunt) morbi cutis capitis, vel capillorum vitia, vel totius cutis capitis morbi. Vitia quidem capillorum sunt Alopecia, Ophiasis, caluitium, defluuium capillorum, & canities. Cutis autem totius morbi sunt, vlcera manantia, vel

In quibus discrepent Alop. & Oph.

Sedes affecta.

vel ficca. Confirmantque vitia illa capillorum non posse non dici morbos cutis capitis, quoniam capilli nequaquam corporis partes sunt, sed velut quædam adnata cuti, à natura ob duos fines comparata: quorum vnus est, vt generatione sua & nutrimento caput recremētis exonerent: alter verò, vt sint ornamento, authore Galeno. Præterea neque pili patiuntur, nisi vel cutis ipsa, vel humores in cute contenti malè affecti sint. Aliud sentiunt qui contendunt propositos affectus reponendos esse in defectu partis vtiliter factæ, seu in offensis eorum quæ vsum aliquem præbent animanti, cuiusmodi sunt pili; quos aiunt partes esse vsum suum exhibentes, affirmantque nutriri, tametsi non nutriantur quoquo versum, vt partes quæ aliquam actionem edunt: sed ea nutritione, quæ illis sustentandis est delegata. Tibi verò liberum est, vtram voles sententiā consectari. Sed de sede affecta plus satis. Affectus quoque qui sint dicendi Alopecia & Ophiasis, nō ita constat: cum in varijs generibus reponi possint. Iuxta enim priorē sententiam ad cutis intemperiem videntur referendi, cámque cum humore peccante: quòd cutis licet non habeat actiones corpori communes, proprias tamen nacta est, aliturque per venas, & attrahit, assimilat, vnit, distribuitque. Si verò capilli inter partes numerentur iuxta posteriorem sententiam, morbi erunt in numero deficiente ac præter naturam, vt ex ijs colligere est, quæ paulò antè commemorata sunt à nobis. Sed vt hæc omittamus, causa vtriusque mali est alimentum ipsum vitiosum, seu fuliginosum excrementum illegitimum, quo capilli nutriuntur. Quemadmodum enim, testibus Paulo & Aëtio, plantę aliquæ ob humoris inopiam reficcatæ seu nō irrigatæ corrumpuntur: aliæ autem ob humoris alieni ab ipsarum natura attractionem, vt si vrina, vel lixiuio, vel muria irrigentur: sic etiam decidunt pili ob alimenti inopiam, aut prauitatem. Per humores verò prauos, serum omnium humorum exponunt iuniores, vt sanguinis, pituitæ, bilis vtriusque, à quorum sero magis excitantur hi affectus; tum quod si cutis his partibus pungatur, sanguis exit serosus; tum etiam quòd partes in quibus consistunt, maximè sint remotæ; & venæ quæ ad illas ducunt, exiles & angustæ:

13. *de vsu partium.*
14. *methodi medendi.*

Qui affectus præter naturam.

Causæ.

cutis item illarum denſa : quo materia quæ craſſitiem magnam habuerit, vix peruenier ; tametſi paulò craſſior ſit ea quæ furfures efficit, quæ ad epidermida ipſam pertingit. Quod autem ad indicia dictarum affectionum attinet, ijs nil opus habent ; cùm ſenſui pateant : & ambabus commune eſt, (inquit Celſus) vt ſumma cuticula emoriatur. quare pili primùm rarefiunt, & extenuantur, ac poſtea decidunt. Sed humor redundans dignoſcitur ex capitis colore. Nam ſi eſt exuperantia ſeri ſanguinis, ex cutis colore rubeo, non inducto frictione, balneo, exercitatione, vel alia cauſa externa, percipietur. Candida verò cutis pituitam ; atra melancholicum ſuccum ; pallida flauam bilem redundare ſignificabit. Atque ad vitioſi humoris ſpeciem internoſcendam præterea non leue adiumentum victus ratio adferet, præſertim intelligenti quinam ciborum pituitæ, quinam atræ, flauæque bilis copiam coaceruent : idemque oſtendent naturalis temperatura, ac ætas. Quo loco recentiores notant duplicem eſſe humorum prauitatem conſiderandam, communem videlicet, ac propriam. Communis eſt, quæ à communi humorum & veluti conſueta putredine, aut corruptela prouenit : taliſque in pueris capillorum defluuium in vlceribus capitis manantibus efficit. Peculiaris verò eſt, quæ certam quandam & inſolitam malitiam ex aduſtione, vel maligna quadam conſtitutione contraxit : qualis eſt Elephanticorum : & paulo mitior eſt humorum conditio in morbi Gallici ſpecie. Cæterùm quæ amiſſio pilorum à morbo Gallico ortum trahit (quoniam huius hîc meminimus) id peculiare habet, quòd ſuperciliorum citius, & barbæ, quàm aliarum partium pilos aggredi conſueuit, ſubindeque temporum, quæ alioqui caluitium minus pati ſolent : eo quòd caluitium ex penuria alimenti nutrientis pilos accidit. Cuti autem temporum ſubiecta eſt caro crotaphitæ muſculi. Habet etiam amiſſio pilorum venerea, cum ea quæ Elephanticorum eſt, hoc commune ; quòd in vtraque ſuperciliorum amiſſio faciem deturpat : quanuis illa Alopeciæ ſpecies, quæ lepræ ſoboles eſt, magis in ſuperciliorum, quàm aliarum partium, vel etiam

Signa.

barbæ

barbæ pilos grassetur. Alopecia denique & Ophiasis minimè sunt negligendæ. Et si in illis, frictione ex linteolo asperiori citò cutis ruborem contrahat, maxima spes salutis ostenditur. Alopecia curatu difficilior est Ophiasi, quia materia Alopeciæ copiosior & crassior, ideóque magis contumax, & rebellis. Proinde scriptum est antiquis, Alopeciam vix vnquam curari, Ophiasin verò sponte sua quandoque, vt paulo antè meminimus. Additum est pariter Alopeciam maximè homines fœdare ac deturpare, nec non seruos qui ea laborabant, vilius perpetuò venditos fuisse. Quidam tamen Alopeciam facilè percurari scripserunt: sed de ea intelligendi sunt, quæ à communi corruptela oritur, & post morbum acutum, vel à morbo Gallico. Nam quæ à lepra & caluitio contracta est, ratò aut nunquam sanatur. Superest instituenda curatio, quæ humori peccanti vacuando debetur, vt postea sequatur opus naturæ, nempe productio pilorum. Humor autem vacuari nequit, nisi toti corpori prospiciatur: quod fit legitima diæta, & humoris in corpore hærentis vacuatione. Primùm itaque locentur ægri in aëre temperato; cibos assumant tenuis ac boni succi: quales sunt carnes gallinarum, perdicum, phasianorum, caponum, aut etiam veruecis, elixæ. Calidis redundantibus succis, à mellitis & piperatis, à salsis & acribus omnibus abstineant. Potus sit vinum tenue, album, aquosum, aut valde dilutum: aut loco vini aqua seminum coriandrorum, vel in qua parum cinnamomi decoctum sit. In frigida verò cacochymia, cibis prædictis calida admisceantur, ac potus vini natura meracioris & validioris concedatur. Caueant à leguminibus, lacticinijs, caseo, & ijs quæ flatus & vapores gignunt. Exercitium sit moderatum, rarum balneum, ratus sudor: ventris deiectionem procurent arte, vel clysteribus valentioribus: somnus sit moderatus: læto animo viuant. Confestim verò curatio reliqua perficienda est sanguinis missione, vtique si ad sit plethora, & ab exuperantia seri sanguinis affectio est excitata. Sanguis autem è cephalica vacuetur: ac post ea è vena frontis, vel potiùs ab ea quæ est in temporibus. Si tamen in toto corpore sanguis redundabit, ve-

Prognostica.

Victus.

Medicamentorũ ratio.

na interior basilica pertundatur, & si sinistrum latus magis affectum est, à sinistro latere sanguis mittatur: si dextrum, à dextro. Sin mittere sanguinem haud liceat, sanguisugæ in occipitio, vel circuitu capitis, aut cucurbitulæ cum scarificatu eodem loco admoueantur. Purgatione item frequenti ac idonea opus est. Quare propinetur medicamentum quod leue sit ac blandum: vt manna, catholicon, syrupus rosatus solutiuus, syrupus violatus itidem solutiuus: serum enim sanguinis per medicamenta purgatur, quamuis non ipse sanguis, vt docent recentiores. Sed ante vacuationem humores serosi corrupti ex syrupo buglossæ, syrupo lupulorum, vel fumariæ, vel endiuiæ, cum duplo decocti foliorum borraginis, buglossæ, & herbarum consimilium apparentur. Alijs peccantibus humoribus quanquam serosis, frequenti sed fortiori purgatione vtendum videtur: quoniam trahendi humores in habitu corporis impacti hærent: ac propter eandem causam purgantia medicamenta continuis diebus exhibenda esse nonnulli censent. Itaque si pituita redundabit, sanguinis missio prætermittatur: ipsa verò pituita eoquatur syrupo de betonica, vel de stœchade, vel aqua mulsa, seu aceto mulso, cum decocto foliorum betonicæ, maioranæ, stœchados, & herbarum aliarum. Vacuetur autem pilulis assaieret, coccijs, de agarico, puluere hieræ simplicis, puluere hieræ diacolocynthidos, vel electario diaphœnicon, aut diacarthami. Quanquam si dentur medicamenta formâ catapotiorum, à capite magis trahere creduntur. Atque in pituitosa materia vsurpantur magis quæ colocynthida, vel trochiscos alhandal recipiunt. Materia vero biliosa paratur decocto foliorum endiuiæ, lactucæ, cichorij, & similium, cum syrupo de endiuia, syrupo de cichorio, syrupo de portulaca. Purgatur autem pilulis aureis, pilulis de Rhabarbaro, & alijs quæ aloëm, vel scammonium recipiunt. Huiusmodi namque bilem porenter purgant. Idem præstant electarium de succo rosarum, diaprunis laxatiuum, myrobalani citrinæ, rhabarbarum ipsum: quorum vis augeri potest granis tribus vel quatuor diacrydij additis. In melancholico

lancholico succo post materiæ apparatum, præscribantur pilulæ de fumo terræ, de lapide lazuli, pilulæ coccię cum helleboro, diasenę, confectio Hamech, electarium Indum: quorum vis augetur adiecta infusione ℈ ß. hellebori nigri. Hæc paulò fusiùs adscribimus, vt ad aliorum affectuum curationem transferantur, si res exiget, nec eadem sæpius repetantur. Corpore vniuersim vacuato, vt ostendimus, caput ipsum postea seorsum Errhinis, vel Apophlegmatismis, seu per nares vel os expurgetur: à quibus omnibus humor aliò reuellitur, imò & caussa coniuncta tollitur. Sed in his affectibus commodius erit per os educere: tum quia serosis humoribus vacuandis ea via aptior est, tum quia cauitatibus cranij respondet, quæ solent pituitam è choana effluentem excipere: ex sinapi videlicet, mastiche, pyrethro, staphide agria, aliisque. Tale est quod paradeigmatis loco sequitur. ℔. piperis longi, nucis moschatæ sing. ʒ ß. seminis staphidos ʒ ß. pyrethri sing. ℈ ij. sinapi, origani, vtriusque ℈ j. trita excipiantur mastiche, aut melle, aut cæra, fingantúrque pastilli mansiles: quorum vnus ad vnius horę medietatem commanducetur. Eiusmodi masticatorij forma est accommodatior, eo quòd partes per masticationem concalescunt, vnde serum facilius attrahitur. Qua etiam ratione ex masticatorijs sòlida præstantiora sunt, quia ad eorum attritionem maior & longior masticatio requiritur, suaque effumatione partes excalfaciunt & relaxant, poros aperiunt, humores crassos eliquant ac fundunt, acriorésque reddunt, ac proinde ad expulsionem aptiores. Gargarismata quoque vsurpantur ex decocto ficuum, passularum, & herbarum calidarum, vt hyssopi, stœchados, pulegij, origani: in quo decocto mel rosatum dissoluitur. Ac vt fortiora fiant, adduntur in fine decocti piper, pyrethrum, cubebę, aut compositio aliqua ex phlegmagogis, vt est diaphœnicon, electarium Indum, electarium de citro, quibus & additur syrupi rosati laxatiui ʒ j. Quoniam verò tota ferè harum affectionum vis curationis posita est in topicorum administratione, mox ad ea confugiendum erit. Et quanuis iuniores vel circa initium admittunt repellentia, vt oleum rosaceum, omphacinum,

Pastilli mãsiles.

Gargarismi.

Topica.

mastichinum, addito aceto, vel succo citri ad penetrationem: de topicis tamen ex Galeno sic sentiendum. Ea primùm discutere debent: si quidem euacuare ac dissipare oportet. Sed quia quę discutiunt, calida esse solent, & valde calida exugunt, condensant, capillos destruunt, à vehemẽter calidis abstinendum erit: quia vnà cum collectis vitiosis succis, naturalis humiditas incrementum pilis suppeditans, absumeretur. Secundo loco hæc medicamenta profundas cutis partes debent penetrare: Tertio à corporis ambitu attrahere sanguinem optimum, ad regenerationem & nutritionem pilorum. Quæ quidem tria creditur habere thapsia: quæ tamen (quia nimis calida est) oleo simplici sabino, vel aqua pura corrigatur, vt docuit Galenus. Hac thapsia porrò vehementius est euphorbium: sed post thapsiam sinapi & nasturtium, sulphur, nitrum, vterq; helleborus, erucæ semen, oleum laurinum, amygdalæ amaræ tostæ, erinacei terrestris cinis, & thus acerrimo aceto subactum. Hæc apud veteres crebro in vsu fuere. Sequẽtia recentioribus commendata sunt: quos imitari possis, si ita videbitur. In materia sanguinea ℔. ladani ʒ ij. olei vitellorum oui ʒ j. chartæ vstæ, capitum murium vstorum ana ʒ j. cum oleo veteri fiat inunctio. Si materia erit pituitosa: ℔. euphorbij, rutæ syluestris ana ʒ iij. sulphuris, hellebori albi ana ʒ ß. misce, & cum oleo nucum antiquo fiat linimentum. In materia bilios: ℔. alcyonij, amygdalarum amaratum combustarum, stercorum murium ana ʒ ß. misce: cum aceto, atque adipe gallinaceo fiat vnguentum. In materia melancholica: ℔. thapsiæ lotæ ʒ j. corticum auellanarum contusarum, capitum muscarum ana ʒ iiij. cantharidum ʒ ij. hoc valentius est, quòd humor melancholicus est contumacior. Rectè verò monent alij, cauere semper oportere cutis vlcera, & erosiones, magnásque exustiones. Non pauci enim ex vsu validorum medicamentorum deducti sunt in perpetuum velut caluitium, & ad mortem vsq; imberbes remanserunt. Plura alia conficiunt recentiores topica similia, ex ijs quæ digerendi vim habent atque exiccandi, & pilos generandi: ex oleis proprijs videlicet; vt oleo nucum, laurino, ex abrotano: ex axungijs talpæ, vrsi, lupi, anseris, cuniculi: ex alijs

Curatio iuxta recentiores.

ex alijs reſiccantibus, vt ex cineribus abrotani, pilis vrſi, vel talpæ, ex muſcis, veſpis, & apibus, quibus addunt thapſiam, euphorbium, & cætera veteribus vſitata, & iam dicta. At circa horum vſum obſeruandum, vt in recentioribus morbis mitiora ſint medicamenta, in vetuſtis efficaciora adponantur: alterum, vt antequam illinantur loci affecti, pili corrupti euellantur. Quemadmodum enim agricolæ priùs radices inutiles ac putridas auferunt, quàm ſemina terræ committant; ſic inutiles pili auferendi ſunt: alioqui noui non ſuccreſcent: aut qui generabuntur, corrumpentur. Duobus verò id fit modis: prior eſt, vt ſcilicet in aëre lucido ac ſereno volſellis euellantur pili ſingulatius: alter verò vt pix corruptis pilis adponatur; deinde euellantur. Pix enim euulſa ſecum pilos corruptos trahit. Sed hi modi non carent moleſtia. Tertiũ eſt, vt antequam linimenta adhibeantur, & poſt corruptos pilos auulſos, fricetur pars, vſque quo rubeſiat. Fricatio autem fiat primò pannis aſperis, vel pumice, nitro, folijs ficuum, cæpis. Neque verò ſolùm frictiones antecedunt, verùm etiam puncturæ aciculis factæ, vel loco harum leues ſcarificatus; à quibus poſtea à perito chirurgo cornicula admouentur. Eſt autem Pariſienſibus medicis familiaris horum affectuum curatio, qualis ſequitur. Factis vniuerſalibus, parãt fotus ex lixiuijs primùm leuioribus, vt cinere ſarmentorum vitis: deinde vehementioribus, vt cinere caulium, ramuſculorum fraxini, vel ficus, quibus incoquuntur herbæ detergendi vim habentes, & ex alto trahendi; vt radices enulæ campanæ, bryoniæ, ireos, & huiuſmodi. Poſt fotus admouent emplaſtra diſſipantia, qualia ſunt emplaſtrum de melilloto, diachylon ireatum, cæroneum, de baccis lauri, pix nigra, gummi pini. Poſtremo loco vſurpant ſinapiſmos in contumaci malo: quibus cautè vtendum, ne quid in cute calloſum relinquatur. Vacuato humore capillitium corrumpente, naturæ conatum adiuuant remedijs topicis fuliginoſum excrementum ad partem attrahentibus, & moderatam cutis laxitatem, denſitatemque efficientibus: de quibus capite proximo dicetur. Vulgatum etiam eſt remedium, quod paratur ex mercurio & ſulphure, butyro vſtulato exceptis; vel adipe ex incenſo la-

rido veteri confecto, cui pulueres ex alto trahentes addi possunt. Si à lue venerea capillorum fluor proueniat, curetur vel diæta vocata, vel linimento. Linimentum minus absumit alimentum pilorum, quàm tenuis victus ratio. Id verò probatur. ℔. axungiæ porci, vnguenti martiati ana ʒiij. axungiæ vrsi ʒij. olei laurini ʒiij. olei de iunipero ʒj. terebinthinæ ʒij. argenti viui ʒvj. myrrhæ ʒj. euphorbij ʒß. misce. fiat vnguentum quo totum corpus inungatur. Deinde supra partes sequens admoueatur. ℔. vnguenti præscripti ʒij. cineris abrotani, fellis vrsi, pilorum huius, vel echini marini, seu terrestris ʒj. mellis ʒij. fiat vnguentum, quo partes denudatæ vngantur. Hęc sunt tanquam paradeigmata quædam adscripta, & huc allata. Plura si quis desiderabit, authores ipsos reuoluat, & consulat.

De defluuio capillorum. CAP. II.

Quodnam defluuium hic intelligendum.

DE FLVVII seu decidentiæ capillorum nomenclatura, vt generalis est, ita pluribus affectionibus tribuitur. Hic particularem affectionem denotat, scilicet effluxionem capillorum non à prauitate humorum contractam (qualẽ diximus Alopeciæ & Ophiasi conuenire:) sed ab alijs causis profectã. Ea verò est, præsertim quæ morbũ acutum, vel longas ægritudines consequitur. Sæpius enim à morbo, ratiùs sine morbo defluunt capilli. Et in hac affectione capilli interdum magis defluunt, quandoque verò minus. Differt hoc defluuium ἀπὸ τῆς φαλακρώσεως, seu caluitio. Fit enim defluuium in omni ætate, omni sexu, in quauis capitis parte, idque à multis causis: verum autem caluitium quodammodo fit quadam temporis ratione & mensura, non in omni sexu, (quia mulieres eo non infestantur) fitque solùm ab exiccatione, & in anteriori capitis parte. Sed caluitii, vt & canitiei essentiam atque curationem descripserunt alij: nos hìc breuiati consulentes, missam eam faciemus. In proposito itaque defluuio quæ pars afficiatur, & ad quod genus morbi spectet, ex superiori capite facilè repeti potest. Huius autem mali causæ duæ præcipuæ à Galeno traduntur, raritas cutis, inopia-

Differimen inter defluuium & caluitium.

Pars affecta.

Quis affectus.

Causa.

que

piaque substantiæ capillos generantis ac nutrientis. Nam vt in terra arida ac etiam rara, plantæ consistere nequeũt: sic raritas cutis in causa est, vt capilli firmiter non hæreant; humoris verò inopiâ pili extenuantur, deinde excidunt; & qui remanent, rari esse deprehenduntur. Plures alias nostri commemorant causas, qualis est copia humorum, à qua defluuium oritur. Vt enim plantæ sæpenumero nimio alimento exuberantes arescunt, (sicut in locis vdis ac paludosis conspicitur) sic capilli alimento velut nimio suffocantur. Præterea densitas cutis causa quoque defluuij esse potest, nempe si cutis vel medicamentis, vel aliquo alio genere ita compingatur ac densetur, vt alimentum continuè pilis suggerere nequeat. Additur & ex Alexandro prauorum humorum expurgatio, tanquam causa à qua nimirum reserantur meatus, vnde postea pili defluunt: non autem quòd pilorum radices à prauitate succi corrumpantur, vt in Alopecia contingit. A potu quoque veneni, & à contactu Salamandræ capillos defluere autumant. Porrò hæ causæ suis notis distinguuntur. Si ex sola raritate cutis id genus mali ortum est, temperatura ægri consentiet, cui caput calidum, rarum, apertum est, cum multum sudet, præcipuè circa capitis regionem. Sin ex defectu nutrimenti profectum est defluuium, ex inedia quæ præcessit, dignoscitur, ex immoderato coitu, ex vigilijs, ex morbis qui antecesserunt denique. Si densa cutis est in causa, noscetur, quia ægri passi sunt frigus, vel aliquo vsi adstringentium genere. Accedit, quòd pili tenuiores visuntur. Cæteræ causæ per se manifestæ sunt, aut saltem ex prædictarum absentia deteguntur. Euenit sæpius morbus hic ijs qui à morbo conualescunt. Et, si tabidis capilli defluunt cum alui fluore, lethale. Indicium enim est, naturam cogi maximè ab inopia nutrimenti. Hoc tamen pugnare videtur cum eo quod ab Aristotele scriptum est: in morbosis ac tabidis, velut in defunctis, pilos crescere. Verùm id contingere in illis accipiendum est, quòd multa in ipsis excrementa gignantur: vnde facilè pilorum materia suppetit. In defunctis autem, quòd marcescente carne omnes partes pilorum ad radices vsque sese ostendunt: ex quo fit, vt longiores videantur,

Signa.

Prognostica.

Curatio. non quòd reuera augeantur. Postremò quod ad curationem attinet, hîc vsu salubrium alimentorum & succi optimi, materiam pilis regenerandis idoneam in primis

Victus lex. comparabis, ex Galeni præcepto. Sola enim victus ratione ferè curantur. Et si ex cutis raritate est malum, cibi sint astringentes, sed facilis distributionis tamen. Proinde vinum sit subastringens, ac purum. Vsus citoniorum atque granatorum prodest: vitelli ouorum, & carnes bene nutrientes. Vsus quoque pedum hœdi ac vitulorum laudatur. Salsa & acria omnia fugiant. In densitate cutis, vel ariditate, balneum conuenit, nec non herbæ humectantes & fructus, omniaque quæ cutem possunt rarefacere, præcipiantur: modò ne vtaris nimis rarefacientibus. Nam quæ conducunt ad generationē pilorum qui deficiunt, conseruationi eorum qui nondum defluxerunt, obesse possunt.

Medicamēta ex præscripto veterum. Cæterùm hîc medicamenta conferunt ex Galeni doctrina, quæ cutem mediocriter densent, modicè calefaciant, idoneúmque capillorum alimentum attrahant. Calidiora enim alimentum pilorum in halitum discutiunt: quæ nimium densant & astringunt, non modò roborant poros, sed & materiam repellunt, & sæpe nimium astringendo vias futurarum intercipiunt, per quas vapor inutilis quotidie exhalat: atque ita retentis excrementis fluxiones in nares, fauces, & reliquum corpus commouentur, vt doctè à iunioribus animaduersum est. Neque hîc medicamenta per os sumenda necessaria sunt, sed tantùm externa, qualia superiori capite dicta sunt quædam, & cuiusmodi est ladanum, iuniperus, lentiscus: ex quibus lotiones & vnguenta parantur. Non est autem præstantius medicamentum ad defluos capillos, eo, quod ex ladano & lentiscino oleo conficitur. Sed ex Galeni sententia cuiuis notum est, antequam medicamento vtaris, capitis frictionem præcedere oportere, & multitudinis pilorum resectionem. Nisi enim capilli auferantur, non poterunt medicamenta administrari. Et sæpe radere caput, succurrit defluentibus capillis. Auferuntur autem capilli vel per rasuram, vel per detonsionem factam forcipibus vsque ad cutem. Qui posterior modus laudatur magis, præsertim hyeme: æstate verò radi possunt. Caput autem fricandum est, quia frictione corrobora-

roboratur, & nutrimentum ad partem trahitur. Ad hæc si caput raditur, medicamenta sint crassiora: si detondetur, liquidiora: de quibus accuratè recentiores admonuere. Veteres ante balneum, & à balneo medicamenta illinebant. Nunc exoleta balneorum consuetudine, vtemur fotu ex decocto absinthij, stœchados, sarmentorum vitis, & capillarium herbarum vocatarum, adiectis myrti foliis, quæ in æquis partibus aquæ ac vini rubri coquantur. Facta lotione deinde adhibentur inunctiones. Singularis est quæ sequitur; Recipe polytrichi, capillorum veneris, foliorum myrti, rosarum, absinthij ana pugillos ij. decoquantur in olei dulcis & vini rubri austeri ana quartarijs iij. donec vinum consumtum sit. omnia colentur & exprimantur. Recipe huius olei ʒ ij. ladani ʒ j ß. mastiches ʒ ß. ladanum & mastiche subigantur in mortario pistillo calido, paulatim oleum infundendo: deinde conspergè, & probè misce pulueris capillorum veneris ℈ iiij. fiat inunctio. Alia. Recipe succi corticum nucum viridium ʒ ij. olei ladani, olei myrtillorum ana ʒ j ß. pulueris myrtillorum, pulueris lentisci ana ʒ j. cæræ parum, misce ad ignem: & fiat vnctio. Si malis emplastrum, Recipe ladani depurati, resinæ pini ana ʒ j. subigantur pistillo calido cum vino. adde styracis calamitæ ʒ ß. pulueris calami aromatici, cyperi, rosarum, ireos ana ʒ j. olei mastichini & chamæmelini ana ʒ j. cæræ quantum satis: fiat emplastrum. Si verò cutis fuerit adstricta, Recipe ladani ʒ ij. malabathri, vel succedanei eius ʒ j ß. cæræ parum. fiat linimentum. Plura apud alios comperies: neque enim hic omnia passim descripta remedia congerere nobis animus est, sed probatiora, quæ instar multorum esse possint.

Remedia tunsoribus magis vsitata.

De porrigine, seu furfuribus. CAP. III.

MALVM quod Latinis Porrigo, Græcis πιτυρίασις dicitur, vulgus furfures appellat, quòd scalpentibus hominibus squamulæ tenues ac furfures, ex capitis reliquiq; corporis summa cute decidant. Itaque id nomen inditum est à similitudine cum furfuribus tritici, quos candore & tenuitate referunt. De his ita Serenus,

Furfures vnde sic dicti.

Cùm caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris vti frendentibus edita saxis.

Affinitatem cum hoc affectu habet Pararella morbi Gallici, quæ nihil aliud est quàm squamæ partem internam manuum ac pedum occupantes, de qua vide iuniores. Earum verò squamularum quæ à cute resoluuntur futfuris modo, multæ sunt differentiæ, vt apud Paulum & reliquos videre est. Interdum enim madent, multo sæpius siccæ sunt: idque euenit, modò sine vlcere, modò exulcerato loco, cùm scilicet ad vlcera & corruptiones pilorum deueniunt: modò malo odore, modò nullo accedente. Sunt etiam quædam toti corpori communes, aliæ (& hæ quidem frequentiores) in capite, raiò in barba, interdum in supercilijs, in quibus humores sparsim congesti retinentur propter illarum partium densitatem, & maiorem astrictionem, quàm in alijs, quæ laxiores existunt. Rursum quædam per essentiam in capite, aliæ per consensum corporis vitiati: nonnullæ recentes, aliæ antiquæ. Cutem porrò hìc affectã esse, nemo ambigit. Et morbus est ex intemperie capitis, idque cum prauis humoribus, vt quidam censent: alij ex praua & nuda intẽperie capitis pendere aiunt, etiamsi succi corporis boni sint. Sed facilè inter se conciliantur, si dixerimus mitti bonos à corpore in caput, ibiq; vitiari & corrũpi; vel mitti iam corruptos, vt nonnulli exposuere. Semper igitur prauí adsunt humores, nõ sola quidẽ intemperies. Præterea ab ichorosis humoribus oriri affirmant alij, vt cùm serosi humores sub cuticula contenti, sicci & mordaces adustione facti, illam siccant & rodunt, scinduntque, & à subiecta cute auellunt: adeò vt epidermis in frusta squamorum & furfuris speciem habentia, diuisa sit. Alij verò à crassis & vitiosis corporis humoribus, vt salsa pituita, vel bilioso & melancholico sanguine ad caput euectis. Neque hi ab illis omnino dissentiunt; cùm per ichores prauos, quilibet humores prauí & corrupti sæpe intelligantur, & hoc nomine humores vniuersaliter accipiantur. Præter has causas veras & immediatas Porriginis, plures aliæ commemorantur, quæ ad eius generationem concurrunt, vt repletio frequens, vsus rerum salsarum & acrium, quales sunt carnes salitæ, pisces salsi,

Differentiæ squamularum.

Sedes affecta quæ.

Affectus quis.

Causa.

Ichores.

salsi, allia, cæpe, & huiusmodi, coitus nimius, exercitatio importuna, balnea tam frigida quàm tepida, post cibum adhibita. Satis patent furfures, vbi sola frictione, vel quauis pectinatione, è capite excutiuntur. A quo verò pendeant humore, ex ipsius cutis colore facilè iudicare est: quia si sublatis furfuribus apparebit color cutis rubeus, materiam sanguineam esse, certum erit; si flauus, biliosam; si liuidus vel niger, melancholicam. Huc quoque transferendæ sunt aliæ notæ huius, vel illius humoris redundantis. Sæpe furfures sola victus ratione curantur, vt ferè solent morbi contumaciores. Itaque cibi sint boni ac tenuis succi, coctuque facilis. Abstineant à carnibus bubulis, ceruinis, & caprinis: à bellarijs, & oleribus: nec non à bulbis, leguminibus, tuberibus, fungis, ac cæteris flatulentis, item ab acribus & salsis, ab ijs etiam alimentis, quæ ad habitum corporis excrementa deducunt, vt sunt ficus. Mel & cuminum condituris addantur, vt & fœniculum. Laudatur etiam acetum cum sapa: quoniam hæc edulia arcent, & exiccant putredinem. Deambulationes manè, ac vesperi optimæ sunt. Conuenit & frictio mollis, quæ etiam fieri potest manibus oleo amygdalarum amararum inunctis. Congruit & lotio totius corporis, vel capitis, potius in frigida, quàm in calida aqua, æstate potissimum. Mutent frequenter indusia. Sint animo tranquillo, & quieto: iram, indignationem, moram in sole, & vehementem refrigerationem deuitent, & omnia quæ caput replent. Quod reliquum est curationis, in primis cogitandũ, an vitium sit in toto corpore, an in præcipuo aliquo viscere, vel solo capite. Si in toto corpore, sicut in viscere, illius habenda cura erit. Et sanguis mittatur, maximè si sanguinis exuperantiæ indicia aderunt. Sin verò sola est capitis intemperies, quæ capitis succos corrumpat, sanguinis missio atq; purgatio erunt prætermittendę, statimq; veniendum ad ea topica, quæ in leui porrigine curanda paulo pòst docebimus. Quoniã igitur Porrigo à pituita salsa, vel altero bilis genere contrahitur sæpius, purgatio pro succi varietate ei conuenit: qualis abundè capite de Alopecia iã descripta est. Sunt & ex vsu Apophlegmatismi, & Errhina, seu quę per os & nares pituitam

Signa.

Curatio per victum.

Medendi ratio.

ducunt. Vrinæ quoque ac sudores vtiliter moueri possunt, de quibus alio loco. In hoc casu præterea si sanguis nõ erit missus, cucurbitulis pluribus, ijsq; scarificatis vti licet, quia hæ solẽt sanguinem vitiosum cuti insperſum tollere. Purgato corpore properandũ ad Topica medicamenta, quæ scilicet discutiant ac tergeant, ex placitis Galeni. Leuiter etiam astringentia illis admisceantur, (cùm sit hic morbus ab affluxu materiæ) quibus pars ipsa roboretur. Si enim à vehementioribus astringentibus humores retinerentur, nobiliores partes offenderent, præsertim si leuis est Porrigo. Sin antiqua & rebellis, efficaciora astringentia admittit, quale est atramentum sutorium, ex Galeno. Porrò vt facilior sit curatio, imitari possumus Auicennam, qui triplicem porriginem statuit, leuem, vehementiorem, & vehementissimam; quæ cum vlceribus coniuncta est. Leuis curatur solis Topicis, vt dictum est. Ac primò caput, vel frictione leui, vel abrasione capillorum emundetur à furfuribus: deinde abluatur decocto maluæ, althææ, foliorum rapi, & betæ. Inter abluendum, loco saponis vtendum erit amygdalis amaris cõtritis: & abluto capite ae deterſis furfuribus, intemperies capitis corrigatur inunctione ex oleo rosato, vel nenupharino, vel de cucurbita, vt cutis feruor compescatur. In secunda verò specie vehementiora conueniunt, quæ abstergunt & moderatè resoluunt: veluti fœnugræcum, folia betæ, amygdalæ amaræ, pumex, myrobalani, malua agrestis, staphisagria, thus & cimolia commendantur: ex ijsq; fiunt pulueres: qualis est hic: ℞. fœnugræci, foliorum betæ exiccatorum ana ʒ ij. myrobalanorum nigrorum, staphisagriæ ana ʒ ij ß. conterantur omnia, & in puluerem reducantur. Huiusmodi pulueres abraso capiti apponuntur, atque manibus violentius affricantur. Subinde caput abluatur simili decocto: ℞. foliorum betæ, staphisagriæ, radicum althææ ana p. j. bulliant in aquæ communis libris octo, & addatur vini modicè astringentis libra vna. Et inter abluendum vti oportet amygdalis contritis, vel pumice integro, loco saponis. Si linimentum est optatius, Recipe pulueris foliorum betæ, pulueris myrobalanorum nigrorum & alborum, pulueris staphisagriæ ana ʒ iij. olei communis, olei myrtini

ana

Topica.

Tres porriginis differentiæ: & singularum curatio particularis à iunioribus vsurpata.

Puluis affricandus capiti.

Ablutio capitis.

ana ʒ ij. aceti ʒ j ß. In tertia ſpecie vſurpantur adhuc valentiora, nitrum, ſulphur, pulpa colocynthidis, veratrum, chalcanthum, fel tauri, farinæ lupinorum, fabarum, hordei. Pulueris ex his parandi hoc paradeigma erit. Recipe nitri, ſulphuris, ana ʒ ij. pulpæ colocynthidis ʒ ß. ellebori nigri ʒ j. lupinorum craſſo modo contritorũ ʒ j. miſceantur omnia diligenter puluerata: & capiti deraſo vehementer affricentur. Lotio verò huic ſimilis eſſe debet. ℔. foliorum betæ, radicum althææ ana p. j. pulpæ colocynthidis, ellebori albi, nitri ana ʒ ij. Hæc poſtrema in petia ligentur, & vnà cum herbis ac radicibus bulliant in aquæ libris decem, quouſque abſumatur quinta pars: deinceps addantur vini albi libræ duæ: atque ita caput abluatur. Deinde ſi malum contumax eſt, & vlcera non benigna, ſic vngantur. Recipe chalcanthi, fellis tauri ana ʒ ß. nitri ſulphuris ana ʒ ij. olei roſati omphacini vncias duas: miſceantur ad ignem in vaſe duplici. Hæc imitari poſſis, ſi voles, quæ mihi viſa ſunt ſelectiora è multis. Alij compendioſiori curatione vtuntur. Abluunt caput lixiuio ex cinere ſarmentorum vitis parato, & poſt duos aut tres dies abraſo capite aut detonſo, vtuntur de cocto lupinorum, vel radicis bryoniæ, vel cucumeris ſylueſtris. Quod reliquum eſt, Paulus in furfuribus humidioribus commendat lotiones capitis ex muria ſeu aqua marina, & decocto lupinorum.

Remedia valentiora.

De pediculari morbo. CAP. *IIII.*

Phtheiriaſis vnde dicta.

Φθειρίασις Græcis ἀπὸ τῶν φθειρῶν hoc eſt à pediculis, vel ἀπὸ τῆς φθορᾶς, ſeu humorũ corruptione dicta eſt, ex Galeno lib. de Theriaca ad Piſon. Latinis pediculatio, vel pedicularis morbus, in quo nimirũ pediculi aceruatim generãtur, & per cutẽ erũpunt, totiq; corpori ac ſingulis partibus accidere poſſunt. Sed præſertim capiti. propter frequentiam pilorum. Fiunt & in locis alijs calidis humidis, vt ſub alis, & circa collum: ſeu in emunctorijs, ob frequentes venas, quæ plus materiæ & caloris ſuppeditant. Hic igitur quæ pars affecta ſit, liquet. Morbus verò in numero dicendus eſt: quemadmodum & lumbrici.

Pars affecta.

Quis affectus.

Cauſa.

corum materialis, seu ex qua generantur, est excrementum tertiæ coctionis; putrefactum quidem, non tamen acre, nec prauum. Sanguis enim vbi in membrorum substantiam conuertitur, multa excrementorum genera producuntur. Nam quædam vacuantur per insensilem transpiratum; nonnulla per sudorem excernuntur; alia in sordem conuertuntur; quædam in cute retinentur. Atq; inter hæc quæ retinentur in summo cutis, porriginem faciunt: quæ verò in profundo latent, si actia & praua sint, Alopeciam & Ophialin committunt: si neque acria, neque praua, in pediculos vertuntur. Idem sentiunt, qui scribunt oriri pediculos à calida humida materia, putrescente scilicet in poris cutis. Vbi enim humores eius naturæ ad cutem trahuntur, non discussi, in pediculos transeunt. Causa efficiens est calor natiuus concoquens partem humorum qui putrefiunt, quique non ad tantam caliditatē progrediuntur, ad quantam perueniunt acres & serosi humores, saniésve, sed benigniores sunt, & nutritioni apti, antequam putrescant. Vtramque causam materialem & efficientem visi sunt complecti, qui dixerunt fieri pediculos ex humore calido & humido, eodemque viuo, aut certè à viuente corpore profecto, quo nutriuntur. vnde fit vt post mortem cadauer fugiant: quoniā opus habēt tepore quodam, ac sanguineo & dulci succo: quibus destituuntur morituri. Finalis denique causa pediculorum est, vt absumantur humores in corpore, ne non otietur natura, quæ semper aliquid procreat. Locus verò generationis eorum est imum cutis, seu prope carnem: neque fiunt ex carne corrupta, vt quidam opinati sunt: sed in loco inter cutem & ipsam carnem intermedio. Causæ primitiuæ sunt ætas, vel sexus: quia pueri, vel mulieres hoc malo sæpius corripiuntur; quandoque & viri eodem modo tentantur. Fit & hic morbus ex vsu caricarum seu ficuum, quæ calore suo deducūt succos dulces, & putredini paratos, ad cutem, & pediculorum materiam augent: vel quia ficus prauum succum gignunt, vt alij sentiunt. Mutatio quoque aquarum adiiuuat eorum ortum. Exercitatio dimissa, negligentia circa corporis cultum seu immundities, incuria circa mutationem pannorum, & præsertim indusiorum; conuersatio cum pedicu-

Ficus.

diculosis, fricatio leuis, scilicet si corpus est immundum, quia excitat materiam, calefacit ipsam, & disponit ad generationem pediculorum. Adduntur & carnes viperarum, quæ sua tenuitate ad cutem excrementa expellunt. Cùm verò sint pediculorum multa genera, omnia sunt vnius eiusdemque materiæ soboles: eaque obiter hic enumerari possunt. Primum eorum genus est qui obambulant, & plures pedes habent: alterum eorum qui pedibus carent, & permanent infixi, atq; à cute non facilè detrahuntur: quos piatolos vocant. Quidam parui sunt, Acari appellati, qui parum crescunt, & nunquam extra erumpunt, sed semper intra cutem & cuticulam latitant, & rodunt. Cyrones vulgo dicti sunt. Alij valde parui, qui permanent in capillis, & dicuntur lendes. Signis non indigent pediculi, vt noscantur. Sed quibus pediculi sunt in capite, hi in reliquis optimè valent: quia plurimam excrementorum copiam absumunt. Malum verò est non modò turpe, sed quandoque ad mortem perducit, vt de Pherecide, & alijs scripsit Aristoteles. Præterea pediculi generantur in principio lepræ: nec non in secunda & tertia specie hectices. Curatio igitur non contemnenda est. Cùm ab humorum prauitate oriantur, quæ partim efficitur, partim facta est, duo sunt scopi: vnus vt prohibeatur, quo minus hæc humoris prauitas augeatur: alter, vt quicquid est prauum iam factum, à corpore auferatur. Quoniam verò humorum prauitas ob victus errorem augetur, ante cætera victū legitimum instituere necesse est. Nullæ igitur cruditates coacerventur: cibi crassi ac praui succi vitentur: carnes assumantur turturum, pullorum, & similes. Sunt qui damnent phasianos, quasi carnes eorum comestæ pariāt huiusmodi morbum, sicuti & ipsi eo morbo maximè infestantur. Vsus caricarum præcipuè damnatur, de quibus suprà. Carnes & fercula ægrorum condiantur aceto, omphacio, succo berberorum. Maxima quoque habenda est cura exercitationis, & cultus corporis, sicuti enim quies morbum hunc adiuuat: ita exercitatio tollit, sed quæ cibum præcedat. Balnea similiter ante cibum vsurpata maximo vsui sunt, vt corpus mundum seruetur: quare & omnis sordities, omnis illuuies quotidie tollantur: panni

Pediculorū species.

Prognostica.

Curatio.

Victus ratio.

Medendi methodus.

& præsertim indusia sæpius mutentur. Quidam panni sunt ad eorum prouentum apti, scilicet qui ex lanis morticinis vocatis comparantur. Præscripto vitæ modo, in primis aluus catholico vel simili alio medicamento leniatur. Deinde sanguis mittatur, si opus erit (vitium enim maximè positum est in sanguine) & pro viribus detrahatur. Humores postea parentur ex syrupo lupulorum, vel borraginis, cum decocto earundem herbarum, tormentillæ, scabiosæ, & herbæ pediculares. Inde vacuentur agarico, carthamo, hiera: qualis est hæc potio. Recipe agarici drachmam vnam, carthami ʒ ß. infundantur in sero caprino. facta diligenti expressione, adde confectionis Hamech ʒ iij. mellis violati ʒ j Pilulæ ex aloë commẽdantur à Galeno. Conueniunt & pilulæ ex agarico, vel de hiera cum colocynthide. Sæpius repetatur purgatio. Posttremò deueniatur ad medicamenta, quæ & humores prauos cuti impactos tollere, & malâ corporis temperiem corrigere possunt: quorum alia intrò assumuntur: alia foris adhibentur. Assumuntur allia cocta, iuxta Auicennam; calamentum montanum, sinapi, iuxta Paulum, & alios. Theriacæ quoque vsus conuenit: & puluis cornu ceruini conducit.

Topica.

Externa medicamẽta sunt desiccantia, tenuium partium, detergentia, & discutientia, vt in profundo collectos succos dissoluant: eaq; validiora esse debent, quàm quæ ad furfures tradita sunt. Huiusmodi sunt nitrum, staphisagria, quam pediculares vocant, helleborus, sandaracha Græcorum. Si hæc non tollunt morbum, ad argentum viuum transeundum est: sed in extremis casibus, & non nisi repurgato corpore. ℞. argenti viui saliua extincti ʒ ß. sulphuris ʒ j. pulueris cornu cerui vsti ʒ j ß. aceti & olei q. s. fiat linimentum. Abluatur caput decocto lupinorum, rutæ, abrotani, & salis, quæ siccant & abstergunt valenter. Post longos morbos maximè quidam vexantur: quibus prodest quod sequitur. ℞. staphisagriæ p. j. nitri ʒ ij. bulliant in aquæ communis libris quatuor. deinde facta expressione apponatur argenti viui extincti ʒ j. aqua agitetur baculo per horas duas. Deinde hac aqua abluatur tegumentum capitis, & postquam ablutum erit, exiccetur. Hoc verò tegumento caput obuoluatur. Cùm à toto corpore erumpût pediculi,

paretur

paretur hoc lauacrũ: ℔. maluæ, bismaluæ, betæ ana m̃. ij. hordei integri & leniter torrefacti p. iij. Vel paretur balneum. ℔. betæ, absinthij, marrubij, ana m̃. j. centaurij minoris, florum stœchados ana pugillos ij. lupinorum p. iij. staphisagriæ ℔ j. aristolochiæ ℔. ß. adde salis ℔. iiij. vel fiat decoctio in aqua marina. Balneetur æger, vel abluantur emunctoria, & caput: deinde liniantur. ℔. olei amygdalarum amararum ʒ ij. olei rutæ & staphisagriæ vna ʒ ß. centaurij minoris ʒ ij. myrrhæ ʒ iij. argenti viui ʒ ij. axungiæ rancidæ, & salitæ ʒ iij. fiat linimentum. Tempore vnctionis, adde aceti parum. Manus abluantur aceto & sale. Aduersus Cyrones vtuntur oleis stupefacientibus, vt oleo de papauere, oleo de mandragora, quibus etiam argentum viuum misceri potest ad ʒ ß. Id potest illos occidere, & pruritum ab eis excitatum obtundere. Mulieres acu extrahunt, & sic se à pruritu vindicant: & quia causam non auferunt, subinde alij renascuntur. Hactenus de capitis affectibus, qui verè vacant vlcere. Iam de ijs qui cutem capitis cum vlceribus infestant.

De Achoribus & Fauis. CAP. V.

QVI ἀχῶρες Græcis, saphati Arabibus, vlcera capitis manantia Latinis dicuntur. Tineam vulgus appellat: *Tinea vnde dicta.* à tinearum in vestibus similitudine. Vt enim hæ multo, eoque tenui morsu ac rosione vestes perforant, sic capitis cutem Achores. Quanquam quidam ex Arabum familia non tantùm in capite, sed & in facie, & toto corpore fieri tradiderunt. Sed notandum Tineæ nomen transferri magis à quibusdam recentioribus ad vlcera capitis sicca. Horum enim vlcerum duo statuunt genera: quædam humida seu manantia, quæ vulgus appellat lactumia: quædam verò sicca, quæ Tineas vocant, quæque à melancholico adusto & bilioso humore generantur. Quoniam verò Tineæ nomen vulgò vlcera etiam humida complectitur, relictis siccis, ad humidorum tractationem veniemus. Ἀχῶρες quasi ἰχῶρας Alexander & Pollux dici voluerunt: è iu- *Achorum nomẽ vnde.* nioribus quidam ἀπὸ τοῦ χώρου, καὶ ἀσηπτικοῦ μορίου, quòd non amplum locum occupent, sed angustis locis concluſi tenuem humorem contineant. Qua in re Achores à fauis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Fauí. discrepant: quibus non multum sunt absimiles. In fauis enim maiora sunt foramina humore velut melleo referta, (à quo nomen τῦ κηρίυ deriuatum est, & vnde meliceris quibusdam appellatur) in Achoribus autem perexigua. Vtrisq; commune est, quòd euulsi capilli radix crassa est, & lento crassoq; humore obsita. Nonnulli foramina Achorum scripserunt non cadere sub sensum visus: foramina autem fauorum videri. Alij in Achoribus vnum foramen seu vnam cauernam apparere, atq; ab ea humorem aquosum manare: in fauis autem plures cauernas reperiri, atq; abjllis humorem crassiorem effundi. Præterea hæc scabiei genera ab ea simplici scabie distant, quæ summam cutem obsidet. Achores itaq. sunt tumores quidã præter naturam in capitis cute excitati tenuissimis foraminibus eam exulcerantes, & saniem viscosam lentamq; effundentes. Pars igitur affecta quænã sit, cuiuis notum est: nec non ad quod genus morbi Achores pertineãt, cùm ex tumorum, vel vlcerum genere censeantur. Causa materialis est humor acris, serosus, mordax, sed crasso admixtus, seu pituita nitrosa & salsa, quæ sub cute putrescit. Alij Achores interdũ fieri aiunt à bilioso humore in hac parte collecto, vel aliunde transmisso, qui propter cutis densitatem hæret, nec difflatur, ac propterea virulentiam & acrimoniam adipiscitur: neq; partis temperamentum solum mutat, verùm & cuniculos quosdam molitur, per quos sanies effluit, quæ siccata crustulas in summa cute producit. Causæ remotę sunt ætas puerilis huic morbo obnoxia, (quia pueri in vtero materno varijs replentur excrementis, quæ natura expurgare conatur per caput, tanquã per partẽ omnium humidissimam. Aut certè id ratione lactis nutricis euenit. Nutrices enim ob voracitatem nullum in cibis delectum habentes, prauis succis vescuntur; quibus infectum lac prauitatem pueris communicat:) potus & cibi praui: quibus viri & mulieres vescuntur. Fiunt & ex contagio Achores, quia nutrices afficiuntur his affectibus à pueris quos lactant. Morbus etiam est familiaris quibusdã regionibus, & hyeme plurimùm abundat. Cùm genenerantur hęc vlcera, pruritus fit à principio: deinde tumor augescit: tum foramina circa ipsum tumorẽ erumpunt. Ex foraminibus manant

Achores quid.
Pars affecta.
Affectus.
Causa.
Signa.

manant liquores; qui si tenues admodum cõsistentia fuerint, biliosas: sin à tenuitate absint, & crassi fuerint ac glutinosi, pituitosas potius superare sanies portendent. Obseruatum est & interdum ex foraminibus emanare pediculos. In fauis autem hoc peculiare est, quod circa vlcera velut squamæ quædam apparent. Et hæc signa quidem communia sunt: priuata à colore capiuntur. Si color est pallidus, abundat bilis: si albus, pituita. Ex tẽperatura ægri, ætate, ex gustu aliquid colligitur. Nam si gustu percipitur amaror, indicium est bilis: si sapor acidus, pituitæ vel melancholiæ. Ex tactu si vlcera sint calidiuscula, signum erit miscellam generantem morbum esse biliosam: si frigida, pituitosam. Hæc vlcera desinunt in profluuium capillorũ, prout magis vel minus praua est materia: (atque hinc fit, vt modò in Alopeciam, modò in Ophiasin transeant) modò in exulcerationem vsque ad carnem & ossa pertingũt, quando scilicet inueterascunt. Achores recentes facilius curantur, & vbi cutis à sua natura non deflexerit. Si cutis contagione infecta sit, contumaces redduntur, ac ferè immedicabiles. Hoc vlcus ægrè sanescit, atque ex humoris pernicie in primis pernicioſum existit. Pueris si fiunt in capite vlcera, vel circa aures, vel in facie, vel reliquo corpore, ab Epilepsia liberãtur. Idem morbus raro curatur, quòd pueri bibendis pharmacis inepti sint, & mulieres ad valetudinem puerorum pertinere putant: propterea eius curationem negligunt. Cogimur tamen in tenerrima ætate sæpius medicinam facere. Itaque si pueri lac sumant, nutrices curandæ sunt. Abstineant ab acribus, salsis, lacte, piscibus, ouis assis, & frixis: à vino, & venere. fugiant omnia, quæ prauos & crassos succos generant: quoniam lac statim sumit qualitates ciborum, & quoniam pueri toti sunt ex lacte, omnes lactis qualitates imbibunt. Quidam vsum portulacæ damnant: Galenus vsum aceti. Alimenta sint carnes pullorum, gallinarum, pauonum, veruecis, cum succo arantij, aceto, petroselino, salsamento. Potus sit aqua cinnamomi, & vinum album, aquosum. Modicis vtantur crurum frictionibus, & exercitationibus: & si venter retineatur, mollibus clysteribus irritetur, & ab ira caueãt. Si nutrices purgatio-

Prognostica.

Curatio.

ne indigebunt, præscribatur quæ sit accommodata bili, si redundat bilis: pituitæ, si pituita. Si leue malum est,

Topica. Topica solacurant. Ea debent esse reprimentia & discutientia, seu tenuantia, propter crassitiem & lentorem humoris eos generantis. Sed medicamenta sint moderatè astringentia & modicè exiccantia: quia valde periculosum est in pueris tenellis vti repellentibus, cùm eorum

Puerorum curatio. capita sint humorum refertissima. In his igitur puerulis, Recipe cineris myrtillorum, gallarum ana drachmam vnam, tutiæ drachmæ semissem, butyri vetusti aqua rosarum loti vnciam vnam: cineres aceto leuigentur: deinde misceantur ad ignem. Aliud. Recipe pulueris corticis granatorum, lithargyri, tutiæ ana ʒj ß. olei ros. ʒ ß. pinguedinis anserinæ aceto lotæ ʒj ß. misce. fiat linimentum. Hæc vnguenta extenduntur super petias tenuissimas, quæ sint cæra illitæ, vt caliditas ipsorum vlcerum non ita consumat medicamenta. Quare Cuffiæ dictæ adhibeantur, quæ totæ illitæ possint continere ea supra caput: quia pueri sæpe medicamẽta manibus euellunt. At de pinguedinibus hoc aduertendum, quòd sint eligendæ vetustę, si discutiendum

Curatio adultorum. est: recentes verò, si molliendum. Curatio verò adultorum puerorum ea esse debet, vt ante alia recta viuendi lex præcipiatur. Cuius summa est; vt multitudo ciborũ ac potuũ vitetur. Cibi sint optimi succi; vina generosa arceantur, omnia dulcia, salsa, frixa, quæq; possunt crassos & acres humores producere. Obseruentur & cætera quæ dicta sunt nutricibus conuenire. Postea cogitãdum de missione sanguinis: si quidem cum humorum prauitate, adsit etiam sanguinis abundantia. Et si morbus sit capitis, frontis vena secetur. Sin morbus in vniuersum corpus grassetur, vena communis pertundenda erit. Deinde fiat purgatio humoris, qui à toto corpore in cutem potest influere. Quare humores apparentur oxysacchara, syrupo de succo lupulorũ, de succo borraginis, cũ aqua stillatitia lupulorũ, borraginis, scabiosę. Postea medicamentũ propinetur, quod simul serosos & crassos humores vacuet: quales sunt pilulæ de hiera pachij, pilulæ de agarico, cũ trochiscis alhãdal. Aut ℔. rhabarbari electi, agarici electi ana ʒj infundantur in sero caprino. Deinde ℔. dictę infusionis ʒiij. adde

confe-

confectionis Hamech ʒ iij. syr. ros. solutiui ʒ j. caput expurgetur Apophlegmatismis & Errhinis. Tandem exquisitè purgato corpore ad localia veniendum. In quorum vsu distinguendum, an vitium magnum sit an exiguum: recens, an confirmatum, seu inueteratum: superficiale, an profundum. Denique (vt est natura corporum) exiguo vitio leuia remedia sine purgatione aliquādo satis faciunt. In recenti repellentibus vtendum: inueterato quæ magis discutiunt, tergent, inciduntque conueniunt. Et quoniam in principio repellendum & astringendum, eiusmodi potest parari lauacrum pro capite. ℔. aquæ chalybeatę libras decem, cineris foliorum salicis ℔ ß. fiat lixiuium, cui incoquantur postmodum foliorum rosarum rubrarum m. 1. foliorum plantaginis p. j. ß. myrtillorum, corticis pineæ ana p. ß. coletur post decoctionem. Deinde caput abluatur, & post ablutionem inungatur hoc linimento. ℔ olei omphacini, olei myrtillorum ana ʒ j. succi foliorum salicis, oleastri ana ʒ ij. pulueris rosarum rubrarum, pulueris myrtillorum ana ʒ i. misce. fiat linimentum. Quòd si morbus sit in principio, sed minetur tamen aliquid mali, astringentibus misceantur quæ moderatè exiccent, vt cyperus, lentes, ladanum, cum oleo myrtillorum, & modico vini. Si verò morbus sit inueteratus, considerandum an vlcera sint superficialia & mitia, an potiùs fera & profunda. Si mitia, sola victus ratione curantur. Quandoque tamen localia sunt admouenda: atque tunc eliguntur quæ dissecant, incidunt, tenuant: quemadmodum acetum. Et poterunt metallica aceto macerari, & ita apponi, cuiusmodi est: ℔. tutiæ, spodij ana ʒ ij. lythargyri ʒ iij. olei rosati omphacini ʒ ß. aceti ʒ ij. cæræ q. s. pro linimento molli. fortiora sunt chalcitis, fæx vini vsta, sandaracha, calx viua, & cinis concharum vstarum. Hæc enim veteres Achores exiccant, & sanant. In his igitur Achoribus abluatur caput hoc decocto. ℔. aquæ chalybeatæ libras decem, cineris lignorum ficus ℔ ß. fiat lixiuium, in quo deinde bulliant foliorum lapathij acuti, radicis betæ ana p. iij. post decoctionem coletur, & caput abluatur. Quo abluto, ℔. fæcis vini vstæ ʒ ij. calcis aceto maceratæ ʒ iij. concharum vstarum ʒ ß. olei veteris q. s. pro linimento conficiendo.

Topica.

Hæc corporibus duris magis, quam mollibus aptãda sunt. Cæterum quidam sunt Achores dolorifici, inflammati, rubri: in quibus adhibere oportet quæ dolorem sedant, nec non quæ humores concoquunt: cuiusmodi medicamenta humectant & molliunt: vt cataplasma ex farina lentis, & melle: aut medulla panis cum succo coriandri viridis, aut succo plantaginis, vel polygoni. vel caput abluatur decocto betæ, aut fœnugræci. Alia verò quædam hîc notatu digna sunt. In his affectibus curandis capilli non sunt euellendi: sed tantùm radendi, vel tondendi: quia capilli non sunt corrupti multum, nisi sint Achores & faui inueterati. Nam in illis etiam sæpe corrumpuntur. Raduntur autem, vt medicamenta accommodentur, & efficaciã ostendant. In vlceribus antiquis & contumacioribus, maximè commendatur vsus medicamenti ex charta combusta. Imò testatur Galenus eo solo breui tempore, se huiusmodi morbos percurasse. Cùm verò nos papyro antiquorum careamus, nostra charta combusta vti possumus: quæ fit pannis lineis contusis, maceratis, & glutino in eam formam redactis. Apponantur autem remedia capiti semper exiccato, etiam si sint pulueres: quia si humidiori cuti adhibentur, facilè vis eorum obtunditur: etiam si hi pulueres contemperentur aliquo succo, præsertim oxymelite, melle simplici. In his vlceribus præterea vitentur pinguedines, quæ si apponantur, facilè vruntur, atque inde calorem vlcerum, & materiam augẽt. Si degenerat lues venerea in Tineam, nullis alijs curari potest, quàm ijs quæ in eadem lue vsurpari solent. Cæterum Empirici curãt Achores pice supra partem appositã, quæ quia facultatem habet μετασυγκριτικὴν euacuando materiam, curare potest leues affectus: sicut & in mitioribus semen iuniperi coctum in aceto, & melle, supra caput appositum curat. Sulphur etiam per se, vel cum alijs appositum in corporibus robustioribus, est efficacissimum remedium. Tutior eius vsus est, si bolo armenicæ, vel terræ sigillatæ, cum aceto permisceatur. Si depilatio sequitur hanc affectionem, ad caput de Alopecia recurrendum est.

Animad. marsionei.

Papyrus.

Curatio Empiricis vsurpata.

Cephalalgia vnde nominata.

De dolore capitis. CAPVT VI.

DOLOR capitis κεφαλαλγία Græcis appellatur: nomenque

menque tum ab affecta, tum vel ab affecta parte deriuatum est. Etsi enim capitis dolores membranarū sint præsertim, capitis tamen dicuntur, & huius nomine intelligitur ea pars tantùm, quæ capillo tegitur. Nam dolores oculorum, dentium, & aurium, capitis dolores dici non solent.

Cephalalgia generatim sumpta. Dolor.

Ac si Cephalalgia generatim sumatur, est quiuis tristis ac laboriosus capitis sensus, quatenus sensu ipso caput præditum est. Dolor enim est symptoma tactus insigne, eiúsque proprium, vt deprauatè scilicet, non vt diminutè sentit. De prauata verò est sensus tactus actio in dolore, propter violentam ac repentinam immutationem eius instrumento occurrentem, ac veluti ipsius naturam labefactantem & corrumpentem, cuiusmodi est neruus, neruosæq; partes: vt colligere est ex ijs quæ disertè Galenus de doloris essentia lib. de diff. symptom. explicauit. Nulla autem alia pars corporis magis est oportuna dolori quàm caput, ob situm. facillimè enim vapores acres humoréq; turgentes ex inferioribus partibus eò impetum faciunt. Et frigidæ humidæ naturæ est cerebrum: ideóq; plurima excrementa colligit: quæ si increscant, aut à facultate expultrice non expellantur debito tempore, caput doloribus perturbant. Atque cùm multiplices sint doloris capitis differētiæ, tres tamen duntaxat ab omnib. præcipuæ recensentur: Cephalalgia speciatim dicta, Cephalæa, & Hemicrania: quas etiã duas posteriores Cephalalgia in genere comprehēdit. De prima specie hîc à nobis priori loco agetur. De reliquis duab. paulò pòst. Itaq; Cephalalgia speciatim sumpta, dolor est capitis totius recens, & qui facilè soluitur. Vel est dolor capitis non vehemens, nõ inueteratus, nõ cum magna imbecillitate coniunctus: quib. à Cephalæa discriminatur: quemadmodũ & totius capitis dolor dictus est, ad differentiã Hemicraniæ. Quare Cephalalgia est, qualis à labore, sole, perfrictione, crapula, aut febribus excitatur. Nam si caput repente obuia quaq; de causa per plures etiã dies dolorem patitur, Cephalalgia nominatur, inquit Aretæus. Porrò in ea locus affectus in primis dignoscẽdus est, cùm varius & multiplex esse possit. Nam interdũ extra cal-

Cephalalgia speciatim dicta.

Locus affectus.

uariã affectio est: aliquãdo intra: quandoq; est omniũ interiorũ, aut exteriorũ: interdũ nõ omniũ, sed vnius tantũ corporũ generis, arteriarũ videlicet, aut venarũ, aut neruorũ,

aut membranarum, aut cutis, aut ipsius cerebri denique. Ergo si digito pressa cute sensus doloris est acerbior, si pili erecti, & oculorum radices ac partes internæ molestiam haud sentiunt, cutis & pericranium laborat ex opinione veterum, qui dolores circa pericranium existentes ad oculorum radices non protendi existimarunt. Quod tamen falsum esse quidam ex neotericis affirmant, negantque solos interiores dolores ad oculorum radices pertinere. Externi enim eodē sæpe pertingunt, quòd & pericranium cui insident, oculorum cauum succingat, vt aiunt. Quid pro veterū sententia sit respondendum, alij scripserunt, & dolores externos ad ipsas palpebras magis pertinere docuerunt. Cæterùm pericranium à frigore frequentius ob similitudinem patitur: cutis ab æstu, sordibus, multis capitis integumentis, vt in mulierculis. Intra cranium verò dolor obtusus, stupidus & grauis, arteriarum, venarum, & substantiæ cerebri affectionem indicat: quòd sensū sint imbecilliore: punctorius, meningum, & neruorum. Sed in neruis communicatur parti cui inseruntur (vt si laboret neruus quintæ coniugationis, aurium sensus afficitur) in arterijs pulsus percipitur. Rursum in superficie hærens, pericranij: contundens & in profundo, meningum cerebri affectionem denotat. Sic deprehensa parte, ipsius affectus natura consideranda est. Cephalalgia symptoma est in actione læsa consistens, de qua suprà. Huius verò symptomatis causæ sunt sex, & affectiones plures apud Galenum. Vna etenim est affectio iuxta intemperiem simplicem, & citra humorum affluxum: alia secundum humorum prauam qualitatem, nimirum sanguinea, bilios, pituitosa, melancholica. Quædam iuxta multitudinem duntaxat prædictorum humorum contingit. Quibus accedit ea quæ fit, cùm humores transitus liquorum & vaporum obturarunt. Adhæc vbi propter imbecillitatem in quibusdam capitis partibus flatuosus spiritus innascitur. Quandoque etiam ob aliquam causam externam & lacessentem fit dolor, velut est externus ardor, frigus, ictus, vulnus, casus, contusio, ebrietas, grauis rei odor, & similes causæ. Quæ quidē causæ omnes distingui debent, vt singulis adhibeatur sua curatio. A recentioribus hæ causæ sic explicantur:

Cephalalgia quid affectus. Causa.

tur: Dolet caput intemperie simplici, cõposita: cũ materia: sine materia: vel solutione continui. Hæc autem fit ab acri humore erodente, putri, bilioso, salso, à vulnere, casu, punctione, maligna qualitate, vt in lue venerea, carie, distẽsione. Distensio fit ab humorũ vel flatuum copia, nec non ab obstructione, cùm videlicet angustias meatuũ capitis intercipit humor crassus, viscidus: aut spiritus vehementer vaporosus in futuris, in ossibus palati colatorijs, & quæ ad nares, aures, oculos, & spinam pertinent. Omnes dictæ causæ facilius & magis nocent, si caput est imbecillum, vel sensum habuerit exquisitum: vel si totius corporis est plenitudo: quamuis & diffusi ac veluti efferuescentes humores interdum ac vapores à magnis febribus ad caput ascendant. Iam quibus proprijs notis hæ causæ dignoscantur, considerandum venit. Ex simplici intemperie siue calida, siue frigida proritatus dolor, præcipuè si inæquales exciterint, vehementissimus erit, propterea quòd ab actiuis maximè qualitatibus oriatur: quanquam sola intemperies rarò dolorem creat, quia statim doloris vi materia accurrit. Si reperitur, ijs maximè qui neque plethora, neque cacochymia laborant, accidit. Ac si calida intemperies fuerit, præter doloris vehementiam aderit capitis calor, quam primùm ei manum admoueris, atque oculorum rubor: frigidis per fusionibus oblectantur ægri, aliáq; externa calefaciens causa præcessit: qualis est solis ardor, qui caput in primis calefacit, & animalem spiritum agitat, turbat, & confundit. In frigida vero intemperie licet vehementissimus quoque dolor sit, tamen neque tactu caput dolet, neque oculi rubent, vel facies: eáque plena est ac pallida, minimè verò collapsa, nec arida. frigidis neq; iuuantur, neque gaudent, & extranea infrigidans antecessit causa. Ad hæc, vt calor breuiores, sic frigus diuturniores dolores efficit. Subitos etiam dolores facit frigus, cùm repente & confertim inuadit. Si enim sensim agat, stupefacit potiùs. A siccitate moderati proueniunt dolores, vel lenti, longi: arida cutis deprehenditur, siccis lædunturi, præcessit exiccans causa consimiliter, vt in alijs. Humiditatem verò per se nulli dolores consequuntur, (cùm habeat actionem debilissimam) nisi calori, vel frigori, aut humorum pleni- *Signa.*

tudini distendenti coniuncta fuerit. Scribunt alij humidam & siccam intemperiem dolorem non efficere, quoniam affatim ingruere non possunt, nisi calor siccitatem inferat. Quod si non ex intemperie simplici capitis dolor exoriatur, sed cum humorum complexu, vt sanguinis solius, aut quatuor humorum æqualiter adauctorum, Cephalalgiam sanguineam indicabunt grauitatis sensus & tensionis, faciei color rubeus, temperamentum, ætas, & quæcunque plenitudinem in corpore procreauerunt, vt cibi potúsque vberius sumpti, & ij boni succi, cum sudoris, balneorum, exercitiorum, aliarúmque vacuationum naturalium, & artificialium neglectu. Venæ tenduntur, & quæ antea latebant, nunc apparent, pulsus vehemens est, vrina rubra, crassa: venæ temporum pulsant. Sin humor erit bilioſus, præter vehementiam, doloris quoque mordacitas aderit, totiúsque capitis calor immodicus, faciei pallor, os amaricans: est & siccitas oculorum, linguæ, oris, & narium: præcessit inedia, ira, dolor, cura, vigiliæ, exercitatio nimia, cibi bilioſi, allia, porra, & id genus. Temperatura calidior est, ætas vigens, aliáq; eiusmodi diligenter expendenda sunt. Sic pituita redundante, somnolentia, pigritia, omnium sensuum inertia, excrementorum capitis copia, eiúsque partis grauitas, albedo, humiditásque aderunt: præcesserunt & quæ in capite pituitam procreant, aër frigidus, humidus, cibi eiusdem qualitatis, vt pisces, lac, olera, fructus, otium, satietas, & similia. Sin autem à melancholico succo excitatus est dolor, cuncta sese offerent redundantis eius signa: vt color faciei subniger, vigiliæ, tristitia, corporis extenuatio, excrementorũ paucitas, & alia quæ ex capite de Melancholia huc transferri possunt. Adde quòd quæ dominium pituitæ & succi melancholici indicant, non facilè segregantur: quia melancholici plurimis abundant excrementis pituitosis, vtpote frigidi, sicci, Galeno teste. Vnde & curationem vtriusque humoris tanquam breuitati studentes commiscuisse videntur, qui factitandæ medicinæ rationem tradiderunt. Quin & antiqui melanogogis medicamentis magnam portionem phlegmagogorum adiunxerunt. vt vt sit, rarò fit dolor capitis à melancholia pura, vt iuniores annotarunt. Si verò humorum

humorum multitudo cum obstructione quapiam seu obturatione caput dolore infestat, si quidem moderata fuerit obstructio, cum grauitate prædicta moderatus erit dolor: sin fortis, dolebunt fortiter. Et si humores mordacem qualitatem habuerint, fiet dolor mordax, & erodens. Verùm si cum grauitate, ac tensione pulsus quoque aderit, inflammationem indicabit. Quemadmodum si tensio aderit sine grauitate & pulsu, spiritus flatulenti copiam ostendet. Aderit quoque aurium sonitus, & quæ præcessit victus ratio, corporis natura, & alia ad flatum generandum idonea. Si verò cum grauitate distensio fiat, humorum multitudo adest intra membranulas contenta. Sic quoque qui à causa externa proritantur dolores, vt ab ardore, frigore, plaga, ebrietate, odoramentis calidis, ex astantium vel ægri relatu percipi poterunt: vt etiam si ob sensus exuberantiam proueniunt: in eos enim facile incidere parati sunt nonnulli à quauis causa, præsertim ab odoratis, adeò vt nonnulli ne thuris quidem odorem ferre possint. Hactenus de primogenijs capitis doloribus satis superq;. Iam verò addetur aliquid de ijs qui per consensum fieri consueuerunt, vt à ventriculo, hepate, splene, vtero, toto corpore: prius tamen notandum, quòd Cerebrum per communitatem læsum, solet etiam per essentiam affici. Nam ex longo dolore solet debilitari, vt facilè recipiat excrementa partium aliarum. Hinc quoque contingit spiritus resolui. Vnde virtus digestiua debilitatur, temperiésq; immutatur, indéque plurima excrementa in cerebro generantur. Consensus itaque signa vniuersa hæc sunt, si nulla euidens causa antegressa fuerit: si frequenter repetat, si cũ alterius partis incremẽto inualescat, & eo sublato leuetur: deniq; si totius corporis plenitudo & cacochymia sit, vel alicuius partis vitiũ præcesserit. Modus autẽ communicationis, seu cõsensus geminus est. Nam partes inferiores, vel aliquid ad caput transmittunt, vt vaporẽ vel humorem: vel sola connexione & quasi quadã contagione cerebrum afficiunt. Si à ventriculo est, in eo humor aceruatur, vel ex vicinis partibus attrahitur, & ab eo vapores sursum ferũtur: isq; cognoscitur mordaci dolore & nausea, quæ tũ ore ventriculi patiente infestare solẽt, & qui sic dolẽt, inediã ferre nequeunt. Antecessi: quoq; cruditas, crapula, cibi

Cephalalgia per consensum.

corruptela, oris amaritudo: est & imbecillitas ventriculi, & inappetentia. Eiusmodi fumi ex ventriculi tunicis externis ac sinu efferuntur ad caput per neruorum rectitudinem: quemadmodũ à iecore magis per venam cauam, & à liene per arteriam fit materiæ translatio. Et hic dolor frequentiùs sinciput prehendit. Ab vtero fit dolor post mensium retentionem, aut seminis putrescentis, aut si qua illic sit humorum perturbatio, & tunc dolor in occipite percipitur magis, vel illic incepit, præsertim nulla facta translatione: propter consensum videlicet vteri cum cerebro, per spinalem medullam, cui robustis vinculis connectitur. Ab vniuerso corpore affectum communicari ostendunt plethoræ, & cacochymiæ in vniuerso corpore argumenta. Ita quoque dolor capitis fit in febribus, à vaporibus & humoribus ob febris magnitudinem fusis, ac velut effluescentibus elatis: quod etiam ob partis imbecillitatem accidit. Iam vt ad prognostica deueniamus, Quicunque sani, capitis dolore capiuntur repentè, & statim muti fiunt ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris prehenderit. Tum enim materia pituitosa confertim in cerebrum confluxisse significatur, ob idque eam dispositionem pituitosa febris superueniens soluit. Et, Quibus febricitantibus vrinæ perturbatæ sunt, quales iumentorum, ijs dolor capitis vel adest, vel aderit. Kursum, caput dolenti, & circumdolenti seu vehementer dolenti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit, quando videlicet propter humorum inflammationem, vel crudorum humorum multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit. Tunc enim inflammatione suppurata, aut humore excreto, solutio fit. Et, capitis dolor vehemens, aut continuus cum febre, si quod ex indicijs extiterit exitiosis, lethale admodum est. Et, vterum gerentibus capitis dolores soporosi cum grauitate fientes, mali sunt. Præterea scripsit Galenus dolorem capitis esse inseparabile indicium futuræ crisis, si à principio non inuaserit: sed vbi corpus agitatur ac perturbatur, natura tentante ipsam per vomitum, aut fluxum sanguinis è naribus. In dolore capitis omni eo periculum vertitur, qui continenter exeruciat, & somnũ tollit. Quòd si vomi-

Prognostica.

si vomitus etiam accedat æruginosus & surditas, in proximo esse insaniam significant. Vbi ingentem capitis dolorem distentio nervorum comitatur, vel inflammatio iuxta oculos, aliámue corporis defixa partem, vel denique oculorum inflatio, aut subuersio, summum periculum ostenditur. Illud quoque obseruatum est, vehementem dolorem capitis, qui curatione nō sanescit, sed magis exasperatur, assidueque tenet periculum insaniæ per febrem minari: sine febre autem cum hanc quoque insaniam, tum magis cæcitatem prænuntiare. Exigui dolores capitis non spernendi sunt: nam si plus extrahuntur, maiores cruciatus superueniunt. Per acutos capitis dolores, si sonitus incidit auriū sine febre, & vertigo, & impeditus tardúsq; sermo, & manuum torpor, vel morbū expectari attonitum, vel comitialem, vel lethargum posse, non alienum est. Supereſt curatio doloris capitis, pro varietate causarum varie quoque instituenda, ac præscribenda. Quo loco alij prope omnes tradunt curationem ex intemperie simplici, calida, frigida, sicca, humida, vel composita. Verùm huiusmodi dolores rariùs contingunt, atque in temperatis tantùm: alij verò in plethoricis, seu cacochymis. Præterea cùm curentur contrarijs alterantibus solis, digerentibus, ac roborantibus, ea omnia ex curatione dolorum cum affluxu materiæ, notissima cuiuis, vel mediocriter erudito, esse poterunt. Exordiemur itaque à curatione doloris capitis à sanguine, aut quatuor humoribus æqualiter auctis excitati: & in primis conuenientem victus normam describemus, quæ nimirum causæ doloris aduersetur. In sanguinea igitur Cephalalgia ratio victus sit refrigerans, siccans. In primis talis sit aër cubiculi, Aquilonem, minimè verò Solem spectantis. Immittatur idem per euripos, seu fontes machinatos, & ventilabra. Refrigeretur quoque floribus & foliis salicum, vitium, iuncorum, arundinum, nymphææ, rosarum per aream spargis: oxycrato etiam, & aqua rosarum. Turba hominum arceatur: quæ halitu & transpiratu aërem calefacere solet, & inficere. Cibus verò sit panis lotus ex aqua frigida, ptisanæ succus, oua sorbilia, lac amygdalarum cum furfuribus decoctum, pisces saxatiles & carne friabili præditi, fructus austeri, vt sorba, mespila,

Curatio.

Curatio doloris capitis ex plethora genita.

Victus ratio.

corna, pyra, cidonia, poma eiusdem saporis: sed videndum, ne aluus sit astrictior. Olera, cichorij, intybi, & lapathi genera, lactuca, portulaca, acetosa, cucurbita, & eiusmodi. Carnes sint pullorum, gallinarum, columborum, omphacio præsertim conditæ, & succo limonis, arancij, oxalidis, aceto, omphacio: gallorum testes, atque alæ. Plerique tamen hic vitant copiosè nutrientia, qualia sunt oua sorbilia, carnésque. Sed pro affectus magnitudine ac vehementia hæc metiri possumus. Interim abstinendum est ab ijs, quæ proprietatem aliquam habent doloris capitis inducendi, à palmarum & quercuum glandibus, ab eruo, lactis potu, semine viticis, oliuis nigris ex Galeno 1. κατὰ τόπους. Potus sit aqua pluuia, aut cum hordeo cocta, vel decoctum cinnamomi, aut seminum coriandrorum præparatorum, vel misceatur cum aqua cocta syrupus acidus, vel oxysaccharа. Sin vino vtendum est propter consuetudinem, vel imbecillitatem virium, aut morbi paruitatem, sit oligophorum, aquosum, imbecillum, & multa aqua dilutum. His verò omnibus actu frigidis vti oportet, aut si opus est, primùm calefactis, deinde refrigeratis, nisi frigida ventriculi obsit intemperies. Quies etiam adsit tum animi, tum corporis: aut saltem motus vtriusque sint remissi & pauci. Proinde vitent animi perturbationes, iram, furorem, strepitũ, clamorem, balneum, exercitationes valentes: quæ omnia sanguinem accendunt. Aluus semper humecta sit sponte, vel clysteribus, ne fumi caput impleant. Somnus sit mediocris, vel solito parcior. Immodicus enim plurimùm humectat, & humectando capitis grauitatem inducit. Venus nulla esse debet, quia cerebrum debilitat. His præscriptis, re nulla repugnante fiat in primis sectio venæ basilicæ, seu internæ, aut communis. vbi magna plenitudo adest, ad reuulsionem causæ antecedentis. Postridie verò cephalicæ seu humeralis lateris acerbius dolentis, ad causæ coniunctæ vacuationem: aut si totum caput dolet æquè, dextri, ad vncias sex, nouem, duodecim, pro varijs scopis sat cognitis. Quòd si ætas aut virium imbecillitas obstat, cucurbitulæ affigantur, non quidem capiti, sed interscapulio, vel (vt alij volunt) ad latera colli cum scarificatione, vel sine ea: veluti & clysteribus actibus, nec non

Dolorẽ capitis inducentia.

Medicamẽtorum ratio.

vinculis,

vinculis, ac frictionibus manuum & pedum plurimis, & lotionibus earundem partium, vti expedit. His autem non conferentibus intra diem quartum vel quintum, si adhuc in facie & oculis appareat rubor, sanguinis fluxus è naribus excitatur seris porcinis immissis: vel vena frontis aperitur, præsertim si pars posterior capitis laborat. Præterea hîc bilis repurganda est medicamento cholagogo, quia sanguinis tenuis portio in bilem promptè vertitur. Atque vt parcior bilis gignatur ex sanguine, vel alimentis quotidianis dulcibus, caliditas eius & acrimonia, & ne tam promptè in caput repat, leuitas & tenuitas, refrigerantibus edomanda est: vt syrupo violaceo, rosato, intybi, oxalidis, omphacij, acetato simplici: & si maior caliditas est, syrupo granatorum & limonum, corticis citri acido, cum subduplo aquarum endiuiæ, cichorij, plantaginis, portulacæ, bugloss. Intrò etiam assumi debent zulapium rosaceum, violaceum, condita eorundem, antidotus manus Christi dicta, aliaque refrigerantia huiusmodi. Purgatio igitur sit ex decocto prunorum, tam arindorum, myrobalanis citreis, quibus valentiora sunt scammoneata, vt electarium de psyllio, rosatum Mesnæ, de succo rosarum, diaprunis solutiuum, pilulæ aureæ, aggregatiuæ. Propinari potest dilutum rhabarbari, quale est hoc: ℞. expressionē ʒij. rhabarbari in aqua intybi infusi, vt decet, cum ℈j. cinnamomi: adde catholici ʒvj. vel eius loco antidoti è succo rosarum ʒij. fiat potio. Si mauis formam boli: ℞. cassiæ recens extractæ ʒvj. pulueris rhabarbari ℈iiij. aut circiter: ex his fiat bolus cum saccharo. Demum si oportuerit, per nares & palatum expurgandi sunt ægri, eo modo quo in superioribus capitibus ostensum est: quanquam id fieri magis in causa pituitosa debet. Quòd ad topica pertinet, statim initio caput perfundendū est rosaceo circa suturā coronalem: q̄ frigidū quidē sit æstiuo tempore, hyeme tepidū: & si cū pauco aceto illinatur, penetrabit magis. Tum enim admouentur repellentia affluentem in caput sanguinē, non tantùm actu & potestate frigida, sed etiā leuiter astringentia, vt valentius materiā regerant, & simul roborent caput, ne tam promptè nouā fluxionē admittat, quin potius in partes imbecillas remittat. Quæ autē cum

Paradoxa.

Topica.

refrigeratione manifestè astringunt, vitanda sunt, ne materiam quæ in caput iam irrepsit, retineant, nec eam digeri ac transpirare sinant. Vitanda etiam sunt stupefacientia, vt papaueris & mandragoræ succus, cùm nõ citra damnum, caloríque natiui noxam vsurpentur. Conueniunt igitur aqua, & hac valentior sed crassior succus rosarum, intybo-

Narcotica.

rum, lapathorum, plantaginis, portulacæ, semperuiui, lactucæ, solani, singula per se, vel mixta secum aut cum aceto, vt altius in caput descendant. Iuuat & hæc torrentis in modum eadem de causa illidere sincipiti, nempe rariori, raso, & lanea aut pannea corona cincto, ne humor promptè diffluat, & corpori sit molestus. Panni etiam liquoribus his actu frigentibus imbuti, possunt adhiberi tamdiu raso sincipiti, donec incalescant, tumque noui subinde sunt substituendi. Abstinendum tamen ab his, si tota iam in caput influxit materia: quam repellentia valentius impingent. Et si cum catarrho calido Cephalalgia iuncta est, quem compressa materia possent augere, illa vt & in febre sunt fugienda: in qua febrilem calorem transpirare vetant. Itaque repellens initio sic paretur: ℞. olei rosacei ʒ j ß. liquoris stillatitij rosarum ʒ j. aceti ʒ ß. Fronti etiam ac sincipiti emplastri modo admouentur conseruæ: vt ℞. conseruæ rosarum, & nenupharis ana ʒ j ß. malaxentur cum pauco oxyrhodino, & admoueantur locis dictis. Deinde ex discussorijs medicamentis quidpiam addendum erit, vt rosaceo addetur anethinum & chamæmelinum: quod etiam loco rosacei conuenit corpotibus, quæ non tanta refrigeratione indigent, qualia sunt mulierum, puerorum, eunuchorum, molli carne præditorum, albúmque colorem obtinentium. Ijs enim materia sanguinea in capite reliqua vacuatur, & digeritur clementer: vt etiam fotu capitis ex semine althææ, lini, fœnugræci, floribus chamæmeli, meliloti, vel gallo, columbo, hepate, pulmone animalis admoto adhuc præcalido. Nec minus odorem suscipere possunt frequenter ex aqua rosacea cum pauco caphuræ. Postremò roborantibus vtendum, nempe si intemperies calida in capite ab his humoribus calidis relinquitur, ea sanatur frigidis: qualia sunt repulsoria dicta, vt oxyrhodinon, aqua rosarum, plantaginis, solani, vel harum & similium

Quando à repellentibus abstinendum.

lium succi, qui ex pannis capiti admoueantur. Tale est quod recipit succi lactucæ, succi foliorum salicis, aquæ rosarum ana ʒ iij. aceti ʒ ij. His immergatur pannus lineus, fronti applicetur. Idem præstat rosaceum inunctum, vel per se, vel cum mucagine seminis psyllij. Bilioſa verò cephalalgia ijsdem præsidiis curatur: nisi quod aër, & cuncta paulò antè scripta ad frigidum humidum magis declinare debent. Imò victus ratio vniuersa non tantùm frigida, sed humidior sit oportet: quæ & bilem gigni prohibeat, aut genitam temperet, omnium alioqui, quæ in corpore sunt, calidissimam & siccam. Igitur in cubiculum inferantur refrigerantes & humectantes plantæ, rosæ, violæ, nymphææ flores, & liquores paulò antè recitati: aut aqua frigida è vase in vas subinde transfundatur. Cibi sint humidi, boni succi: qualis lactuca, portulaca, intybus, oxalis, hordei ptisana, & similes. Conueniunt & fructus crudi, poma, pyra acida, pisces saxatiles. Vino prorsus abstinendum censent quidam. Alij vinum aquosum & multa aqua dilutum admittunt. Alioqui potus esse poterit, qualis paulò antè dictus est. Quiete maximè, somnóque longiori vtantur: animi tranquillitas & hilaritas adsit: fuga iræ, curarum, mœroris, studiorum, amorum. Balneum quoque temperatum, & vnctiones conferunt. Statim verò a bilioſi humoris vacuatione curatio per medicamenta auspicanda venit, nisi eiusdem crassities purgationem retardet, vel meatuum obstructio. Tum enim ante purgationem melicratum propinandum esset. Quidam etiam alteratione, & concoctione simul atque præparatione, priusquam purgetur, bilem indigere asserunt, præsertim vbi firmata in aliqua parte decumbit. Certè eius impetus, furórque omnino obtundi debet frigidis remedijs sumptis, & admotis. Quare propinetur oxylacchara, vel syrupus ex infusione rosarum, vel nymphæa, vel ex succo cichorij, cum triplo aquæ plantaginis, vel intybi. De sectione venæ nunquid ante purgationem competat vel non, sic statui potest. Si bilis sincera est, aut alteri permixta humori quàm sanguini, venam secare nil opus est. Sin verò (vt sæpius accidit) commixta fuerit sanguini alijs consentientibus, venam secare expedit. Quanuis & interdum non ad

Cephalalgia bilioſa cum ratio.

Ratio victus.

An bilis cocta quandoque.

Vena sectio

vacuationem, sed ad ventilationem detrahitur sanguis. Vena autem secanda, vel humeralis est, vel media, pro maiore aut minore bilis redundantia, atque mixtione cum sanguine. Ac venæ sectio iterari debet, cùm præstet vnica vice multam copiam sanguinis non detrahere. Huiusmodi sectio reuellit, præsertim si ab eodem latere fit. Cucurbitulæ eadem ratione omoplatarum interuallo primùm læues, deinde cum scarificatu affiguntur. Crurum item & brachiorum frictiones congruis temporibus adhibentur. Sed his omissis, vbi prædicto modo bilis cocta, & veluti subacta ac edomita fuerit, naturæque obsequens reddita, absque molestia à purgante medicamento ad conuenientia loca vacuationis trahetur. Id autem concinnabitur ex myrobalanis citrinis, prunis, tamarindis, rhabarbaro diluto, & similibus in præcedenti curatione dinumeratis. Verùm si bilis crassior est, vt cui permixta est pituita, hiera Galeni, & aloë, & agaricus præsertim forma catapotiorum dari poterunt: qualia sunt hæc: ℞. massæ pilularum aggregatiuarum ʒ ß. rhabarbari electi & agarici trochiscati ana ℈ j. cum aqua betonicæ fiant pilulæ septem. Si æger malit bolum: ℞. catholici ʒj. electarij de succo rosarum & diaphœnici ana ʒ j ß. cum saccharo fiat bolus. Si præferat potionem: ℞. rhabarbari ℈ iiij. agarici troch. ℈ ij. cinnamomi gr. v. infundantur in aqua endiuiæ ac pauco vino albo: deinde exprimantur & colentur, adiectis syrupi rosati purgatorij ʒ ij. Intermedijs temporibus conferunt clysteres ex decocto maluæ, althææ, violarum, betæ, intybi vtriusque, cum pulpa cassiæ fistulæ, oleo violaceo, adiecta etiam hieræ mellitæ portione. Errhinis præterea vtendum est potissimùm ex aqua hordei, cui incoquantur folia maluæ, violarum, & lactucæ, aut cui succus foliorum betæ adijciatur. Quibus peractis, Topica ex vsu erunt, quæ fluentem in caput materiam repellunt: quanquam & his vel ab initio vti licet. Ea sunt oxyrhodinon, & cætera prius dicta: nisi febris adsit, aut tota bilis iam fluxit, aut præsens est cathartus calidus, vt diximus. Maior tamen refrigeratio hic requiritur quodam modo. Quocirca illa sic possunt immutari. ℞. olei violacei, olei nymphææ, olei de salicibus ana

Topica.

bus ana ʒj ß. commixtis omnibus liniatur frons & tempora frigidè, manè & vesperi. Eadem etiam in nares & aures injiciantur. Præterea æger olfaciat sæpe caphuram in aqua stillatitia rosatum infusam. Hæc intemperiē calidam in capite relictam corrigunt, caputq; roborant, quemadmodum & alterantia frigida ab alto inflicta sincipiti: alioqui quæ capiti admouentur & foris occursant, densando calidum vaporem transpirare prohibent. Si adhuc reliquię humorum prædictorū supersunt, tenuibus poris ac meatibus impactæ, & ob id dolor perseuerarit, rosaceo aliisque refrigerantibo. nonnihil eorū quæ vim digerendi ac discutiendi leuem habent, admisceatur. Quæ enim validissimā possident, iusto calidiora esse solent. Si tamen istis remedijs Cephalalgiæ biliosæ vehementia non cedat, & narcotica vsurpentur, sint parum valentia, nec diu hæreant capiti tanquam parti principi & suapte natura frigidæ: quæ aliquando vel alijs partibus indita, multos ita sopiuerunt, vt postea nunquam fuerint expergefacti. Prædicto igitur linimento, quod fronti admouendum præscripsimus, opij grana duo adijci possunt. Sed id rarò. Hactenus de Cephalalgia biliosa simplici. Composita enim quædam est, vbi flaua bilis cum pituita miscetur. Huius itaq; curatio mixtas habet indicationes, ac proinde mixta remedia partim ex paulò antè dictis, partim ex dicendis colligenda sunt. *Cephalalgia pituitosa cum ratio.* *Victus ratio.*

Ex pituitosis autem humoribus dolor capitis gemitus, aut ex intemperie frigida tantùm citra humoris influxum, victus rationem calfacientem & siccantem expostulat, vt aërem æstiuum, & si hyems est, calefactum, & siccatum luculento igni, aut suffitu aromatum calido & sicco, vt cinnamomi, caryophyllorum, ligni aloës, & similium: quæ tamen admodum vaporosa non sint, vt thus, myrrha, styrax. Horum enim suffitus capitis grauitatem affert. Quin & nonnulli existimant istos suffitus non esse vsurpandos, nisi prius purgato corpore, ad absumendas reliquias videlicet. Carnes sint animaliū non excrementosorum, & probè exercitatorum, eaq; magna ex parte assę, interdum elixæ, addendo folia saluiæ, hyssopi, satureiæ, thymi, maioranæ, quæ etiam aromatum accessione condiantur ad incidendum lentam crassamque pituitam. Inedia

huic affectioni salubris est. Quare alimenta pauca sint & rara: quæ & sinapi, aut alio simil bus viribus condimento condiantur. Panis sit fermentatus, salsus, anisatus, melanthiatus, vel aromatatus melle, pipere, cinnamomo, zingibere, vel saccharatus, qui magis siccat, & minus alit. Potus sit vinum tenue: aut si id auersetur æger, aqua in qua decoctum sit cinnamomum. Quanquam purgato corpore vti poterit generoso vino etiam aromatibus medicato, sed parcè: maximè si caput infirmum fuerit. Motus conuenit celer, robustus, vehemens totius corporis, ieiuni præsertim, aëre calido, sicco. Quapropter equitatio, multáque & cita ambulatio prodest. vigiliæ quoque conferunt, iræ, curæ, mœror, & similes animi affectus calfacientes, siue per se, siue per aliud. Medicamentorum autem ratio succum redundantem suadet in primis vacuari. Sed cùm pituita ferè sit crassa, lenta, prius incidatur, tenuetur, tergeatur: clementioribus primùm, vt oxymelite tum simplici, tum Galeni, melle rosaceo, syrupo acetoso, simplici: ac postea valentioribus, vt oxymelite scillitico, composito, syrupo ex stœchade, ex duabus vel quinque radicibus cum duplo aquarum cephalicarum, betonicæ, saluiæ, maioranæ, melissophylli, hyssopi. Aut loco zulapiorum propinentur Apozemata, vel decocta ex radicibus petroselini, apij, fœniculi, seminibus anisi, fœniculi ex seseli, stœchade, origano, serpillo, maiorana, calamintha, betonica, saluia, cinnamomo, macere, & huiusmodi. Laudatur & à quibusdam decoctum Guaiacinum. Sic apparata materia purgantibus vacuetur itidem clementioribus primùm, vt pilulis ex hiera, assaieret, mastichinis, elephanginis, adiecta portione agarici trochiscati. Rursùm apparata diligentius pituita medicamentis quoque valentioribus educenda est, & si fieri potest euellenda, pilulis scilicet ex agarico, fœtidis, coccijs, & alijs consimilibus. Conueniunt & electaria, indum, diacarthamum, diaphœnicon, quod etiam est cholagogum. Si potio magis arrideat ægro, ℞. expressionē ʒj ß. agarici boni infusi in oxymelite, cui adde catholici ʒ vj. diaphœnici ʒ ii. fiat potio. His medicamētis minus resistūt regionū frigidarum corpora, quàm calidarū, vt pote minus densa, dura, ac robusta. Et frequētior purgatio cōpetit:

Medicamē torum ratio.

Potio purgans.

quia

quia crassi ac tenaces humores purgationi haud facilè cedunt. Conducunt & clysteres acres, ad vacuationem simul ac reuulsionem eorum, quæ ad caput deferuntur. Iíque parantur ex decocto cephalicarum herbarum, in quo hiera, vel benedicta, vel diaphœnicon dissoluantur. Glandes etiam ex melle cum portione agarici, vel pulueris hieræ, vel salis gemmæ, clysterum vicem gerunt: vt ℞. agarici ʒ ij. salis gemmæ, pulueris hieræ ana ʒ j. cum melle q. f. glandes figurẽtur. Adhibeantur & partibus extremis vincula dolorifica, frictiones validæ ac diuturnæ (ieiuno stomacho) cũ linteo aſperiore, à ceruice & omoplatis inferna verſus. Eædem quoque partes decocto herbarum capitalium foueantur. Cucurbitulæ citra ſcarificationem interſcapulio & ceruici affigantur poſt purgationem potiſſimùm. quamuis & huiuſmodi auertentium bona pars vel circa initia locum habere poteſt. Vacuata ſic & aliò tracta materia, quod eius ſupereſt in capite, educitur ſternutatorijs & errhinis, leuioribus quidem initiò, vt aqua, vel ſucco maioranæ, betę foliorum & radicũ: deinde valentioribus, vt puluere piperis, ſtruthij, ellebori albi cum ſucco betonicæ, meliſſophylli, rutæ. Apophlegmatiſmis autem ex manſu maſtiches, vuarum clibano ſiccatarum, baccarũ oxyacanthes, pyrethri, ſtaphiſagriæ. Gargariſmatis deniq; expurgante aliquo medicamento prius dicto in aqua capitali diſſoluto: prętерquam quòd Apophlegmatiſmi & Gargariſmata ſunt noxia propenſis in catarrhos & affectus alios pulmonis ac thoracis, quæ ob id in his vitanda ſunt.

Glandes.

Sternutatorij formula eſt. ℞. piperis, pyrethri ana ʒ ij. fiat pulueris naribus immittendus. *Sternutatorium.* Errhini autem, ℞. ſucci maioranæ, ſucci betæ, ana ʒ j ß. vini albi ʒ j. zingiberis, pyrethri ana ϑ j. miſceantur. *Errhinon.* Apophlegmatiſmi formula ex capite de Alopecia repetatur. Gargariſmus: ℞. hyſſopi m̃. j. ſaluiæ, thymi ana m̃. ß. fiat decoctio ad ℔ ß. adde oxymelitis ſcillitici ʒ iij. *Gargariſmus.*

Prætерea non ſunt inutilia in hoc affectu repellentia: quanquam pituita propter craſſitiem difficulter repelli poſſit. Nam & Galenus in lethargo repellentibus vtitur. Commodum igitur erit oleum roſaceum per ſe, vel cum chamæmelino, & aqua betonicę adiecto pauco aceto ad penetrationem. Poſtremum genus eſt re-

mediorum, quæ pituitam à capite reliquam dissipant, & caput firmant: cùm eadem frigidam, humidam intemperiem emendent. Non modò verò ea intrò assumuntur, sed & admouentur. Sumitur ʒj. theriacæ veteris, vel mithridatij sex horis ante pastum. datur & diamoschum dulce, vel amarum, diambra, dianthos, diagalanga, acorus conditus. Aurea Alexandrina, conserua anthos, stœchados, betonicæ, saluiæ, enulæ. Vt: ℞ conseruæ betonicæ & saluiæ ana ℈ ij. mithridatij veteris, & theriaces ana ℈j. misce. & cum saccharo fiat bolus sumendus in introitu lecti. Vel ℞. theriaces veteris ʒj. sumat septem horis ante pastum.

Embrocha. Inter ea quæ admouentur, irrigationes seu embrochæ parantur sic: ℞. florum chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, sertulæ ana m̃. ß florum stœchados, foliorum rutæ, hyssop., sampsuchi ana m̃.j ß. fiat decoctum.

Fotus. Fotus quoque fit per spongias calida imbutas & expressas, maximè si in aqua lauri folia, aut sampsuchi, vel cyperi incocta fuerint.

Sacculi. Sacculi fiunt ex milij torrefacti partibus duabus: & salis communis parte vna: quæ pauco vino albo, seu aceto irrigantur. fiunt & alij sacculi: ℞. rutæ foliorum, hyssopi, serpilli ana m̃. j. sampsuchi, betonicæ, foliorum stœchados, spicæ, rosarũ rubrarum ana m̃. ß.

Puluis capit. Pulueres capitales componuntur sic. ℞. sampsuchi, stœchados ana p. j. maceris, caryophyllorum, calami aromatici ana ʒ ij. spicæ, lauandulæ ana p. ß.

Cucupha. Cucuphæ quas vocant, sic: ℞. melissophylli, betonicæ, sampsuchi, pulegij ana m̃. ß. cocci infectorij ʒij. maceros ʒj. absinthij ficci m. ß. florum stœchados, florum anthos, ana p.j. ß. trita hæc ex serico rubro & raro cõsuantur. fiat pileolus qui subinde mutetur, ne sudore aut pinguedine imbutus noceat.

Lotio capitis. Lotio præterea capitis confert, si nullus tumor, nulla inflammatio, nullus catarrhus adsit. ℞. stœchados, chamæmeli, melilori, ana p.j. maioranę, saluiæ, betonicæ, origani, melissæ, ana m̃. j. baccarum lauri confractarum, seminis fœniculi ana ʒ ß. fiat decoctio, qua caput abluatur.

Orbiculus odoratus. Pomum quoq; odoriferũ ita præscribitur, ℞. sampsuchi, corticum & foliorum citri, hyssopi, rutæ, stœchados ana ℈ ij. styracis calamitæ, ladani, ligni aloes, mastiches, corticũ thuris, spicæ, caryophyllorum, maceris ana ℈ ß. moschi, ambaris ana grana ij. cum succo maioranę, &

næ,& cremoræ tragacanthi fiat orbiculus. omnia verò supra dicta admouentur capiti,inani ventriculo.Nam à pleno vim magnam vaporum calore suo in caput traherent. Reliqua topica vt olea petuntur ex oleo chamæmeli,melilloti, anethi,liliorum, rutaceo, costino,balanino,de piperibus, quibus additur aqua vitæ,loco aceti: vel ex decocto prædictorum capitalium in lixiuio cum euphorbio, vel castoreo:quale est hoc vngentum: ℥. olei irini,rutacei,ana ℥ ß. maioranæ,betonicę,piperis ana ℈j. euphorbij grana v. cæræ parum.fiat vnguentũ. Eo & consimilibus frons ac narium meatus inungantur. Sed hæc (vt & emplastra) magis iam contumaci malo & diuturnis doloribus conueniunt,de quib. capite sequẽti.Si ab humore melancholico dolor capitis pẽdebit,eius curatio ex capite de Melancholia itidem petatur.Si verò ex iam dictis causis cum obstructione quoq; dolor capitis fiat, quæuis earum sit, non est præcipiẽda noua curatio, cùm ex antedictis curari possit, causam videlicet auferendo quæ obturauit. Sin dolor est ex flatuoso spiritu redundante, siue in reliquo corpore, siue in ipso capite duntaxat,omnino talis esse debet victus ratio, vt flatum non gignat. Qui si ex corpore effertur,in principio repellentibus curatur: siquidem influentem vaporem seu spiritũ primò repellere necessarium est. Infarctum deinde oportet concoquere, & attenuare: quod mitigatorijs ac concoctorijs ad repulsoria adiunctis perficitur. Demũ eundem ipsum spiritũ discutere, ac circa ipsam partem firmitatem inducere opus est:vt docet Galenus secundo κατὰ τόπους. Iuuat eos maximopere vacuatio alui per clysteres acres,in quibus benedicta, electarium indũ, seu diaphœnicon, aut hiera picra adijciantur. Decoctum paretur ex seminibus discutientiũ,vt anisi, fœniculi, carui, cumini, furfuris, ficuum aridarum, ac similium. Interim corroborãda pars,quæ flatũ gignit,siue fuerit ventriculus, siue aliquod intestinorum,siue iecur,siue lien,aut alia pars quæuis. Ergo admoueatur capiti, si vnà cum flatu calor adest, rosaceum, vt pote repulsorium, concoctorium, & mitigatorium,ad hæc discussorium. Pariter & acetum, quod & repulsoriam, & attenuatoriam & discussoriam vim obtinet. Aceto interdum admiscetur aqua rosacea.

Vnguẽtum.

Dolorũ ca-pitis à fla-tuoso spiritu ratio curatio.

Nec per se solo aceto vtendum est ob facultatis vehementiam. Si flatus est cum frigore, rosaceo & aceto addatur oleum chamæmeli, vel anethi: vel hęc per se adhibeantur. Citrea initia etiam sacculi conferunt ex milio, rosis, salicis foliis, polygono, solano, seu portulaca, si fronti & sincipiti admoueantur. Iis verò postea sampsuchum, serpillum, hyssopum, ruta, lauri tenera folia, cyperusque adijciantur. Præterea ægri manè assumant theriacę seu mithridatij ʒ j. itemque diacymini ac dianisi tantundem. Sin verò flatuosus spiritus in capite generetur propter eius imbecillitatem, exceptis repellentibus (quibus tunc minimè opus est) vtere cæteris omnibus iam dictis aut similibus medicamentis tum sumptis, tum admotis: quanquam assumpta minus iuuare videantur. Iam ad cephalalgiã à causis externis genitam progressum facere tempestiuum est: inter quas vinum primas tenet: quod in caput rapitur cõuersum in vapores, præsertim cùm vinosum fuerit, & in calidum ventriculum inciderit, doloremque capitis efficit, & quandoque turbata mente ebrietatem: potissimùm quibus caput imbecillum est, aut paruum, & quibus angusta est pars ipsius anterior. Itaque à vino liberalius ingesto, & meraciori, vel calido suapte natura, si caput dolet, crudumq; adhuc permanet, & in ventriculo fluctuat, aqua tepida hausta vomant ægri, vel cum aceto, aut pauco syrupo acetoso permixta, aut certè vacuentur deiectione per balanos, per iniectiones acres, aut per purgantia admota vmbilico. Sumant etiam catapotia Rufi, vel ex hiera. Vbi venter vacuus est. & tamen vaporibus adhuc dolor commouetur, non sine ratione vulgò persuasum est vini noxam vini potu elui, quia inde crassi, & frigidi vapores ipsius crapulæ dispergunturd. Id schola Salernitana confirmauit, quæ vinũ putauit sua qualitate affectiones sanare, quas induxit sua quantitate. Sed verendum ne caput incaluerit. nam igni oleum addere esset, & frigida potius conuenirent. Quare si post concoctionem etiam caput dolet, repellentibus ac refrigerantibus vtendum, vt multitudo vaporum qui feruntur ad caput reprimatur, caliditas verò contemperetur. Ad id confert rosaceũ per se, vel cum aceto, aut hederæ aut brassicę succo. Quin & ipsa brassicę folia in aqua calida macerentur,

Cephalalgia ex ebrietate genita curatio.

rentur, & capiti circundentur. Eadem brassica decocta si edatur, vtilis est: vapores enim deficcat. Præsentem quoq; ebrietatem extinguunt cētaurij minoris decoctum, cornu ceruinum, si eius rasura cum aqua bibatur, & nucleus persicorum; itemq; verbenacæ rectæ semen similiter ex aqua potum. Cibis vtantur boni succi, pane loto, ptisanæ succo, oleribus, lactuca, ouis sorbilibus. Denique vniuersus cibus sit stomacho vtilis, & qui vapores arceat. Potus, aqua ijs qui eius potui assueti sunt, vel qui habent ventriculum æstuosum, & exustum: vel vinum tenue, album, modicum. Post omnem cibum offeratur malum punicum, vel pyrum, vel malum cotoneum, & alia quæ ventriculum roborant. Somni & quietis cura in primis habenda est, cùm omnes quiescere melius sit. Quies enim confert ad iuuandam coctionem, vt & somnus: quemadmodum inedia ad discutiendum. Remittente verò ac decrescente dolore in locis aptis deambulare expedit, maximè ante cibum. Sintq; plures ac citæ deambulationes: post cibum verò breues ac lentæ. Fiant etiam artuum frictiones ac ligaturæ, & si post hæc dormire nequeant, ad balneum ducantur quàm celerrimè, calidaque in balneo sæpe ijs affundatur. Si ex vaporibus aut humoribus in caput sublatis reliquię superfint poris ac meatibus impactæ, chamæmelino oleo, vel anethino, vel postea etiam irino, si opus erit, discutiantur. Vitentur & quæ nouo vapore caput replent, indeque dolorem ciere possunt, qualia sunt mentha, crocus, moschus, cæterique vehementiores odores. Arcent ebrietatem amygdalę amaræ, similiter ex leguminibus lens, vinum absinthites, seu myrteum præsumtum, myrti baccæ præassumtæ. Est quoque præstantissimum ad præcauendam ebrietatem præbibere olei ʒ ij. Licet enim postea citra ebrietatis periculum, vel integrum vini dolium ebibere: vt quidam ex recentioribus asseuerat. Cephalalgia ex mora sub sole curatur, vt diaria ab æstu: victu scilicet refrigerante, & admotis capiti frigidis priùs dictis, quæ receptam in eo intemperiem calidam profligent. Quia tamen dolor capitis cucurbitulæ modo trahit, partim dictis refrigerantibus & astringentibus est repellendum, partim frictionibus, & ligaturis, & alijs reuellendum, partim si quid ma-

Ebrietatem arcentia.

Cephalalgia ex mora sub sole curatio.

teriæ ſuperſit, digerendum. Si corpus impurum fuerit, aut plethoricum, purgandum, aut mittendus ſanguis: ne huic Cephalalgiæ ſuccedat diaria febris, aut ſynochus putris, vel nõ putris, aut ſyneches: id quod vere ipſo in adoleſcentibus plærunq; obſeruatur. Sæpe etiam dolor capitis ex ictu fit, abſciſſis, punctis, ruptis, contuſis, vel aliter læſis cute, pericranio, membranis, vaſis cerebri, vel horum nonnullis, vel omnibus ſimul. In eoq; dolore conſiderandum, lapide an ligno, an ferro, an alio telo percuſſum ſit caput: & hoc ipſo læui an aſpero, mediocri an vaſtiore, vehementer an leuiter. Si dolor in ſola percuſſa parte ſentitur ſine grauioribus ſymptomatis, cutem tantum affectam eſſe indicat. Vicinas partes, vel etiam totum caput extrinſecus occupãs dolor, pericranij læſionem oſtendit propter continuitatem ſubſtantiæ, tum cutis ipſius, tum pericranij. Imò per communionem membranæ calvariam ambientis, quam per ſuturas cum dura membrana habet, etiam intra calvariam inflammatio diſtribuitur. Fractum eſſe cranium indicium eſt, ſi percuſſus protinus bilem vomuerit, aut conciderit, aut quaſi dormiens iacuerit: aut eius oculi obcæcati ſunt, aut per nares aureſve ſanguis effluxerit. Si torpor acceſſerit, ſi mens non conſtat, ſi neruorũ vel reſolutio, ve diſtenſio ſecuta eſt: & caſus fuit ex ſublimi, vel ictus violentus, veriſimile eſt membranas, vel alia quæ ad cerebrum pertinẽt, eſſe læſa, affectionemq; eſſe vel omnino lethalẽ, vel ægrè curabilem. Quoniam igitur inflammatio ſubſequitur, dum humores copioſiùs influunt, & ægrotantes in febrem incidunt, diligenter vel per initia tractentur, ſic vt à vino & carnibus abſtineant, omnibusq; cibis plenioribus, ſolidioribuſve. Ptiſanæ cremor, lutea ouorum, malua decocta, lactuca, intyba, cucurbita pro cibo exhibeantur. Potus ſit aqua ſola, vel decocta cũ ſemine coriandrorum, vel pauciſſimo cinnamomo. Quies corporis, & animi tranquillitas præcipiendæ. Fugienda ſol, balneũ, clamor & contentio. Cauendum etiam eſt à cibis acribus & ſalſis. His quoq; conuenit aërem attemperare, ventrem leuem habere, in loco parum lucido dormire, & crurum frictionibus vti. Cæterùm quod ad medicamenta attinet, primus etiam ſcopus eſt in arcẽda inflammatione: Secundus

Doloris capitis ab ictu curatio.

dus in contusione, quæ vel digeretur, vel in pus conuertetur, vel incidetur: Tertius in vulnere, quod agglutinari debet, postquam vulneris labra fibulis, vel sutura constricta sunt: Quartus in sedando dolore. Optimũ igitur est, si inflammatio membranæ timetur, atq; ea non pateat, à sectione venę mediæ aut humeralis curationis initium facere, nisi ætas aut vitalis facultas debilis prohibeant. Tum enim clysteribus humores qui ad caput feruntur, reuellendi sunt. Arcet etiã inflammationem rosaceum: de quo id obseruandum, quòd eo cum pauco aceto vtendum est nascentibus adhuc inflammationibus: in vigore autem consistentibus rosaceum solum adhibendum. Ac ne circa initia indefinitè acetum rosaceo miscendum erit. Nam cutis capitis, aut quæ post eam est membranæ caluariam ambiẽtis inflammationes citra vehementẽ dolorem obortæ, per exigui aceti ad rosaceum mixtionẽ iuuari possunt: lædentur tamen, vbi magnæ fuerint, doloremq; vehementem induxerint. Similiter si crassæ membranæ rosaceum offeratur, vt in his, quibus aliquod osficulum capitis excisum est, fieri solet, solum ipsum leuiter tepefactum adhibemus. Si contusio tantùm fuerit, resoluentibus erit vtendum, & laxantibus, contusaq; pars oleo dulci fouenda est tepido, aut etiam chamæmelino, lana tegendo, ne caput rigeat. Sin magna est contusio cũ exiguo vulnere aut nullo, tutius erit contusum locum vel vulneratum in literæ X. figuram intersecare, tum vt corruptus sanguis perfletur, & emissarium liberum habeat, tum etiam vt cranij integritas, vel fractura specillo deprehendatur. vulnus linamento impletur, splenijs medicamẽto ex oleo rosaceo, bolo armena, puluere rosarũ, myrtillorum, ouorũ albuminibus, & similibus parato imbutis: tegitur superpositis lanis vino, & aceto, vel oxycrato immersis, & expressis. Sublato omni inflammationis metu vulneri suppurantia admouentur. Puteq; iam facto vulnus repurgatur, sanies tergetur, carnis generatio procuratur medicamento ex aloe, myrrha, olibano, sanguine draconis, & tandem cicatrix epuloticis inducitur. Si cranium fractum fuerit, os nudatum vel scalpro secandum, vel modiolo forandum erit. Dolor diligenter leniendus, vulnus eo modo quo superius, sed medica- *Rosaceum.*

mentis ficcioribus tractandum, id est cephalicis propriè dictis, & puluere radicis ireos, aristolochiæ, panacis & similium. Super est nobis agendum de dolore capitis per consensum. Is ferè est cum toto corpore, vt in febribus, quibus cum simul inuadit, & cùm harũ symptoma sit, his peractis cessat. Si tamen est vehemens, cogimur eum lenire oxyrhodino, albuminibus ouorum, vnguento populeo in calidioribus naturis, ac hora æstiua, chamæmelino & anethino in frigidioribus, & hyeme: eaq; fronti, temporibus, ac commissuræ coronali admouentur. Imò si vehementior est dolor, & cum humorum copia, vt in principio & incremento febrium solet, vena secanda est post primam aut secundam remissionem, præcipuè in corporibus boni habitus, multiq́ue sanguinis. Tum enim dolor est propter humorum fusionem, & febrium magnitudinem. Aut vacuatio tentanda est pro ratione humoris peccantis. Clysteribus item acrioribus reuellendum, nec non vinculis ac frictionibus inferiorum partium plurimis. Caput etiam rosaceo, vel oxyrhodino irrigandum. Quin & obseruãdum interim, ne ob vapores à ventre sublatos, aut alui suppressionem dolor capitis contingat. Cucurbitulæ quoque occipitio aut ceruici affigendæ. Quòd si vigiliæ accesserint, fiãt irrigationes ex decocto florum nymphęæ, rosarum, violarum, hordei, capitum papaueris, aizoi maioris. Si nimis refrigeratum est cerebrum ab ijs quæ admota sunt, subinde apponantur quæ caput calefacere, atque adeo vacuare ac discutere possunt, vt oleum chamæmelinum, irinum, anethinum, aut decoctum chamęmeli, anethi, althęæ, in quo etiam decoquantur pulegium, calamintha, serpillum, mentha, sisymbrium, si crassi lentiq; sunt humores. Et perseuerante vehementi dolore, hyoscyami folia viridia, aut papaueris cum rosaceo, pauco aceto, ac micis panis sincipiti ac fronti approximanda sunt. Quod autem quidam censent à repellentibus abstinendum, cùm febris adest, quia impediretur perspiratio necessaria, id verum quidem est in statu cùm crisis expectatur, aut in declinatione, sed non in principio. Critica enim est Cephalalgia quædam, quæ accidit dum febris prope iudicationem venit, præsertim crisi per vomitum, aut hæmor-

Cephalalgia symptomatica curatio.

hæmorrhagiam impendente. In qua remedia nulla quærenda sunt, nisi forte quæ vomitum aut fluorem sanguinis è naribus accelerent, & promoueant. Alioqui remedia admota capiti, præterquam quòd nihil iuuant, naturam etiam subinde impediunt, & interturbant. Vt autem noscas an dolor capitis in febribus sit criticus, primò speciem febris ac naturam considera: secundò, an moribus sit salutaris: tertiò, totius morbi tempus. Febre enim vel valida existente cùm iudicationem non portendat; curandus is est. At si ipsa febris vehemens fuerit, adsintque salutis signa, sed prope iudicationem venerit, tunc aliquid tentare non oportet. Frequens etiam est dolor capitis per consensum ventriculi ab humore præsertim acri in eo contento. Quare cibus sit lactuca ex aceto parata, aut panis in iure pulli, addito succo vuæ acerbæ, aut arancij: aut vbi vires exigant, caro pulli elixa: deinde insperso succo arancij, aut limonis. Potus sit aqua hordei, aut vinum modicè austerum, ac probè dilutum. Humor ille acris si in ore ventriculi sit, vomitu ducatur ex aqua tepida, & aceto mulso tepido. Si in ima parte, sumta cassia deturbetur, aut clystere detrahatur. Si tunicis vētriculi impactus est, pilulis ex hiera purgetur, quæ & commendantur, si admixtam habuerit pituitam. Benefacit etiam puluis hieræ, vel per se, vel cum rhabarbaro, itemque confectio ex hiera nominata. Deinde venter roboretur, nec non facultas concoctrix firmetur, remedijs conuenientibus, de quibus suo loco. Frons & facies posca abluatur. Ita parti primariò affectæ prospiciendum est ante omnia. Dein ipsi capiti succurritur, primùm per astringentia ipsum roborantia, ne talem doloris causam recipiat: deinde per ea quæ iam receptā in ipsum dispositionem abigant. Rarò tamen capiti per consensum laboranti remedia admouentur, si dolor recens est, non autem inueteratus. Tunc enim sympatheia transit in idiopatheiam. Sæpenumero etiam à iecore dolor capitis oritur; & quoniam iecur calidū est, sanguinis ac bilis fumum transmittit capiti. Tum ad iecur ferè tota conuerti debet curatio. Atq; ideo in cibis erunt lactuca cichorium, endiuia, cucurbita, caro pulli cum lactucis elixa, addito arancij, aut vuæ acerbę succo, vt in alijs. Potus erit aqua pauco vino

Dolorū capitis per cōsensum ventriculi.

Cephalalgia per consensum iecoris curatio.

mixta. Clysteres infrigidantes immittãtur. Vena interna cubiti dextri secetur. Bilis infusione rhabarbari, ac tamarindorum vacuetur. Cæratum refrigerans Galeni iecori apponatur; quod sæpius mutabitur: aut vnguentum rosaceum illinatur. Epithemate refrigeretur iecur ex stillatitijs liquoribus endiuiæ & cichorij cum pauco aceto, addi-

Cephalalgia per consensum lienis vel vteri curatio.

tis santalis. Rarior dolor est capitis per consensum aliene, vel vtero: isq; curandus est partibus affectis auxiliando, vt in superioribus ostensum est. vt si aliene erit dolor, curatio ex capite de melancholia instituenda est. Si ab vtero, is dolor capitis fiet, vel ob menses retentos, vel nimis fluentes. Si retenti erunt, prouocentur eo tempore, quo fluere solẽt. Si plus æquo fluant, supprimantur: vt proprijs capitibus docebitur. Dolor ab immoderato fluxu mensium arguit summam frigiditatem ac siccitatem ob sanguinis profusionem. Quare suppresso fluore afferantur alimenta, quæ citò nutriant. Deinde caput roboretur & humectetur, vt in dolore à melancholico succo fieri debet. Hæc obiter superioribus adiuncta sint.

De Cephalæa. CAP. *VII.*

DOLOR capitis consuetus, & multos iam annos crebrò leuiq; de causa hominem grauiter exercens. Cephalæa aut hemicrania dicitur: sed illa totum caput, vel certè maximam eius partem occupat: hęc verò dimidiam.

Cephalæa quid.

De Cephalæa priore loco agemus. Cephalæa dolor est capitis sæpius repetens, & diu perseuerans. Vel Cephalæa est velut contumax & diuturna cephalalgia, cum maximis cõiuncta paroxysmis, sed leui de causa obortis. A quauis enim occasione inuadit, maximasque habet exacerbationes, adeò vt neque strepitum, neque vocem vehementiorem, neque vini potionem, neque odores caput replentes, neque lumen splendidum, neque motum ferre possint ægri, sed in quiete & tenebris ob doloris vehementiam decumbere cogantur. Alioquin ab enumeratis rebus ita commouetur & excãdescit Cephalæa, vt tanquam à malleolis caput sibi pertundi putent; quidam etiam caput frangi, contundi, distendiq; sentiant. Et quanquam is dolor est interdum continuus, sæpius tamen ex interuallis repetit,

repetit,& expectatur. Intermittunt enim exacerbationes, vt in comitiali morbo,suntque ordinata interualla, aut inordinata. Nonnullis ab occasu solis vsq; in meridiē,tuncq; ex toto remittitur:vel à meridie in vesperam, aut etiā vltrius in noctē permanet: vehementiusq. fœminas exercet, ob diligentiam capillorum. Conuenit quidē inter Cephalæam & Cephalalgiam,quòd ambæ similem aptitudinem afficiendi capitis habeant,siue propter ipsius imbecillitatē, siue propter sensus exuperantiam; sed inter se discrepant, quòd per Cephalæā partes capitis multo redduntur quàm in Cephalalgia debiliores. Porrò in Cephalæa partes affectæ possunt esse variæ ac multiplices, non aliter ac in Cephalalgia: sed membranæ sæpius patiuntur,nō modò quæ sunt inuolucra cerebri, verùm & exterior caluariæ membrana,prout hæ vel illæ partes promtiùs afficiūtur, ac tum vel ad radices oculorū dolor progreditur, vel in pericranio tantùm,& in superficie hæret. Quis autem affectus sit Cephalæa, ex antè dictis cuiuis notum esse potest. Insuper eius causæ tot sunt,quot Cephalalgiæ & aliorum dolorum; nempe intemperies, & continui solutio. Intemperies quidē simplex,cōposita:sine materia,(eaq; si firmata est,curatu difficilima)vel cum materia. Atq; hæc ferè vapor est frigidus & crassus, (qui exitum non habet) & flatus; vel materia crassa,frigida. Flatus aliquando ex inopia caloris, & materia alimenti:aliquando alimenti vitio:nonnunquam vitio pituitæ crassæ & lentæ, quæ mēbranis inhæresci,vnde vehemens distensio membranarū, vt inde futuræ relaxentur. Atq; hic sensus est frigoris: quanquā aliquando agitatione materiæ & putredine calor accenditur: vbi iam febris,& aliquando inflāmatio succedit. Sed sine his, quasi malleolis obtusis,aut acutis feriantur, dolent. Rariùs arteriarum vitio & bilis permixtæ flatibus,aut alijs de causis Cephalæa oritur. Alij causas Cephalææ tractarunt enodatiùs,his verbis: Cephalæa fit ex inflāmatione membranarū capitis, præsertim pericranij & fibrarum quibus appensa est cerebri crassa membrana,aut ex obstructione impedientē liberam humorum per caput delationē,aut distensione quæ à flatu fit, aut acrimonia vaporum, & humorum ascendentium ad caput,aut ibidem genitorum,ob malam

Differimen inter Cephalæam & Cephalalgiam.

Affectus quis.

Causæ.

qualitatem, quæ in capite consistat. Aut oritur eadem ab intemperie calida capitis trahente ad se ab imis partibus: aut ab imbecillitate à frigore vel calore contracta, qua cogitur caput aliorum membrorum excrementa susçipere.

Signa. Ratò hic affectus à causis externis pendet. Notæ Cephalææ ex dictis paulò antè de essentia eiusdem patere possunt. Causarum verò notæ hæ sunt: si inflammatio causa erit, grauitas aderit cum tensione & pulsu, & ardore, eritque inflammatio non exquisita: aliàs non foret diuturna Cephalœa. Obstructio fit ab humoribus crassis, qui cùm dilatantur, incalescentes ac putrescentes efficiunt dolorẽ, & sentitur grauitas cum distensione mixta. Flatus distensionem facit sine grauitate. Si distensio ab acri fit vapore, cum distensione morsus & acrimonia sentietur. Si calor capitis ad se deduxerit excrementa, ardor capitis aderit, & acria excrementa aut aliunde deducentur, aut deducta corrumpentur, ac sentietur pauca grauitas, morsus autem & acrimonia vehemens, præsertim si malum membranas inuaserit: quæ quamuis oculorum radicibus malũ impertiantur, si internæ fuerint videlicet, malum tamen extra caluariam ostendẽt, quod & ad frontẽ & supercilia extendetur. Et qua parte dolor fuerit, tactu vel leui dolor augebitur, & sæpe extra humores, vel pustulæ erumpent. Si imbecillitas sequatur frigidam intemperiem, sensim excrementa frigida excrescent, & grauitatem cum sensu frigoris inferent, atq; hi à frigidis lædentur: faciem autem habebunt decoloratam, & oculos subtumidos, & linguam. In summa, ex signis iam dictis, ex antecedente vita, temperamento totius corporis, vel præcipuè capitis, tum etiam viscerum, de causis inquirendum est. Si vetus in capite dolor est ex frigida ortus materia, difficulter sanescit, præcipuè in senibus. Quod reliquum est, victus ratio pro causarum similitudine non alia esse debet, quàm quæ in prædictis capitis doloribus præscripta est. In genere alimenta acria, salsa, acida vitentur, & omnia quæ vapores gignunt: item clamor, strepitus, splendor magnus, nocturnus aër, præsertim quem radij lunæ illustrant. Cœna frugalis & simplex esto. Curandi etiam methodus per medicamenta eadem proderit: tametsi in Cephalœa expugnanda va-

Prognostic. *Curatio.*

lentio-

lentioribus vtendum sit. Nam si humorem aut vaporum copiam esse constiterit, si quidem propter totius corporis plethorā facta est, vniuerso corpore vacuato eam sanabis. Itaq; venā mediā, aut externā cubiti tundes. Clysteribus acrioribus vteris. Si etiamnū sanguis redūdabit, venā frōtis rectā scindes, aut venā ex naribus aperies. Deinde capillis nouacula detractis, cucurbitulā vertici affiges, quam scarificabis liberiùs, quo sanguis vberiùs attrahatur, & partes profundiores incidantur. Si verò caput debile existens humores sublatos ac vapores suscipiat, reuellantur per clysteres, & vincula iniecta, nec non per plurimas partium extremarum frictiones. Mox etiam corpus medicamento purgetur, vt hiera, rhabarbaro, & similibus: quorum vim exacuere poteris, prout crassi succi Cephalæam efficient, vel bilis in vniuerso corpore redundabit. A totius corporis vacuatione tutò ad ea, quæ particulatim caput euacuant, accedes: nempe ad masticatoria, & ea quæ naribus induntur medicamenta. Verùm improbātur masticatoria, si vlcera fuerint in ore vel faucibus: vel si pulmones opportuni sunt vlceri, phlegmoni, fluxioni. Tunc enim errhina præponenda sunt. Attamen errhina lædunt oculos imbecilliores, & iam laborantes, nocentq; vbi nasus opportunus est vlceribus, vt in lue venerea: tumq; satius est gargarismatis vti, quæ ab oculis auertunt. Sternutatoria etiam obsunt ijs quibus est defluxio in pulmones, sed iuuant eos quibus caput repletum est vaporibus, & quibus iam tenuis atq; incisa materia est. Ad hæc errhina & sternutatoria præferenda sunt, vbi pars anterior capitis purganda est, quemadmodum diamassemata caput posterius melius repurgant. Hæc autem per occasionem huc attulimus, quæ alijs capitibus adaptari poterunt, ne sæpius repetantur. Quòd attinet ad Topica, fotus & irrigationes initiò fiunt ex repellentibus, vt oleo amphacino, & rosaceo per se, vel cum aceto illito: & quod ex capitib. papauerum, & tenellis oleæ germinibus, & hederæ corymbis ac mentha viridi apparatur, & similia. Adhibentur autem remedia tepida, vbi copia humorum frigidior & crudior fuerit: frigida, vbi calidior & bilioſior extiterit. Posthæc admoueantur discutientia, vt oleum chamæmelinum, anethinum, & si humo-

Errhina.

Sternutatoria.

vacuationem, sed ad ventilationem detrahitur sanguis. Vena autem secanda, vel humeralis est, vel media, pro maiore aut minore bilis redundantia, atque mixtione cum sanguine. Ac venæ sectio iterari debet, cùm præstet vnica vice multam copiam sanguinis non detrahere. Huiusmodi sectio reuellit, præsertim si ab eodem latere fit. Cucurbitulæ eadem ratione omoplatarum interuallo primùm læues, deinde cum scarificatu affiguntur. Crurum item & brachiorum frictiones congruis temporibus adhibentur. Sed his omissis, vbi prædicto modo bilis cocta, & veluti subacta ac edomita fuerit, naturaque obsequens reddita, absque molestia à purgante medicamento ad conuenientia loca vacuationis trahetur. Id autem concinnabitur ex myrobalanis citrinis, prunis, tamarindis, rhabarbaro diluto, & similibus in præcedenti curatione dinumeratis. Verùm si bilis crassior est, vt cui permixta est pituita, hiera Galeni, & aloë, & agaricus præsertim forma catapotiorum dari poterunt: qualia sunt hæc: ℔. massæ pilularum aggregatiuarum ʒ ß. rhabarbari electi & agarici trochiscati ana ℈ j. cum aqua betonicæ fiant pilulæ septem. Si æger malit bolum: ℔. catholici ʒj. electarij de succo rosarum & diaphœnici ana ʒ j ß. cum saccharo fiat bolus. Si præferat potionem: ℔. rhabarbari ℈ iiij. agarici troch. ℈ ij. cinnamomi gr. v. infundantur in aqua endiuiæ ac pauco vino albo: deinde exprimantur & colentur, adiectis syrupi rosati purgatorij ʒ ij. Intermedijs temporibus conferunt clysteres ex decocto maluæ, althææ, violarum, betæ, intybi vtriusque, cum pulpa cassiæ fistulæ, oleo violaceo, adiecta etiam hieræ mellitæ portione. Errhinis præterea vtendum est potissimùm ex aqua hordei, cui incoquantur folia maluæ, violarum, & lactucæ, aut cui succus foliorum betæ adijciatur. Quibus peractis, Topica ex vsu erunt, quæ fluentem in caput materiam repellunt: quanquam & his vel ab initio vti licet. Ea sunt oxyrhodinon, & cætera prius dicta: nisi febris adsit, aut tota bilis iam fluxit, aut præsens est cathartus calidus, vt diximus. Maior tamen refrigeratio hic requiritur quodam modo. Quocirca illa sic possunt immutari. ℔. olei violacei, olei nymphææ, olei de salicibus ana

Topica.

busana ʒj ß. commixtis omnibus liniatur frons & tempora frigidè, manè & vesperi. Eadem etiam in nares & aures injiciantur. Præterea æger olfaciat sæpe caphuram in aqua stillatitia rosarum infusam. Hæc intemperiē calidam in capite relictam corrigunt, caputq; roborant, quemadmodum & alterantia frigida ab alto inflicta sincipiti: alioqui quæ capiti admouentur & foris occursant, densando calidum vaporem transpirare prohibent. Si adhuc reliquiæ humorum prædictorū supersunt, tenuibus poris ac meatibus impactæ, & ob id dolor perseuerarit, rosaceo aliisque refrigerantib. nonnihil eorū quæ vim digerendi ac discutiendi leuem habent, admisceatur. Quæ enim validissimā possident, iusto calidiora esse solent. Si tamen istis remedijs Cephalalgiæ biliosæ vehementia non cedat, & narcotica vsurpentur, sint parum valentia, nec diu hæreant capiti tanquam parti principi & suapte natura frigidæ: quæ aliquando vel alijs partibus indita, multos ita sopiuerunt, vt postea nunquam fuerint expergefacti. Prædicto igitur linimento, quod fronti admouendum præscripsimus, opij grana duo adijci possunt. Sed id rarò. Hactenus de Cephalalgia biliosa simplici. Composita enim quædam est, vbi flaua bilis cum pituita miscetur. Huius itaq; curatio mixtas habet indicationes, ac proinde mixta remedia partim ex paulò antè dictis, partim ex dicendis colligenda sunt. *Cephalalgia pituitosa cum ratio.* *Victus ratio.*

Ex pituitosis autem humoribus dolor capitis genitus, aut ex intemperie frigida tantùm citra humoris influxum, victus rationem calfacientem & siccantem expostulat, vt aërem æstiuum, & si hyems est, calefactum, & siccatum luculento igni, aut suffitu aromatum calido & sicco, vt cinnamomi, caryophyllorum, ligni aloës, & similium: quæ tamen admodum vaporosa non sint, vt thus, myrrha, styrax. Horum enim suffitus capitis grauitatem affert. Quin & nonnulli existimant istos suffitus non esse vsurpandos, nisi prius purgato corpore, ad absumendas reliquias videlicet. Carnes sint animaliū non excrementosorum, & probè exercitatorum, eæq; magna ex parte assę, interdum elixæ, addendo folia saluiæ, hyssopi, satureiæ, thymi, maioranæ, quæ etiam aromatum accessione condiantur ad incidendum lentam crassamque pituitam. Inedia

huic affectioni salubris est. Quare alimenta pauca sint & rara: quæ & sinapi, aut alio simil bus viribus condimento condiantur. Panis sit fermentatus, salsus, anisatus, melanthiatus, vel aromatatus melle, pipere, cinnamomo, zingibere, vel saccharatus, qui magis siccat, & minus alit. Potus sit vinum tenue: aut si id auersetur æger, aqua in qua decoctum sit cinnamomum. Quanquam purgato corpore vti poterit generoso vino etiam aromatibus medicato, sed parcè: maximè si caput infirmum fuerit. Motus conuenit celer, robustus, vehemens totius corporis, ieiuni præsertim, aëre calido, sicco. Quapropter equitatio, multáque & cita ambulatio prodest. vigiliæ quoque conferunt, ira, curæ, mœror, & similes animi affectus calfacientes, siue per se, siue per aliud. Medicamentorum autem ratio succum redundantem suadet in primis vacuari. Sed cùm pituita ferè sit crassa, lenta, prius incidatur, tenuetur, tergeatur: clementioribus primùm, vt oxymelite tum simplici, tum Galeni, melle rosaceo, syrupo acetoso, simplici: ac postea valentioribus, vt oxymelite scillitico, composito, syrupo ex stœchade, ex duabus vel quinque radicibus cum duplo aquarum cephalicarum, betonicæ, saluiæ, maioranæ, melissophylli, hyssopi. Aut loco zulapiorum propinentur Apozemata, vel decocta ex radicibus petroselini, apij, fœniculi, seminibus anisi, fœniculi ex seseli, stœchade, origano, serpillo, maiorana, calamintha, betonica, saluia, cinnamomo, macere, & huiusmodi. Laudatur & à quibusdam decoctum Guaiacinum. Sic apparata materia purgantibus vacuetur itidem clementioribus primùm, vt pilulis ex hiera, assaieret, mastichinis, elephanginis, adiecta portione agarici trochiscati. Rursum apparata diligentius pituita medicamentis quoque valentioribus educenda est, & si fieri potest euellenda, pilulis scilicet ex agarico, fœtidis, coccijs, & alijs consimilibus. Conueniunt & electaria, indum, diacarthamum, diaphœnicon, quod etiam est cholagogum. Si potio magis arrideat ægro, ℥. expressionē ʒj ß. agarici boni infusi in oxymelite, cui adde catholici ʒ vj. diaphœnici ʒ ii. fiat potio. His medicamētis minus resistūt regionū frigidarum corpora, quàm calidarū, vt pote minus densa, dura, ac robusta. Et si equētior purgatio cōpetit: quia

Medicamētorum ratio.

Potio purgans.

quia crassi ac tenaces humores purgationi haud facilè cedunt. Conducunt & clysteres acres, ad vacuationem simul ac revulsionem eorum, quæ ad caput deferuntur. Iisque parantur ex decocto cephalicarum herbarum, in quo hiera, vel benedicta, vel diaphœnicon dissoluantur. Glandes etiam ex melle cum portione agarici, vel pulueris hieræ, vel salis gemmæ, clysterum vicem gerunt: vt ℔. agarici ʒij. salis gemmæ, pulueris hieræ ana ʒj. cum melle q. s. glandes figurẽtur. Adhibeantur & partibus extremis vincula dolorifica, frictiones validæ ac diuturnæ (ieiuno stomacho) cũ linteo asperiore, à ceruice & omoplatis inferna versus. Eædem quoque partes decocto herbarum capitalium foueantur. Cucurbitulæ citra scarificationem interscapulio & ceruici affigantur post purgationem potissimùm. quamuis & huiusmodi auertentium bona pars vel circa initia locum habere potest. Vacuata sic & aliò tracta materia, quod eius supereſt in capite, educitur sternutatorijs & errhinis, leuioribus quidem initiò, vt aqua, vel succo maioranæ, betę foliorum & radicũ: deinde valentioribus, vt puluere piperis, struthij, ellebori albi cum succo betonicæ, melissophylli, rutæ. Apophlegmatismis autem ex mansu mastiches, vuarum clibano siccatarum, baccarũ oxyacanthes, pyrethri, staphisagriæ. Gargarismatis deniq; expurgante aliquo medicamento prius dicto in aqua capitali dissoluto: præterquam quòd Apophlegmatismi & Gargarismata sunt noxia propensis in catarrhos & affectus alios pulmonis ac thoracis, quæ ob id in his vitanda sunt.

Glans.

Sternutatorij formula est. ℔ piperis, pyrethri ana ʒ ij. fiat pulvis naribus immittendus. Errhini autem, ℔. succi maioranæ, succi betæ, ana ℥j ß. vini albi ʒj. zingiberis, pyrethri ana ℈j. misceantur. Apophlegmatismi formula ex capite de Alopecia repetatur. Gargarismus: ℔. hyssopi m. j. salviæ, thymi ana m. ß. fiat decoctio ad ℔ ij. adde oxymellitis scillitici ℥ iij. Præterea non sunt inutilia in hoc affectu repellentia: quanquam pituita propter crassitiem difficulter repelli possit. Nam & Galenus in lethargo repellentibus vtitur. Commodum igitur erit oleum rosaceum per se, vel cum chamæmelino, & aqua betonicę adiecto pauco aceto ad penetrationem. Postremum genus est re-

Sternutatorium.

Errhinum.

Gargarismus.

mediorum, quæ pituitam à capite reliquam dissipant, & caput firmant: cùm eadem frigidam, humidam intemperiem emendent. Non modò verò ea introsumuntur, sed & admouentur. Sumitur ʒj. theriacæ veteris, vel mithridatij sex horis ante pastum. datur & diamoschum dulce, vel amarum, diambra, dianthos, diagalanga, acorus conditus. Aurea Alexandrina, conserua anthos, stœchados, betonicæ, saluiæ, enulæ. Vt: ℔ conseruæ betonicæ & saluiæ ana ℈ ij. mithridatij veteris, & theriaces ana ℈ j. misce. & cum saccharo fiat bolus sumendus in introitu lecti. Vel ℔. theriaces veteris ʒj. sumat septem horis ante pastum.

Embrocha. Inter ea quæ admouentur, irrigationes seu embrochæ parantur sic: ℔. florum chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, sertulæ ana m. ß florum stœchados, foliorum rutæ, hyssop., sampsuchi ana m. j ß. fiat decoctum.

Fotus. Fotus quoque fit per spongias calida imbutas & expressas, maximè si in aqua lauri folia, aut sampsuchi, vel cyperi incocta fuerint.

Sacculi. Sacculi fiunt ex milij torrefacti partibus duabus: & salis communis parte vna: quæ pauco vino albo, seu aceto irrigantur. fiunt & alij sacculi: ℔. rutæ foliorum, hyssopi, serpilli ana m. j. sampsuchi, betonicæ, foliorum stœchados,

Puluis capitis. spicæ, rosarũ rubrarum ana m. ß. Pulueres capitales componuntur sic. ℔. sampsuchi, stœchados ana p. j. maceris, caryophyllorum, calami aromatici ana ʒ ij. spicæ, lauandulæ ana p. ß. Cucuphæ quas vocant, sic: ℔. melissophylli,

Cucupha. betonicæ, sampsuchi, pulegij ana m. ß. cocci infectorij ʒ ij. maceros ʒ j. absinthij sicci m. ß. florum stœchados, florum anthos, ana p. j. ß. trita hæc ex serico rubro & raro cõsuantur. fiat pileolus qui subinde muretur, ne sudore aut pinguedine imbutus noceat.

Lotio capitis. Lotio præterea capitis confert, si nullus tumor, nulla inflammatio, nullus catarrhus adsit. ℔. stœchados, chamæmeli, melilori, ana p. j. maioranę, saluiæ, betonicæ, origani, melissæ, ana m. j. baccarum lauri confractarum, seminis fœniculi ana ʒ ß. fiat decoctio, qua caput abluatur.

Orbiculus odoratus. Pomum quoq; odoriferũ ita præscribitur, ℔. sampsuchi, corticum & foliorum citri, hyssopi, rutæ, stœchados ana ℈ ij. styracis calamitæ, ladani, ligni aloes, mastiches, corticũ thuris, spicæ, caryophyllorum, maceris ana ℈ ß. moschi, ambaris ana grana ij. cum succo maiora-

næ, &

næ,& cremoræ tragacanthi fiat orbiculus. omnia verò supra dicta admouentur capiti,inani ventriculo. Nam à pleno vim magnam vaporum calore suo in caput traherent. Reliqua topica vt olea petuntur ex oleo chamæmeli,melilloti, anethi,liliorum, rutaceo, costino,balanino,de piperibus, quibus additur aqua vitæ,loco aceti: vel ex decocto prædictorum capitalium in lixiuio cum euphorbio, vel castoreo:quale est hoc vngentum: ℞. olei irini,rutacei,ana ℥ ß. maioranæ,betonicę,piperis ana ℈j. euphorbij grana v. cæræ parum.fiat vnguentũ. Eo & consimilibus frons ac narium meatus inungantur. Sed hæc(vt & emplastra) magis iam contumaci malo & diuturnis doloribus conueniunt,de quib. capite sequẽti. Si ab humore melancholico dolor capitis pẽdebit,eius curatio ex capite de Melancholia itidem petatur. Si verò ex iam dictis causis cum obstructione quoq; dolor capitis fiat, quæuis earum sit, non est præcipiẽda noua curatio, cùm ex antedictis curari possit, causlam videlicet auferendo quæ obturauit. Sin dolor est ex flatuoso spiritu redundante, siue in reliquo corpore, siue in ipso capite duntaxat,omnino talis esse debet victus ratio, vt flatum non gignat. Qui si ex corpore effertur,in principio repellentibus curatur: siquidem influentem vaporem seu spiritũ primò repellere necessarium est. Infarctum deinde oportet concoquere, & attenuare: quod mitigatorijs ac concoctorijs ad repulsoria adiunctis perficitur. Demũ eundem ipsum spiritũ discutere, ac circa ipsam partem firmitatem inducere opus est:vt docet Galenus secundo κατὰ τόπους. Iuuat eos maximopere vacuatio alui per clysteres acres,in quibus benedicta, electarium indũ, seu diaphœnicon , aut hiera picra adijciantur. Decoctum paretur ex seminibus discutientiũ,vt anisi, fœniculi, carui, cumini, furfuris , ficuum aridarum , ac similium. Interim corroborãda pars,quæ flatũ gignit,siue fuerit ventriculus, siue aliquod intestinorum,siue iecur,siue lien,aut alia pars quæuis. Ergo admoueatur capiti , si vnà cum flatu calor adest , rosaceum , vt pote repulsorium , concoctorium, & mitigatorium,ad hæc discussorium. Pariter & acetum, quod & repulsoriam , & attenuatoriam & discussoriam vim obtinet. Aceto interdum admiscetur aqua rosacea.

Vnguẽtum.

Dolorũ capitis à flatuoso spiritu curatio.

Nec per se solo aceto vtendum est ob facultatis vehementiam. Si flatus est cum frigore, rosaceo & aceto addatur oleum chamæmeli, vel anethi: vel hęc per se adhibeantur. Circa initia etiam sacculi conferunt ex milio, rosis, salicis foliis, polygono, solano, seu portulaca, si fronti & sincipiti admoueantur. Iis verò postea sampsuchum, serpillum, hyssopum, ruta, lauri tenera folia, cyperusque adijciantur. Prętereа ægri manè assumant theriacę seu mithridatij ʒj. itemque diacymini ac dianisi tantundem. Sin verò flatuosus spiritus in capite generetur propter eius imbecillitatem, exceptis repellentibus (quibus tunc minimè opus est) vtere cæteris omnibus iam dictis aut similibus medicamentis tum sumptis, tum admotis: quanquam assumpta minus iuuare videantur. Iam ad cephalalgiā à causis externis genitam progressum facere tempestiuum est: inter quas vinum primas tenet: quod in caput rapitur cōuersum in vapores, pręsertim cùm vinosum fuerit, & in calidum ventriculum incident, doloremque capitis efficit, & quandoque turbata mente ebrietatem: potissimùm quibus caput imbecillum est, aut paruum, & quibus angusta est pars ipsius anterior. Itaque à vino liberalius ingesto, & meraciori, vel calido suapte natura, si caput dolet, crudumq; adhuc permanet, & in ventriculo fluctuat, aqua tepida hausta vomant ægri, vel cum aceto, aut pauco syrupo acetoso permixta, aut certè vacuentur deiectione per balanos, per iniectiones acres, aut per purgantia admota vmbilico. Sumant etiam catapotia Kufi, vel ex hiera. Vbi venter vacuus est, & tamen vaporibus adhuc dolor commouetur, non sine ratione vulgò persuasum est vini noxam vini potu elui, quia inde crassi, & frigidi vapores ipsius crapulæ dispergantur. Id schola Salernitana confirmauit, quæ vinū putauit sua qualitate affectiones sanare, quas induxit sua quantitate. Sed verendum ne caput incaluerit. nam igni oleum addere esset, & frigida potius conuenirent. Quare si post concoctionem etiam caput dolet, repellentibus ac refrigerantibus vtendum, vt multitudo vaporum qui feruntur ad caput reprimatur, caliditas verò contemperetur. Ad id confert rosaceū per se, vel cum aceto, aut hederæ aut brassicę succo. Quin & ipsa brassicę folia in aqua calida macerentur,

Cephalalgia ex ebrietate genita curatio.

rentur, & capiti circundentur. Eadem brassica decocta si edatur, vtilis est: vapores enim deficcat. Præsentem quoq; ebrietatem extinguunt cētaurij minoris decoctum, cornu ceruinum, si eius rasura cum aqua bibatur, & nucleus persicorum; item q; verbenacæ rectæ semen similiter ex aqua potum. Cibis vtantur boni succi, pane loto, ptisanæ succo, oleribus, lactuca, quis sorbilibus. Denique vniuersus cibus sit stomacho vtilis, & qui vapores arceat. Potus, aqua ijs qui eius potui assueti sunt, vel qui habent ventriculum æstuosum, & exustum: vel vinum tenue, album, modicum. Post omnem cibum offeratur malum punicum, vel pyrum, vel malum cotoneum, & alia quæ ventriculum roborant. Somni & quietis cura in primis habenda est, cùm omnes quiescere melius sit. Quies enim confert ad iuuandam coctionem, vt & somnus: quemadmodum inedia ad discutiendum. Remittente verò ac decrescente dolore in locis aptis deambulare expedit, maximè ante cibum. Sint q; plures ac citæ deambulationes: post cibum verò breues ac lentæ. Fiant etiam artuum frictiones ac ligaturæ, & si post hæc dormire nequeant, ad balneum ducantur quàm celerrimè, calidaque in balneo sæpe ijs affundatur. Si ex vaporibus aut humoribus in caput sublatis reliquię supersint poris ac meatibus impactæ, chamæmelino oleo, vel anethino, vel postea etiam irino, si opus erit, discutiantur. Vitentur & quæ nouo vapore caput replent, indeq; dolorem ciere possunt, qualia sunt mentha, crocus, moschus, cæteriq; vehementiores odores. Arcent ebrietatem amygdalę amaræ, similiter ex leguminibus lens, vinum absinthites, seu myrteum præsumtum, myrti baccæ præassumtæ. Est quoque præstantissimum ad præcauendam ebrietatem præbibere olei ʒ ij. Licet enim postea citra ebrietatis periculum, vel integrum vini dolium ebibere: vt quidam ex recentioribus asseuerat. Cephalalgia ex mora sub sole curatur, vt diaria ab æstu: victu scilicet refrigerante, & admotis capiti frigidis priùs dictis, quæ receptam in eo intemperiem calidam profligent. Quia tamen dolor capitis cucurbitulæ modo trahit, partim dictis refrigerantibus & astringentibus est repellendum, partim frictionibus, & ligaturis, & alijs reuellendum, partim si quid ma-

Ebrietatem arcentia.

Cephalalgia ex mora sub sole curatio.

dus in contusione, quæ vel digeretur, vel in pus conuertetur, vel incidetur: Tertius in vulnere, quod agglutinari debet, postquam vulneris labra fibulis, vel sutura constricta sunt: Quartus in sedando dolore. Optimũ igitur est, si inflammatio membranæ timetur, atq; ea non pateat, à sectione venę medię aut humeralis curationis initium facere, nisi ætas aut vitalis facultas debilis prohibeant. Tum enim clysteribus humores qui ad caput feruntur, reuellendi sunt. Arcet etiã inflammationem rosaceum: de quo id obseruandum, quòd eo cum pauco aceto vtendum est nascentibus adhuc inflammationibus: in vigore autem consistentibus rosaceum solum adhibendum. Ac ne circa initia indefinitè acetum rosaceo miscendum erit. Nam cutis capitis, aut quæ post eam est membranæ caluariam ambientis inflammationes citra vehementẽ dolorem obortæ, per exigui aceti ad rosaceum mixtionẽ iuuari possunt: lædentur tamen, vbi magnæ fuerint, doloremq; vehementem induxerint. Similiter si crassæ membranæ rosaceum offeratur, vt in his, quibus aliquod ossiculum capitis excisum est, fieri solet, solum ipsum leuiter tepefactum adhibemus. Si contusio tantùm fuerit, resoluentibus erit vtendum, & laxantibus, contusaq; pars oleo dulci fouenda est tepido, aut etiam chamæmelino, lana tegendo, ne caput rigeat. Sin magna est contusio cũ exiguo vulnere aut nullo, tutius erit contusum locum vel vulneratum in literæ X. figuram intersecare, tum vt corruptus sanguis perfletur, & emissarium liberum habeat, tum etiam vt cranij integritas, vel fractura specillo deprehendatur. vulnus linamento impletur, splenijs medicamẽto ex oleo rosaceo, bolo armena, puluere rosarũ, myrtillorum, ouorũ albuminibus, & similibus parato imbutis: tegitur superpositis lanis vino, & aceto, vel oxycrato immersis, & expressis. Sublato omni inflammationis metu vulneri suppurantia admouentur. Pureq; iam facto vulnus repurgatur, sanies tergetur, carnis generatio procuratur medicamento ex aloe, myrrha, olibano, sanguine draconis, & tandem cicatrix epuloticis inducitur. Si cranium fractum fuerit, os nudatum vel scalpro secandum, vel modiolo forandum erit. Dolor diligenter leniendus, vulnus eo modo quo superius, sed medica-

Rosaceum.

mentis ficcioribus tractandum, id est cephalicis propriè dictis, & puluere radicis ireos, aristolochiæ, panacis & similium. Super est nobis agendum de dolore capitis per consensum. Is ferè est cum toto corpore, vt in febribus, quibus cum simul inuadit, & cùm harũ symptoma sit, his peractis cessat. Si tamen est vehemens, cogimur eum lenire oxyrhodino, albuminibus ouorum, vnguento populeo in calidioribus naturis, ac hora æstiua, chamæmelino & anethino in frigidioribus, & hyeme: eaq; fronti, temporibus, ac commissuræ coronali admouentur. Imò si vehementior est dolor, & cum humorum copia, vt in principio & incremento febrium solet, vena secanda est post primam aut secundam remissionem, præcipuè in corporibus boni habitus, multiq́ue sanguinis. Tum enim dolor est propter humorum fusionem, & febrium magnitudinem. Aut vacuatio tentanda est pro ratione humoris peccantis. Clysteribus item acrioribus reuellendum, nec non vinculis ac frictionibus inferiorum partium plurimis. Caput etiam rosaceo, vel oxyrhodino irrigandum. Quin & obseruãdum interim, ne ob vapores à ventre sublatos, aut alui suppressionem dolor capitis contingat. Cucurbitulæ quoque occipitio aut ceruici affigendæ. Quòd si vigiliæ accesserint, fiãt irrigationes ex decocto florum nymphęæ, rosarum, violarum, hordei, capitum papaueris, aizoi maioris. Si nimis refrigeratum est cerebrum ab ijs quæ admota sunt, subinde apponantur quæ caput calefacere, atque adeo vacuare ac discutere possunt, vt oleum chamæmelinum, irinum, anethinum, aut decoctum chamęmeli, anethi, althęæ, in quo etiam decoquantur pulegium, calamintha, serpillum, mentha, sisymbrium, si crassi lentiq; sunt humores. Et perseuerante vehementi dolore, hyoscyami folia viridia, aut papaueris cum rosaceo, pauco aceto, ac micis panis sincipiti ac fronti approximanda sunt. Quod autem quidam censent à repellentibus abstinendum, cùm febris adest, quia impediretur perspiratio necessaria, id verum quidem est in statu cùm crisis expectatur, aut in declinatione, sed non in principio. Critica enim est Cephalalgia quædam, quæ accidit dum febris prope iudicationem venit, præsertim crisi per vomitum, aut hæmor-

Cephalal gia symptomatica curatio.

hæmorrhagiam impendente. In qua remedia nulla quærenda sunt, nisi fortè quæ vomitum aut fluorem sanguinis è naribus accelerent, & promoueant. Alioqui remedia admota capiti, præterquam quòd nihil iuuant, naturam etiam subinde impediunt, & interturbant. Vt autem noscas an dolor capitis in febribus sit criticus, primò speciem febris ac naturam considera: secundò, an moribus sit salutaris: tertiò, totius morbi tempus. Febre enim vel valida existente cùm iudicationem non portendat; curandus is est. At si ipsa febris vehemens fuerit, adsintque salutis signa, sed prope iudicationem venerit, tunc aliquid tentare non oportet. Frequens etiam est dolor capitis per consensum ventriculi ab humore præsertim acri in eo contento. Quare cibus sit lactuca ex aceto parata, aut panis in iure pulli, addito succo vuæ acerbæ, aut arancij: aut vbi vires exigant, caro pulli elixa: deinde insperso succo arancij, aut limonis. Potus sit aqua hordei, aut vinum modicè austerum, ac probè dilutum. Humor ille acris si in ore ventriculi sit, vomitu ducatur ex aqua tepida, & aceto mulso tepido. Si in ima parte, sumta cassia deturbetur, aut clystere detrahatur. Si tunicis vētriculi impactus est, pilulis ex hiera purgetur, quæ & commendantur, si admixtam habuerit pituitam. Benefacit etiam puluis hieræ, vel per se, vel cum rhabarbaro, itemque confectio ex hiera nominata. Deinde venter roboretur, nec non facultas concoctrix firmetur, remedijs conuenientibus, de quibus suo loco. Frons & facies posca abluatur. Ita parti primariò affectæ prospiciendum est ante omnia. Dein ipsi capiti succurritur, primùm per astringentia ipsum roborantia, ne talem doloris causam recipiat: deinde per ea quæ iam receptā in ipsum dispositionem abigant. Rarò tamen capiti per consensum laboranti remedia admouentur, si dolor recens est, non autem inueteratus. Tunc enim sympatheia transit in idiopatheiam. Sæpenumero etiam à iecore dolor capitis oritur; & quoniam iecur calidū est, sanguinis ac bilis fumum transmittit capiti. Tum ad iecur ferè tota conuerti debet curatio. Atq; ideo in cibis erunt lactuca cichorium, endiuia, cucurbita, caro pulli cum lactucis elixa, addito arancij, aut vuæ acerbę succo, vt in alijs. Potus erit aqua pauco vino

Doloris capitis per consensum ventriculi curatio.

Cephalalgia per consensum iecoris curatio.

mixta. Clysteres infrigidantes immittãtur. Vena interna cubiti dextri secetur. Bilis infusione rhabarbari, ac tamarindorum vacuetur. Cætatum refrigerans Galeni iecori apponatur; quod sæpius mutabitur: aut vnguentum rosaceum illinatur. Epithemate refrigeretur iecur ex stillatitijs liquoribus endiuiæ & cichorij cum pauco aceto, addi-

Cephalalgia per consensum lieni vel vtero curatio.

tis santalis. Rarior dolor est capitis per consensum a liene, vel vtero: isq; curandus est partibus affectis auxiliando, vt in superioribus ostensum est. vt si à liene erit dolor, curatio ex capite de melancholia instituenda est. Si ab vtero, is dolor capitis fiet, vel ob menses retentos, vel nimis fluentes. Si retenti erunt, prouocentur eo tempore, quo fluere solẽt. Si plus æquo fluant, supprimantur: vt proprijs capitibus docebitur. Dolor ab immoderato fluxu mensium arguit summam frigiditatem ac siccitatem ob sanguinis profusionem. Quare suppresso fluore afferantur alimenta, quæ citò nutriant. Dein caput roboretur & humectetur, vt in dolore à melancholico succo fieri debet. Hæc obiter superioribus adiuncta sint.

De Cephalæa. CAP. VII.

DOLOR capitis consuetus, & multos iam annos crebrò leuiq; de causa hominem grauiter exercens. Cephalæa aut hemicrania dicitur: sed illa totum caput, vel certè maximam eius partem occupat: hęc verò dimidiam.

Cephalæa quid.

De Cephalæa priore loco agemus. Cephalæa dolor est capitis sæpius repetens, & diu perseuerans. Vel Cephalæa est velut contumax & diuturna cephalalgia, cum maximis cõiuncta paroxysmis, sed leui de causa obortis. A quauis enim occasione inuadit, maximasque habet exacerbationes, adeò vt neque strepitum, neque vocem vehementiorem, neque vini potionem, neque odores caput replentes, neque lumen splendidum, neque motum ferre possint ægri, sed in quiete & tenebris ob doloris vehementiam decumbere cogantur. Alioquin ab enumeratis rebus ita commouetur & excãdescit Cephalæa, vt tanquam à malleolis caput sibi pertundi putent; quidam etiam caput frangi, contundi, distendiq; sentiant. Et quanquam is dolor est interdum continuus, sæpius tamen ex interuallis repetit,

repetit,& expectatur. Intermittunt enim exacerbationes, vt in comitiali morbo, suntque ordinata interualla, aut inordinata. Nonnullis ab occasu solis vsq; in meridiē, tuncq; ex toto remittitur: vel à meridie in vesperam, aut etiā vltrius in noctē permanet: vehementiusq; fœminas exercet, ob diligentiam capillorum. Conuenit quidē inter Cephalæam & Cephalalgiam, quòd ambæ similem aptitudinem afficiendi capitis habeant, siue propter ipsius imbecillitatē, siue propter sensus exuperantiam; sed inter se discrepant, quòd per Cephalæā partes capitis multo redduntur quàm in Cephalalgia debiliores. Porrò in Cephalæa partes affectæ possunt esse variæ ac multiplices, non aliter ac in Cephalalgia: sed membranæ sæpius patiuntur, nō modò quæ sunt inuolucra cerebri, verùm & exterior caluariæ membrana, prout hæ vel illæ partes promtiùs afficiūtur, ac tum vel ad radices oculorū dolor progreditur, vel in pericranio tantùm, & in superficie hæret. Quis autem affectus sit Cephalæa, ex antè dictis cuiuis notum esse potest. Insuper eius causæ tot sunt, quot Cephalalgiæ & aliorum dolorum: nempe intemperies, & continui solutio. Intemperies quidē simplex, cōposita: sine materia, (eaq; si firmata est, curatu difficilima) vel cum materia. Atq; hæc ferè vapor est frigidus & crassus, (qui exitum non habet) & flatus; vel materia crassa, frigida. Flatus aliquando ex inopia caloris, & materia alimenti: aliquando alimenti vitio: nonnunquam vitio pituitæ crassæ & lentæ, quæ mēbranis inhærescit, vnde vehemens distensio membranarū, vt inde suturæ relaxentur. Atq; hic sensus est frigoris: quanquā aliquando agitatione materiæ & putredine calor accenditur: vbi iam febris, & aliquando inflāmatio succedit. Sed sine his, quasi malleolis obtusis, aut acutis feriantur, dolent. Rariùs arteriarum vitio & bilis permixtæ flatibus, aut alijs de causis Cephalæa oritur. Alij causas Cephalææ tractarunt enodatiùs, his verbis: Cephalæa fit ex inflāmatione membranarū capitis, præsertim pericranij & fibrarum quibus appensa est cerebri crassa membrana, aut ex obstructione impediente liberam humorum per caput delationē, aut distensione quæ à flatu fit, aut acrimonia vaporum, & humorum ascendentium ad caput, aut ibidem genitorum, ob malam

Discrimen inter Cephalæam & Cephalalgiam.

Affectus quis.

Causæ.

qualitatem, quæ in capite consistat. Aut oritur eadem ab intemperie calida capitis trahente ad se ab imis partibus: aut ab imbecillitate à frigore vel calore contracta, qua cogitur caput aliorum membrorum excrementa susci pere.

Signa. Rarò hic affectus à causis externis pendet. Notæ Cephalææ ex dictis paulò antè de essentia eiusdem patere possunt. Causarum verò notæ hæ sunt: si inflammatio causa erit, grauitas aderit cum tensione & pulsu, & ardore, eritque inflammatio non exquisita: aliàs non foret diuturna Cephalæa. Obstructio fit ab humoribus crassis, qui cùm dilatantur, incalescentes ac putrescentes efficiunt dolorẽ, & sentitur grauitas cum distensione mixta. Flatus distensionem facit sine grauitate. Si distensio ab acri fit vapore, cum distensione morsus & acrimonia sentietur. Si calor capitis ad se deduxerit excrementa, ardor capitis aderit, & acria excrementa aut aliunde deducentur, aut deducta corrumpentur, ac sentietur pauca grauitas, morsus autem & acrimonia vehemens, præsertim si malum membranas inuaserit: quæ quamuis oculorum radicibus malũ impertiantur, si internæ fuerint videlicet, malum tamen extra caluariam ostendẽt, quod & ad frontẽ & supercilia extendetur. Et qua parte dolor fuerit, tactu vel leui dolor augebitur, & sæpe extra humores, vel pustulæ erumpent. Si imbecillitas sequatur frigidam intemperiem, sensim excrementa frigida excrescent, & grauitatem cum sensu frigoris inferent, atq; hi à frigidis lædentur: faciem autem habebunt decoloratam, & oculos subtumidos, & linguam. In summa, ex signis iam dictis, ex antecedente vita, temperamento totius corporis, vel præcipuè capitis, tum etiam viscerum, de causis inquirendum est. Si vetus in capite dolor est ex frigida ortus materia, difficulter sanescit, præcipuè in senibus. Quod reliquum est, victus ratio pro causarum similitudine non alia esse debet, quàm quæ in prædictis capitis doloribus præscripta est. In genere alimenta acria, salsa, acida vitentur, & omnia quæ vapores gignunt: item clamor, strepitus, splendor magnus, nocturnus aër, præsertim quem radij lunæ illustrant. Cœna frugalis & simplex esto. Curandi etiam methodus per medicamenta eadem proderit: tametsi in Cephalæa expugnanda va-

Prognostic.

Curatio.

lentio-

lentioribus vtendum sit. Nam si humorem aut vaporum copiam esse constiterit, si quidem propter totius corporis plethorā facta est, vniuerso corpore vacuato eam sanabis. Itaq; venā mediā, aut externā cubiti tundes. Clysteribus acrioribus vteris. Si etiamnū sanguis redūdabit, venā frōtis rectā scindes, aut venā ex naribus aperies. Deinde capillis nouacula detractis, cucurbitulā vertici affiges, quam scarificabis liberiùs, quo sanguis vberiùs attrahatur, & partes profundiores incidantur. Si verò caput debile existens humores sublatos ac vapores suscipiat, reuellantur per clysteres, & vincula iniecta, nec non per plurimas partium extremarum frictiones. Mox etiam corpus medicamento purgetur, vt hiera, thabarbaro, & similibus: quorum vim exacuere poteris, prout crassi succi Cephalæam efficient, vel bilis in vniuerso corpore redundabit. A totius corporis vacuatione tutò ad ea, quæ particulatim caput euacuant, accedes: nempe ad masticatoria, & ea quæ naribus induntur medicamenta. Verùm improbātur masticatoria, si vlcera fuerint in ore vel faucibus: vel si pulmones opportuni sunt vlceri, phlegmoni, fluxioni. Tunc enim errhina præponenda sunt. Attamen errhina lædunt oculos imbecilliores, & iam laborantes, nocentq; vbi nasus opportunus est vlceribus, vt in lue venerea: tumq; satius est gargarismatis vti, quæ ab oculis auertunt. Sternutatoria etiam obsunt ijs quibus est defluxio in pulmones, sed iuuant eos quibus caput repletum est vaporibus, & quibus iam tenuis atq; incisa materia est. Ad hæc errhina & sternutatoria præferenda sunt, vbi pars anterior capitis purganda est, quemadmodum diamassemata caput posterius melius repurgant. Hæc autem per occasionem huc attulimus, quæ alijs capitibus adaptari poterunt, ne sæpius repetantur. Quòd attinet ad Topica, fotus & irrigationes initiò fiunt ex repellentibus, vt oleo amphacino, & rosaceo per se, vel cum aceto illito: & quod ex capitib. papauerum, & tenellis oleæ germinibus, & hederæ corymbis ac mentha viridi apparatur, & similia. Adhibentur autem remedia tepida, vbi copia humorum frigidior & crudior fuerit: frigida, vbi calidior & bilioſior extiterit. Posthæc admoueantur discutientia, vt oleum chamæmelinum, anethinum, & si humo-

Errhina.

Sternutatoria.

rum crassiorum copia fuerit, serpillum, aut pulegij co-
mam, aut calaminthes, aut menthæ, in eo elixabis, capi-
tique adhibebis. Hæc omnia præterquam quòd mate-
riam vacuant, robur etiam ipsi particulæ addunt. Ad i-
dem prosunt Asselli sub aquario vase nascentes, millepe-
dæ dicti, si oleo incoquantur. Præter dicta remedia ton-
sura, aut rasura capitis diuturnis doloribus multum con-
fert; quamdiu tamen dolor viget, non est tutum ad cutem
tonderi. Et tonsura quidem capitis aperit poros cutis:
contrà, rasura densam cutem reddit. Interim quoniam in
Cephalæa cerebrum est valde imbecillum, ideoque dili-
genter corroborandum, assumendæ sunt confectiones
diambra, diamoschum, aromaticum rosatum, Aurea A-
lexandrina, conserua anthos, stœchados, florum saluiæ,
acori. Admouenda verò sunt præter ea quæ iam dixi-
mus, odoramenta, suffitus, & pulueres cephalici insper-
gendi sinciputi, sacculi cephalici applicandi, & cucuphæ
quorum omnium descriptiones superiori capite docui-
mus. Iam contumaci morbo, maximè si est à frigidis &
crassis humoribus, capiti detonso, aut raso, vt dictum est,
fortiora applicentur, quale erit oleum de castoreo & eu-
phorbio, quod conficitur ex libra vna olei de Keiri, & vn-
cia dimidia castorei, vel euphorbij. Emplastra conueniunt
ex ladano, styrace calamita, emplastro de betonica, gum-
mi pini, emplastro de Vigo sine mercurio, & alijs. Extre-
ma quoque remedia sunt raso capillo sinapismi, dropaces,
& phœnigmi, de quibus postea in morbis cerebri. Quibus
si nil proficitur, veniendum ad caustica, quæ vel ceruici, vel
brachio ad musculum deltoidem admouentur, quà perre-
ptat vena humeralis. Si à flatu Cephalæa ortum habet, e-
uacuato humore, à quo flatus leuatur, bis in die medica-
mentum diacyminum, vel dianisum sumendū est, & pau-
cum vinum superbibendum. Sacculi ex ruta, stœchade, cu-
mino, & anisotritis, calidi sunt admouendi. Si imbecillitas
capitis ab aliqua intemperie oriatur, contrarijs curetur.
Deinde caput roboretur alimētis boni succi, & amygdala-
to, & ex auellanis tostis in iure carnis pulte facta, dormitu-
ris ingerēda: aut si manè ingeratur, superdormiant. Quod
à viro inter iuniores apprimè docto commendatur.

De

De Hemicrania. CAP. *VIII.*

HEMICRANIA, ſicuti ouum, & clauus, à partis patientis figura, & magnitudine nomẽ traxit. Eſt autem Hemicrania, affectio valde dolorifica mediæ partis capitis, aliquãdo dextræ, interdu verò ſiniſtræ, & ad futurã vſq; ſecundũ longitudinẽ eius extenſam protenditur. Ea enim dolorum interſtitium eſt. Cùmque per interualla vt plurimum repetat, circuitus habet quotidianos, tertianos, varios. Et quibuſdã contingit, vt extra caluatiã doloris ſenſus percipiatur: alij in capitis imis partibus dolorem ſentiunt: aliqui verò circa temporum muſculos vehementer dolent. Interdum verò tam vehemens eſt dolor, vt manus contactum non ferant: & in ijs palàm eſt membranã caluã ambientem affectam eſſe, & neq; cutem ipſam ab affectione immunẽ exiſtere: quemadmodũ ſi in cerebro eius q; membranis dolor ſentitur, ad oculorũ radices extendetur, neq; manuũ contactu dolor irritabitur. Ita perſpicuũ eſt, quænã affecta pars ſit, & quo modo eã dignoſcatur, & quo affectus genere cõtineatur, cùm dolor ſit. Cauſa tanti doloris eſt vaporũ, aut humorũ, aut vtrorumq;, vel multorũ, vel calidiorũ, & acriũ, ſalſorumq; influxus, ſiue per venas, ſiue per arterias. Affluũt autẽ hi, vel quòd à cerebro eiusq; mẽbranis foras depellantur tanquã redundantes, aut vitioſi, vel quòd à partibus, quę infra caput ſunt, ſurſum mittantur. Nã Hemicrania magna ex parte fit per conſenſum cum ventriculo, aut liene, aut iecore, aut in fœminis lactantibus ab ipſis mammis, vbi lac aut retineatur, aut putreſcat. Ab his enim partibus aſcẽdens vapor, capitis membranas diſtendit, & quandoq; mordet etiam, vt ſcripſit quidam vir inter iuniores doctiſſimus. Ac vapores quidem tenſiuis doloribus afficiunt: bilioſa excrementa mordaces inducunt: plenitudo grauitatis ſenſum adfert: rubor & calor humores calidos atteſtantur. Et quando ex multitudine humorum ſeu vaporum, quando etiam ex calidis ſeu frigidis Hemicraneus dolor excitatur, quandò etiam à flatu, ex dictis antea cuiuis patere poteſt. Cæterùm hos dolores ne ſpreueris vnquam. quia quò plus temporis protrahuntur, maiores cruciatus ſuperueniũt, Aretæo teſte. Curatio autem,

Qua parte affligatur.

Cauſa.

Signa.

Prognoſticon.

Curatio.

vt in præcedentibus doloribus, pro causarum diuersitate varia est. In primis viuendi lex iuxta prædicta instituatur. Sed præcipuè ab ægris vitentur, quæ vaporum copiam ad caput mittere possunt, vt allia, cæpæ, sinapi, raphanus, ac similia. Vitetur & quæ sunt flatulenta. Postea considerandũ nunquid missione sanguinis opus sit: vt si ob plenitudinem malum exortũ est, humeralis vena quæ è directo malè affectæ particulæ respondet, incidatur. Si verò est propter venius humoris redundantiam, per conuenientia pharmaca vacuabitur. Isq; si erit calidus, bilem expurgante vtendum erit: si frigidus, eo, quod pituitam, vel succum melancholicum educit. Cephalæa enim & hemicrania non alia medicamenta requirunt, quàm quę prius descripta sunt: eadem tamen valentiora exposcunt. Alioqui cùm in his dolores antiqui sint, leuia spernunt remedia, fortioribus non facilè cedentes. Igitur humor peccans coquendus primò, ac deinde vacuandus accuratè. Prodest & vsus masticatoriorum, nec non gargarismatũ, qualis iam dictus est. Quibus peractis ad Topica auxilia tutò deuenietur. Quocirca æger tum per digitos propriæ manus, tum per linteum dimidiam frontis partẽ, atq; eam præsertim quæ circa temporum musculos est, confricando excalfaciat, idq; ante irritationis tempus. Post exacerbationem verò ad medicamenta hemicranica appellata accedendum erit: quorum copia apud Galenum in libris κατὰ τόπους reperitur. Atq; si calor multus in doloribus percipitur, ijsque refrigerans quidpiam habent vtendũ: citra verò hunc, ea quæ multùm calefacient, conuenient: vtrisq; etiam aliquid corroborãs, quod astrictoria facultate præditũ sit, miscendũ. Hic enim cùm summa sit imbecillitas, vt in Cephalæa, summo studio caput similiter corroborandũ venit (vt dictũ est) odoramentis, suffitibus, puluerib. cephalicis sacculis, cucuphis admotis: assumtis etiã interim, vt cõfectionibus, aut cõseruis capite superiori enumeratis. Itaq; quãuis eadẽ ferè quę inueterato capitis dolori medẽtur, hemicranicis auxiliantur: his tamẽ euphorbiũ maximè cõfert, si cũ aceto teratur: ac si dextrũ tempus dolet, illinatur siniſtrũ; & contrà. Optimũ etiam est in frigida causa vnguentũ quod sequitur. ℞. olei anethini, irini ana ʒ ß. piperis albi, serpilli ana ℈ j ß.

Topica.

Euphorbiũ.

castorei

castorei ℈ j. euphorbij ℈ ß. cæræ q. ſ. fiat vnguentum, quod dimidiæ frontis parti, aut muſculo temporis illinatur. In aurem etiam infunditur gutta vna, vel duæ, ex oleo quod excipit olei dulcis ℥ j. euphorbij ℈ j. miſceantur. Laudatur & capiti admotum ſtercus columbinum cum melle, oleo laurino, & pauco aceto. vel, ℔. radicis cucumeris agreſtis ℥ ij. coquatur in oleo antiquiſſimo, poſtea contundatur & reducatur ad formam vnguenti: quo pars anterior capitis priùs raſa inungatur. Lauari etiam debet caput aqua vitis, quæ maximè diſcutit. His parum iuuantibus fortis fiat ſinapiſmus, vt cutis exulceretur, & veſicæ excitentur. Sed ſtatim ab exulceratione auferatur, ne nimis vlcerer: vulnus abſtergatur, & mundificetur baſilico: dein ad cicatricem ducatur, vt artis eſt: diu tamen vulnus maneat apertum, vt materia ſenſim vacuetur. Sunt qui veſicatoria occipitio admoueant, parte ſcilicet anteriori laborante. Conuenientiſſimum etiam eſt ſincipiti cauteria ex candenti ferro adhibere. Summatim cõducunt metaſyncritica dicta, quæ materiam è profundo ad circunferentiam trahunt. Si à calidis humoribus, aut vaporibus, dimidiæ partis capitis dolor excitatus eſt, auxilia conuenient, quæ ſuprà in dolore capitis à biliosis humoribus commemorata ſunt. Si malum eſt à ventriculo & vomitus ſponte non ſuccedat, prouocetur ex decocto ſeminis raphani, vel ſimilium. Si iecur in cauſa eſt, curetur vt Cephalgia per conſenſum à iecinore. Idem iudicium erit, ſi fiet à liene. Sin verò ex lactis corruptione naſcatur, lac emulgendum, & oleum chamæmelinum admouendum eſt mammis, quod excrementa diſſoluet, partemque attemperabit.

De Vertigine & tenebricoſa Vertigine.

CAPVT IX.

HACTENVS de affectibus, qui maximè in cerebri membranis conſiſtunt: iam de ſymptomatis, quę cerebri ventriculos, ſenſuſque & motus vias præpediunt. Inter quæ δῖνος, ἢ ἴλιγγος Gręcis dictus numeratur, ἀπὸ τοῦ δίνειν, quod eſt voluere, vertere: καὶ ἰλιγγιᾶν, vexari vertigi-

ne. vnde & vertigo Latinis dicitur. cui & σκότωμα, & σκοτόδινος accēlentur. Atq; illa tria δῖνοι, σκότωμα & σκοτόδινος quidam sic distinguunt. δῖνος seu vertigo est, quando tum caput tum alia omnia circumagi videntur. σκότωμα seu σκοτομία vulgò, quando repentinæ tenebræ oculis offunduntur. σκοτόδινος, quando vtrunque contingit, veluti tenebricosa vertigo. Æger ea quæ foris sunt in gyrum conuerti putat: oculi eius tenebris obducuntur: casuro similis videtur. Siquidem non habet vbi consistat, cùm versari omnia existimat. Apud alios δῖνος seu vertigo, est affectus quo simul omnia quæ cernuntur, circumagi videtur. Cùm verò simul offunduntur tenebræ, adeò vt visus repentè euanescat, σκοτόδινος seu tenebricosa vertigo appellatur, pro vt malè causa in capite residet, vel in oculos inclinat. σκότωμα deniq; pro vtroq; affectu sumitur, & sæpius pro vertigine: tametsi scotomatis appellatio maiorem cum scotodino affinitatem habere videatur. Vt vt sit, δῖνος καὶ σκοτόδινος vehementiæ seu intentionis ratione, vel pro maiori aut minori causæ impressione tantùm inter se discrepant. σκότωμα autem cùm in eo sine circumactione, aut illa sanè leui, tenebræ offundi videntur; aut solùm fumi, nubes, muscæ volitare ob oculos putantur, meritò incipiens σκοτόδινος dici potest. Sed prætermissa nominum ratione, vertigo definitur deprauata imaginatio à motu deprauato spirituum, vel vaporum, vel humorū in cerebro, ad quem omnia quæ oculis obijciuntur, circumagi existimantur. In ea autem sensus visus minimè perit, neque concidunt ægri, vt in scotodino interdum cadunt, nisi propinquis adminiculis fulciantur, maximè si in circulum circumuertuntur: quanquam idem & quietis, & in lecto iacentibus accidit. Et quod sanis post multas circuitiones corporis, idem ægrotis vnica in gyrum cōuersione contingit. Quin etiam si alium quempiam, si vndas, si rotam, si trochū, aut quid simile circumuolui inspexerint, idem perpetiuntur: quia scilicet spiritus visiuus ad ea quæ circumuolutantur allabens mouetur, & simul cum illis circumfertur. Discernitur hæc affectio ab hypochymate, in quo etiam est obtenebratio, & in quo fumi, nubes, muscæ volitare creduntur, quòd hypochyma suam causam habet in oculo, nempe aquam,

δῖνος, σκότωμα, καὶ σκοτόδινος quo modo distinguūtur.

Vertigo quid.

In quo differant Vertigo & suffusio.

aquam, vel fumum; nequaquam verò in cerebro. Distinguitur & ab Epilepsia, tum materia, quæ est humor aut vapor in vertigine quidē crassus, turbidus, & caliginosus, adeò vt visui ac menti caliginē inducat, præcipuē si in opticū transfertur; in Epilepsia verò acris & malignus: tum symptomate, quia conuulsionē affert Epilepsia, quæ nulla est in vertigine. Vt autē plenior fit vertiginis disquisitio, in ea affici constat cerebrū, in cuius scilicet partib. inordinata fit motio humoris flatuosi, vel spiritus. Quod etiā patet ex læsione functionū eiusdem cerebri: si quidē hîc animales oblæduntur actiones, quanuis non omnino eædē, nec eodem modo. Namq; in vertigine deprauatè imaginatio læditur, diminutè verò visio, vel fortè etiam deprauatè. In tenebricosa vertigine cum ipsa deprauata imaginatione, non visionis imbecillitas, sed ablatio percipitur. Itaq; vertigo symptoma est in genere noxæ functionum cùm imaginationis deprauatæ, tum visionis diminutæ. At in tenebricosa vertigine nō modò aberrat imaginatio, quæ falsò putat omnia circumagi, sed & visiua functio abolita est, & interdū motrix facultas, cùm sæpe ægri ipsi concidant. Neq; mirū cuiquam videri debet tot læsarum functionum symptomata inuehi, cum spiritus qui in priori cerebri parte constituti sunt, indebito seu peruerso motu ferātur. Sunt enim instrumēta & subiecta facultatum tam exteriorum quàm interiorū animæ, vt sensus cuiusuis, imaginatricis, & reliquarum. Imò non defuere etiā qui hîc dixerunt lædi ratiocinatricē, sed falsò ac immeritò. Nam cùm æger agnoscat se falsa imaginari, iure ipsa ratio seu cogitatio illæsa esse dicitur. Causa vertiginis proxima est quicquid turbulentos spiritus procreare, vel procreatos cōmouere potest, siue internū, siue externum fuerit. His enim qui illi obnoxij sunt, accessionē cient euidentes causæ, solis æstus, exercitatio immodica, & quæcūq; humores calfaciūt, vel agitāt, vel cerebrū cōcutiūt, vt rotarū circūactus, aquę vortices & huiusmodi. In capite affecto primariò causę sunt humores repēte, ac violēter agitati, animi affectiones, vt ira, timor; omnis intēperies, siue arteriarū, siue cerebri coctionē impediens aut corrumpens: præsertim calida, humores extenuās, & in feruorē agēs, aut multos vapores gignens

Vertiginis & Epilepsiæ discrimen.

Quæ pars afficiatur.

Vertigo quid affectus.

Causæ

Similis causa est acrior sensus partium cerebri, & biliosus habitus totius corporis: vnde feruido spiritu & acri partes cerebri facilè replentur. Frigida quoque cerebri intemperies, cruditatis parens, indèque multorum & crassorum vaporum: vnde senum diuturnæ vertigines Hippocrati. Cùm enim cerebrum multa pituita plenum est, ab ea flatus leuatur, qui sua crassitie caliginem inducit; & quia in orbem conuertitur, secum quoque spiritus animales in circulum agitat. Mouetur autem potiùs in orbem quàm alio quouis motu, more flammæ & fumi in furno coërciti. Id efficit capitis rotunditas, & ventriculorum cerebri cameratio, seu corpus psalloeides: ad quod cùm vapor iuxta leuium naturam delatus, nec altiùs perferri potest, reflectitur, & in orbem mouetur, non aliter quàm cùm exhalatio quæ sursùm tendit, nubibus viam præcludentibus in latus ducitur, & ventum procreat. Alij motus huius causam tribuunt meatuum densitati atque obstructioni, vnde vapores intercluduntur, & per ventriculos circumaguntur. Causis paulò antè dictis adde conatum naturæ in secernendis humoribus per crisin, translata ad cerebrũ materia post crises imperfectas. Mittuntur autẽ ad cerebrum vapores è ventriculo per inediam, calore (alimenti inopia) humores noxios exagitante, acres incidente, calfaciente, & ventriculum prauis succis replente, vel per cruditates, caloris natiui imbecillitate, qui vapores secernit, secretos dissoluere nequit. Nam aliquando humor illic prauus aceruatur, vel genitus, vel aliunde accitus, vel cibus corruptus continetur. Itaque à ventriculo spiritus vaporosus attollitur: qui cùm exitum nõ reperiat, circunducitur. Idem fit ab alijs visceribus, hepate, liene, vtero, toto corpore, excrementis retentis, hæmorrhoidibus suppressis. Quanquam igitur ex tot causis fit vertigo, semper tamen morbum in via consequitur, hoc est obstructionem ex flatuoso spiritu ortam: quæ si est sine casu in terram, in vijs spiritus visiui magis erit: si cum casu, etiam in vijs spiritus motiui. Quod attinet ad signa, In vertigine, inquit Aretæus, grauitas adest capitis, splendida oculis inter multas tenebras sese offerunt, suimet æger propinquorúmque ignarus est, cúmque morbus augescit, tunc tibiæ soluuntur, ac

Signa.

humi

humi repunt. Si vapor à sanguine est, rubedo faciei & oculorum apparet: item conspicuitas venarum in oculis, pulsatio temporum & venarum post aures cum calore capitis. Si in cerebro crassus ac frigidus humor causa est, qui vel meatus aut ventriculos cerebri intercipit, vel meningibus impactus est, eius notæ sunt dolor capitis grauis, distendens, & veluti sensus mallei intus percutientis, sonitus & sibila aurium, olfactus vel auditus oblæsus: quibusdam & gustus, atque quiuis alius sensus, qui à capite initium ducit. Atque his sensus externi sensim læduntur, si in nulla parte inferiore vitium est. Rarò fit à bile, vel melancholico succo vapor qui committit vertiginem. Tamen si feruido spiritu & acri partes cerebri repletæ sunt, rodens erit dolor ac pungens. Si in arterijs idem continetur, non modò capitis, sed & totius corporis vehemens pulsatio est. Si verò ori ventriculi cerebrum consentiat, nausea, inappetentia, oris amaror, cardiogmos seu oris ventriculi erosio aderit: aut si quæ alia pars huic malo originem dedit, eius affectæ indicia præerunt. Quemadmodum si ab impuro corpore fiat vertigo, cerebro scilicet infirmo, coctionis tempore, & cùm à somno surgunt, vehementiùs vertuntur. Tenuis vrina est, pauca, aluus dura: color humori redundanti similis. Prædictæ affectiones non sunt contemnendæ, cùm proximæ sint comitiali & apoplexiæ, mediæque dici possint inter eas, quę periculo vacant, & perniciosas. Si quæ oculis obuersantur, spectra sunt rubentia, & sanguinolentiora, denuntiant maniam; in qua non modò phantasia, sed & ratio læsa est: sin rubore saturata, seu purpurea, comitialem. Imò veteres vertiginem denominauerunt Epilepsiam paruam: sed Aretæus paulò aliter, Bile, inquit, in vertigine reiecta per vomitum furor enascitur: atra verò melancholia ac pituita exeunte, morbus comitialis efficitur. Horum morborum talis est conuersio. Ægriùs etiam tolluntur vertigines à frigidis humoribus, quàm quæ à calidis; vt quæ à proprio cerebri vitio, quàm quæ per consensum. Hyeme, aut veris initio exacerbatur scotomatica passio. Et, vertigine corripiuntur magis, qui cùm soliti essent purgari per aures ab excrementis cerebri, repentè tali vacuatione fuerunt priuati: restituti autem sunt facta

Prognostica.

per medicamenta aperientia ad aures irritatione. Vertigo si Cephalææ succesſit, aut ex vetuſta alia ægritudine orta est, malum. In victus ratione deligēda, æger commoretur in aere temperato, puro, lucido, (paroxyſmo tamē ingruente ęgrum in obſcuro & quieto aere collocare præſtabit, vbi vapores & ſpiritus moti ad quietē faciliùs reducuntur) fugiat aerem craſſum, nebuloſum, nocturnū. Caueat pariter à ventis maximè auſtralibus. Solis & Lunæ radiū vitet: aſpectum quoq; rerum velociter motarū, vt currentis fluminis: aut in circum, vt rotæ & trochi, & initium præcipitiorum. Somnus diurnus vitetur, nec in loco calido capiatur. Nocturnus ſit prolixior aut mediocris, nō ſtatim à cibo, ſed horis ſaltem duabus poſtea. Caput ipſum multis tegumentis non operiatur, ne nimis caleat: idq; purpura induatur. Aluus ſit mollis ſponte, vel arte. Exercitatio mediocris, & ante cibum per interualla, vt curſu, ſaltu, diſco. Et locus in quo deambulabit æger, ſit longa porticus, ne cogatur ſæpe reiterare, & corpus circumuoluere. Pręcipuè inter exercendum, quoad fieri poterit, caput quieſcat. Frictionū etiam creber vſus ſit, priuſquā ſurgant: quæ à ſuperioribus partibus ad infima deſinant. Animi perturbationes maximè fugiendæ, præſertim ira, timor, mœſtitia, & longa ſtudia: pariter clamores, cōtentiones, & cantus. Cibi ſint boni ſucci, coctu faciles, flatúq; omnino carentes, ſtomacho ac vētri commodi, ijq; modici. Propterea & ſatietas non minus quàm fames vitanda erit. Quapropter carnes ſint perdicum, caponū, phaſianorum, gallinarū, vitulorumq;, piſces ſaxatiles. Potus ſit vinū aquoſum, album, tenuiſſimū, non admodum antiquum, ne caput feriat, aut loco vini hydromel, aut decoctū aniſi, vel cinnamomi. Qua ratione euaporantes cibi, vt cæpa, allium, ſinapi, acetum, atq; id genus alia vitentur. A cibo exhibeantur quæ vim habent aſtringendi, ne vapores ſurſum ad caput deferantur: vt pyra, mala cydonia, puluis è coriandro præparato, aniſo, fœniculo dulci, glycyrriza, drageta communis vulgò dicta: idq; præſertim, ſi vitio ventriculi fiant huiuſmodi affectiones. In acceſſione ægrum excitare conuenit odoribus animales ſpiritus recreantibus, & præſidijs à capite auertentib. Sed in primis quies iniungenda eſt. Cauſa enim morborum

Victus ratio.

Curatio accessionis.

effectrix

effectrix prima est, cùm perseuerat, auferenda: quæ si externa est, vt corporis in gyrum circumactio inhibeatur. Tumq; præsens remedium est, vt æger supinus collocetur, ita vt nates capite sint altiores. Sin corporis circumacti aspectus sit causa, intueri desinat, artus fricentur, vinciãtur. Glandes & clysteres immittantur. Sin verò causa est interna, vt motus spirituum immodicus & inordinatus, aer sit obscurus, quia lux spiritus exagitat. Assumantur intrò frigida, vt saccharum rosatum, syrupus rosatus, è Ribes, granatorum, citoniorum, cum duplo aquę rosarum, lactucę, plantaginis: vt spirituum motus turbulenti sedentur. Inungatur & pars anterior capitis oxyrhodino, vt somnus concilietur, & spiritus agitati quiescant. Aqua rosacea & acetum olfacienda offerantur. In paroxysmo vertiginis vomitio aliquando cietur? mithridatium datur, theriaca in aqua vitæ dissoluta. Vbi conquieuerit æger & vires robustæ fuerint, si sanguis abundarit, nihilque obstiterit, humeralis vel media vena secetur, siue morbi principiũ fuerit, siue processerit. Hocque tempore vult Aetius caput irrigari oxyrhodino ad repellendos vapores, qui ex concitato sanguine in caput feruntur. Sed in sanguinis missione animaduertendum, ne confertim vacuetur sanguis, cùm ex qualibet occasione concidant ægri: sed pluribus detractionibus ex quibusdam interuallis, vt congruam mensuram expleant. Si quid missionem sanguinis prohibeat, mirificè confert per acrem vacuare clysterem: dein per medicamentum purgans redundanti humori calido vel frigido semper aptandum, præcedente tamen eius coctione ac præparatione: de quibus in Cephalalgia fusissimè. Paulò pòst cucurbitulæ cum scarificatu affigantur, quæ ascendentem in caput materiam, & eam quę iam in cerebro continetur, vacuent. Tum quoque apophlegmatismis, gargarismis, errhinis, & sternutamentis reliquiæ materiæ deplendæ sunt. Iuuant etiam opiatæ, & condita parata ex veteri theriaca, mithridatio, conserua anthos, acoro condito, puluere electarij lætificantis Rhasis, de gemmis, cum syrupo conseruationis corticis citri, cum oxymelite simplici, vel scillitico: vel syrupo de stœchade. Sacculi præterea, cucuphæ, & similia ad coniunctæ

In sanguinis missione quid aduertendum.

materiæ vacuationem conducunt. Sæpe etiam iuuat ca-
Frictio capitis. put ante cibum fricare, & pectine scalpere. Sed alij modis omnibus à frictione capitis deterrent, quæ illud replet vaporibus, tantum abest, vt vacuet. Admitti tamen potest, si omnia auersionum genera præcesserint. Confert quoque decocto pulegij & calendulæ crura abluere bis in hebdomade, ieiuno ventre, vel ægrum ad balneum ducere, præsertim naturale, & aluminosum, & caput embrocha ex discutiendi facultate præditis medicamentis irrigare. Si caput in balneo incaluerit, aut calidiori capite sint ægri, rosaceo caput perfundatur ac refrigeretur, præsertim circa sinciput, frontem, ac tempora. Si adhuc affectio perseuerabit, præsertim efferuescente sanguine, & si ex vaporibus
Arteriotomia. calidioribus per arterias sursum elatis orta sit, arteriæ ipsæ iuxta tempora sitæ, post aures incidantur. Et arteriarum sectio nonnullos sanauit, quibus spiritus flatuosus à partibus inferioribus in caput ascendebat cum pulsu, & arteriarum impulsione ac saltu. Sed de arteriarum sectione id annotarunt recentiores, quòd si per exteriores venas vapor efferatur, illa quidem conferre potest. Eodem pacto reprimentia iuuant. Sin verò per interiores, nihil. His consentaneum est quod scribunt alij, per altiores arterias quæ ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt, aliquando vaporosum calidumque spiritum elabi, ac cerebrum implere: tum etiam quandoque flatuosum spiritum ex inæquali intemperie oriri: quibus certè arteriarum sectio vtilis esse non potest. Hæc autē arteriarum sectio, quæ sanè est pro vltimo remedio, non temerè tentanda est, cùm in earum sectione pauci Chirurgi sint ex-
Cauterium post aures. ercitati. Loco cuius sectionis arteriarum applicatur cauterium post aures: quod fit ex cantharidum (abiectis capitibus, alis, & pedibus) ʒ j. fermenti acris ʒ ß. quæ cum aceto, & aqua vitæ subigantur, & admoueantur. Adhibetur &
Curatio Vertiginis per consensum Ventriculi, Lienis, Vteri. cauterium actuale in media parte capitis prope futuram, vel (si ignem refugiant) potentiale. At si ex humoribus in ventriculo, ac præcipuè in eius ore contentis, vaporosus spiritus ad cerebrum delatus vertiginem excitat, vomitu curetur ex decocto anethi & raphani, in quo acetosus syrupus, aut oxymel simplex, vel scillinum commisceatur, tepidumque

dumque à cibo potissimum assumatur. Sed antequam vomitio prouocetur, fascia caput astringatur. Acris etiã clyster conuenit, si æger ad vomendum ineptus est. Purgatio item ex hiera, stomachicis pilulis de aloë lota, mastichinis, rhabarbaro, manna, & similibus, pro ratione varietatis vitiosi succi redundantis: datis prius apozematis, vel syrupis accommodatis. Deinde ventriculus roborandus est oleis conuenientibus, & postrema mensa accipiantur ea, quæ vaporum cibi ascensum prohibent. Similiter si lienis, vel vteri vitio sit vertigo, ex eis redundantes succi detrahãtur, suppressæ vacuationes procurentur, & caput roboretur. Si flatuosus spiritus erit ab inæquali intemperie, ea cõtrarijs corrigatur. Vermis sericum faciens exiccatus, & in puluerem redactus, vertici capitis inspersus, conuulsioni & vertigini obnoxijs roborato capite mirum in modũ prodest. Hoc puluere quidam summus Imperator frequenter vsus dicitur.

De Phrenitide. CAPVT X.

Phrenitis vnde sit dicta.

ΦΡΕΝΙΤΙΣ Græcis dicta, inopia vocum Latinis quoque Phrenitis appellatur. Et φρενῖτις à læsa mente, quam Græci φρένας vocant, nomen habet. Vnde Hippocrati interdum Phrenitis dicitur omnis affectus in quo mens oblæsa est, seu quoduis delirium. Quanquam alij censent Phrenitidis appellationem desumptam ab inflammatione τῶν φρενῶν, id est septi transuersi, cuius vitio delirium excitatur, ab eo quod in vera Phrenitide apparet parum distans, adeò vt putarint veteres, septo transuerso inflammato homines phreniticos euadere, ob eamq; suspicionem φρένας eam partem denominauerunt. Sed hæc phrenitis est notha. Nos de vera hîc agemus. Phrenitis igitur vera seu propriè dicta, continua est cum febre acuta dementia. Vel est cerebri, aut membranarum eius inflammatio cum febre acuta, delirium ac mentis perculsionem inducens. Inflammatio, inquam, est ob affluxum calidorum humorũ. Nam cùm phlogosis sola est, ficta est Phrenitis. Et cum febre adiunxi, quia φρενῖτις & παραφροσύνη delira sunt cum febre, sicut mania & melancholia sine febre: vt in quibus materia putredinem non acquisierit. Sed

Phrenitis quid.

In quibus dissident Phrenitis & Paraphrosyne.

priores illæ duæ ſpecies diſtinguuntur cõtinuitate: quia paraphroſyne ſymptoma eſt in ſtatu ardentiũ febrium cum quib. inualeſcit & remittitur. Phrenitis verò morbus eſt, idemq; continuus. Nam Phrenitici perpetuò delirantes febricitant. Sunt & alia inter eaſdẽ diſcrimina. Primũ, quòd paraphroſyne fiat vẽtriculi, vel diaphragmatis, vel alterius partis conſenſu, alteriq; morbo vt pleuritidi, peripneumoniæ, febri ſuccedat: Phrenitis ex primario ac proprio cerebri affectu naſcitur, vt ex inflãmatione, vel eryſipelate. Secundũ, quòd paraphroſyne ſit plærumq; febris ſymptoma, aut alterius morbi: Phrenitis non ſymptoma, ſed cauſa febris. Tertiũ, quòd frequẽs ſit deliriũ: Phrenitis verò rariſſima. Adde q̃ vera Phrenitis nunquam repentè fit, vt ea quæ per cõſenſum gignitur. In Phrenitide cerebrũ affectũ eſſe primò, nemini dubiũ eſt, cùm principis animæ facultatis læſio adſit. Ea enim facultas in cerebri ſubſtantia reſidet. Sed vtrũ cerebrũ, an eius membranæ primitiuè laborent, nõ magnopere intereſt contendere, cùm in vtraq; diſpoſitione capiti ſuccurrendũ ſit. Attamen Phrenitin ipſam ex tenui meninge potiùs quàm ex cerebro gigni ſcripſit Galenus. Tametſi alibi fatetur tenuẽ meningem, vt quę cerebrũ amplectitur, niſi cum eo nullũ affectũ ſubire poſſe, neque etiã cerebrum citra meningem affectã: ſed ſtatim vnius affectũ alteri oportet impartiri. Quanuis & dura meninx ſola affecta eſſe poſſit, cùm longiſſimè à cerebro diſſita ſit. Quis autẽ affectus ſit Phrenitis, ex eo ſatis liquet, q̃ cùm ſit de genere inflammationũ, morbus eſt organicus ſeu in cõpoſitione, ac propriè in magnitudine vitiata, veluti & alia quæuis phlegmone: & ſecundariò morbus in intemperie, eaq; calida: & tertio in continui ſolutione. Omnis enim tumor præter naturã ex his trib. morborũ generib. conſtat. Galenus tamẽ ſæpius nomẽ Phrenitidis pro ſympromate vſurpauit. Sic definitur Phrenitis deliriũ perpetuum cũ febre. Et Phrenitis ſumitur pro deſipientia, quæ inflammationẽ ſequitur. Ita enim læſa actio partis principis imaginatricis, ratiocinatricis, & memoratricis oſtenditur. Sed ad cauſas deſcendamus. Oritur Phrenitis vera ſeu exquiſita, vel ex ſanguine exuperante: vnde ſimplicis inflammationis rationẽ habet: vel ex bilioſo humore cerebrum

Quæ pars afficitur.

Quũ affectus Phrenitis.

Cauſa.

brum aut eius membranas occupante, quæ erysipelatosa inflammatio dicitur. Sanguis enim tenuis, seu bilis, ad meningas cerebri affluit, vel à vasis exiens ipsum cerebrū peruadit, ibiq; coarctatur, & minimè transpirat, adeò vt inflāmatione simul laboret. Aliquando feruet duntaxat, & calorem præter naturā concipit. Itaq; cùm Phrenitis inflammatio dicitur, phlegmone pro omni tumore ex calidis succis nato sumitur. Cùm autē triplex sit bilis, pallida, flaua, & atra seu assata: ex pallida bile nascitur Phrenitis mitior. nec mirum cùm ex seroso recremēto flauæ bili permixto pallidam bilem constitui contingat. Quæ autem ex flaua bile excitatur, vehemētior est, cum rixa & iracundia scilicet, cùm & ipsa bilis plus æquo calefacta est. Vbi verò bilis exassata fuerit, gignitur Phrenitis furiosa & ferina. Et hæc quidē de Phrenitide exquisita. Non exquisita verò dicitur, quæ à bile non sola orta est, sed quæ vel sanguinē, vel alios humores sibi permixtos habeat, vt pituitā, vel melancholicum succum. Hæ igitur differentiæ à materia sumuntur: quemadmodum & aliæ ex læsione facultatis animalis, de quib. & per digressionem hæc addemus. In Phrenitide aliquando facultas sentiendi læditur, parte principe illæsa remanente: aliàs pars princeps tantùm: aliquando vtraq;. Rursus pars princeps variè labefactatur. Aliquando imaginatio tantùm, aliàs ratiocinatio solùm, aliàs sola memoria læditurIn quibusdam enim veluti errans est imaginationis motus, qui cogitatione minimè falluntur, vt de seipso expertus est Galenus, cùm esset puer: idemq; in Theophilo medico contigit. Alij de ijs quæ oculis offeruntur, recte quantùm ad sensitiuam notitiam iudicant, cogitando verò à naturali iudicio aberrant, vt exemplo lanifici pueri docuit Galenus. Alij vtriusque vitio laborant, parum aptè imaginando ac parum probè ratiocinando, iisque etiam memoria aboletur, vt in pestilentia quosdam scribit Thucydides ita delirasse & oblitos fuisse, vt familiares suos, imò ne se ipsos cognoscerent. Neque tamen propterea si vna lædi potest functio, altera permanente illæsa, asseuerandum est has functiones in diuersis partibus perfici, (quanuis Aëtius & plærique recentiorum in ea sententia fuere,) sed in vno eodémque

Phrenitidū differentia varia.

Facultates cerebri an diuersis locis perficiātur.

loco nempe cerebri corpore constat esse. Omnes enim eiusmodi facultates, sensus communis, imaginatio, cogitatio, & memoria, idem prorsus sunt substantia, & in eodem loco: ratione tamen differunt. Vnde fit vt in Phrenitide lædantur omnes, præsertim cùm magna est. Læduntur enim exteriores sensus, muscæ apparent oculis, sonus auribus percipitur, imaginatio corrupta est. Admirãda enim imaginantur. Cogitatio & memoria læduntur. Sed vna amittitur alijs saluis, vel ob leuitatem causę, vel occurrente fortitudine virtutis potentioris. Hic vbi omnes inualescent, corrumpuntur: postea abolentur, si perseuerauerint. Quæ obiter à nobis dicta sint. Sed ad Phrenitidis differentias reuersi, in quarum sermonem incidimus, dum eius causas explicaremus, hic subiungemus, alia esse delirij genera intacta hactenus, quale est quod fit à sola intemperie cerebri calida, vt inflammatis neruis, vel solo calore in cerebrum ascendente, eáque sunt Paraphrosynæ, & per consensum potiùs quàm Phrenitides veræ: sicuti neque deliria quę febrium magnitudinem & vigorem sequuntur, aut pulmoniam, aut ventriculi inflammationem. Imò ne tres quidẽ illæ Phrenitidis species à Galeno descriptæ 4. de locis affectis & à nobis paulò antè memoratæ, videntur ad veram phrenitidem pertinere. De se ipso enim dicebat, Auxilio estote, ne me Phrenitis corripiat: nondum igitur Phrenitide laborabat. Sed omissis istis differẽtijs, & explicata Phrenitidis causa coniuncta, quam supra diximus esse, vel sanguinem, vel bilem variam, de cæteris causis pauca subnectemus. Antecedens causa Phrenitidis est quicquid humores dictos generat, vt temperatura calida sicca, ætas adolescentiæ, capitis calefactio ex vsu vini potentioris, vel æstu solis: ex qua calefactione ad venas succi attrahuntur, inde per membranas transeunt, & phlegmonem committunt. Causę verò externæ sunt regio calida sicca, victus ratio eadem, vigiliæ, ira, mœstitia, aliáq; quæ sanguinem adurunt. *Signa.* Sed de causis plus æquo. Tempestiue autem ad signa iam veniendum. Eorum cùm sint diuersa genera, exordiemur à pathognomonicis vocatis & inseparabilibus, quæ eius essentiam constituunt, quæque abesse non possunt. Cuiusmodi est febris acuta: quæ propter partis affectæ præ-

ctæ præstantiam, eximium sensum & coniunctionẽ, quæ illi cum corde maxima est, accidit. Seu (vt alij explicant) necessariò febris sequitur cerebri & membranarum inflammationem: propterea quòd promptè cor trahitur in consensum. Est autem febris symptoma Phrenitidis, vt delirium symptoma est febris. Perpetua quoque accedunt deliria: quia cerebri in quo est sedes mẽtis, vitiata est temperatura, & continuus est mentis error, modò his, modò alijs vitiatis animæ actionibus. Assidentia verò sunt perpetua vigilia, aut somnus turbulentus, ex quo surgunt, exiliunt, & huiusmodi alia. Rursum signa phrenitica bipartita sunt. Quædam enim portendunt Phrenitidem exordientem seu incipientem: quædam iam factam, vel completam. Quæ affectionẽ exordientẽ ostendunt, iure eius, quæ iam completa est, prognostica sunt, quanuis ea quoque phrenitica vocentur. Incipientis igitur Phrenitidis signa enumerantur, calor capitis maior quàm antea fuerit, vigiliæ multæ præcedentes, somni imaginibus turbati, rubedo faciei & oculorum, (ob raptum sanguinis in locum inflammatum) alui suppressio, vrinæ tenuitas. Interdum agrestis accedit obliuio (ob mentis alienationem) vt laborantes aliqui cùm matulam petierint, meiere neglexerint: aut cùm lotium emitterẽt, matellam ipsam prodere haud meminerint, neque cætera quæ dicunt, quæue faciunt, recordantur; verba nullo ordine, nullo sensu loquuntur; interdum cum maiore tumultu, aut temeritate respondent, præsertim cùm antea fuerint mansueti. Exiguo vtuntur potu, licet valde febrient, propter mentis læsionem, aut (vt volunt alij) quia appetitrix oris ventriculi læsa est. De qua re sic alij: fiunt Phrenitici, quod cerebro æstuante & exiccato in symphatiã ventriculus trahitur, vel cõmunicata intemperie vel bile. bibunt tamen parum, quia obliuiscuntur læsa memoria: vnde βραχυπότας dicti. Eorũ quoq; respiratio magna existit, & ex longis intertuallis. Quæ nota tamen nõ est phreniticorũ propria, sed delirantium. Non enim omnes talem respirationẽ habentes phrenitici sunt, sed delirãt tantùm. Pulsus parui sunt & neruosiores ac duri, nonnunquã occiput dolor infestat. Febris interim semper est continua. Cùm verò affectus increuerit, & facta est

Phrenitis, oculi eorum sunt vehementer squalidi, rubentes, acribus lachrymis & semis perfusi, horrent lucem ob spirituum agitationem in luce; venæ ipsorũ sanguine plenę videntur. Sanguis ex naribus stillat, aridioríq; febre torquentur, quæ nullam effatu dignam mutationem recipit. Lingua aspera & salebrosa est à vaporibus sublatis, & his alba deijciuntur bile sursum conuersa, vel propter obliuionem excremẽta reddenda retinentur. Adest & varius manuum tremor, seu crocidissmus, & carphologia. Nonnulli interdum audiendo falli videntur, ac interim mœsti iacẽt, vix quidquam respondentes: atq; dolorifica dispositione affecti, vel acrius premente aliquo haudquaquam sentiũt. Tremunt autem ob neruorum imbecillitatẽ: quanquam phrenitici robusti sunt, quia neruorum genera quò siccio-ra, eo robustiora: & validi motus sunt ob siccitatem. Notæ verò quib. causæ distinguuntur, hæ sunt: si erit à sanguine Phrenitis, grauitas aliqua capitis aderit, rubedo maior faciei, atque isti sunt magis somnolenti, febris synochos est. Si fuerit dominium bilis, rubedo ad citrinum tendet, non aderit grauitas capitis; sed maior dolor, & præcesserũt quę generant bilem. Maius quoq; delirium erit, quàm ex sanguine: à quo desipientiæ cum risu. Pro varietate etiam bilis, delirium magis vel minus vehemens, ac febris. Quemadmodum si pituita bili aut sanguini permixta fuerit, mixta erunt symptomata, & cum vigilijs somnus immiscebitur, fiétq; ἄγρυπνον κῶμα. Signa verò distinguentia Phrenitidem per essentiam ab ea, quæ fit per consensum diaphragmatis, diligentiùs exquirenda sunt. Nam in his quæ commemorata sunt, conuenit Phrenitidi cum delirio vehementi & perpetuo, quod septo transuerso inflammato excitatur. Distinguitur tamen vera Phrenitis ex oculorũ accidentibus, & sanguinis è naribus stillis, ex spirationis specie, quæ in phreniticis magna & rara est, vt suprà dictũ est. In septo trãsuerso inflammato, inæqualis, vt modò exigua sit & frequens, modò magna & angustiosa, vel suspiriosa. Incipiente enim septi transuersi inflammatione, priusquam delirent laborantes, paruum ac frequentem reddunt spiritum. Contrà, his qui ob affectum cerebrũ deliranr, magna raráq; prodit respiratio. Rursum hypochon-

Signa Phrenitidis per consensum diaphragmatis.

dria

dria intendi proprium est indicium affecti septi, idque vel statim ab initio: quod affecto cerebro posteriùs accidit. Calor quoque vehementior est circa caput & faciem, ijs qui vitio cerebri delirant. Et in summa signorũ quæ Phrenitidem antecedunt, aut nullum apparet, aut exiguum est in ijs quibus septum transuersum laborare incipit. In septi transuersi inflammatione hypochondria calent magis, dolent, & conuelluntur. Iam vt prognostica subiungamus: Acutissimus ac periculosissimus affectus est Phrenitis. Nã Phrenitici ferè quatriduo, & pleriq; infra septimum diem moriuntur: perpauci ratò hunc superarunt. Vniuersum genus Phrenitidis Hippocrati & Galeno exitiale est. Quæ enim desipientiæ cum risu fiunt, dicuntur securiores, & pro minùs periculosis existimandæ sunt, cùm nulla desipientia secura sit. Imò ne leue quidem est in accessione febris ægros desipere, & nisi in vehementi febre contingit, non tamen æquè pestiferum, vt in Phrenitide, eoque delirio suppresso somnus obrepit grauis & profundus. Somnus vbi desipientiam sedat, bonum. Si non, malum. In Phreniticis principio simpliciter & clementer habere: Sed crebrò permutari malum. mala quoque & frequens sputatio. (Quanquam ex magnitudine inflammationis cerebri in os ichor exit, haud absimilis tenui lachrymæ, quæ ex oculorum inflammatione manat.) Et si absque causa quis frequenter & indecore conspuat, id læsam mentem denunciat. Phrenitis si in lethargum commutetur, pernicioſa est. Supervenit nonnunquam peripneumoniæ à calido succo ortæ, quæ vaporibus replet cerebrum. Itemque Pleuritidi ad cerebrum propter vicinitatem ascendente fuligine & halitu acri per arterias, & partibus neruosis acrimonia vellicatis. Phrenitici non omnes tremunt, sed qui deterrimè habent tantùm. In summa mortiferum id genus delirij, in quo continua dementia ac vigilia, aluus & vrina pertinaciter compressa, aut vrina in primis abundè colorata, pòst alba tenuisque reddita: itemque distensio neruorum, difficilis crurum extensio atque contractio, syncope. Citò etiam moriuntur, quibus perseuerante capitis & cerebri dolore, grauitateq; æruginosæ vomitiones

Prognostica.

superueniunt. Si quidem ex morbi vehementem tum caliditatem, tum siccitatem denunciant. Salutaris autē Phrenitis indicatur frequenter vel sudore, vel hæmorhagia ē naribus. Porrò statim in principio inunda est ipsa curatio: quia medicari oportet vel eadem die in valde acutis, remedijs etiam extremis iuxta Hipp. Cauendum enim ne affectus augeatur, & robur corporis dissoluatur. Quare statim legitima ac bona rerum non naturalium administratio instituatur. Aër alteretur hyeme ad tepidum, æstate ad frigidū & humidū, aqua rosārum, aceto, & similibus per aream sparsis. Non sit tamē aër impensè frigidus, quoniā inflammationi nocua sunt impensè frigida; vt nec calidus, quia phlegmonē irritare posset, fouere, & eius causam adaugere. Aër quoq; sit lucidus ijs, qui tenebras horrent: qui verò oderunt lucē, in tenebris cōtineantur. Qui vtroq; pariter offenduntur, in mediocri luce habeātur: & si vires valent, lucido magis: si infirmæ, tenebroso iuuantur. Adhæc si in luce efferuntur, & quæ non sunt cogitant, ac cernunt, & nouas imagines accipiunt, in obscuro locandi sunt: si verò non, in lucido. Solent enim in luce resipere, & insaniam placare. Parietes loci læues sint, neq; supereminentes, neq; festucas aut aliquid exertum habentes: neq; picturis exornentur. Pictura enim parietum mentem cōturbat. Et præ oculis falsa quædam obuersantur, ac quædam non eminentia tanquā eminentia manib. contrectant, omnisq; occasio citra causam, manuū agitationem prouocat. Stragulæ, vestes glabræ sint, vt ne floccos colligere in mentē veniat. Placet & multis, vt coma Phreniticis abscindatur initiò, vt remedia commodiùs adhibeantur: tum vel maximè, vt caput onere leuetur, & fumi in halitum digerantur. Et quoniam Phreniticis officiūt valde animi perturbationes, ad eos ingrediantur amici gratissimi, qui nō importunè interpellent, sed nonnunquam breuiter ac blandè alloquantur, nonnunquam acerbiùs increpent. Neq; domestici aut cognati, quorum causa aliquando tristentur, aut quibus irascantur, ingredi debent, ne hoc illos perturbet, aut commoueat. Atq; aduersus omniū insanientiū animos ita se gerendum pro cuiusque natura, vt eorum varij motus leuentur: sicut in homine prædiuite famē timente accidit,

Curatio.

Victus ratio.

cui

cui subinde falsæ hæreditates annuntiabantur. Quorundam verò audacia cohibēda, sicut in his quibus continendis plagæ quoque adhibentur. Quorundam etiam risus intempestiuus obiurgandus est, & nimius prohibendus. Quorundam tristes cogitationes discutiendæ sunt, ad idq; symphoniæ strepitusque proficiunt. Sæpius tamen illis assentiendum, quam repugnandum: paulatimque & non euidenter ab ijs quæ stultè dicentur, ad meliora mens traducenda est. Interdum & elicienda est eorum intentio, vt fit in studiosis literarum, quibus liber rectè legitur, si delectantur: aut perperam, si id ipsum eos offendit: emendando enim conuertere animum incipiunt. Quinetiam recitare si quæ meminerunt, cogendi sunt. Ad cibum quoque quosdam non desiderantes reduxerunt ij, qui inter epulantes eos collocauerunt. Quod ad motum facit, in quiete contineantur, quoad eius fieri potest: si diuites fuerint, famulorum adminiculo: sin pauperes, vinculis. Inordinata enim motio vires conuellit, ægrosque macilentos efficit, potissimùm delirātes. Pedes etiam deligatutis constringi debent, quò humores deorsum reuellantur. Præterea nō modo in ipsis ægrotis inhibendus est motus quilibet, quia morbum excitat, somnum impedit, sed & quiescere iubendum est domesticos. Acutè namque audiunt phrenetici, & strepitibus irritantur, necnon ab his in furorem aguntur. Balneum quoq; confert phreneticis, dulcis aquæ nimirum, idque si tepidum fuerit: sed eo nonnisi purgato corpore vtendum. Somnus omnibus sic affectis est necessarius: hoc enim solo plerique sanitatem recuperant. Propterea quę somnum moliuntur, intus & extra adhibeantur, ac omni ratione vigiliæ excindendæ sunt. Quiescant in lecto molli, metu conuulsionis. Ventris astrictio penitus vitanda est. quare aluus leuibus clysteribus eluatur. In cibo moderatio adhibenda est. neque implendus æger ne insaniat, neque ieiunio diu vexandus, ne bilis excandescat: (Biliosis enim naturis aduersatur inedia) néue præimbecillitate incidat æger in cardiacum affectum, & ne fame enecuisse illum Medicus insimuletur. Cibus igitur tenuis sit, refrigerans & astringens ad densandam bilem, ne furiosius in cerebrū irruat: vt aqua hordei seu pti-

sanæ potio, ptisana colata, & non colata seu tota, vel paulo largior, præsertim in hac regione largiori cibo assueta. Detur & cremor alicæ, vel hordei farina cum aqua cocta addito granatorum, limonum, aranciorum, citrorum, cydoniorum succo, aut omphacio, aut aceto. Si prædicta auersetur æger, aut quia pleniori cibo assuetus est, panis in aqua calida intinctus iuuat, vel iusculum carnium euchymiarum alteratarum cum lactuca, acetosa, intybo, & huiusmodi frigidis oletibus. Ex fructibus vti possunt malis acidis, & eiusdem qualitatis cerasijs. Potus sit aqua hordei, decoctum radicum acetosæ, aqua saccharata, decoctum seminum coriandrorum præparatorum, vel aqua hordei dicta cum pauco succo citri, aut aranciorum, aut malorum punicorum. Viribus autem infirmis, ac ventriculo imbecillo & frigido, febri verò nō vehementissima, & vigilijs maximis vrgentibus, vinum oligophoron, tenue, album, aquosum, modicè astringens, aqua dilutum cōcedendum est, præsertim, si sani bibere consueuerint. Tale enim ventriculum roborat, nec caput tentat. Datur etiam vinum in declinatione, vbi natura commota est ad criticas vacuationes. Nam per id tempus vires roborat, somnum conciliat, mitigat furorem, ac proinde lætitiā adfert. Frigidam aquam vitare oportet. tutius enim erit omnino tepida vti. Inter pastus sitis gratia (quamuis rarò Phrenitici bibant ob mentis læsionem) propinabitur oxysacchara simplex, syrupus acetosus, de limonibus, de granatis: cū duplo, triplo, quadruplo, quintuplo aquę coctæ. Curationis verò reliquum spectat medicamenta, quæ frustra expectantur, si affectus prorsus iam genitus est. Sin eius pars sit gignenda, prohibeatur. Medicamenta sunt vacuantia, materiā auertentia, repellētia, digerētia. Quare statim à principio, alijs cōsentientibus, venā incides, nulla habita ratione vel rēporis vel horarū diei, etiā vētriculo pleno. Venā dico cephalicā: & si ea nō appareat, mediam. Si magna plenitudo adsit, si ætas vigens, bonus corporis habitus: debetq; fieri modica venæ sectio, ne bilis furat, cuius frenū sanguis esse dicitur. Quare quāto affectus bilioſior fuerit, eo parciùs detrahatur. Quanquā in affectibus purè bilioſis conuenit etiam venæ sectio, si non vacuandi, saltem reuellendi gratia.

Medicamētorū ratio.

Alijs

Alijs placet sanguinis satis magna eductio, vel per initia morbi, quia pro calore refrigeriū, pro inquietudine quietem, pro vigilijs somnum hæc adferre solet: præterquam quòd maius inde speratur commodum à prohibita erytipelatis vel abscessus generatione, quàm ex bilis excandescentia incommodum. Foramen esto mediocre, ne maius vulnus tardiùs coalescat, minus verò fumos & crassiorem sanguinem retineat. Id quoq; fideliter ligetur, aut obducatur pice, seu linamento ex aloë, pilis leporis, & albumine oui cōfecto, ne temeritate Phrenitici dissoluatur: & ita prorumpat sanguis. Neq; expedit ad animi deliquium ægrum perducere, vt motus deinde & agitationes ferre possit. Obseruādum quoq; tempus sectioni venæ opportunius, quo scilicet æger minùs furere videatur. Adsint ministri qui Phrenitici cū contineant, ne agitatione corporis vena phlebotomum eludat: vnde neruus aut arteria vulneretur, aut sine vtilitate ægri brachium lædatur. Detrahatur semper sanguis pro viribus, & si opus erit, partiatur. Deinde si res postulabit etiā ob mali vehementiā, & causæ facientis redundantiā, aut quòniā manū ab initio præbere detrectauit æger, aut timet medicus, ne postea delirās & validè mouēs brachia, ligaturā soluat, & sanguis profluat, vena frōtis secāda erit, collo fascia leuiter cōpresso. Expedit & nonnunquā nares internas secare, & sanguinē ducere, ac solet natura ea via sæpe in Phrenitidibus salubribus efficere iudicationes: quemadmodū etiam hęmorrhoidū vacuatio natura aut arte facta prodest. Sed vena frontis circa tatū, & materia iam fluxa magis aperitur. Alij venas sub lingua secant. Verendū tamē, ne huiusmodi particulares vacuationes plus ad effectā partem trahant, quàm ab ea vacuent. Quare nonnisi præcedente è cubito venæ sectione celebrandæ sunt: Nonnulli sanguisugas fronti, tēporibus, naso, caluariæ infigunt. Sunt qui auriculas scarificent: quæ nonnisi progresso morbo, & vacuato corpore, tēpestiua sunt. Si quid aūt venę sectionē prohibeat, eius loco cucurbitulę, cerui cibus, omoplatis, tibijs sub genu, coxis & natib. affigātur cū scarificatur, vel etiā sine eodē, in quib. scilicet vena iam secta fuit. Auertūt enim illę, vt etiam frictiones, & artuū ligaturæ ad articulos dolorificæ. Lotiones quoq; bra-

chiorum & crurum cum decocto foliorum salicis, foliorum arundinum, foliorum vitis albæ, rosarum rubrarũ, vel cum aqua decoctionis papaueris, lactucarum, seminis hyosciyami, florum violarum, rosarum, nenupharis, plurimum conferunt & reuellendo, & somnum conciliando. Præterea medicamenta purgantia leuia, quæ cum hoc quòd feliciter vacuant, fluentesque succos ad infernas partes reuellunt, nec inflammationem, nec febrem augent, imò vtrasque mitigant & curant. Talia sunt mana, saccharum violaceum, cassia, syrupus ex pluribus infusionibus violarum, aut rosarum, tamarindi, catholicon, rhabarbarum, & in robustis vel pauperibus valentiora, sed minore dosi, vt electarium de succo rosarum, diaprunum solutiuum, pilulæ aureæ, sine quibus, aggregatiuæ: etiam non apparata materia, quia turget bilis, & per venas tendit cum sanguine ad generationem inflammationis. Tamen vbi morbus dat inducias, apparari potest materia syrupo de cichorio, de nenuphare, de acetositate citri, de papauere, de agresta, violaceo, de limonibus. Clystere etiam forti quidam reuellunt, quia vi materię motũ à remotiore loco retrahũt. Itaq; fortia cathartica dissoluunt, vt diaprunum solutiuum, & alia. Sed enemata clementiora magis ad rem apposita fortasse videntur, quæ etiam reuellunt. Eaq; statim à missione sanguinis indantur, cùm citiùs non liceat per morbi celeritatem ac sæuitiam, quæ à sanguinis detractione sine mora inchoandum iubet. Imò hac celebrata mox caput & sinciput potissimum deronso capillitio, madefaciendum est oxyrhodino, vt materia ad caput fluens arceatur. Id fit ex aceti parte vna, olei rosati duabus, aquæ rosatæ quatuor. Alia infinita repellentia parari possunt ex succis vel aquis, destillatis plantaginis, solani, semperuiui, cucurbitæ, cum oleo rosato, nenupharino, & vbi somnum conciliare volumus, papauerino. Laudatur & vnctio ex vnguento populeo, maximè verò somni gratia. Talia (inquam) ab initio conueniunt, quia primo suo occursu humorem propulsant & eius feruorem contemperant. Et quamuis Aëtius actu frigida imponi nõ vult, quia meatus occludunt, & membranæ cerebri quæ frigida sunt non ferunt: per initia tamen meatuum reseratione & humoris

Topica.

discussione

discussione magnopere non est opus, & membranarum cerebri altior est situs. Imò ijs repellentibus maior sæpe refrigerandi vis aliunde acquiritur, in niuē aut puteum conjectis. Dicta verò astringentia vel sincipiti infliguntur, vel fronti, temporibus, suturæ coronali adhibentur, totique collo ex panno aliquo circumponuntur, ea parte qua feruntur venæ iugulares, vt materiam incrassent, & vias per quas materiæ ascendunt, contrahant. Ea autem mutanda sunt priusquam incaluerint: quæ tamen suspecta sunt, si rheuma sit, aut multitudo humorum deorsum decumbentium, vt capite de Cephalalgia dictum est. Eodem pertinent quæ & naribus admouentur, vt rosæ, acetum, cæphura, aqua rosata, oleum violatum, rosatum, quibus internæ nares illinuntur, vel etiam aures. Interim nonnulli syrupi alterantes & astringentes vias per quas humor ascendit, offerātur, vt rosaceus, violaceus, granatorum, ex cichorio, de endiuia, de papauere, nymphæa, & similes cum duplo aquæ rosarum, plantaginis, bugloſſi, sumanturque manè quidem & post cœnam, vt cum vaporibus à cibo elatis cerebrum petant. Dantur etiam electaria ad partium internarum calorem mitigandum, quale est quod recipit conserue rosarum, conserue nymphææ, bugloſſi ana ʒ vj. diamargariton frigidi ʒ ß. coralli rubri ʒ j. fragmentorum communium, preciosorum ana ℈ ij. seminis portulacæ, seminis oxalidis, seminis intybi lactoris ana ʒ ß. bracteas auri numero tex, sacchari quantum sufficit. fiat electarium auro coopertum, quo vtatur sæpe cum aqua cocta vel hordei, vel sine aqua, si volet. Conueniunt & epithemata circa cor, vt ab eo calor arceatur. ℞. aquæ stillatitiæ rosarum ℔ ß. aquarum nymphææ, bugloſſi ana ʒ iij. omnium santalorum, coralli rubri ana ʒ j. caphuræ gr. ij. aceti ʒ ij. croci ℈ ß. misceantur: fiat epithema, quo tepido regio cordis liniatur ante pastum. Si esticuli quoque alio epithemate refrigerentur. ℞. aquæ rosarum ʒ viij. vini albi ʒ ij. omnium santalorum ana ʒ j. fiat epithema. Subinde redeundum ad irrigationem capitis ex rosaceo cum pauco aceto: æstate quidem tepido, hyeme verò calido. Potest & irrigari caput decocto ex rosis, violis, hyoscyamo, corticibus papauetis, cui admisceatur rosacei quantitas, & chamæmelini, aut

Constitum.

rosacei tantùm, in aëris constitutione calida. Et aceti alibi nonnihil addatur. Odor quoque eiusdem decocti naribus obijciatur, ac nares & frons similibus illinantur, vt dictum est. Etiam cum in summo incremẽto fuerint, sopire ac stupefacere principem facultatem oportet, cerebrum quod maximè incaluit refrigerando, ex quibus etiam facies assiduè proluatur. Ideoque in malo extremo repellentibus opij gr. ij. vel iij. admiceri possunt, & locâ quæ pulsare videntur magis, inungi. Cauendus tamen est narcoticorum vsus, ne pro Phrenitide lethargus periculosior inducatur. In statu autem obseruandum est, an crisis aliqua sit secutura cum hæmorrhagia, aut sudore, aut vrinarũ multa profusione, aut hæmorrhoidum vacuatione. Interturbari motum aliquẽ huiusmodi naturæ non oportet. Quæ si nil molietur, tũ ad discutientia fomẽta, & linimenta venire oportet. Dictis igitur, vbi vitium moram traxerit, adiungantur sampsuchus, betonica, melissa, serpillum, thymum, melilotus, & althæa, quæ rosaceo & chamæmelino incoquãtur, eoq; decocto caput madefiat, eiusq; vapor per nares suscipiatur. Hæc enim crassos vapores transpirare faciunt. Admouentur & capiti ad digerendũ tẽperatè calidi columbi, capi, catuli, galli viui per spinã secti, & exenterati, siue pulmones arietis similiter ab animali calẽte extracti. Hæc etsi mulierculis & vulgo vsitata sint remedia, vtilia sunt suo tẽpore adhita, hoc est, in fine summi vigoris ac declinatione. Habent. n. calorẽ temperatũ, & nostro familiarẽ. Citiusq; admota fortasse inflammationẽ irritarẽt, ac febrẽ. Horis verò duab. trãsactis remouẽda sunt eadẽ, quoniã fœtẽt, ac putrẽt bri eui, præsertim æstate. Ac perpetuò medicamẽta illa iuxta capitis futurã coronalem adhibenda sunt, quaũs principe functione affecta: quòd per eam cõmissurã non modò facultas medicamentorũ, verùm etiã ipsa substantia penetrare valeat. Galenus in declinatione Phrenitidis vsus est castoreo, quo nõ vtimur nisi Phrenitis nota sit, & declinante morbo nonnihil pituitæ remaneat. Nos vtimur magis decocto maluæ, bismaluæ, chamæmeli, meliloti, seminis fœnugræci, oleo chamæmelino. Et vitanda sunt quæ potentius digerunt, propter nimiũ eorum calorẽ. Phrenitidis autẽ symptomata tria sunt sic satis frequẽtia: sitis, in-

Narcotica.

somnia,

somnia, & ischuria: quib. alij annumerant delirium. Contra *Sitis.*
uirim faciũt syrupus de granatis, oxysacchara, syrupus aceosus, simplex, violaceus. Et si æger est imbecillus, detur cõditum ex cõseruis violarũ, bugloſſæ, nymphææ ac similiũ. *Insomnia.*
Somnus verò modis omnib. cõciliandus est. In quam rem multa faciũt ex suprà dictis. Quib. adde decoctũ ex lactucę folijs, hyoscyamo, rosis, solano, capitibus papaueris albi & nigri, aut mãdragoræ pomis ac radicibus: quo decocto caput irrigetur, vel ipsum olfaciat æger. Populei si vsus erit, recens esse debet. Nã antiquũ hoc vnguentũ calefacit, tantum abest, vt refrigeret. Medemur & vigilijs blanda cruũ frictione manibus oleo inunctis, quibus & totũ corpus inungatur, friceturq;. Prodest & pedũ lotio cum decocto rosarũ, capitũ papaueris, lactucæ, & seminũ eiusdẽ, & capreolorum vitis. Vtimur & puluiculo ex rosis siccis, & capitibus papaueris contusis, vnctione interiarũ nariũ, & aliquando aurium ex oleo rosato, papauerino, mixto, nonnunquã pauco opio. Cõfert & ad somnũ Silanus cadẽs, id est aquæ riuus, faciesq; semper proluatur aqua, in qua papaueris tũ albi, tum nigri capita cocta sint. Assumat & ʒ j. alicuius antidoti somniferi, vt Philonij Romani, aut Persici, vel Tripheræ magnæ, Requiei Nicolai, Theriacæ recentis, modò vires valeant, nec senex sit æger. Alioqui nõ vulgaris noxa, interdũ mors taliũ potionẽ comitatur, & assiduus stupefacientiũ pharmacorũ, potionũ, irrigationũ ac illitionũ vsus vitãdus est. quia frigida admota humorẽ & vaporẽ cõpingunt, & sæpe quẽ obdormire volumus, excitare postea nõ possumus. Satius igitur est potiones hypnoticas offerre: vt syrupi papaueris ʒ j. cũ ʒ iij. aquę lactucę, vel nymphææ, & puluueris diatragacãthi frig. ʒ j. vel ℔ lactucę & portulacæ ana m̃. j. caput j. papaueris albi, florũ violarũ & nymphææ añ. p. ſ. fiat decoctio in ʒ ij. colatur, dissolue syrupi rosarum siccarũ, syr. nenupharis, & de papauere añ. ʒ ß. detur potio hora somni, Amygdalato etiã vtendum in cœna: quãquam hordeatũ potiùs conferet, addito pauco semine trito papaueris albi, vel lactucæ, vel portulacæ. Aut hordeũ coquatur in decocto lactucę, seminis papaueris albi, florũ violarũ, & nenupharis: vel cũ hordeo coquãtur semina frigida maiora, non rancida. Quæ vigilias oppugnant remedia, eadem

Delirium. Ischuria.

etiam contra delirium faciunt. Vrina verò suppressa promouetur vreticis remedijs, vt oleo scorpionum pubi illito è regione vesicæ, summaque proprietate his affectibus idoneo: admota etiam ei parti & perinæo parietaria cum petroselino, apio, & fœniculo cocta, & fotu dictarum partium facto ex earum herbarum decocto. Fotus enim huiusmodi confert, etiamsi non magnoperè diureticis opus esse videatur, quia delirij vitio potius quã alicuius obstructionis, vrina cohibetur, dum scilicet mens aliò abducitur. A fotu vnguento vtendum est: ℔. pinguedinis cuniculi, olei scorpionum ana ʒ ij. seminum apij, petroselini asari, seselcos ana ʒ ß. cæræ parum. fiat vnguentum, quo illinatur regio vesicæ ac perinçi.

De Lethargo. CAP. XI.

Lethargus vnde dictus.

ΛΗΘΑΡΓΟΣ Græcis, quasi iners seu otiosa obliuio, Lethargus quoque Latinis, & quibusdam veternus dicitur. A symptomate nomen habet, quòd qui eo laborant, ijs marcor & inexpugnabilis dormiendi necessitas, tantaque rerum omnium accidit obliuio, vt verbis materia nulla suppeditetur. vel vt alij volunt, Lethargus dicitur, quòd morbus hic magnam obliuionem atque segnitiem corpori & animo inuehit. Interdum generatim ad soporosos affectus nomen traducitur. Est autem Lethargus, somnus seu sopor profundus cum febre lenta, ex frigida humida cerebri intemperie, à pituita frigidiore & humidiore cerebrum madefaciente. Si pro morbo accipitur, est ipsamet frigida & humida cerebri intemperies cum materia pituitosa, febrem lentam, obliuionem, marcorem & inexpugnabilem somnum inducens. Differt ab Apoplexia, quia liberam habet respirationem. A Caro, quia est cum febre lenta. fitque à pituita putrescente. Quomodo etiam à Catalepsi, Cataphora, & Comate distinguatur, ex proprijs capitibus intelliget. Vitium itaque est lethargus secundum speciem Phrenitidi contrarium, & vt in hac, sic in illo cerebrum offenditur, quoniam nequeunt taliter affecti eorum quæ dicuntur meminisse. Quin etiam animæ ratiocinatrici omnino noxam adferre cõsueuit. Imò, & Gale-

Lethargus quid.

In quibus dissidet ab alijs affectibus cerebri. Pars affecta.

& Galenus imaginationem in lethargo lædi scriptum reliquit. Alij sensum & motum hîc etiam lædi contendunt: sed præcipuè memoria læditur, ex quo fit vt cæteræ facultates minùs perfectè suas functiones obeant. Constat igitur ex principum functionum læsione cerebrum affici, non tamen secundum eius ventriculos, sed propriam substantiam magis. Porrò quisnam affectus sit præter naturam dubitari potest, num inter morbos videlicet, an potiùs inter symptomata sit numerandus. Sed cùm non modò ex cerebri inflammatione orta à pituitoso succo excitari possit iuxta Arabes, verum etiã a pituita citra inflammationẽ in cerebro putrefacta, iure propterea inter symptomata principis facultatis, memoriæ præsertim ac rationis abolitæ, imaginationisque infirmæ ac deficientis numerari debet. Vt enim Phrenitis, deliriũ, Melancholia, & Mania symptomata sunt principis facultatis deprauatæ: sic eiusdem abolitæ vel imminutæ symptomata sunt, Lethargus, amentia, stultitia, memoria extincta, vel diminuta, Carus, Catoche, & similia. Comitatur id symptoma interdum solam intemperiem, vt quam medicamenta refrigerantia attulerunt: interdum cum materia, quæ semper est pituita putris, diluens cerebrum. Vnde febris tepida cum somno profundo, oblitione, sensus & motus iactura, atq; indolentia. Putauit autem Auicenna pituitam putrescentem facere apostema: quod necesse non est. Satis enim est ad Lethargi procreationem, si locum eum in quo princeps facultas residet, hoc est, substantiam cerebri humectarit, diluerit́que pituita. Aliquando succedit Phrenitidi, febri continenti, & similibus ob cerebrum impensiùs refrigeratum, vel immodicam vacuationem, & natiui caloris imbecillitatem: familiaris est senibus multum salmantibus autumno, & ijs qui intemperatam vitam agunt, vario genere alimentorũ nullo discrimine vescuntur, multæ veneri incumbunt, meracioribus vinis vtuntur, pomeridianum somnum dormiunt, & in omni vitæ incõtinentis genere valetudinem exercent. Vt autem Lethargus verus est à pituita, sic nothus à bile & pituita permixta ac putrescente oritur, vnde & symptomata permixta habet. Æger enim modò sopore premitur, modò vigilat, inquit, de

Quis affectus.

Causa.

quoalij sic: Quoties vterque humor cerebro molestus fuerit, prehendunt contraria hominē symptomata, ita vt tum vigilet, tum leuiter in somnum feratur. Cùm verò & in somnum fertur & desipit, mistam ipsi permanere affectionem putandū est, quam Typhomaniam vocant. Alexander. Ac cum similitudinem habeat cum deperdita memoria seu obliuione, ab hac tamen differepat, quod obliuio nō tantùm à pituita redundante, sed & à melancholico succo nasci potest: & quòd in hac eadem pituita non putrescat, velut in Lethargo, nec quòd febris eā vt Lethargū comitetur: præterquā quòd in obliuione sola memoria, in Lethargo vnà quoq; ratio ipsa aboletur. Iā vt signa recensēamus, omnes lethargici lentā ac tepidā febrē patiūtur (& in qua calor minimè acris est) sed tamē continuā, perpetua obliuione laborant, mente capti sunt, crebrò oscitant & hiant, ac hiante ore persistunt, velut os claudere obliti, aut cùm meiendi causa petunt matulam, manibusque tenent, mictionis tandem amittūt memoriam. Quidam vnam perpetuamq; habent lethargi accessionem: alij per circuitus. Adhæc claudunt oculos, ijdemq;, vbi voce compellantur, palpebris ægrè diductis vix adaperiuntur, tursumq; protinus coëunt, ac pristino sopori sese dedunt. Is sopor adeò pertinaciter immoratur, vt ægri vulsis capillis etiam non doleant, sed toti sopore oppressi cubent: vniuersum corpus ijs segne graueq; est, sed ante omnia caput. nonnunquam etiam singultus accidit. Pulsus magni, molles, languidi, tardi ac rari, intermittentes potiùs quàm intercidentes, vndosi, spiratio rara, & imbecillis. Deijciūt per aluum magna ex parte liquidiora, & in ijs parua spes est vitæ. Nonnullis contrà venter inaresćit, vrinam reddunt iumentorum lotio similem, ac turbidam. Quidam ex eis tremiscūt, & vndique sudant: quibusdam malè coloratum est corpus ac turgidum, præsertim facies. Oculorum etiam inferiora tument, potum non petunt, nec aliud quidquā. Leuiter excitati etiam resipiscentes ceruicem dolere aiunt, & per aures sonitum tinnitumq; cursitare. Alij addunt hæc symptomata, quòd Lethargici, quia occupata mens est, compūcti, excitati, interrogati ægrè tardéq; respondeant, ac verbo vno edito loqui desinant, quæ cōtineant manu, nullo sensu dimit-

In quibus differat Lethargus ab obliuione.

Signa.

dimittant, iaceant supini, inertes, expansis crurib. & manibus, saliua multa, qua perpetuo madescit os, mentũ, vicina, lintea, & stragulas contaminẽt. Siquidẽ expuere contendũt. Iidẽ gemũt, suspirãt, stertũt, guttur ijs extat atq; prominet. Cæterùm hic affectus cùm ex genere acutorũ sit, celeriter iugulat. Itaque illi protinus occurendũ est propter partis laborãtis præstantiã magis, quàm ob necessitatẽ & difficultatẽ. Et lethargicus in septẽ diebus moritur. Si verò hos effugerit, sanus euadit. Lethargus peripneumonia periculosior est, tũ ratione causæ tũ partis affectæ. Sũmi periculi nuntius tremor est in lethargo: Itemq; vigẽte morbo circũ caput sudor frigidus. Sæpius fit lethargus nullo præcedẽte morbo, quandoq; post phrenitidẽ non ita diu lento tenui humore, aut cerebro inter curandũ immodicè refrigerato, aut trãslato aliunde humore à pulmone, aut septo transuerso inflãmatis, aut ex toto corpore post febres, præcedẽte Caro, ac tandẽ humore in capite firmato. Sequitur & nonnunquã comitialẽ morbũ. Sæpe etiã lethargus absceſſu pone aures exorto soluitur: quod & alijs capitis affectib. accidit. In curatione aër in primis sit calidus, lignis accensis odoratis & thymo ac pulegio sparsis in cubiculo, quod quidem lucidum esse oportet ac splendidum: imò in luce & ad radios solis ægri collocãdi sunt, ex Aretæo. Stragulæ, vestes, parietum picturæ, omnia sint varia, quæq; visum proritent. A somno excitandi sunt, quantum fieri potest: imò & exhortandi quo aliquid assumant. nunc per acclamationes & Stentoream vocem, nũc per strepitus, fragores, clangores tubarũ, aut serra de limæ morsu stridenti, aut tristi nefrendium grunnitu, nunc trahendo nasum, & seris nares fodiendo. Excitentur & odoramentis ac suffitibus ex castoreo funiculo lucernario extincto, galbano, sagapeno, sulphure, pice liquida, aut bitumine: vel fiant suffitus humidi ex thymo, pulegio, hyssopo in aceto decoctis, addito castoreo. Vapor enim ad cerebrum delatus humorum crassitiem dissecabit. Excitat quoque eos ruta trita ex aceto infusa, & fronti admota, ex Apuleio. Artus fricentur cum panno asperiore, vel calentibus oleis, itino & rutaceo. Iidem tractentur & premantur, pungantúrque: nec non pili euellantur, membra scalpantur. Gestatio

Prognostica.

Curatio.

quoque prodest, & quælibet leuis corporis agitatio. Cibi sint attenuantes, incidentes, exiccantes, vt cremor ptisanæ, ptisana cum oxymelite decocta, in qua hyssopi coma percocta fuerit, vel pulegij, seu thymi, præsertim febre valida non existente. Inclinante morbo, ac si vires postulant, vescantur pullis gallinaceis, perdicibus, phasianis, turdis, merulis, ac montanis auiculis, & condiantur anisio, apio, cymino, pipere cinnamomo, caryophyllis, alijsq; id genus aromatis. Oleribus vtantur fœniculo, oreoselino, asparagis, vel in iure harum carnium bulliat parum sampsuchi, thymi, betonicæ, serpilli. Capparis cum aceto, aut asparagi extenuandæ pituitæ proficiunt. Potus sit hydromel, vel vinum album, aquosum, tenue, & subastringens, quod refert Celsus cum tempestiuo cibo datum, non mediocriter iuuare. A cibo non abs re extremæ partes vinciuntur per aliquod spatium, ne vapor ad caput ascendat. Pulueres etiam à pastu vtendi ad idem conferunt. His quæ timere consueuerunt ægri, deterreantur: quæcunque priùs optabant expectabantq;, nutrientur. Quod supererit in curando, si nihil obstet, & vires constent, secabitur initio vena cephalica vel media, sed sanguis parciori manu mittatur, quàm in Phrenitide. Phlebotomia enim videtur conuenire, quoties sanguis peccat, & vbi reliquos humores sanguini mixtos, proindeque facilè cum eo educi posse videmus. Si verò sanguis peccet quidē, sed reliqui humores cum eo mixti non fuerint, phlebotomia purgationem sequi debet. Sin autem sanguis vitium non fecerit, omittenda est sanguinis detractio: nisi fortè etiam tum reuulsionis gratia sanguinem detrahere lubeat. Postea aperiri quoque poterit vena frontis. Si tamen alteri morbo succedat, venamne soluito, ac potius ventrem subluito: vt si quid sanguinē mitti prohibebit, acribus clysteribus, & glandibus aluū eluet. Iis enim potius quàm soluentibus medicamentis vtendum est. Clysteres autem recipiant, hieram Ruffi, vel diacolocynthidos, benedictam, aliaq; valentiora id genus: & duo singulis diebus injiciantur, vbi eadem via non fit alia vacuatio. Irritatur & quandoque vomitus. Ægro excitato, ac vbi diuturna est passio, & vires ferunt, de purgatione tum vniuersali, tum particulari cogitandū est, cui in paroxysmo

Vena sectio.

locus

locus non est. Itaque materia paretur ex syrupis incidentibus & attenuantibus, vt syrupo stœchados, & aceto mulso, cum aquis betonicæ, hyssopi, sampsuchi, vel decocto hyssopi, pulegij, thymi in hydromelite vel oxymelite. Hieris autem picra, & diacolocynthidos purgetur, & agarico, vel pilulis coccijs, & aureis. Siue autem potiones sint, siue catapotia, ijs portiuncula castorei nempe à granis tribus ad quatuor admisceatur. Id enim in frigidis capitis doloribus, affectibusq; cerebri & neruorum, conferre dicitur plurimùm. Sed quia statim ab initio à capite repellendum est, idcirco et admouendum oxyrhodinon, quòd minus aceti recipiat, quàm in Phrenitide. Communis enim est per initia, lethargi & Phrenitidis curatio: sed propria contraria est. In Phrenitide siquidem tutiùs repellitur, neque in lethargo perinde est refrigerandum. Ideoque procedente tempore miscentur & incoquuntur oxyrhodino quæ simul attenuant, vt castoreum, pulegium, calamintha, thymum, ac similia. Frons illinitur castoreo, aut pilis humanis crematis, læuigatisque ex aceto. Incoquuntur etiam in aceto thymum, pulegium, origanum, ac naribus admouentur, misceturq; illis rursus castoreum quod marcescentem ac maximè molestantem in corpore pituitam arefaciendi vim habet: præterquam quòd ea omnia calfaciunt, attenuant, & desiccant. Dum hæc fiunt, persistendum interim in vinculis injciendis, in frictionibus occipitio & colli, inferna versus. Et cucurbitulæ primùm ceruicis initio affigantur, ac inde scapulis, metaphreno, lumbis, & cruribus. Si solemnis aliqua vacuatio, vt mensium, vel hæmorrhoidum, suppressa sit, excitentur. Interdum quoque vtendum sternutamentis ex puluere ellebori albi aut zingiberis, vel piperis: eaque sunt non modò loco purgationis particularis, sed & initio valent ad excitandum ægrum. Quia verò gargarismata, vel apophlegmatismata non admittunt, vngatur palatum hiera vel benedicta. Illinatur idem mithridatio, theriaca, diamoscho, diambra, sinapi trito ex aceto & melle commixto. Reliqua in cerebro materia, si qua supereſt adhuc, est digerenda, & intemperies cerebri corrigenda: vt robur illi concilietur. Quæ id præstant, sunt vel sumta, vel admota. Sumta quidem, vt con-

Castoreum.

Topica.

seruæ cephalicæ, theriaca, mithridatium, dissoluenda in aquis betonicæ, saluiæ, calendulæ, cum tantillo aquæ vitæ. Admota autem varia sunt, vt fotus, facculi, cucurbitulæ, & olea vim digerendi habentia. Quare ætate quidem capite raso, hyeme verò detonso, fotus fiat capitis ex lixiuio sarmentorum, in quo herbæ cephalicæ incoctæ sint, vel ex decocto serpilli, satureiæ, origani, pulegij coctorum in oleo & aceto. Deinde inungatur oleo de scilla, de gagate, de piperibus, rutaceo, irino, laurino, de castoreo: vel simili vnguento compositio: ℔. olei chamæmel. ni ℥ vj. nitri & pyrethri ana ʒj. castorei ℈ ij Ad dropacem postea transibis, qui recipit olei rutacei ℥ iij. picis nigræ ℔ ß. liquefiant in vase duplici: deinde adde sinapi, pyrethri, piperis albi ana ʒiij. misce: extende in aluta: calidum sppone. Si hæc non fuerint, sinapismus adhibeatur ex caricis, & semine sinapi hac forma. ℔. ficus pingues, q. vis. leuiter incoque: deinde cum duplo seminis sinapi contunde in formam emplastri. Et eo sic vtendum est, vt simulatque pars rubuerit, euellatur, parsq; oleo calido foueatur. Sunt & postremò phœnigmi, qui rubrificãt, qualis est qui recipit sinapi, piperis, euphorbij ana ʒj. incorporentur melle anacardino: & in parte sinantur, dum ampullæ tumeant. Hæc omnia vt sunt metasyncritica, & materiam ex alto ad circunferentiam trahunt, videntur hîc profutura. Sed reuera lethargus cum febre coniunctus hæc ferè omnia tanquam iusto calidiora videtur respuere, nisi magna necessitas vrgeat. Summopere laudatur à quibusdam ante accessionem assumptio ʒj. castorei cum ℥ j. oxymelitis, vel hydromelitis. Commendatur & in declinatione balneum. Eo enim plenitudo quæ cutem obtedit, discutitur. Verùm nullo pacto caput ægri madefaciendum est. In lethargo si nerui doleant, & totum corpus, sed multo magis extrema frigescant, caput ceruicemq; castoreo cum oleo anethino inungito, atque irrigato, q̃ in etiam spinam cum eodem perfundito. Si maior tremor adsit, & conuulsio, Sicyonium oleum capiti superfundatur. Quoniam verò vetet nus multos flatus colligit in ventriculo & toto corpore, ideo flatus discutendi sunt, & ventriculus roborandus. Præterea diligenter ægri adhortãdi sunt ad omnes corporis excretiones, præcipuè

Dropax.

Sinapismus.

Phœnigmus.

Curatio symptomatum.

cipuè ad alui excrementa reddenda, glandibus vel enematis: Ad vrinam verò, irrigando pubem oleo rutaceo, vel irino, adiecto pauco castoreo. Lethargicos ex morsu Tarantulæ Musica sanat.

De Caro. CAP. *XII.*

Carus vnde nomen trahit.

KA'PΟΣ Græcis, idemq; Carus Latinis, Arabibus Subeth, nomen ἀπὸ τῆς καρῆς, id est à capite assumpsit, vel à verbo καρόομαι aggrauor, capite sum attonitus: quanquam totius corporis (non vnius capitis) est insensibilitas immobilitasq;. Definitur enim κάρος somnus profundus cum motus ac sensus, atque etiam partis principis læsione, integra remanente respiratione. Somnus enim in eo multo profundior est, quàm in lethargo: & ab eo æger difficillimè excitatur, sensu & motu priuatur aliquantisper, ac si stimules, ferias, inclames, nil proficies, cùm interrogatus nil respondeat. Est præterea veluti paralysis seu resolutio principis facultatis, præsertim imaginatricis, cum qua etiã sensibiles ac voluntariæ motrices vitiantur. Cum lethargo conuenit materia, quoniam à crasso viscidoq; humore (vt & ille) procreatur, cùm videlicet proprius ac primarius est cerebri affectus. Differt autẽ ab eodem: primò, loco, quia Carus in anteriori parte cerebri fit magis: deinde materiæ putredine, quoniam Carus nõ habet humorem putrescentem cum febre: postremò Carus sequitur sæpius aliquem morbum (vt mox dicetur in causis) lethargus verò per se plurimùm consistit. Duplex à quibusdã statuitur Carus: Nõ morbosus, qui fit à causa non morbosa, vt à vino epoto, & in ægris, qui diu vigiles permanserunt, ijsq; magnum auxiliũ adfert. Infantibus etiam quandoq; prodest. Morbosus verò est à causa morbosa. Hic sub se Cataphoram continet. Nam Cataphora leuior est affectio, & à mitioribus causis, in eaque imaginatio deleta non est, vt in Caro, sed tantùm imbecillitata. Igitur in caro cerebrum, vtpote neruorum principium afficitur, vt ex eius functionũ læsione euidens est. Quanquam enim sensus ac motus præcipuè læditur, ac velut aboletur imaginatio, vnà tamen cum eis rationem ac memoriam lædi par est. Cerebrum (inquam)

Differimen inter Carũ & Lethargum.

Duplex Carus.

Carus & Cataphora in quibus distent.

Qua pars in Caro afficitur.

afficitur secundum ventres magis, quàm secundum corpus, magisque secundum eius partem anteriorem, quàm posteriorẽ, vt paulò antè diximus. Proinde Carus est symptoma in genere noxæ functionum animalium dictarum, illæsa tamen spirandi difficultate. Quo & ab Apoplexia differt (vt hoc obiter dicatur) quamuis & ipsa spiratio interdum quoq; lædatur, si magnus Carus fuerit. Præter id discrimen, solutum Carum fert è secunda valetudine excipit: attonitum morbum resolutio neruorum. Id genus symptomatis quod Carũ appellauimus hactenus, sequitur frigidam ac humidam cerebri intemperiem à pituita ortam, quæ quidẽ pituita obstruit meatus supremi ventriculi cerebri, vnde sensuum ac motionum, aliarumque functionum priuatio. Fit & à crassiori vapore, estq;, per cõsensum, vel à toto corpore, vt in febribus pituitosis (quarum summos vigores sequitur, & declinat ijsdẽ inclinãtibus, quemadmodum & incipientes accessiones comitatur sæpius, & vigentibus recedit) vel à ventriculo, hypochondrijs, intestinis, medicamentis calidis laxantibus ob magnam fumorum copiam, putredine à vermibus, vt in pueris: ab esu fungorum, à frigidis venenis eporis, vel admotis. Supervenit & alijs causis, vt musculis temporum affectis. Item cum osse quopiam cerebra perforato medius ventriculus fuerit attritus. Quemadmodum si quis inter perforãdum membranam quæ priorem cerebri ventriculum cõtegit, violarit, (μηνιγοφυλακα Græci vocant,) atque vbi os caluariæ vehementer attritũ, ipsius ventriculos comprimit, maximeq; medium. Interdum ad vehementes dolores consequitur Carus, spiritu animali planè exoluto. Succedit & comitialis morbo. Signa cuiuis nota sunt ex iam dictis. Nam somni profunditate occupãtur ægri, oculis perpetuò clausis: dum punguntur, etiam si sentiunt, non loquuntur. Si Carus est per consensum, ex præcedente dolore & affectu partium aliarum à quibus pendet, agnoscitur. Cæterùm quilibet Carus morbosus semper malus est: &, A capitis ictu stupor, malum. Quorũ cerebrum cõcussum aliqua ex causa est, eos repentè obmutescere necesse est. Quæ autem conueniunt lethargo, eadẽ (excepta venæ sectione) conueniunt & Caro, quatenus est symptoma cerebri primariò affecti.

Quis affectus.

Carus & Apoplexia in quibus discrepant.

Causa.

Signa.

Prognostica.

Curatio.

affecti. Totũ enim negotiũ in crassi humoris extenuatione, purgatione, & reliquiarũ discussione positũ est: valentiora tamen Carus, magísque attenuantia & incidentia postulat. Acres quoque clysteres vsurpandi sunt, & glandes acutæ sale gemmæ, ac similibus. Syrupi & aquæ validiores siccioréque esse debent, vel decocta, si propinentur. Pilulæ per se, vel dissolutæ: itemque opiatæ fortiores, vt hiera diacolocynthidos, quibus grana tria vel quatuor castorei adijciantur, atque in aquis capitalibus dissoluantur. Pituita per nares ac palatum ptarmicis, nec non apophlegmatismis detrahatur. Conuenit & potio theriacæ antiquæ, puluetis diamoschi dulcis, diambræ, quibus & aliquid castorei addatur: eaque in aqua betonicæ ac melissæ dissoluantur. Caput fricetur castoreo cum oleo rutæ mixto. Id *Topica.* enim calefaciendum & siccandum est potenter. Vel sinapismus ei apponatur, aut stercus columbarum, vel hirundinum cum oleo de spica & aceto: quod valde confert. Adhæc aceti acerrimi perfusio super laminam ferream ignitam prodest omnibus Cataphoris, quibus videtur coincidere Carus, præsertim per consensum. Illud acetum acres fumos excitat, qui naribus attracti cerebrum exiccant, & somnum expellunt. Fit autem efficacior dicta perfusio, si addatur semen nigellæ, vel rutæ, aut castoreum, quæ vapores absumunt, & materiam in cerebro contentam. Sed in Caro semper habenda est cura ventriculi, cui & calfacientia, & roborantia pariter adhibenda sunt, cùm in eo ferè abunder pituita. Si Carus est ab alijs causis, vt à toto corpore in febribus, vincula extremis partibus inijcian- *Carus infebre.* tur, ægrique olfaciant acetum, & ijs cerebrum oxythodino confirmetur. Si est à vermibus, si à cicuta, aut alijs venenis, è suis locis propria curatio repetatur. Si ex admotis *A venenis.* frigidis, vt opio, populeone, corticæ mandragoræ, vngatur caput oleo ex castoreo, aut rutaceo, aut laurino, addito *A frigidis admotis.* castoreo vel fimo columbino. Corpus agitandum est, ne dormiat. Nares vngantur cõfectione anacardina, vel theriaca veteri dissoluta in aqua sampsuchi, aut alijs calidis. Si ob crapulam ortus est Carus, proritetur statim vomitus, vel indatur clyster acutus. Roboretur ventriculus *Carus à crapula.* sumpta tabella diagalangæ, diamoschi, vel diambræ.

Sic Carus per consensum, eo cui succedit, affectu sublato tollitur.

De Catoche, seu Carocho, vel Catalepsi.

CAPVT XIII.

QVAE κατοχὴ, ἢ κατοχὸς, καὶ κατάληψις Græcis nominata est affectio, Latinis eadem voces mutuantibus, Catoche, vel Catochus, vel Catalepsis dicitur: quasi detentio & occupatio seu comprehensio, quæ & à recentioribus quibusdam congelatio appellatur. Et qui eo malo prehenduntur, κατοχοὶ καὶ κατεχόμενοι veteribus Græcis dicti sunt, quasi detenti, vel occupati. Quidam etiã hoc vitium ἀφωνίαν, alij τῶν φλεβῶν καὶ πνεύματων ἀπόληψιν: Quidam καθεύδην, nonnulli ἀναισθησίαν vocauerunt. Est autem Catoche, seu Catalepsis, quædam tum animæ, tum corporis detentio, qua qui corripiuntur, repẽte in illo permanent habitu, quo correpti sunt. Mens enim sensusque omnes detinentur, & omnis eorum facultas velut consumpta videtur, de repente muti fiunt, neque tamen concidunt: stantes manent, si stabant: sedentes, si sedebant: oculis sunt apertis, si prius erant aperti. Ex quo vulgus credit eos non dolere, aut ita mortuos viuere: sed raptos, vt loquuntur. In eaque affectione omnia sunt rigida: quando non solùm cerebrum, sed & spiritus animalis in singulis partibus est concretus, idemq; ad permeandum corpora neruosa, atq; ad mouendũ ineptus est. Quapropter à nonnullis scriptum est, vniuersum corpus Catochis stipari & cogi, non laxari & intumescere, velut Lethargicis atq; Apoplecticis, in quibus corpus situm ac figuram commutare potest. Alij volunt Catochen apud Galenum esse ἄγρυπνον κῶμα, id est soporem vigilantẽ, cùm æger somno premi videtur, & tamen vigilat, sed nec fari, nec vllum membrum mouere valet: huiusque sunt contrariæ causæ, humor bilios us ac pituitosus, mediaque est affectio inter phrenitidem & lethargum. Ita nomen idem pluribus affectibus tribuitur. Sed errant, qui Catalepsin cum vigili Comate confundunt. Quare nos de hoc Comate plura dicere supersedebimus, atque ad veram Catalepsin reuerte-

Catoche, quid.

Rapti qui dicuntur.

seuertemur: in qua cerebrum affici nemini dubium est ex eius actionum læsione, idque secundum posteriores cerebri partes magis, velut in Caro anteriores laborant. *Pars affecta.*

Symptoma quoque dicimus esse Catalepsin in genere noxæ functionum animalium principum, & propriè imaginationis resolutæ, seu abolitæ: quanquam & reliquæ omnes functiones in ea quodammodo vitientur. *Affectus quo.*

Seruatur tamen hic respiratio illæsis spiritibus manentibus, qui ob vitæ necessitatem respirationi seruiunt. Alij sentiunt catalepticos priuari quidem omni motu, sed non omni sensu, nec exteriori, nec interiori, quia vident, audiunt, & quandoque ratiocinantur ac memorantur, vt docet Galenus in historia scholastici, qui ex nimio studio refrigerato & exiccato cerebro in id malum inciderat. Consequitur id symptoma frigidam ac siccam intemperiem ex frigidiori sicciorique materia comparatam. *Causa.*

Et quæ peculiariter hic tractatur Catalepsis, à melancholico succo, aut vapore posterius cerebrum obturante, & siccante gignitur. Est enim alia quædam Catalepsis, quam Aëtius vult fieri à sanguine qui copiosus est, & multitudine sua venas atque arterias distendit, tensasque retinet, non alia ratione quàm humorum plenitudo neruos in conuulsione contrahit, tenditque. vel (vt alij exponunt) sanguis etsi natura sua humidus flaccidusque rigidas ac tensas partes efficere non possit, tamen cùm fuerit crassus ac deinde refrigeratus, Catalepsin efficere potest. Vtranque Catalepsin scribunt nonnulli fieri eodem modo, quo fit Apoplexia, nimirum substantia cerebri humore melancholico, vel sanguine irrigata. Sed dubium est, nunquid ab intemperie sola frigida sicca fiat, vt censuit Galenus, eaque sine humore. Certè cùm repentè inuadat ac desinat, intemperies verò sicca repentè induci nequeat aut tolli, meritò aliquem humorem subesse fatemur, qui venas & arterias quæ in cerebri meningibus disseminatæ sunt, repentè ac affatim implet, distenditque. Vnde verisimile est sequi rigorem totius corporis, instar corporum frigore concrescentium videlicet. Aut si intemperies est sola, & sine humore, dicemus intelligi Catalepsin non à cerebri, sed potiùs ab animalis spiritus intemperie cõmitti. *An catalepsis à sola intemperie fieri possit.*

Aluus & vrina supprimuntur propter sensuum stupiditatem. Inter signa propria Catochi quidam etiam recensent colorem ἀνθηρὸν id est valde floridum in facie, seu admodum rubentem, à copia sanguinis crassi in capite collecta. In comate verò subtumida facies pallet. Victus etiam ratio præcedens, ægri temperatura, tempus anni, regio, cæteraque ad frigidum siccum declinabunt. Si sanguis redundabit, suas quoque is notas habebit. Rarum est hoc malum, sed longè periculosissimum. Itemque frigidioribus regionibus magis est familiare, quàm calidis. Et Catalepsis Lethargo periculosior est. Quæ à melancholico succo est, difficilius curatur ea, quæ à sanguine: & curata in melancholiam ferè desinit. Proinde sine mora viuendi legitima ratio præscribatur. Aer ad calidum & humidum vergat, si à melancholico succo orta est affectio. victus satis sit tenuis, & alimenta parum nutriant, si à sanguine. Eiusmodi sunt ptisanæ cremor, ius pulli gallinacei cum ciceribus, aut amygdalatum cum melle. Et vbi conualescere incipiunt, alas autum boni succi edere nil vetat. Potus conueniens est aqua mulsa diutius cocta, aut decoctum fœniculi, aut vinum aquosum, tenue, subastringens. Aqua ijs infesta est, flatum auget, fluctuationes excitat, splenem attollit. Vinum verò maximè illos iuuat, si caput nõ feriat, quale est quod dictum est. Itaque si æger robustus est & valens, aut facies rubet, multóque sanguine abundat, statim vena externa cubiti secetur, & pro viribus sanguis vacuetur: præmisso enemate, si res postulabit. Sed ante sectionem caput, cervicem, ac dorsum fouere oportet oleo irino, & brachium fricare, vt sanguis fluxilis magis reddatur. Postea clysterib. primùm molliusculis: dein etiam acrioribus vtendum. Cucurbitulæ quoque adhibeantur in lateribus colli, & scarificatio fiat prope iugulares. Frictiones & ligaturæ conueniunt quoque, primùm in brachijs, deinde in dorso, tertiò in cruribus & extremis partibus, vt sanguis deorsum trahatur. Si iuuenis est, ad vacuationem causæ coniunctæ, nares pungantur setis, vt sanguis fluat è naribus. Sin æger medicamento purgante indigeat magis, quàm sanguinis missione, vt succo melancholico redundante, si iam affectus remiserit, præparetur corpus ex

Prognostica.

Curatio.

syrupo de succo boraginis, & de epithymo, cum decocto cõuenienti: & purgetur sena, polypodio, epithymo, catholico, confectione hamech: & si aluus non obediat, radices hellebori incoquere expedit. Assumantur & diamoschus dulcis, diambra, pliris cum moscho, puluis lætitiæ Galeni, & alia id genus. Caput perfundatur oxyrhodino multo, potissimum si calidum sentiatur. Et in declinatione aliqua digerentia apponantur: vel caput irrigetur oleo dulci tepido, chamæmelino, anethino, liliorum alborum, in quo postea serpillum, aut hyssopum, aut thymum incoquatur. Fit & fotus ex decocto chamæmeli, anethi, meliloti, saluiæ, maioranæ, & similiũ ex aqua & vino. Litus etiam capitis, ceruicis, & spinæ ex oleis paulò antè memoratis admixto pauco euphorbij, vel castorei, vel vtriusque. Hæc post auersiones materiam resoluunt. Confert & vnguentum dialthæas & Martiatum, præcipuè si frigiditas vrgeat. Totum corpus etiam inungitur oleo anethino, aut irino, idq; hyeme præsertim. In quibus tremor succedit, castorei 3j. cum aqua multa eri infunditur. Hæmorrhoides prouocandæ sunt, si aliàs fluxerint. Quod reliquum est, omni ratione excitandi sunt ægri, vt capite de Lethargo diximus. In Catocho enim vt & in caro nullo modo, vel ægerrimè excitantur, aut excitati statim in idem vitium recidunt. Cætera etiam ex capite de Melancholia petantur.

De Comate seu Cataphora. CAP. XIIII.

MALVM quod sæpe ab Hippocrate κῶμα dicitur, à Galeno Cataphora nuncupatur: ac per vtrumq; nomen nil aliud significare videntur summi illi viri, quàm magnam & grauem somnolentiam, seu quandam ad somnum delationem ac propensionem. Vnde definitur Coma seu Cataphora, deficiens & imbecillis motus facultatis imaginatricis à frigido & humido, magnam somni cupiditatem inducens: vel, Delatio in somnum, nequeuntibus qui ab hoc occupantur symptomate vigilantium munia obire, sed tum palpebras claudere cupientibus, tum dormire sperantibus. Huius autem duas fecit differentias Galenus: atq; vnam vocauit Cataphoram somnolentam: alteram

Coma seu Cataphora quid.

Cataphora duplex.

alteram verò simpliciter Cataphoram, vel Cataphoram vigilem, seu non somnolentam. Ægris qui somnolenta laborant contingit, vt mox dormiant, & profundè & diu. Qui non somnolenta vexantur, licet clausas palpebras habeant, dormire tamen nequeunt, sed plurimùm vigilant, cùm ipsis diuersæ imagines rerum succedant: quæ illorum mentem mouent, interrumpuntque somnum. Quapropter insomnes quidem extant magna ex parte: de lecto autem surgere, vigilantiumque opera exercere nequeunt. Vtriq; commune est, quòd ægri oculos attollere non possunt summa grauitate detentos, & quasi ad somnū ineundum comparatos. Hanc Comatis speciem Galeno antiquiores κατοχὸν appellabant: vt ex superioribus patuit. Vnde homonymia erroris causa fuit quibusdam recentioribus. Rursum huius insomnis Cataphoræ geminæ sunt species, quarum altera pigra, altera generis nomine vocatur. Conuenit vtrique (in quo à somnolenta differt) quòd deliret, & loquantur nulli hærentia menti, & ad assurrectiones prompti sint, præsertim si phreniticis coincidant. In summa Cataphoram Galenus videtur sumpsisse, tanquam genus omnium soporum sine febre. In quauis autem Cataphora cerebrum affectum esse indicat animalium functionum noxa, præcipuè principum, & maximè imaginatricis. Quoduis etiam prædictorum Comatum symptoma est, quod imaginatrici potissimum deficienti & infirmę existenti attribui debet. Porrò vt comatosis omnibus alti sunt somni, vel tenues, aut vigiliæ, prout cerebrum variè afficitur, sic etiam cerebrum irrigatur interdū nimia humiditate, vt nōnullis ebrijs euenit, repleto in ipsa ebriatione capite, ac humectato valde. Interdum à multa calida humida vaporatione caput petēte, vt in febribus, quibuscū augetur Coma, & minuitur: vel à cruda pituita cerebrum opprimitur, retracto ad interiores partes calore, vt in febrib. comatosis & pituitosis accidit. Subinde etiā ob solam cerebri frigiditatē Coma oritur. Quanquā ab vtraq;, humiditate scilicet ac frigiditate, quandoq; prouenit: quo casu profundior ac longior somnus erit: veluti tenuior, si ab aliqua sola frigida, vel humida cerebri intemperie excitatum Coma fuerit. Alia Comatis causa est vitiū infirmitas

Quæ pars afficitur.

Quid affectus.

Causæ.

tanta, vt apertæ ægri palpebræ seruari non possint, qualis in moribundis cernitur præ vigilandi impotentia. Hanc & alij agnouerunt, his verbis, Comatis etiam causa est virtutis imbecillitas, caloris natiui resolutio à febrili, cum pulsu languidissimo, tardo, raro, paruo. Vigil autem Coma, seu Cataphora nõ somnolenta, fit ex humiditate acrimoniam habente, vel ex humore partim bilioso, partim pituitoso. Vniuersaliter autẽ bilioso humore prædominante, phrenitisant tales vigilantes; pituitoso autem vincente, Comatosè deferuntur: & quoties ad finem vsque tum desipientia, tum Coma persistunt, affectionem hanc ex Phrenitide & lethargo mixtam appellant: quidam verò Typhomaniam nominarunt. In Cataphora somnolenta dignoscuntur ægri non solùm ex graui somno, sed quoniam difficilem habet expergefactionem. Profundè enim ac diu dormiunt, eaque est propria lethargicorum Cataphora, & immobiles ægri, atque sine voce iacent. Qui verò insomni Comate grauantur, vigiles & versuti sunt: & si phreniticis coincidunt, audientes vocem & sonum faciliter surgunt, ac si tetigeris partem corporis eorum, mox oculos eleuãt, & tangentem conspiciunt, & in ipsa ad somnum delatione vel manum mouent, vel crus, vel vniuersum corpus eijcitũt irrationabiliter, & repentè ac desipienter exiliunt instar eorum qui spasmo correpti sunt: hæcque omnia faciunt cum eo quòd aliqua congruè non loquuntur. Quòd si eo vigili Comate capiantur, quod nomine generis appellatur, ita facilè & multùm mobiles existunt, vt neq; deficiant clamantes, & moueant aliquam partem vehementer. Et si excitaueris eos aut loquaris, aspiciunt inconniuenter, & magis egrediuntur à se, & malum facere tentant, ac omnino in audiendo promptissimi sunt, nil relinquentes ab ijs qui summè desipiunt. Si verò insomni ac pigra Cataphora corripiantur, surgentes magis intelligunt, & non multùm mouentur: & quanuis desipiant, tamen tunc magis, quando commiseris eos Comati. Secundum quod eos maximè discernere licet à Cataphoris lethargicis. Exitiosissimum est Coma, quod præ virium imbecillitate oritur, vel quod cum calidis & siccis morbis insignem refrigerationem sequitur. Minùs periculosum est, quod ab vna cerebri in-

Typhomania.

Signa.

Prognosticum.

temperie

temperie pendet, quàm quod ex duabus, veluti si ex contrarijs magis. Curatio ipsa diuersa est pro causarum varietate. Si Coma ex humiditate pendet, post vniuersi corporis purgationem & apophlegmatismos, caput irrigari debet aceto acerrimo cum rosis & chamæmelo permixto, eademque euaporatio per nares suscipienda est. Si ex refrigeratione, anethinum vel chamæmelinum oleum adhibendum, in quo postea ruta & pulegium incoquantur. Quòd si ab humiditate ac frigiditate simul sit, eadem remedia, quæ Caro & Lethargo, conueniunt. Coma verò vigil, cùm ex permixta ac contraria causa originem ducat, contrarijs quoque medicamentis partim Lethargi, partim Phrenitidis curari debet. Ac prout pituita vel bilis redundarit, ad remedia Lethargi vel Phrenitidis declinandum erit magis. *Curatio.*

De oblitione seu memoria abolita.

CAPVT XV.

QVAE affectio λήθη Græcis, obliuio Latinis, seu memoria abolita dicitur: cùm quis eorum omniũ quæ priùs nouit, oblitus est. Contigit enim aliàs quosdam literarum & artium oblitos in tantum fuisse, vt ne nominum quidem suorum meminissent. Si debilis est ac diminuta memoria, veluti torpor quidam ac labes eius est: si verò deprauata, delirium memoriæ est: ac si simul cum memoria, ratio quoque seu cogitatio imminuta & infirmata est, ea affectio fatuitas, seu stultitia nominatur, quæ à Græcis μώρωσις dicta est: quemadmodum ἄνοια, hoc est amentia, vocatur facultatis rationatricis abolitio, ac veluti paralysis: atque ἀφροσύνη, id est delirium, eiusdem deprauata motio tantùm. De quibus obiter hoc dictum sit, propter affinitatem quam habẽt cum memoria, de qua nobis præsens est sermo. Dicimus autem memoriam lædi multifariam. Aut enim ad tempus læditur inter ægrotandũ scilicet, & morbo curato reparatur. Alijs accidit, vt morbus finiatur, & memoriæ labes incipiat, ac talis perseueret. Sunt & plurimi qui de memoriæ imbecillitate conqueruntur, integra sanitate fruentes. Pars verò quæ in memoria læsa *Obliuio quid.* *Fatuitas.* *Amentia.* *Delirium.* *Sedes affecta.*

afficitur, proculdubio est cerebrum, in quo princeps animæ vis continetur, & cuius est Phantasia, qua quæ carent animalia, eadem quoque memoria non sunt prædita. Id ergo testatur ipsa actionis læsio, veluti quòd cerebrum nõ secundum ventriculos afficiatur, cùm nec eius generatio nec solutio subitaria sit. Ipsa verò affectio symptoma est in genere noxæ functionum animalium, quod (quemadmodum solent alia symptomata) morbum consequitur, intemperiem videlicet maiori ex parte frigidam cerebri, quæ animales actiones torpidas efficit, eaque vel siccitati, vel humiditati coniuncta est. Neque verò semper simplex est intemperies, sed interdum cum materia, hoc est pituita, interdum cum melancholico succo. Aliæ sunt causæ, extrema senectus, morbi alij præcedentes, adsumpta vel admota capiti valde frigida medicamenta, immodici labores, studia, vigiliæ, cibi & potiones frigidiores, & consimiles causæ. Verùm nunquid ea intemperies frigida vtique sola sit, an cum humiditate vel siccitate copulata, ex signis causas distinguentibus dignoscitur. Si enim vehementer somnolenti sint ægri, frigidam ac humidam cerebri intemperiem: si omnino non somnolenti sint, frigidam tantùm intemperiem esse significabit. Spectandum etiam est diligenter, si quid è naribus vel ore excernant, quod quidem à capite defluat, an siccæ appareant hæ partes, aut secundum naturam sese habeant. Sic enim frigidam humidam intemperiem, vel frigidam siccam, vel frigidam tantùm ostendunt. Et si cum intemperie adest pituita, percipies ex antedictis somnis, ac cerebri recrementis, nec non ex ægri temperatura, anni tempore, regione, cœli statu, præcedente victus ratione, omnibus, aut pluribus ad frigidum humidum vergentibus. Ita si melancholicus succus redundabit, somni, & excrementa, & cuncta alia ad frigidum siccum declinabunt. Nunquid etiam hæc cerebri sit primaria dispositio, an per sympatheiam, vt in morbis abscessum declinantibus, testè Galeno 2. de causis sympt. discernitur id, si prædicta affectio proprijs symptomatis dignoscitur, perpetuoque permanet, nec ad alias cõsequitur affectiones. Tum enim cerebrum laborare primariò dicemus: alioqui per consensum

Affectus. *Causa.* *Signa.* *Memoria læsa per consensum.*

sensum lædi videbitur, si nec proprijs accidentibus innoteſcit, nec permanet, & ad alios affectus consequitur. Externæ causæ ab ægris & adstantibus resciuntur, vt si adest extrema senectus, & si quis morbus alius, vt lethargus, vel pestilentia in obliuionem transierit, (tum enim frigida intemperies inducta est) aut si assumpta, vel admota sint capiti medicamenta valde frigida: si ex immodicis quoque laboribus in studijs atque vigilijs, aut alijs quibusdam orta est obliuio, vt in eo qui circa disciplinas, & in alio qui vites colebat propter labores, Galenus monuit. Item si cibi & potiones fuerint suapte natura frigidiores. Quòd si non abolita erit memoria, sed imminuta seu imbecilla, minorem fuisse cerebri refrigerationem coniectandum est, vt μώρωσιν & ἄνοιαν (in quibus rationem quoq; offendi dictum est initio capitis) à causis omnibus cerebrum impensè refrigerantibus fieri certum est, vt id obiter moneamus. Quandoque etiam ab ipsa naturali conformatione imbecilliori, aut pauca cerebri substantia, vt in pusillo capite, præter cerebri aut temporum concussionem vehementem ex ictu, vel vulnere, & similes causas, ad quas cõmemorati affectus referri possint, & ex relatu cognosci. Sed vt ad obliuionem reuertamur, à qua digressi sumus: Obliuio semper mala censeri debet. In quibus autem derepente deficit, alia verò sana videntur, valde timendum est, ne comitialis morbus eis superueniat, aut apoplexia, aut resolutio, aut aliud quoddam cerebri malum. Summa autem curationis est in calfaciendo corpore vniuerso intrinsecus & extrinsecus, prout à naturali habitu recessit. Deinde aër ad calidum vergat: sit luminosus, & ab Austro & Aquilone alienus, cùm hic infrigidet, ille verò repleat. Somnus sit moderatus, non diurnus, nec statim à cibo sumpto sumendus. Vigiliæ quoque spiritus resoluunt: quare sint etiam moderatæ. Exercitium item mediocre, pedum scilicet ac manuum, & quandoq; capitis, cum frictionibus ex asperis linteis valde confert. Alui excrementa quotidie vacuentur, ne caput offendant. A mœstitia, cura, solicitudine ægri caueant. Multa repletio ciborum ac potuum fugienda est. Vitanda quoque edulia infrigidantia, crassefacientia, & inflantia: imò cruditate nil

Fatuitatis & amentiæ causa.

Prognostica.

Curatio.

magis mentem vitiat. Plurima aquæ potio, ac multo magis vini pessima: vehementer enim humectat caput, ac nil æquè obliuionem inducit, ac humiditas. Ab oleribus frigefacientibus, à fructibus viridibus ac bellarijs, à caseo & lacte abstinendum, à carnibus salitis, à piscium fluuiatilium esu, anguillarum præsertim. Alimenta calfactoria, & attenuatoria, vt thymbra, pulegium, origanum ex interuallis exhibeantur. Vinum (de quo paulò antè) sit tenue, album, non valde vetus, quod tranquillam festiuamque animam reddit. Postrema mensa coriandri semen præparatum accipiendum est. Veneris vsus rarissimus, aut nullus: nam ea depranatum animum facit, & eius motus conuulsioni similis est. Balneo etiam aliquando, sed potissimum à sinapismis locus erit. Medicamentorum verò ratio hæc esse poterit: si ex pituitæ redundantia tanquam frequentiori causa, orta erit obliuio, coquatur pituita, & concocta vacuetur. Et quia humor est crassus & contumax, iterum præparetur valentioribus, ac denuo purgetur. Hieræ omnes, & præcipuè hiera Ruffi his conueniunt. Sed præparantia ac purgantia pituitam iam sæpius inculcata sunt. Prosunt & clysteres acres, qui prædictas hieras recipiant. Tum ad apophlegmatismos & gargarismata, quę reliquias humoris peccantis detrahant, est transeundum, nec non ad errhina, vel ad sternutatoria: de quibus omnibus cap. de Cephalalgia, & alibi dictum abundè est. A purgatione tum vniuersali, tum etiam particulari, commendatur dens Elephantis, ʒj. pondere, aut cornu cerui tantundem, seu castorei. Similiter & eadem quantitas theriacæ, vel mithridatij, vel aureæ Alexandrinæ, diamoschi, diambræ, cum mulsa aut cum pauco vino albo. Acorus conditus, zingiber conditum, melissa etiam reparant memoriam: saccharum florum betonicæ, rorismarini, lauendulæ, spicæ nardi, melissæ. Si vis medicamentum compositum, hoc videtur valde appositum. ℞. zingiberis conditi ʒ ß. myrobalanorum conditorum Kebulorum & Emblicorum, vel Indorum ana numero ij, conseruæ stœchados, & anthos ana ʒ j. conseruæ radicis buglossi ʒ vj. pulueris diambræ, diamoschi dulcis ana ʒj. cubebarum, galangæ subtiliter pulueratorum ana ʒ ß. sacchari rosati ʒ iij. syrupi conseruationis

Medicamentorum ratio.

Opiata.

tionis corticum citri q. ſ. fiat opiata, de qua capiat bis in hebdomade, ad quantitatem nucis ponticæ poſt cœnam. Extrinſecus fiant irrigationes priùs raſo capite iuxta ſuturam coronalem magis, ex decocto quod ℥. hyſſopi, ſerpilli, ana p. ß. thymi, betonicæ, ſampſuchi, florum chamæmeli. ſtœchados ana p. j. adde caſtorei ʒ j. aceti ʒ j. fiunt & inunctiones tum parte eadem, tum circa poſteriorē partem capitis, tum circa primam ac ſecundam vertebram, ex oleo nardino, nucis moſchatæ, è caſtoreo, coſtino, de piperibus. Vel fiat vnguentum quod recipit olei de lateribus & de caſtoreo ana ʒ ß. radicis acori, phu, ana ʒ j. pyrethri, rutæ, ana ℈ ß. cum cæra fiat linimentum, quo raſum occipitium inungatur. Sacculus etiam imponatur, qui recipit florum anthos, lauendulæ, meliſſæ ana m. ß florum ſambuci m. j. ſtœchados ʒ iij. nucis moſchatæ, ligni aloës, maceris, ana ℈ j. contuſa in ſericum demittantur, formeturq; ſacculus. Benefacit & lotio capitis ex lixiuio, in quo bulliant hedera, roriſmarinum, laurus, meliſſa, betonica, ſtœchas & ſampſuchus. Abluuntur & pedes ſimili decocto. Sinapiſmus quoque vtiliter applicatur capiti nō modò in occipite, ſed in ſincipite potiùs: qui locus propter futuras magis eſt peruius. Si eſt obliuio à melancholico ſucco, is ſuo modo paretur, vacueturque ex alijs locis repetendo. Topica ad humidum magis, quàm ad ſiccum vergant. Foueatur caput decocto veruecis cum ſemine lini, fœnugræci, & chamæmelo; vel cum hordeo mundato, floribus violatū, bugloſſi, borraginis. Vnctionibus addatur oleum chamæmelinum, anethinum, amygdalarum dulcium. Item irrigationibus addantur humectantia, demanturque exiccantia. Idem fiat in ſaculis concinnandis. Si frigida tantùm intemperies eſt, calfacientibus tantum vtendū, quemadmodum ſi frigida ſicca, victus ſit calefaciens & humectans, nec non eiuſdem facultatis medicamenta alterantia exhibeantur. Si ob extremam ſenectutem læſa eſt memoria, conueniens victus ratio tantùm imperetur: fruſtra alia remedia præſcribuntur. Si ab immodicis laboribus, ſi ex inanitionibus, vt ob purgationes, vel ſyncopas fracta virtute, memoriæ detrimentum ſuperuenerit, refectoria diæta opus eſt. Sic enim corroboratis corporibus ac colle-

Topica.

Irrigationes.

Vnguentum.

Sacculus.

Lotio capitis & pedū.

Sinapiſmus.

Curatio obliuionis à melancholico ſucco.

Ab alijs cauſis.

ctis viribus, memoria reparatur. Proinde electarium re sumptiuum assumatur, vel diatragacanthum frigidum, vel nuelei pinei post pastum. Si ex frigidis medicamentis assumptis, aut capiti adhibitis, & intus & extra calida remedia supra dicta erunt administranda. Eadem propè ratione torpor seu imminutio memoriæ curabitur, nisi quòd leuiora postulat remedia: quemadmodum & quando cum memoria simul ratio minuitur aut deperditur (quo fit vt fatuitas seu stultitia, vel amentia generetur) valentiora eligenda sunt ex antè dictis, cùm ex vehementiori cerebri intemperie oriantur.

De Apoplexia. CAP. *XVI.*

Apoplexia improprie morbus attonitus dicitur.

ΑΠΟΠΛΗΞΙΑ Græcis dicta idem nomen retinuit Latinis, & Apoplexia vocata est: quibusdam syderatio. Nec propriè morbus attonitus Latinè dici potest: etiamsi qui eo laborant, attoniti Celso nominentur, & alijs syderati, quasi fulmine perculsi. Credebant enim veteres nonnisi à malo genio symptoma id oriri. Vel hos attonitos & syderatos dixerunt, quoniam eodem modo sensus motúsque repentina ablatio quo quibusdam fulmine afflatis (quod illi sydus esse opinabantur) superuenire soleat. Sed fortasse morbus attonitus vocatur, eo quòd vnà cum corpore mens etiam stupeat. Vel quòd Apoplectici velut ictu graui perculsi concidant. Est autem Apoplexia, repentina potentiæ quæ ad neruos defluit, omnisque animalis functionis priuatio. Vel, est totius corporis sensus ac motus abolitio, cum principis animæ functionũ noxa, subitò superueniens. Hac quippe perculsus, nullis ferè mali indicijs præcurrentibus, totus repentè concidit quasi attonitus, atque si acerbum malum est, iacet fixis oculis, sine sensu & motu, sine mente, sola respiratione à mortuo dissidẽs, quæ & mox difficilis euadit, & cum stertore grauissimo. Quo vno differt à Caro & Catalepsi, nec nõ ab vteri strangulatu. In Caro enim libera seruatur respiratio: quia tametsi partes anteriores cerebri opprimantur, & ab ijs sensus prodeuntes torpescant in Caro, tamen posteriores partes illæsæ satis spirituum in neruos effundunt, quo motus aliquis,

Apoplexia quid.

Discrimen inter Apoplexiam & alios quosdam affectus.

aliquis, maximéq; respirationis ad vitam necessariæ conseruetur. Et in Catalepsi licet eædem partes afficiantur, illæsi tamen spiritus manent, qui ob vitæ necessitatem deseruiunt respirationi. Et quãdo affectus illi duo soluuntur, bona excipit valetudo, Apoplexiam verò Paralysis. Veteri autem strangulatus cùm vapore solo feriat, multo minùs respirationem impedit, nisi fauces præcludat. Imò & in Apoplexia quamuis motus omnino pereat: aliqua tamẽ ex parte sola seruatur respiratio, in quam natura totis viribus nititur, omnésque suos conatus intendit: verùm difficulter admodum procedit, tantoq; difficiliùs, quantò maior obstructio fuerit, de qua respiratione paulò pòst fusiùs dicetur. Differt & ab Epilepsia, in qua non abolitus, sed depraua tus tantùm facultatis animalis motus est, atq; similiter ἀπὸ τῆς ἡμιπληξίας seu à Paralysi differt, quæ non toto cerebro obstructo, sed altera tantùm parte obturato sæpius gignitur. Hippocrates tamen ἀποπληκτικὸς non solum Apoplexia peculiariter dicta, correptos dicit, sed medio corpore vel parte aliqua resolutos, quomodo ἀποπληκτὸν crus appellauit. Distat quoque à syncope, quòd in illa nullus, aut languidus, & obscurus est arteriarum pulsus: in Apoplexia plenus ac validus, nisi cùm in propinquo mors est. Quòd autem in ea cerebrum afficiatur, patet: cùm nõ modò sensibiles & motrices animæ facultates omnes, sed & principes lædantur: quarũ author, fons, ac principium cerebrum existit. Neque secundum vnam partem, anteriorem videlicet vel posteriorem, sed secundum vtramque afficitur: & cùm subitò eueniat, cerebri ventriculos eósque principes primariò affectos esse liquet, vt in comitiali morbo. Horũ enim symptomatum generatio & solutio subitaria ferè humorem planè frigidum & crassum replere, ac obstruere eos ventriculos magis, quàm ob totius substantiæ cerebri intemperiem oriri Apoplexiam significat. Principes autem ventriculi sunt Galeno medius ac postremus: qui afficiuntur. Sed quorundam recentiorum sententia est, cum illis cerebri quoque corpus affici, idque fortasse magis, quàm ventres. Hi enim volunt humorem non tantùm principes ventriculos cerebri affatim implere, sed cerebri etiam corpus imbuere, vt nullus vel

Quæ pars afficiatur.

Quis affectus.

perexiguus spiritus animalis in neruos subeat. In Caro autem & comitiali morbo contrariũ accidit. Præterea cùm omnimoda sit sensus ac motus, nec non principum facultatum cohibitio, Apoplexia nõ morbus, sed symptoma dicenda erit in genere noxæ functionum animalium non

Causa.

diminutè, nec deprauatè, sed ablatè. Causæ autem à quibus Apoplexia generatur, plures esse possunt. Fit enim vel quia spiritus animalis qui per neruos descendit, non conficitur à cerebro ob intemperiem totius substantiæ ipsius, & ea nonnisi longa tẽporis progressione induci potest: vel quia idem spiritus intercipitur à pituitoso humore crasso viscido, confestim cerebrum irrigante, aut ventriculos, vel arterias plexum retiformem efficientes obstruente, citra putredinem tamen ac febrem: quales Apoplexiæ sunt senibus familiares, & quæ hyeme contingunt: vel ab humore melancholico, quæ valde periculosæ sunt, & hominem à quadragesimo anno ad sexagesimum occupant (humori enim pituitoso & melancholico frigiditas & crassitudo communis est) vel à sanguinis eruptione, aut eiusdem plenitudine, quę ἀποπλη̃ξις dicitur, aut à crassis vaporibus cum humore vias spirituum intercludentibus, vt in ebrijs. Consueuit & magna constipatio Apoplexiam adferre ex phlegmonosa aliqua dispositione, quæ in ipso cerebro fit constituta, cùm adest inflammatorius affectus non obstruens ventriculos, veluti frigidus, crassus, & viscidus succus, sed constipans eos, ex Galeno: qui inflammatorios affectus vocat inflammationem, erysipelas, abscessum: à quibus per coarctationem, vel compressionẽ fit Apoplexia. Vel causam eius dicit Galenus dispositionem inflammationi similem, quæ esse potest, cùm ex ea sequitur humorum fusio ac colliquatio. Accidit quoque idem malum obstructis, densatis, & compressis in collo carotidibus arterijs: quæ ob id Apoplecticæ nominatæ sunt. In Apoplexia siquidẽ spiritus animalis descensu prohibetur ad organa sensus motusque, vel spiritus vitalis, qui animalis est materia, prohibetur aditu ad cerebrum, arterijs carotidibus, ex quibus plexus retiformis conficitur, aut obstructis, aut coarctatis. Tum quippe ventriculi cerebri influente spiritu destituti, deinceps suppeditare non possunt sensum motumq; neruis,

uis, tumque necesse est animal collabi, ac si eius carotides arteriæ interciperentur. Fit etiam interdum Apoplexia ob casum & ictus cerebrum concutientes, atque vt eò humores confluant, efficientes: quandoque ob aëris admodum frigidi occursum, qui cerebri humiditates coarctat, & adstringit. Similiter oriri potest ex immodico vini potu, aut immodica etiam optimi succi ciborum ingestione, & eorum qui plurimum alimẽti præbere possunt, ac vehementibus cruditatibus. Morbi quoque articulares in his qui viuunt intemperanter iam senescentibus, in Apoplexiam transeunt. Infestat sanè eadem affectio homines natura pituitosos, pingues, & in otio degentes. Notæ verò eam præcedentes sunt, somnus à cibo, capitis dolor confertus & acutus, vertigo, iugularium venarum elatio, oculorum splendores, extremarum partium sine ratione perfrigerationes, totius corporis palpitatio, difficilis motus, dentium stridores in somno, vrinæ æruginosæ, nigræ, paucum & farinaceum sedimentum habentes. Qui verò in hoc malum incidunt, velut attoniti cum clamore corruunt, omni motu ac sensu carent, & tanquam mortui viuunt, oculis clausis instar dormientium, ac stertũt, aëris sonitu in thorace, pulmone & arteria inter respirandum exaudito, spumamque ore emittunt; in quibus scilicet morbus comitialis præ vehementia in Apoplexiam transiuit. De qua spuma paulò pòst rursum aliquid addemus. Sed si mitior est Apoplexia, sensus ac motus quidem inest, verùm stupidus & obscurus: actum ferè pars corporis resoluta ingrauescit. Spiratio etiam nonnunquam tam exigua est, vt sensum fugiat, iaceantq; mortuis similes, præsertim qui corde sunt minùs calido: quandoque verò magna spiritus orta difficultate velut præfocantur, perinde laborante pectore ac si vinculo quodam astrictum attolli prohiberetur. Magnitudinem verò periculi vt à spuma ab ore erumpente, sic & ex respirandi nocumento conijcere oportet, seu ex noxæ quam spirationi infert vehementia, vel paruitate. Nam si ita prohibeatur respiratio, vt nulla sensu deprehendatur, (quia magnitudini causæ natura succumbit, vt amplius neque voluntate, neque instinctu thorax moueri queat) quasi derepente strangulatur æger, atque ma-

xima & acutissima erit Apoplexia: (per eam tamen viuit adhuc animal transpiratione manente, quæ per cordis & arteriarum motum exercetur.) At si Apoplecticus spirat, sed magna cum vi, ac cum stertore & intermissione, fortis erit Apoplexia, & inter alias post iam dictam pessima. Verùm minùs fortis adest, si neque intentum, neque violentum, inæqualem tamen, atque inordinatum, ac præterea intermittentem habet anhelitum: veluti si in aliquibus ordinem quendam seruat respiratio, quamuis quodammodo spirandi facultas læsa sit, sensusq; quidam aut motus ineſt, sed admodum stupidus & incertus, hæc Apoplexia debilior existit. Itaq; à respirationis tãquam vitę maximè necessariæ noxa, magnitudo Apoplexiæ æstimatur. Atq; has quatuor Apoplexiæ differentias videtur Galenus agnouisse. Hippocrates verò duas tantùm, fortem ac debilem videlicet. Cùm autẽ respiratio sit è numero earum actionum, quæ à consilio & voluntate prodeunt, eæq; vel omnino liberæ sunt, vel affectibus corporis deseruiunt, ac priores perpetuò absq; impedimento à nobis fiant, posteriores in tempore quodam & cum mensura: certè opus respirationis non sub prima, sed sub secunda differentia comprehenditur. Nam quamuis cunctæ functiones in Apoplexia oblædantur: ipsa tamen respiratio cùm adeò sit maximè necessaria pro vita, vltimo loco noxam patitur, curam habente natura de animalis conseruatione. Quemadmodũ enim dormientes spirant nulla accedente actione quæ à consilio prodeat, vtpote qui supini iaceant in cubili: ita in soporosis affectibus (inter quos Apoplexia numeratur) quanquã neq; sentiat corpus, neque moueatur, tamen sola respiratio, quæ musculorum pectus mouentiũ munus est, seruatur. Et in hoc affectu omnes thoracis musculi concurrunt ad motum propter respirationis necessitatem, quę neruorum vim excitat ad operationem: alij musculi motu priuati sunt. Præclara autem prognostica de Apoplexia varij autores protulerũt. Apoplexia morbus est acutus, quoniam princeps pars diu non tolerat fortes affectiones. Et, Malum hoc nequaquã, aut ægrè admodũ curatur, vt quod mortem in propinquo minetur: si verò ipsum remedia sustulerunt, plurimùm cum partis cuiusdã resolutione discedit,

Respiratio.

Prognostica.

dit, quæ paraplegia vocatur. in quam morbus comitialis non finitur, quoniam in eo vniuerso corpori conuulsio, & non resolutio veluti in Apoplexia euenit; quæ conuulsio cùm actio deprauata sit, minorẽ indicat noxam, quàm totius corporis resolutio, in qua actio animalis ablata est. Vehemens Apoplexia solui non potest, leuis non de facili. Et hæc quidem passio acuta est, nunquam sociata chronicis, animium solicita, sine febre tamen. Item, Qui eiusmodi periculum effugerunt, in diuturnum morbum incidunt, resolutionis videlicet aliquarum partium (vt dictum est) vel etiam totius corporis, aut violatæ rationis. Et, qui per omnia mẽbra resoluti sunt, celeriter rapi solent: ac si correpti non sunt, diutius quidẽ veniunt, sed rarò tamen ad sanitatem perueniunt, & plærunque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa. Præterea, Quicunque sani capitis dolore derepente capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris prehenderit. Rarum tamen est quòd febre prehendantur, & quòd septimum attingant, cùm ferè primo, aut secundo, aut tertio die moriantur, aut paralytici fiant, si euadant. Itaq; febris superueniens Apoplexiæ, spem salutis adfert. Dissipat enim materiam morbificam. Scribit tamen Aretæus interdum Apoplexiæ coniunctam esse febrem, à qua non minus periculum immineat ægro, quàm ab ipsa Apoplexia. Apoplexiam vt soluat leuis febris satis esse non potest: fortior vires exoluit: nec fit facilè vt seruetur iusta ratio febris ad morbum atque moderatio. Qui strangulantur & exoluuntur citra mortem, si ore spumant, non referuntur ad vitam. Spuma enim in hoc morbo lethalis est: in Epilepsia nequaquam. Spuma vera est in Apoplexia ex multa agitatione, cùm spiritus & calor cordis multa fuligine suffocantur, nec possunt extrinsecam diffiationem habere, fuligo & aër permiscentur in pulmonibus inuicem, vnde spuma fit, quam natura faciens violentam expirationem ad os mittit. In Epilepsia verò corpus quoddam est spumosum veriùs quàm spuma, quod fit ex pituita cum saliua existente ibi retenta, idque à spiritu inspirato & expirato. Idem senserunt alij, qui scripserunt in Apoplexia spumam fieri spiritus viam sibi quærẽtis interceptione,

Spumæ generatio.

materia è pulmone & thorace euocata: in Epilepsia verò materiæ à cerebro eductæ agitatione, ac motu violento. Morbus attonitus ratò sine altero resoluto corporis latere conquiescit, atque id ferè primis quatuor diebus contingit, vt semel iam atque iterum diximus, sed id spatium si morbus transit, occidit. Sæpe tamen adeò leuiter aliqui sic laborauerunt, vt solo distorto ore, sensuque ac motu lapso, neque spumauerint, neque stertuerint, remediisque curati nulla orta neruorum relolutione conualuerint. Apoplexia maximè fit à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum: præsertim si ex atra bile oriatur. Senes opprimuntur tum ab eius magnitudine, tum ab ætatis miseria. Inuadit & iuuenes quandoque, sed non nisi ob magnam causam, quæ docet deterius malum esse. Quibus caput graue frequenti sopore tentatur, & corpus omne pigrescit, inertiusq; euadit, & oculi obtenebrescunt, hi Apoplexiæ opportuni sunt, maximè senes pituitosi, & crapulæ addicti, & qui angusta breuiq; sunt ceruice, fortasse quia in his spiritus vitalis aditu ad cerebrum faciliùs prohibetur. In eo morbo vtile est hæmorrhoides patefieri. Inutiles sunt frigiditates & torpores: mortiferi propter impeditum spiritum orti sudores. Curationi autem an sit locus nec ne, in primis videndum est. Nam cùm Apoplecticus mortuo sit similis, an æger viuat nec ne, his signis aliquot à respiratione sumtis cognosces: alioqui in deploratis minimè prophanãda sunt remedia, quæ multis olim profuerũt. Lanam carptam aut gosipium carptum, vel accensam candelam ori & naribus admoue, vel cyathum pectori. In his motus aliquis si videtur, respirat æger, & viuit adhuc: si summa immobilitas est, perijt. Speculum item ori & naribus adhibe terfissimum. Si maculatur ac velut caligine obducitur, respirationem vitamque testatur. Nõnulli hæc signa fallacia existimantes, iubent ægrum flagris cædere, vel acu pungere. Huiusmodi experimenta scribũt alij conuenire magis in syncope frigida, quæ communis est viris ac mulieribus præsertim hystericis, cùm in ea patiatur cor, & ita refrigeretur, vt cesset omnino prima respirandi necessitas, quæ est vt diffletur calor innatus cordis: remanet autem diapnœa, quæ est arteriarum. Sed in Apoplexia respiratio à vita non separatur,

Leuis Apoplexia.

Curatio.

ratur, ſpiritus animales tantùm ſuffocantur, & facultas intercipitur, ne ad inferiora demandetur; vt in ſtrangulatu contingit. Certè prædicta experimenta antiquis fortaſſe probata ſunt, quòd in quibuſdam reſpiratio natura minor eſt; & cùm minima reſpiratione indigeant, ſimiles mortuis videntur. Quare ex illorum ſententia ad tertiũ diem ſeruandi ſunt Apoplectici, nec ſepeliendi, cùm vires non emortuæ, ſed oppreſſæ tantùm ſint, & ſperari poſſit nouus contrarij humoris motus. In his enim diebus omnes humores ſuos motus complẽt, teſte Sorano. Ita viſi ſunt quidam velut reuixiſſe. Quoniam verò affectus eſt acutiſſimus qui proponitur, hoc loco potiùs à præſidiorum, quàm à victus ratione curatio auſpicanda videtur. Tamen vt conſueto progrediamur ordine, pauca hîc de victu legitimo adnectemus, & maximè qui phlegmaticæ Apoplexiæ tanquam frequentiùs contingenti, conueniat. Primùm igitur æger ſit in loco lucido, & aëre ad calidum decliui, vt materia foras euocetur: decũbat in lecto penſili, vel mobili: corpus vehementiùs concutiatur, multa fiat frictio ad excitandam naturę vim, liberanda obſtructa, & materiam præparandam. Æger omni ratione à ſomno excitetur. Primis diebus præſcribatur inedia: deinde concedatur cibus paucus, leuis, calidus, detergens, coctu facilis, mellitus, aromatatus: iuſcula auium, in quib. coxerint hyſſopus, ſerpillum, endiuia, ſatureia, calamentum, ſampſuchus, ſaluia. Panis quoque in eo iure maceretur. Detur & puls ex auena cum melle, & aniſi puluere, & amygdalatum cum melle & ſale. Potus ſit hydromel, vel oxymel. A vini potione abſtinendum: quanquam ſi malum proteletur, eo calente aqua temperato vtendum eſt. Diminuto morbo, etiam lectica aut curru geſtabitur æger. Quod ſupereſt in curando, principiò quia os propter muſculorum conuulſionem quandam ſæpe contrahitur arctè, & metus eſt, ne æger morſu diuidat linguam, aut ne non ſatis reſpiret, diducendum eſt os inſerto bacillo, aut ferro, aut oris ſpeculo à chirurgis vocato. Confeſtim etiam mittatur ſanguis, ne ob magnam ſpirituum obſtructionem ſuffocentur: præſertim ſi morbus eſt à ſanguine ventriculos cerebri & carotidas ſic obſtruente, vt ſpiritus vitalis nequeat pertranſire:

Medicamẽtorum ratio.

Venæ ſectio.

quod ex tumore illorum vasorum agnoscere licet. Vena igitur humeralis dextra tutò pertunditur, & post horas aliquot sinistra, vt vtraque pars exoneretur. Alijs humeralis dextra tantùm secatur, vel media, vbi vires & alia non dehortantur. Affectus enim magnitudo id postulat, sed copia sanguinis detrahendi potiùs diuidenda est, quàm confertim vacuanda. Commouere enim oportet, non exsoluere vires, & calorem extinguere. Magno verò iudicio opus est in modo coniectando. Nam si plus æquo detraxeris, hominem iugulasti: sin minus, adhuc causa permanet. Præstat tamen minus detrahendo delinquere: nam iterum venam rescindere satius est, si optimus successus apparuerit ex prima sectione. Sed ante sectionem perpetuò prædici debet periculum: quia venæ sectio vel liberat, vel occidit: adeò vt si post sanguinis missionem, pulsus, respiratio, faciei color, partium frigus, motus, sensus, & mens, omnia aut ex his aliqua in melius conuertantur, spes sit salutis in forti Apoplexia videlicet: si nihil horum appareat, nihil spei est reliquum. Quidam iugulares diuidunt, quia sunt quæ obstruuntur, & Apoplecticæ idcirco vocatæ sunt. Quæ remedium præsentissimum adferrent, si diuidi sine periculo possent: tum etiam non secantur, quia vinculo idoneo sine maiore periculo suffocationis, quod iã à morbo impendet, constringi nequeunt. Si à perito chirurgo aperiuntur, vulnus pice obducendum est potiùs quam vinculo stringendum. Si verò Apoplexia est à pituita crassa, lenta, interimq; ægrotus corpulentus appareat, reuulsionis saltem gratia incidatur dicta vena humeralis, minus tamen sanguinis depleatur. Refrigerando enim magis noceret. Debet autem fieri venæ lata incisio, vt sanguis qui velut congelatus crassior est, facilùs exeat. Et multo liberiùs mittitur sanguis in iuuenibus, vbi plenitudo est: quemadmodum suspecta est phlebotomia in ijs, in quibus Apoplexiam præcessit multa inanitio, qualis ex profusionibus sanguinis, vel immoderato vsu veneris esse solet. Obseruanda quoque interdum remissio in sanguinis missione. Remissio intelligitur liberiori quàm antea respiratione, meliore pulsu, & vbi pars aliqua immota moueri cœperit: alioqui exitus materiæ denegatur. Priùs enim

Iugularium venarum sectio.

enim corpus excitandum est frictione cum panno aspe-
riore, adhibito etiam sale in aceto dissoluto: fricandúsq;
que priuatim locus, & brachium, vnde sanguis detrahi
debet. Sanguis etiam quandoque mittitur è vena nasi,
vel frontis. Venas autem linguæ aperire non licet, con-
tracto ore. vbi sectio venæ non est commoda, cucurbitu- *Cucurbitula.*
lis vtendum est: quæ si prope iugulares adhærere possunt,
melius erit quàm humeris, vel dorso, vel natibus admo-
uere. Et quanquam hypochondrijs quidam admouent
eas, nocent tamen impediendo motum musculorum ab-
dominis in respirando, nisi extra paroxysmum. Fortes
etiam ligaturæ ante venæ sectionem, & post viles sunt: i-
tem percussiones validæ palmarum, & inambulationes,
vt sanguis recalescat, vel humor leuiter tantùm obstru-
ens in locum alium deponatur. Sed hîc quoque cautione
vtendum. Nam hominem pituita plenum vel sanguine si
exercueris, ei morbum comitialem, vel Apoplexiam con-
trahes. Post venæ sectionem vociferationes quoque, pun-
ctiones, pilorum euulsiones, & odoramenta excitatoria
adhibeantur ex galbano, castoreo, sagapeno. Nec non
potiones præscribantur ex puluere hieræ, & theriaca dis-
solutis in aqua saluiæ, vel aqua vitæ, quæ cum cochleari
infundantur in gulam, aut siphone. Aperto etiam ore a-
cetum mulsum instilletur, & pennæ oleo irino imbutæ
immittantur, vt vomitus prouocetur, idque in progres-
su magis quàm initio. Totum corpus oleo calente inun-
gatur, nardino, irino, costino, de castoreo. Impedienda
est enim semper congelatio humorum, & materia auer-
tenda, & vacuanda. Quare interim etiam caput rasum
irrigetur rosaceo, in quo serpillum aut calamenthum in-
coctum fuerit, vel decocto ex chamæmeli, anethi, sampsu-
chi, hyssopi ana m. ß. florum stœchados, spicæ ana ʒ iij. &
alijs consimilibus. Et hæc si nil profecerint, clysteribus v-
tendum est, quorum quantitas maior esse debet in hoc af-
fectu & alijs, in quibus sensus torpet, aut aboletur. Debent
etiam plurimùm acres esse, vt sua acrimonia irritent sopi-
tum intestinorum sensum. Decoctũ parandum est ex ce-
phalicis calfacientibus, incidentibus, in quo decoqui pote-
rit agaricus, vel semen carthami, vel colocynthis, sed lineo

panno inuoluta, ne intestina rodat. Tutiùs dissoluitur hiera diacolocynthidos, benedicta, diaphœnicum, electarium Indum, saccharum rubrum, mel anthosatum, olea calida.

Clysteres. Clysteres frequenter indantur, quia explent vicem medicamenti, quod per os assumi ferè non potest. Iis igitur vtendum, donec bona pars materiæ vacuata fuerit. Idem

Balani seu Glandes. præstant balani longæ conformatæ melle & hieris prædictis valentibus, nec non pauca colocynthide. vt ex puluere hieræ ʒvj. salis gemmæ ʒj. agarici ℈j. colocynthidis ℈ ß. fiant balani, antequam immittantur ligandæ filo, vt cùm opus erit, retrahi possint. Si ægri ad venæ sectionem initiò inepti fuerint, frigiditate scilicet multa, & torpore ac sensuum abolitione hominem occupãte, & adhuc malum perseuerarit, pituita vacuanda erit valentioribus & largioribus medicamentis, quia virtus expultrix multùm est sopita, & meatus angustiores sunt redditi, partibus scilicet refrigeratis, in seq; concidentibus, cùm non amplius sanguis cum calore & spiritu permeet. Huiusmodi sunt pilulæ cocciæ, de agarico, fœtidæ, ex euphorbio, à scriptulis quatuor ad sequidrachmam, syrupo stœchados, & aqua saluiæ dissolutæ, vt deuorari possint. Cùm enim Apoplecticus omnes ferè motus naturales & animales, imò & vitales prostratos habeat, datur medicamentum, cùm expergefactus fuerit æger, & loqui incipiet, tertio quidem aut quarto die à morbi principio, cumque per os assumere aliquid poterit. Postea sternutamentis & errhinis vtendum, atque vbi ad se æger redierit, gargarismatis & apophlegmatismis, quæ motu voluntario egent, vt in vsum veniat: quamuis dentes, gingiuas, linguam, palatum fricare liceat. Dantur & theriaca, mithridatium, diambra, & alia post purgationem, seu post vsum enematum, quæ vicem illius supplent. Hæc tamen damnat quidam inter recentiores, quòd recipiant multa astringentia, quibus materia contenta in corpore cerebri magis impingitur. adde quòd calida sint & odorata, ideoq; fumos in cerebrum emittant. Quare præponit vsum castorei cum pipere, vel zingibere, & momento euphorbij. Atque vt idem sentit, castorei odor, quia cerebro iniucundus est, ideò cerebrum minus ferit. At certè in declinatione, & vbi cerebrum fuerit

fuerit expurgatum, tutò dantur antidota prædicta, quoniam cerebro imbecillo ex morbo præcedente robur addunt, & materiæ reliquias digerunt. Sic quoq; damnat idem sternutamenta iam dicta ex puluere castorei, elleborı albi, piperis, quoniam materia non videtur excuti, quæ in corpore potius, quàm in ventriculis cerebri continetur: vnde ex agitatione capitis ac pectoris cerebrum oppletur humoribus ad se tractis. Ideoque videntur magis conuenire Apophlegmatismi: qualis est qui ℔. pyrethri, piperis, staphidis ana ʒ ß. thymi, origani ana ʒj. castorei ℈ j. masticbes ʒ j. vuæ passæ ʒ ij. adde cæræ albæ parum. ex his fiant pastilli mansiles. Sternutamenta tamen ab omnibus imperantur ad vacuandam pituitam è capite, & excitandam vim cerebri; & si in principio improbantur, saltē post vniuersalia remedia tutò applicari possunt. Inungitur & initium spinalis medullæ oleo nucum, rutaceo, costino, nardino, de castoreo, de euphorbio, de terebinthina, de nuce moschata, & huiusmodi alijs, quibus miscetur aqua vitæ. Præstat & vti medicamentis rubefacientibus circa caput, seu sinapismis, ac alijs quæ vim calfaciendi ac digerendi habeant: præsertim si prædicta remedia haudquaquam satisfecerint. Recipe olei costini vnciam vnam, olei è castoreo, & de euphorbio ana drachmas tres, sinapis drachmas duas, castorei ʒj. sagapeni ʒ ß. euphorbij ℈ ij. aceti ʒ ij. cum cæra quantū satis est, ad emplastri consistentiam coeant. Sinapismi quidem sartagini candenti admotæ vt ne vrat tamen, præferendi sunt, quamuis ea admoueatur, vt crassus humor liquescat, & vt cerebrum incalescat. Causticum etiam vertici admouetur. Immittitur & oleum rutæ in nares, & aures. Oleū itē saluiæ in easdē partes cum penna inditū vim magnā hīc habet, vt & laurinū, irinum, rutaceum raso capiti vel diligenter detonso affusa. Paratur & emplastrum ex sinapi & melle, aut aliud ex melle & stercore columbino, & capiti admouetur. Vesica foueatur oleo laurino & de castoreo, addito etiam scorpionum oleo.

Sartago ignita.

De Paralysi. CAP. XVII.

ΠΑΡΑΛΥΣΙΣ Græcis, resolutio vel relaxatio Latinis dicitur, quæ & πάρεσις quasi remissio, seu actionis *Vnde nomē Paralysis.*

defectio nominatur. Atque à symptomate ea denominatio tracta est. Et quamuis omnem denotet resolutionem, de ea tamen propriè quæ medietatem corporis occupat, effertur absolutè. Si priuatim alicuius tantum partis est, vt linguæ, brachij, vesicæ, particularis Paralysis dicitur. Est autem Paralysis, priuatio motus & sensus neruosi generis, facultate animali defluere prohibita. Exquisita enim est Paralysis, in qua nerui sensum ac motum amiserunt: imperfecta autem, in qua motus perit, seruato tamen sensu, multoque imperfectior, ac multo minùs Paralyseos nomine digna, in qua motu incolumi sensus aboletur. Etsi nonnulli hanc affectionem sensus resolutionem vocant; sed ἀναισθησία potiùs dicitur. Est enim resolutio, motus potius quàm tactus affectio. A stupore differt, quòd in hoc quidem seruato motu aut leuiter læso sensus amittitur, vnde stupor via ad paralysin esse fertur. In paralysi pars ægra vtroq; priuatur. Ab Apoplexia quoque dissidet, quòd hæc fit totius corporis, atque vnà etiam principum facultatum veluti resolutio. Paralysis verò est corporis secundum has vel illas partes (illæsis tamen interioribus sensibus) resolutio. Nam in dictione παραλύσεως, τὸ παρὰ minuit, vt in paraphrenitide, & parasynanche. Et qui verè sunt resoluti, ij sunt λυόμενοι, καὶ καταλυόμενοι, id est Apoplectici. Non verè autem, nec in totum resoluti sunt paralytici. Itaque variæ admodum sunt partes quæ hîc affici possunt. De quibus accuratè scripserunt iuniores. In primis, si ea affectio accidat cerebro affecto, non tamen secundum totum, (Apoplexia enim sic generaretur) sed secundum dextram, vel sinistram partem, simul cum dextra vel sinistra corporis parte, faciei quoque partes resoluuntur dextræ, vel sinistræ. Qui enim in faciem feruntur nerui, à cerebro sunt. At si dempta facie vnà prædictarum partium sensu motuque priuabitur, circa primum spinæ processum vel meninges affectum consistere conijcies: verum media pars tantùm affecta erit, ea scilicet quæ superstat è regione resoluti lateris. Quòd si non modò latus vnum, sed omnia membra inferiora facie excepta resoluantur, in eo loco, id est, in eius exortu ipsa spina offensa est, quæ tanquam omnium neruorum communis

Paralysis quid.

Ἀναισθησία.

Partes affectæ quæ.

munis origo est, qui sub facie existunt: verùm non secundum partem, sed ingenti affectione laborans, tota affecta erit. At si non ipsum principium spinalis medullæ affectum est, sed eius aliqua pars inferior, tum certum aliquod membrum quod ab ea spinalis medullæ parte neruos recipit, resoluitur. Et pars aliqua cum resoluitur, neruus qui eius motui deputatus est, aut musculus affectus est. Anatome autem docet, ex qua spinalis medullæ parte in vnumquodque membrum neruus distribuitur. Verbi gratia, in Aphonia vocales nerui per quartam vertebram exorti, ὧν τῆς ἀπνοίας respiratorij patiuntur. Sic oculorum resolutio, ad neruos qui à secunda coniugatione è caluaria emersi, in oculi musculos disperguntur, referenda est: palpebrarum, ad neruum tertiæ coniugationis per foramen ossis orbitæ transeuntis: labiorum ad latum musculum, neruos è primis vertebris, & ramos à tertia coniugatione: linguæ denique (vt in balbis post Apoplexiam) ad neruum è tertia aut septima coniugatione in linguã perreptãtem. Eodẽ modo resoluta manu, in principio cruicis, vel quinta vertebra, affectio subsistit, sensus tamen aliquis aliquando relinquitur, primæq; brachij partes illæsæ seruantur. Minori noxa laborant ob læsionem in septima vel octaua, sed maximum inde thoraci infertur nocumentum. In resolutione parui digiti, & media parte annularis afficitur neruus in cauitate olecrani, seu cubiti: in alijs verò tribus vulnerata est, aut affecta spinalis medulla circa principium neruorũ brachij. Per defluxionẽ omnes digiti patiuntur, aut per concussionem. In sectione non est necessariũ, quòd nerui in principio iungantur, & supra cubitũ separentur. Cruribus resolutis aut pedibus, in vertebris lumborũ, aut inguinibus consistit affectio, & facilius curatur, quàm in manibus. Sua est ano, pudendo vesicæ resolutio. Si descendat intestinũ rectũ, musculi suspendentes malè habent qui sunt in ipsis lateribus. Si excrementa retineri non possunt per aliquod tempus, sphincter resolutus est. In resolutione musculi vesicæ, & cùm pudendũ erigi non potest, existẽte seminis flatulẽti multitudine, nerui ab osse sacro vesicæ inserti ac pudendo sunt in vitio. Ex quibus colligere est non vnum locum in resolutione

præfiniri posse, sed diuersè affectos esse. Atqui cùm propter priuationem facultatis animalis quælibet resolutio generetur, quę à cerebro tanquam à primo principio medijs neruis ac per spinalem medullam tanquam per semitas ad sensus ac motus instrumenta delegatur, non immeritò cerebrum ipsum seu meninges, aut spinalem medullam, aut particulares neruos quosdam à cerebro vel spinali medulla ortos, aut denique ipsamet instrumenta in qualibet resolutione affici necessum est. Igitur ad huius rei disquisitionem tenenda est exquisitè ex Anatome omnis neruorum distributio, vt iam dictum est. Ex eadem quoq; dignoscitur qui fiat, vt in neruorum resolutione interdum motus, interdum sensus duntaxat, quandoq; ambo pereant. Quod quidem in his partibus quæ duplici neruorum genere participant, nil ambiguitatis habet, vt in lingua & oculis quæ mouentur quidem, sed non sentiunt interdum, vel illæsa sentiendi facultate rursum non mouentur: & vtrisque simul affectis neruorum generibus, nec mouentur, nec sentiunt. Verùm in quibus membris duri duntaxat nerui inueniuntur, si ablata cute subiectus musculus qui nudus est, immobilis videatur, sentiat verò tangentes, exiguam noxam ei accidisse putandum est, aut si vehemēs fuerit vitium, sensum & motum lędi contingit: sensum verò oblædi seruato motu in tali musculo fieri nequit. Tantam siquidem musculus animalis facultatis partem suscepit, quanta ad sensum sufficiat, ad eius verò motum non sufficiat. At si ad membrum aliquod pro motu nerui ad musculos inserantur, pro sensu verò perficiendo ad cutem, fieri potest vt interdum sensus, interdum motus, nonnunquam ambo simul pereant: nempe cùm neruus alterius læsus sit, alterius verò illæsus, vt si ab vno principio originem duxerint, fuerint tamen in via diuisi. Quòd si vtrique nerui simul afficiantur, & qui ad musculum deuenit, & qui ad cutem peruenit, simul sensus & motus pereūt, cùm videlicet cōmune principium affectum fuerit. Scies autem hoc, vbi communia cognouetis ipsorum principia, exquisitè considerando, num cerebrum ipsum vel spina sit affecta in eius principio, aut aliqua alia vertebrarum. Sed de partibus affectis plus satis. Est porrò Paralysis symptoma

Qui fit vt in paralysi interdum motus interdū sensus pereat.

Affectus qui.

ma in genere noxæ functionum animalium motricum & sensibilium planè ablatarum. Sequitur autem id symptoma nō vnum morborū genus, sed indiscriminatim quodlibet: nempe intemperiem, nec minus inflammationem, vel scirrhum, vel incisionem, prout variæ sunt eius causæ: de quibus magis particulatim lubet hîc agere. Continens seu coniuncta Parlayseως causa necessariò in neruo est, per quem spiritus tanquam radius in partes inferiores diffunditur: eaq; vel intemperies est sola, vel cum humore. A calore fieri posse perspicuum est, emolliendo neruos, humores pituitosos eliquando, & aditum humorum defluxioni patefaciendo: id quod vinum sua tenuitate calori coniuncta facit. Et Trallianus fieri aliquando scripsit ab intemperie calida sicca, quod vix credendum. Nam cum confertim & subitò Paralysis hominem corripit, dubitandum non est substantiam neruorum humore per defluxionem imbui, vnde molliores redditi extenduntur, & relaxantur, sicuti & tendones: quò fit, vt ob plenitudinem & obstructionem spiritu non transeunte, vel quia leuissima contractione opus est neruo ad mouendam partem, membrum concidat, & immobile permaneat. A quo autem humore id fiat, sat difficile est iudicare. Doctissimis viris neq; à melancholico succo, neque à bile fieri Paralysin visum est: quia humor melancholicus neruos potiùs siccat & cogit, quàm emollit: & bilis sua siccitate & acrimonia adaucta, conuulsionem potiùs inducit neruos conuellendo & contrahendo. Fit ergo vel à sanguine, vel à pituita. A sanguine quidem tenui, multitudine sua viam spirituum intercipiente, aut humiditate eosdem extinguente, aut neruos molliendo dissoluente: quemadmodum à pituita tenuiore multa à cerebro defluente, & in neruorum substantiam penetrante, irrigante, & molliorem efficiente; in quo idem accidit neruis, quod in Apoplexia cerebro. Frequentiùs tamen fit à pituita crassiore neruo tenaciter inhærente. Quæ communis est medicorum ferme omnium sententia, idque in altera cerebri parte, vel spina, vel particulari neruo. Constat tamen ex Hip. & bilem & melancholicum humorem sæpe Apoplexiæ & Paralyseως causam esse. Quinetiam alius quiuis humor in spina influxus pa- *Causa.*

ralysin committere potest: ac sæpe flaua bilis hanc infligit, quam sub finem intermittentium febrium in spinam dorsi & neruorum origines effunditur. Causæ verò aliæ sunt, quæcunque neruos contundere, comprimere, emollire possunt, vt ingens frigus, à quo est constrictio & conniuentia, profectio per loca frigida & niuosa, occursus aëris frigidi, præsertim ab exercitio & sudore. Euenit & his qui imprudenter sedent in lapidibus, & locis humidis, & iuxta fluuiorum ripas, & his qui sæpe inebriantur. Causis etiam annumerantur corpus durum extrinsecus aduenies, aut vbi laqueo vel manibus constringuntur, vulnus, vlcus, casus, ictus, contusio, luxatio, fractura spinæ, vel alterius ossis neruum comprimentis, somnus in spelunca, noua à gypso domus politura, lunæ radius, vapor argenti viui, porcinæ carnes & aquaticæ, tubera, fungi, profusum gaudium, tristitia, retentio alicuius purgationis capitis assueta, victus humectans, denique omnia quæ vis animalis transitum à cerebro per solidorum neruorum corpora impedire possunt. Transit autem ea vis, vt solis radij per aquam, vel aërem transeunt: licet visibilis spiritus substantialiter ad oculos perueniat: ad aliorum verò sensuum organa non substantialiter, sed tantùm irradiatiuè, cùm substantia spiritus sit luminosa, quod hic dictum sit obiter. Non semper tamen causa paralysis existit in neruis. Nam repleta à fluxionibus particula aliqua corrumpitur in primis sanguis, deinde vasa opplentur, quod cunctas spirituum vias impedit & cohibet, vnde refrigerationes fiunt, vertigines aphonicæ, capitis grauitates, conuulsiones quibus succedunt Paraplexiæ & Epilepsiæ, cum in cor, hepar, venam cauam fluxiones exiderint. Signa verò eius affectionis diagnostica notissima sunt. Nemo enim non Paralysim nominat, vbi motum & sensum deperdi videt. Hęc tamen à quibusdam traduntur. Pars resoluta celeriter friget. Ea quoque grauis est; & si attollitur, mox sua mole recidit ac relabitur, laxa, mollis, tum motus tum sensus expers. Cumque iam diu malum protractum est, ea contabescit Atrophia: oculus etiam qui est è directo partis affectæ, minuitur. Quænam præterea dictarum causarum paralysim

Quomodo fit transitus animalis facultatis per nervos.

Signa.

ralysim intulerit, ex proprijs signis, vel relatu, facile est internoscere. Quemadmodum & paralysis futura deprehenditur saltu, iectigatione, tremore, grauitate partium, turbatione sensuum, & eorum imbecillitate. Paralysis succedens Apoplexiæ, ea quæ primò inuasit periculosior est, & sæpe in Apoplexiam recurrit. Paralysis inchoata firmatur in Apoplexiam, quemadmodum debilis Apoplexia in Paralysin, quam Paraplegiam propriè dicunt. Resolutio quę non per omnia membra, sed in partibus est, nunquam acutus, sæpe longus, ferè sanabilis morbus est. Quæ à nerui sectione, seu diuisione, vel ruptura, insanabilis est; nec minus, si ex spinalis medullæ transuersis incisionibus, seu luxatione valida orta est. Resolutio rarissimè in alios morbos terminatur, sed eos sæpius excipit & finit, puta Apoplexiam, Epilepsiam, Lethargum, ab vtero factum strangulatum. Est & aliquando critis acutorum, quando materia transmittitur ad neruos. Paralysis quæ repentè subsequitur ictum, vel casum, desperata est: si verò paulatim, curari potest. Crebrò in hyemem incidit Paralysis, & ægerrimè in sene tollitur, quia debilem habet calorem natiuum: vnde etiam in illo frigidi crassique generantur humores. Pars resoluta vix ad pristinum statum reuertitur, si minuitur, similemq; colorem reliqui corporis non exhibet. Non modò enim animali facultate, sed & naturali, & quodammodo vitali destituitur. Colicus dolor qui fit à tenuibus humoribus, in artuum resolutionem sensu incolumi transit. Hemitritæus etiã in Paralysim terminatur. Pro valetudine est febrem Paralysi accedere, vel tremorem in ea fieri, quia materiæ expulsio significatur. Paralyticis ab Angina non totum corpus resoluitur, sed vsque ad manus duntaxat. Paralysim sæpe sanauit diarrhœa, maximè si deijcitur humor faciens paralysim. Sed his omissis, ad victus rationẽ iam pertranseamus. Resolutio quę à frigidis crassis ac viscidis succis pendet, victum postulat attenuantẽ, tergentem, incidentẽ, siccantem, & ob id pituitæ generationẽ impedientem: Itaq; versentur ægri in loco calido sicco natura vel arte per ignem luculentum, aut per suffitum ex caryophyllis, & alijs: primisque tribus diebus solius mellicrati vsu, aut pauco ptisanæ succo alantur, aut iure

Prognostica.

Curatio.

Victus ratio.

pulli cum cinnamomo & pipere contenti sint. Tametsi enim in morbis longis victus tenuis sit periculosus, hic tamen conuenit, quia parum effluit propter innati caloris imbecillitatem nimia humorum aut pituitæ abundantia contingentem. Perseuerante malo cibi euchymi & concoctu faciles, assique vel frixi exhibeantur, præcipuè carnes gallinarum, perdicum, turturum, turdorum, phasianorum, & auium montanarum, quæ caryophyllis, cinnamomo, & lardo configantur, vel lardum quo cõfiguntur, puluere nucis moschatæ & caryophyllorum aspergatur: vel eædem carnes assæ insper gantur fœniculo, petroselino, ac sale. Dentur oua sorbilia, vua passa, amygdalæ, pineæ, auellanæ tostæ, & pistacia condita. Inter olera vtantur hyssopo, saluia, maiorana, satureia. Vtantur & pane biscocto, anisatho, melanthiato, fœniculato, saccharato. Vitent pisces, lac, fructus, frigida humida omnia. Potus sit exiguus, sitimque quàm possunt maximam sustineant. Conuenit oxymel simplex, vel compositum cum acoro, iride Florentiæ, summitatibus saluiæ, stœchade. Aut decoctum cinnamomi, vel fœniculi, vel anisi, aut mulsam cum saluia parent. Aquæ frigidæ potu abstineant. Vinum, quia neruis inimicum & auget fluxionem, vitandum, nisi in declinatione; aut si propter consuetudinem vel stomachi imbecillitatem abstinere non possit æger, concedatur oligophoron, astringens, & dilutum, & saluiatum. De quo sic alij, vinum sua tenuitate per initia neruosas partes facilè implet, sed confert sub finem discutiendo & desiccando. Sua enim qualitate sanat eas affectiones, quas inuexit sua quantitate. Loco vini nonnulli imperant secundum Guaiaci decoctum. Potest & cinnamomum, & mastix, & caryophyllum in aqua concoqui, & inde hydromel parari. Somnus sit mediocris & nocturnus: diurnus verò nunquam, præsertim à cibo. Motus & exercitium, si illis vti licet, maximè conferunt: aut frictionibus vtantur ægrotantes gestationibus in lectica, curru, si per se moueri non possint. Balneas naturales sulphureas, aut aluminosas ingrediantur. Animi perturbationes deuitent. In summa omnia tam sumenda quàm admouenda, facultate calfaciendi & siccandi prædita sint: sic tamen vt initio multùm calefa-

calefacientia caueantur, ne fluens initio materia magis colliquetur,& fusa à calore per vias ab eodem calore latiores redditas,ad fluendum magis proriretur.vnde & præcipitur,à debilioribus inchoandum, & sensim vacuandum ac siccandum,quoniam affectio chronica est. Reliquæ igitur curationis ratio,à clystere & sanguinis missione auspicanda est,ex cephalica partis integræ,vel media aduersi lateris (vt materia è parte ægra reuellatur) si plenitudo adest,& ætas,tempus,corporis habitus,aliaque consenserint. Detractio porrò sit modica , ne corpus refrigeretur, sed materia paululum imminuatur. Sanguis enim & calor seruandi sunt ad frigidorum humorum coctionẽ & morbi longitudinem , sicut in resolutione à contusione, ictu, aut casu,fit venæ sectio , defluxionis imminente periculo. Liberior quoque fit,si febris iuncta sit. Venæ linguæ,si ipsa resoluatur,aperiuntur, præcedente tamen purgatione ac derivatione, vt suo loco dicetur. Misso sanguine rursum vtendum clysteribus, primò mollibus, dein acrioribus, quales parantur ex decocto chamæmeli,meliloti, betonicæ,hyssopi,sampsuchi,rutæ,florum stœchados: in quo dissoluantur hieræ,vel benedictæ,vel diaphœnicon, vel electarium Indum,& similia. Deinceps pituita ad expulsionem paretur incidentibus, tenuantibus, tergentibus primo triduo aut quatriduo leuioribus,deinde vehementioribus,qui ordo etiam in purgantibus seruandus est.Syrupi iam sæpe dicti sunt qui pituitam coquunt, syrupus de bizantijs,de quinque radicibus, mel rosatum cum decocto betonicæ,sampsuchi,hyssopi , saluiæ , chamæpithyos, herbæ paralyseos,& similium.Oxymel verò noxium putatur ob acetum.Fortiora sunt syrupus de stœchade,mel anthosatum,oxymel scilliticum. Phlegmagogæ sunt pilulæ de hiera, alephanginæ, mastichinæ, assaieret , agaricus trochiscatus: valentiores pilulæ cocciæ,aureæ,de agarico,fœtidæ,de sagapeno,de assa fœtida, de euphorbio, ex castoreo,& similes. Potiones parantur ex agarico infuso , rhabarbaro electo,diacarthami & alijs. Ac pilulæ & boli potionibus hic præferuntur , quòd oblongiorem moram in stomacho à partibus remotioribus trahant , & die sequenti à purgatione vtilissima sunt theriaca & mithrida-

Medicamẽtorũ ratio.

tium, sæpiúsq; ægri purgandi sunt interpositis quibusdam diebus scilicet. Post vniuersalem purgationem maximè conducunt apophlegmatisinata & gargarismata, errhina, necnon sternutatoria, præsertim si paralysis facta est post Apoplexiam, vel propter aliquam affectionem cerebri, vel vertebrarum colli. Tum enim vtile est pituitam è cerebro educere, quæ ad partes affectas fluit, & capita neruorum obstruit. Sed cerebro non affecto, fortasse ab illis est abstinendum. Reliquis temporibus medicamentis vtendum, quæ cerebrum ipsum roborent, & reliquam materiam digerant: primùm quidem per ea quę assumuntur: deinceps per ea quæ admouentur. Assumuntur diambra, diamoschus, castoreum, aut opopanax, aut sagapenum, quę dantur ʒj. pondere. Insuper antidotũ diatrion pipereon, conserua iuæ arthreticæ, anthos betonicæ, saluiæ, stœchados, enulæ, gentianæ, acori, ireos, zingiber conditum, theriaca, mithridatium, Aurea Alexandrina, confectio Anacardina, & huiusmodi. Vel composita, quale est hoc: ℞. conserua acori ʒiij. conserua anthos, conserua florum stœchados ana ʒj. pulueris diamoschi dulcis, pulueris pliris cùm moscho ana ʒij. seminis pæoniæ ʒj. chamæpytheos m. ß. cum syrupo conseruationis acori: fiat opiata. Ex prædictis pulueribus fiunt tabellæ cum saccharo in aqua conueniente dissoluto, vel condita cum saccharo puluerato. Quod ad admouenda attinet, si caput primò affectum erit, aut spinalis medullę principium, à dictis vacuationibus commodum erit circa occipitis cauitatem, quo loco spinalis medulla initium habet, vngere oleo nardino, costino, vulpino, de nuce moschata, de hypericq, de castoreo, de vermibus terrenis, de terebinthina laurino, de piperibus, de euphorbio, aqua vitæ in durioribus corporibus. Vt ℞. olei costini, olei de lateribus ana ʒij. misceantur. fiat vt dictum est. Olea non quæ laxant & emolliunt, vt liliorum, amygdalarum dulcium, sed quæ calfaciendo discutiant & desiccent, hîc vsurpanda sunt. oleum saluiæ arte chymica extractum multùm proficeret. Nonnulli sola aqua vitæ calida spinam fouent. Commendatur & plurimùm oleũ balsaminum, quod Principum tantùm est, & Regũ. Sed quia naturali carenius balsamo, ad eius imitationem multa parare

Opiata.

Topica.

rare possumus: quale est quod à Guidone Cauliaco descriptum est capite de Paralysi, vel quod Mathiolus supponit loco veri balsami. Hæc igitur admouentur locis, vnde nerui oriuntur. Ijsdem & latus resolutum fouendum est lanis in aliquo dictorum oleorum infusis. Quod etiam vt calefiat, linteis, aut pelle vulpina, & similibus operiendum est: aut fouendum decocto saluiæ, maioranæ, stœchados, rorismarini, hyperici, primulæ veris, pulegij, calaminthæ, omnibus in vino albo decoctis, & additis castorei ʒ ij. florũ stœchados ac spicæ ana ʒ j ß. Illis oleis addentur quandoque vnguenta Agrippę, Aregon, Martiatum. Tale est quod *Vnguentũ.* ℔. vnguenti Martiati, vnguenti Agrippę ana ℥ j ß. olei costini, olei nardini ana ℥ j. sagapeni, opopanacis dissolutorum in vino ana ʒ ij. cæræ parum. fiat vnguentũ, quo neruorum origo calidè inungatur. Fotibus sæpius iteratis aliquod ex prædictis vnguentis, vel sacculi superimponi debent. *Sacculi.* Qualis est hic, ℔. hyssopi, sampsuchi, hyperici, saluię, rutæ, foliorum lauri ana ʒ ij. spicæ, mastiches, castorei, florum stœchados ana ℈ ij. caryophyllorum, nucis moschatæ, macis ana ℈ ß. rosarum rubrarum siccarum m̃. ß. omnia contundantur, & ex eis sacculus vel sacculi parentur. Imò & ante vsum horum cucurbitulas læues ac citra scarificationem admouere oportet, vt ad membra calor & spiritus cum sanguine trahantur. *Cucurbitulæ.* Quæ si apponendis cucurbitulis minùs apta fuerint, vicinis saltem applicentur. Alij affigunt priùs eas circa ipsam neruorum originem: deinde *Stupha sicca vocata.* cæteris partibus, sensim ad membrum resolutum descendendo. Probant etiam stuphas siccas, quæ parantur ex decocto herbarum conuenientium, maioranæ, saluię, origani, calamenti, calendulæ, pulegij, serpilli, stœchados, & similium: in quod decoctum silices candentes inijciuntur, & extinguuntur, vt fumus fiat. Si morbus his non cedat, sinapismis, aut per ignem cauterijs, siue per aliud medicamentorum candens partem inurere non dubitabis. Dropax dorso affigitur, qui Recipit picis, terebinthinæ *Dropax.* ana vncias duas & semissem, pyrethri, piperis ana scriptula duo, castorei, euphorbij ana ℈ j ß. sagapeni, galbani, opopanacis ana drachmam vnam: omnia leuto igne liquefiant, & in pelle longitudinis dorsi extendantur.

Cædere quoque partes vrtica, vel imponere sinapi, aut scillam, (sed hæc remoueantur, vbi rubor cœperit,) aut eas-
Emplastrũ. dem picare, & picem sæpius auellere conuenit. Aut emplastra admoueantur: quale est quod Recipit farinæ seminis lini, seminis anthosana ʒ j. sagapeni, galbani ana ʒ ij. euphorbij ʒ ß. olei laurini ℥ iiij. oleide castoreo ℥ ij. Si neque cerebrum, neque spinæ initium laboret, sed ex reliquis eiusdem spinalis medullæ partibus affectio oriatur, eis ritè inuestigatis atque inuentis super eadem iam dicta medicamenta approximare poteris. Si etiã particularis aliquis neruus affectus est, eius origini prædicta remedia adhibebis: imitatus Galenum, qui Pausaniam sophistam sanauit admotis initio dorsi medicamentis, quæ alij medici digitis
Decoctum Guaiaci, vel radicis chinæ vel zarzæ parillæ. adposuerant. Historia notissima est. Postremũ remedium, vbi superiora non profecerint, est decoctum ligni, vel per se, vel cum radice chinæ, vel zarzæ Parillæ, cum victu attenuante. Si adsint balneæ calidæ naturales, præsertim sulphureæ, nitrosæ, bituminosæ, ijs vtendum, in eisque resoluta membra agitanda sunt, & harum lutum parti primariò affectæ admouendum. Non ita probantur aluminosæ, quia nimium astringunt, nisi forte in morbi declinatione. Aut si desint balneæ, earum loco ℔. aquæ quantum
Balneum quod arte paretur. sufficit ad innatationẽ, vt ad libras 100. adde sulphuris ℔. vj. aut bituminis tantundem. Eandem vim habebit ac naturale balneum, sed non parem efficaciam. Paratur etiam balneum ex decocto herbarum prædictarum: & à balneo, vnguentis, linteis, pellibus operiantur. Et hæc hactenus de
Curatio Paralyseos ab alijs causis. Paralysi, quam pituita excitauit. Sin ea est à sanguine, incidatur vena, vt dictum est. Si alius humor exuperat, vacuetur, vtantur ægri electarijs, & compositionibus temperatis magis. Admota etiam alia præsidia minùs calfaciant. Si ex ingenti frigore est resolutio citra humorum redundantiam, inuenta parte primariò affecta, prædictis medicamentis supra eam adhibitis curabitur, cerebro ac parte resoluta non neglectis. Si ab inflammatione, vel scirrho est Paralysis, horum affectuum curatione sanabitur. Si ab aliquo corpore duro extrinsecus adueniente, vt laqueo, vel manibus astringentibus, per eorum ablationem promptè curatur. Si ex fractis aut luxatis spinæ vertebris, luxationis

curatio-

curatione, siquidem curari poterit, sanabitur. Si ad vulnus, aut vlcus capitis, vel spinalis medullæ, vel aliorum particularium neruorum sequetur, ipsis curatis si curati valeant, resolutio persanabitur. Stupor autem cùm sit Paralysis imperfecta, (cum enim pars aliqua non plane excipit spiritus animales, fit stupor: qui si augetur fit paralysis,) internam causam habet humores pituitosos, crassos, lentos, cerebrum & neruos obstruẽtes: externam, quidquid partes comprimit, vt frigus insigne, quod frequenter stuporem inducit: & alias omnes causas quæ Paralysim inuehunt. Quare ijsdem ferè curatur remedijs, quibus Paralysis: nisi quòd tam vehementia remedia non postulat. Ac si crura aut membrum stupeat, racemorum calcatio confert, aut in musto particulam affectam immergere. *Stupor & eius curatio.*

De spasmo cynico, & quibusdam alijs particularibus resolutionibus.

Cap. XVIII.

TAMETSI ex ijs quæ superiori capite dicta sunt, facile sit cuiuis veram eius resolutionis, quę in vna duntaxat parte accidit, essentiam & curationem expiscari, nihilominus ne quid à nobis desideretur, de resolutione quarundam partium adijciemus nonnulla, præsertim quia ad eiusmodi partes quod pertineat, aliquid peculiariter considerandum venit: & qui in quibusdam exercebitur, de alijs non ægrè iudicium ferre valebit. Itaque à spasmo cynico dicto ordiemur. Sed prius mouebimus si ἀτασμὸν neruorum distensionem interpretari velimus vt Celsus, eam vocem ambiguam fore cum Paralysi. Siquidem distentio & contractionem & extensionẽ significat. Et huius distentionis oris duæ sunt causæ spasmus & Paralysis. Spasmus cynicus Græcis, conuulsio canina Latinis appellatur à canibus, qui mordere conantes dum escam defendunt, nasum atque oculum in latus conuertunt: vulgò torcura oris dicitur. Per hanc enim resolutionem, facies, oculus, labia, ac nasus in latus alterum deflectunt, & in obliquum contorquentur, siue quòd instar risus canini facies conuellitur & contrahitur. Hic itaque spasmus subita est *Spasmus cynicus vnde dictus.*

Spasmus cynicus quid.

contractio vel tempore facta resolutio musculorum masticatoriorum, & eorum qui peculiariter lati appellantur. In ea affectione quandoque cerebrum, sed secundum dimidiam eius partem afficitur. Interdũ nerui qui deferuntur ad faciem: nonnunquam partes ipsæ quæ læsas actiones habent, proprio affectu laborant. Et si cerebrum affectum est, non modò omnes faciei partes affici consueuerunt, sic vt oculus quoque lædatur, verumetiam simul cum ea tota corporis medietas è directo posita resoluta erit. Si verò faciei tantùm partes resoluantur in alterutra duntaxat parte, omnes partes quibus à tertia coniugatione nerui aduenium, vt temporarij, masseteréſq; musculi, labia, & pinnæ narium resoluuntur, & ipsius linguæ ac partiũ oris sensus duntaxat amittitur. Quapropter neruũ ipsum primariò affectum esse putandum est, qui à tertia neruorum coniugatione procedit. Quòd si fortè fortuna vna quæpiam faciei particula, aut sentiendi, aut mouendi, aut vtraque facultate priuatur, ea sola causam dispositionis continet: veluti si latus musculus affectus sit, & labrum ipsum, narium pinnæ, ac ferè tota mandibula, & gena vtraque resoluta videbitur. Similiter si supercilium vnum duntaxat fuerit resolutum, aut palpebra, affectus in ipsis particulis continetur. Et cùm latus musculus resolutus est, qui dextrã labri partem mouet, ipsa ad sinistram deflectitur, velut si is qui sinistram mouet resoluitur, ipsa trahitur ad dextram: adeo vt resolutam partem semper in aduersam deflecti cõtingat. Id autem accidit, quia partes animali facultate priuatæ relaxantur. Sanè verò partes vt participes eiusdẽ facultatis, munus suũ perficiunt, præsertim musculi: qui cùm operantur, ad suum principium seipsos contrahunt, & propterea oppositum ad se trahunt. Quemadmodũ vbi nerui magnitudine & robore æquales sunt, in ijs fit veluti quædam ἀντίτασις seu æquilibrium. Cùm enim musculi faciem vtrinque trahant, animali facultate per tertiam neruorum coniugationem, quæ à media cerebri regione oritur, deriuata: si altera pars laxatur, altera pro ratione trahens, etiam si nullo morbo laboret, laborantem tamen ad se conuellit. Quamobrem fit vt pars quæ turpis apparet, sana sit, altera quæ in contrarium ducitur, ægrotet, eiq; medicamenta

Partes affectæ.

Cur pars resoluta in aduersum deflectitur.

Quis affectus.

dicamenta sint admouenda. Quia igitur sic peruerti figura videtur, spasmus cynicus ad morbum figuræ oris à quibusdam refertur: sed id per accidens contingit. Est enim potiùs symptoma in genere noxæ functionis sensibilis, & motricis voluntariæ, si sensus ac motus deperdatur, modúsque læsionis est ablatio. Consequitur autẽ easdem causas quæ in capite præcedenti narratæ sunt: vt si neruis ortis à primis vertebris & ramis tertiæ coniugationis accidit refrigeratio, vel obstructio ob sudorem refrigeratum, vel ob ventum aliquem refrigerantem, sequitur labiorum & narium contractio, & fit spasmus cynicus. Si tam pars dextra quam sinistra læditur, fit Risus Sardonius, quòd sic affecti semper ridere videntur, Batrachium seu apium risus eum affectum inducit. Quanuis etiam interdum ex conuulsione alterius partis faciei musculorũ possit & facies ipsa lædi ac peruerti (vt diximus) ita vt similiter figura vitietur, veluti ex eorum resolutione. Sed spasmus est propriè partis, quæ distorta videtur: Paralysis verò partis oppositæ, quæ naturalem statum seruat. Nam in resolutione pars affecta laxa, mollis, à sana trahitur, in cõuulsione dura & contenta sanam trahit. Præterea in Paralysi saliuatio multa, in conuulsione non ita. Quoniam verò curata conuulsione ea sanatur resolutio quæ ab ea dependet, de ea in præsens dicere supersedebimus. Quod ad notas attinet, indicant spasmi cynici euentum dolor circa faciei ossa, stupor in cute eiusdem, & palpitatio multa in ea proueniens. Oris autem conuulsione iam aliquem affligi credes, quando illi os ad alterum latus contorquetur: & si oculum ad quem conuellitur, occludere nequit. Præterea si expirare iussus, flatus ab altera tantùm parte prorumpit, efflaturque. Obtortio curanda est quæ paulatim, non subitò inuadit, qualis est quæ Phrenitidi pernicioſæ, alijsq; acutis morbis morte iam imminente superuenit. Nec despiciẽda spasmi cynici curatio: quia timendũ ne in resolutionem, aut morbum comitialem, vel Apoplexiam commutetur. Atq; hîc quidem cum resolutione quam superiori capite tractauimus, cõmunis est curatio. Quare victus lex ab eo capite petatur, habẽdaq; semper ratio causæ ipsam facientis: præterquam quòd hoc morbo laborantem in loco tenebroso morari oportet.

Causa.

Risus Sardonius.

Nota.

Prognostica.

Curatio.

Quare & hîc ſanguinis miſſio ex vena cubiti externa, ſi nil impediat: & purgatio fortis, & clyſteres, & linimenta conueniunt. Sed quæ peculiariter ad hanc pertinent affectionem, ſunt ſanguinis à venis ſub lingua miſſio, & cucurbitulæ cum ſcarificatione, vel ſine ipſa pro ſanguinis redundantia, primæ & ſecundæ vertebræ affixæ. Errhina etiam adhibentur: quale eſt præter iam dicta: quod 2ℒ. nigellæ Romanæ maceratæ horis duodecim in aceto ʒi. pyrethri ℈ ij. excipiãtur ſucco maioranæ, quib. tepidis vtatur ieiunus. Apophlegmatiſm⁹ quoq; fiat, 2ℒ. radicis pyrethri, zinziberis, caſtorei ana ℈ ij. piperis ſtaphiſag. ana ℈ j. maſtiches ʒ ij. ſeminis ſinapi ʒ ß. hyſſopi, origani ana ℈ iiij. vuæ paſſę ʒ iij. excipiãtur omnia trita, & adhibita cęra ac pauco roſato melle, fiãt paſtilli manſiles. Gargariſmus etiã ex vſu eſt 2ℒ. origani, hyſſopi, thymi ana m̃. j. fiat decoctio inſufficienti quantitate aquæ, donec dimidium abſumatur: de qua 2ℒ. decocti ʒ xvj. oxymelitis ſcillitici ʒ iij. fiat gargariſmus, quo vtatur manè & veſperi ante cœnam. Proderit ijſdem ligatura, quæ in oppoſitum æqualiter & modicè veluti capiſtrum quoddam reſolutam partem reducat. In hunc etiam vſum conducit crebrò ſpecula intueri, quò videntes faciei torturam ægri, eam corrigere ſummo ſtudio nitantur. Cæterùm pars reſoluta vngenda oleo laurino, vulpino, rutaceo, & blandis frictionibus, manúſque compreſſione reducenda. Quæ Topica admouentur, conſeruentur calida. Nam refrigerantia valde nocent. Si ſpaſmus Cynicus eſt à conuulſione, prædictis oleis additur oleum de lilio. Ab inunctione applicetur ſacculus ex pulicariæ, herbæ paralyſis, origani, calamenti, foliorum lauri, rutæ, anthos an. m̃. ß. florum ſtœchados, ſaluiæ, ſambuci ana p. j. radicis pyrethri ʒ j. Is ſacculus calfactus ſupra tegulam irroratam vino, applicetur parti poſteriori capitis vſque ad quintam vertebram. Vel ex ijſdem herbis fiat decoctio in aceto, & pars affecta ſuffumigetur ex fumo. Applicetur & emplaſtrum ceroneum, & de meliloto, ſi malaxentur cum oleo rutæ, & ſimilibus. In hoc etiam affectu ab vtraq; cauſa confert in ore retentum fruſtum nucis moſchatæ, vel dimidia nucis moſchatæ pars oleo coſtino macerata, ſi in ore frequenter habeatur, plus auxilij fiet: vel radix pyrethri, aut ſaluiæ

Errhinon.

Gargariſmus.

Capiſtrum.

Topica.

Sacculus.

Tenenda in ore.

ſaluiæ, manſa in parte ſana teneatur. Si lingua reſoluta eſt, (reſoluitur autem ob dictas reſolutionis cauſas, & quibuſdam poſt morbi comitialis acceſſionem finitam, aut poſt Apoplexiam) corpore priùs diligenter vacuato, vt dictum eſt, venas ſub lingua exiſtentes incidere oportet, priùs tamen ſecta vena cubiti externa, ſi ſanguis redundauerit. Nec non cucurbitulam mento admouere licet. Apophlegmatiſmus quoque, & collutionibus ex ſinapi & ſimilibus vti expedit. Errhinis præterea ex ſucco anagallidis, vel cyclaminis, vel aqua mulſa, cui betæ ſuccus miſceatur. Sternutamenta etiam prouocanda narium titillatione, aut iniecto pipere. Gargariſmata fiunt itidem ex ijs quę ſiccant, & trahunt pituitam. Fiunt & formulæ ore tenendæ in hũc modum ℔. cubebarum, macis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, galangæ, piperis longi ana ʒ j. ſalis communis ʒ j. excipiantur cæra, contineantur ore. Vel ℔. nucis moſchatæ ʒ j. caſtorei ʒ ij. cum ſucco ſaluiæ fiant orbiculi, quos in ore ſæpe habeat æger. Vtatur & compoſitionibus mollibus cerebrum ac neruos roborantibus. Ægrotus loqui perpetuò nitatur, linguámq; nõ ſegniter exerceat. Occipiti & ceruici acria vnguenta illinantur, & laterib. maxillarum, quale eſt hoc: ℔. olei de euphorbio, coſtino, & de piperibus ana ʒ ij. cæræ rubræ, vel viridis quantũ ſufficit, fiat linimentum. Tempore inunctionis adde aquæ vitæ parum. Tegantur deinde partes pelle vulpina, vel leporina. Sinapiſmi, Dropaces, & alia remedia metaſyncritica, vel veſicatoria ex melle anacardino, vel ex cantharidibus (abſciſſis alis & capitibus) & fermẽto æquis partibus, parti poſteriori capitis apponantur. Rumpantur veſicæ. deinde ficus fructus, vel folia ſuperponantur. Si Paralyſis eſt laryngis, vel œſophagi (ea reſolutio dignoſcitur ex eo, quòd laborantes cibaria deuorare poſſunt ſpiſſa, liquida verò minimè: quia quæ dura ſunt, leui contractione facta propelluntur: liquida quia cedunt impellenti, cùm eam conſiſtentiam non habeant, ob id non deglutiuntur,) inungenda ſunt latera colli vſque ad clauiculam. Collutiones quæ ex acetp & ſinapi fiunt, conueniunt ad partem nimium dilatatam contrahendam: Item ex decoctione gallarum, & nucum cupreſſi: & maſticatoria, vt ſemen ſinapi exco-

Lingua reſolutio.

Formulæ ore continendæ.

Linimentum.

Ruptorium.

Laryngis vel œſophagi reſolutio.

ptum mastiche, & caro citoniorum leuiter masticata, & subitò deuorata. Vesica relaxatur, aut fibris resolutis: qua ratione vrina non expellitur: aut musculo qui collum vesicæ constringit resoluto, quo fit vt non retineatur. Ea relaxatio curatur alterantibus & vacuantibus pituitam, vt dictum est. Venter & perinæum fouenda sunt irino, laurino, & scorpionum oleis. Et injicienda per catheterem olea calorifica, rutaceum, nardinum, è spica: aut oleum in quo eryngij radix, ruta, cyminum, aut anethum, aut simile aliquod decoctum fuerit. Vtiliter etiam oleo irino, & de castoreo cum galbano & sagapeno perinæum leniendum, vnà cum osse sacro, & tota regione vesicæ. Fiunt & iniectiones ex decocto herbæ paralyseos, foliorum lauri, saluiæ, artheticæ, radicis cucumeris agrestis, vel ireos, vel enulæ.

Vesica Paralysis.

Fotus.

Iniectiones.

Cucurbitulæ.

Emplastra.

Cucurbitulæ affigantur supra nates primùm sine scarificatione: postea emplastrum ceroneum, vel ex pice admoueatur. Hęc enim trahunt sanguinis & spiritus copiam, vnde pars incalescit, & humorum crassities ac lentor attenuatur ac inciditur. In declinatione olea quæ habent aliquam astrictionem simul cum calore injiciantur vel misceantur alijs, vt oleum nardinum, oleum de absinthio, oleũm in quo decocta sit radix pyrethri. In paralysi vesicæ si contingat vrinas supprimi, prouocentur. Eadem ratione curatur resolutio intestini recti. In ea vel resoluuntur musculi suspendentes, qui in lateribus recti intestini positi sunt, & fit descensus recti intestini; vel sphincter resolutus est, & alui excrementa non possunt retineri per aliquod tempus. Curantur hæ duæ resolutiones clysteribus, & suffumigijs.

Intestinirecti Paralysis.

Clysteres.

Clysteres fiunt ex astringentibus & calfacientibus ℔. radicis acori, cyperi, galangæ ana ʒ ij. foliorum saluiæ m. j. pulegij, absinthij m. ß. florum stœchados, rosarum ana p. j. fiat decoctio in aqua & vino styptico, & in libra dimidia dissolue castorei ℈ ß. ladani puri ʒ ß. Balani item fiunt ex ladani ʒ j. castorei ʒ ß. malaxentur simul, & fiant suppositoria crassa. Suffumigia etiam sunt ex vsu potenter siccantia ℔. corticis nucum ʒ j. castorei ʒ j. styracis rubræ, ladani, hypocistidos ana ʒ ij. excipiantur pice, & terebinthina: fiantque formulæ, quibus suffumigetur anus per embotum, vel sedeat æger in sella perforata, pannis inuolutus.

Balani.

Suffumigia.

lutus. Adduntur his quandoque fœtida, quia non solùm vterus fœtidos odores fugit, sed & rectum intestinum, & aliæ corporis partes sponte naturæ. In hac affectione vsurpari etiam possunt fotus circa anum in principio, & post purgationes. Fiunt autem ex prædicto decocto clysterum, addendo quæ magis astringunt ℔. foliorum verbasci ñ. j. balaustiorum, sumach, hypocistidos ana ʒ ij. Neq; verò astringentes & calfacientes fieri debent fotus, nisi purgato prius corpore, recto intestino intrò reducto, admotis etiam cucurbitulis in fine ossis sacri propè caudam vtrinque vna. Inunctiones etiam circa dorsum fiunt. Harum autem resolutionum exemplo reliquę curari possunt. Vt in paralysi artuum, siue extremorum, corpus in primis vacuandum est, præparata videlicet materia: cerebrum deinde exiccandum, & reliquum corpus: postea supra partem vnde nerui mouentes membrum resolutum oriuntur, cucurbitulæ & vesicatoria apponuntur, & vlcus manet apertum. Supra omoplatas quidem, & in medio, si paralysis est in brachijs: supra vertebras lumborum, si crura sunt resoluta: & supra os sacrum, vbi vesica, penis, vel rectum intestinum. Itidem supra partem affectam admouentur cucurbitulæ, sed cum paruo igne, & sine scarificatione, vt fiat tantummodo ad partem attractio, non attracti resolutio. Inunctiones quoque fiunt ex oleis præscriptis, tum circa loca originis, tum vel circa ipsas partes resolutas.

Odores fœtids.

Extremarũ partium resolutio.

De Epilepsia. CAP. XIX.

ΕΠΙΛΗΨΙΑ Græcis sic dicta est ἀπὸ τῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, quòd mentem sensumque, pariter & supernas partes apprehendat. Nonnulli *ἱερὰν νόσον* vocant, vel quia morbus magnus est: quicquid autem magnum, id Græci sacrum appellant, vel quia cerebrum sacram & honore dignam partem occupat. Quidam Ἡρακλείαν νόσον, id est, Herculeum morbum, vel quia contumax & difficilis curatu est: vel quia Hercules eo laborarit. Omnes enim heroës vt melancholici facilè euadunt, sic & Epileptici. Quidam puerilem, quòd ea pueri frequẽter corripiantur: præsertim cùm dentire incipiunt. Alij lunaticum, quòd lunæ motu

Epilepsia vnde nomina ta.

commoueatur: vel quòd interlunio nati illi sint obnoxij. Alij caducum à cadendo: Comitialem à comitijs Romanorum dictum voluntquia nimirum soluebantur, si quem in ijs prehenderet. Itaque supradicta nomina indita sunt, habita ratione vel symptomatum, vel loci, vel causæ efficientis, vel eorum qui frequentius eo corripi solent, vt pueri. Est autem Epilepsia conuulsio omnium corporis partium non perpetua, sed quæ ex temporum accidit interuallis, cum mentis ac sensuum oblæsione. Quæ quidē est descriptio symptomatum, nempe læsionum sensus ac motus: cùm ipsa morbi essentia sit obstructio, vel alteratio, vt ex tribus Epilepsiæ generibus colligitur, de quibus posteà. Distinguitur Epilepsia ab omnibus morbis frigidis cerebri, præsertim vehementi & inæquali concussione corporis, & spuma in ore collecta, seu spumoso corpore, de quo in Apoplexia dictum est antea. Quæ tamen notæ in leuiore Epilepsia non apparent: vt in ea quæ ob tenuiorem materiam, & fumum acrem excitatur. Differt & ab Emprosthotono, Opisthotono, ac Tetano, quę sunt differētiæ cōuulsionis veræ: quoniam in iam dictis perpetua, in Comitiali ex temporum interuallis conuulsio accidit. Insuper in vera conuulsione nullum fit principibus functionibus nocumentum. In morbo Comitiali non modò functiones principes, verùm & motrices ac sensibiles operationes detrimentum patiuntur. Quod autem hic affectus cerebri vitium sit, constat ex ijsdem functionibus læsis cùm principibus, tum motricibus, & sensibilibus iam dictis, atque quòd laboret cerebrum vt pars instrumentalis, liquet manifestè, hoc est secundum ventriculos, & non secundum ipsum corpus, seu tanquam pars similaris. Ferè enim ob pituitæ in ventriculis aceruatæ multitudinem accidit: tametsi id in controuersiam à plærisque versum est: de quo paulò pòst agetur. Proinde horum symptomatum tum generatio, tum solutio subitaria est: quòd per corporum intemperiem fieri nequit. Cumq; spiritus animalis propriū animæ instrumentum contineatur in medio ac postremo ventriculo magis, certè secundum eosdem ventriculos affici cerebrum oportet, cùm neque Apoplexia ex affectione ipsorum anteriorum generari possit, nisi & medio & postremo

Epilepsia quid.

Epilepsia distinctio ab alijs affectibus cerebri.

Pars affecta.

ſtremo ventriculo communicaretur. Opus nanque eſt, vt in vtriſque affectibus tam anterior cerebri pars afficiatur, quàm poſterior. Et quanuis excrementa retineãtur in anterioribus cerebri cauitatibus, niſi impertiantur medio & poſtremo, nec Apoplexia nec Epilepſia generari poterit. Atqui connumerandus eſt hic affectus in eo ſymptomatum genere, quod eſt functionum animalium: quæ cùm in triplici ſint differentia, in cunctis per morbum Comitialem noxa aduenit. Nam cùm ſit de genere conuulſionis, in eo motrix facultas erit deprauata. Et cùm is qui ſic laborat, neque audiat, neque videat, neque vllo ſenſu quidquam percipiat, erunt quoque in eo omnes ſenſibiles functiones abolitæ. Ad hæc cùm ratio ſimul cum memoria oblæſa ſit, cohibitæque ſint functiones principes omnes, in hac affectione animales omnes functiones lædi par eſt: ſed motrix deprauatè læditur, principes verò & ſenſibiles ablatè. Porrò de cauſis Epilepſiæ, & generationis modo variæ ſunt ſententiæ. Veterum conſenſus fuit ab humore craſſo, lento, & ferè ſemper frigido Epilepſiam procreari, eoque vel pituitoſo, vel melancholico, (Rarò fit à ſanguine, rariſſimè aut nunquam à bile, niſi per conſenſum) quẽ humorem craſſum non adeò multum eſſe oportet, vt penitus obſtruat, vimq; ipſius cerebri exuperet (alioqui non Epilepſiam, ſed Apoplexiã pareret) verùm quantitate mediocrem, vt ad eius depulſionem, quam natura totius corporis concuſſu molitur, cerebro vires adhuc ſuppetant. Sicque ab eo humore fieri volunt obſtructionem in hoc, vel illo ventriculo, vel certè pluribus, vt interceptis vijs ſpiritui ad neruos aditus minimè pateat. Similem obſtructionem flatus ac ſpiritus craſſus efficere poteſt. Sed inter recentiores quidam id genus mali & obſtructionẽ, ſi quæ ſit, contendunt contingere ob anguſtiã meatus à poſteriori cerebro ad ſpinam, vel ob imperforatã aut ſtrictiorem lacunam ad palatum aut ad nares. Nec id ſine ratione, propterea quòd ſcripſit Galenus optimè comparatum eſſe à natura, vt per meatus decliues cerebri, tum per palatum in os, tum per corpus narium orificijs perſpicuis ac magnis, pituita aut alia cerebri excrementa excernantur: ne animal frequenti Epilepſia corripiatur: vi-

Quis affectus.

Cauſa.

demúſque per illam viam expurgari materiam, quæ Epilepſiam excitauit, ac ſpumam ex ore educi. Verùm alij ex iunioribus ad obſtructionem hæc ſymptomata minimè referunt, ſed ad ſenſum moleſtum rei cerebro noxiæ, vel quantitate vel qualitate. Quantitas quidem cerebro grauis eſt, eiúſque vim expultricem excitat, quemadmodum qualitas maligna animali virtuti infeſta, cauſa eſt quòd ipſum mouendi patiendíque inſtrumentum in ſe recurrat, & contrahatur, atq; ita conuulſionem inducat: quod dum fit, ſpiritus laborat, & velut attonitus in depellenda morbi cauſa ſic verſatur, vt alias functiones deſerat, ac proinde nõ imaginari, non ratiocinari, non meminiſſe poteſt. Imò quia ferè ſe totum in ventriculos, tanquam in arcem recipit (vt & ſpiritui vitali accidit, ſi quid cordi moleſtum eſt) ægri neque vident, neque ſentiunt, ſed priſtina facultate deſtituti muſculi, vrinam, ſtercus, & ſemen quaſi reſoluti profundunt. Obſtructio autem non tanta eſſe videtur, vt ſpiritus animalis curſum prorſus intercipiat. Et cùm plures ſint Epilepſiç ſpecies, de quib. paulò pòſt, cauſa ea cõmunis omni Epilepſiæ eſſe nõ poteſt, ac primæ tantùm ſpeciei cõuenit. Rurſum aduerſus veteres multa in contrariũ afferũt iuniores, qui ab humore craſſo fieri poſſe negãt. Cita enim ſolutio materiæ & paucitatẽ & tenuitatem indicat, quòd craſſa difficilè moueantur. Idem demonſtrant oſcitatio, ſternutatio, ſpumæ per os exitus, tenuioris materiæ omnia indicia. Fit enim ſpuma, cùm frequenti agitatione, violentoque motu aqua tenuis agitatur, & ſpiritu aut vaporoſa quadam ſubſtantia comprehenditur. Accidit quoque frequentiùs ingenioſis hominibus ob tenuem cerebri ſubſtantiam valdè ſenſilem, victus rationem vaporoſam, flatus, vinum fumoſum, & ſimilia. Adde omnem Epilepſiam per conſenſum à tenui ſubſtantia oriri, vt vaporibus bilis flauæ, aut porraceæ, eorundem agitatione, aut acrimonia, fumis odoratis, aëre, vel vento per nares concepto. Videtur itaque cauſa eſſe tenuis, pituita ſpumoſa, bilis flaua, atra tenuior, & eius ichor, vapor acris, odor, ob cerebri ſenſum exactiorem. Nec etiam fit obſtructione tranſitum ſpirituum impediente. Vel enim motus in vniuerſum prohiberetur, vel minueretur quantitas

citas spirituum qui transeunt, non sufficiens ad partes inferiores mouendas, sed vehementior quàm antè apparet concussio, & motus inæqualitas. Probabile est igitur, cerebrum in seipsum contrahi, vt expellat, vt in sternutatione accidit. Sed in hac, materia est in anteriori parte iuxta narium foramina: in illa, materia subsistit in posteriori parte, vnde difficilior eius dissipatio. Certè vt conciliemus authores, atque de tanta controuersia decernamus aliquid, non ab vna causa fieri posse Epilepsiam arbitramur, vt ostendemus: prius tamen eius tria genera exponemus: quod facere in hunc locum distulimus. Primum genus est per essentiam in cerebro, cùm ipsum humoribus repletur, ab iisque animalis facultatis transitus per neruos impeditur. Tum enim principium nernorum seipsum quatit, quòd quod noxium est, excutiat. Secundum genus est, cùm per consensum similes conuulsiones accidunt, vapore bilioso à ventriculo in cerebrum ascendente, qui cerebri membranas mordens conuellit, & neruos omnium partium in consensum ducit. Quæ affectio inediam ferentibus, aut iratis, aut exercitatis, aut quibus os ventriculi læsum est, accidit. Tertium est genus, cùm aura virulenta ab aliqua parte corporis effertur in caput, vt à manu, vel pede, prædictas conuulsiones inducens: vel simplici alteratione transmissa, vel simul substantia quadam spiritali, vt fieri contingit. In his itaque differentijs tribus, multiplex causa statuenda est. In primo quidem genere quod est per essentiam, humores crassi lenti in causa sæpius esse possunt, siue ij obstruant meatus, non tamen in totum: siue ij graues fuerint, & sua grauitate irritent expultricem, siue angustiam oppleant. Et ij humores non dissoluuntur in spatio vnius accessionis, sed potiùs transferuntur à cerebri meatibus per palatum, aut nares, vel spinalem medullam inferiùs: atque ea ratione finitur accessio, non autem humoris dissolutione. Alioqui materia etiam in eodem genere acris, tenuis, vel aquea, seu spumosa esse potest, quæ sua qualitate molesta est, facileq; dissoluitur: quemadmodum bilis in secunda specie, & vapores itidem acres in tertia. Ab his enim causis cerebrum comprimitur ac constringitur, eo modo quo in singultu à

Epilepsia triplex.

causa mordente cogitur ventriculus, ad eamque cerebri compressionem sequitur, vt transitus facultatis animalis impediatur, & nerui ad originem conuellantur. Ab vtero quoque fit Epilepsia ob imprægnationem, vel ob suppressionem mensium, seu corruptionem seminis, vel secundinæ retentionem, fit & à vermibus. Sæpe etiam fit à virulenta materia, quæ latet in abscessu longo, subiectis carnibus, vel osse corruptis. fit & Epilepsia à repletione hoc est satietate ciborum immoderanter ingestorum & à vi-
Nota. nolentia, seu cruditate. Sed de causis & generatione propositæ affectionis satis superque. Præcedunt eam corporis animique inconstantia cum motu non voluntario, tristitia, (in quibus malum sequitur Melancholiam morbum) & eorum quæ percipiuntur obliuio, turbulentæ somniorum imagines, capitis grauitas ac dolor (præcipuè ad iram commoto homine, mentis error, sensuum stupor, neruorum tremor, vertigo, tinnitus aurium, sternutatio,) anhelitus difficultas, pallor faciei, & linguæ inordinatus motus, nonnulli verò eam mordent: vrina præter solitum tenuis & cruda, tum aliàs, tum si quis etiam dolor aut conuulsio summum humerum, aut ceruicem, aut caput occupet, aut torpor corporis accedat. Hæc autem ferè omnia pendent à mala temperatura, & abundantia humorum corrumpentium omnes sensitiuas actiones, tam interiores, quam exteriores sat cognitas. Et quàm primùm malum inuaserit, ægri conciduut, facultate quæ rectum corpus tenebat subitò retracta, vel impedita: conuelluntur-que toto corpore, breuibus saltuosisque motibus concusso, vt humorem noxium excutiat: stertunt plærunque, atque interdum impotens quædam vox suboritur non aliquid significans, contorta est facies, tremunt alij, & circumaguntur. Verùm peculiaris est admodum huius vitij nota oris spuma ex motus vehementia: nec desunt quib. vrina & stercus præter voluntatem excernitur, nonnullis & genitura, (vt suprà dictum est) conuulsis scilicet & compressis partib. internis. hæcq; fortis Epilepsiæ signa sunt. Cognosces autē à pituita fieri Epilepsiam, si æger frequenter spuere solet, si somnus longè fuerit profundior, si ingenium stupidius: item ex victus ratione, excrementis,

actioni-

actionibus, colore & alijs consimilibus. Sua sunt & melancholico succo redundanti signa. Ea quoque in qua cerebrum primariò laborat, ab ea quæ per consensum est, distinguitur, quòd illis grauatur caput, obscurantur & caligant oculi, tardéque sentiunt, mentis stupor est ac tarditas, turbulenta insomnia, vehemens quoque conuulsio in his apparet: atque repentè hominem accessio adoritur, nulla symptomatũ præsentione. Alteram quæ ab ore ventriculi originem sumit, præcedit ventriculi dolor, distentio, cõpunctio, & difficilis inediæ tolerãtia: cumq; accessio proxima est, nausea, cordis dolor, atq; animi defectio: cùm verò desinit, vomitio aliàs biliosa, aliàs pituitosa. At si ob aliam particulam quandam laborant, vt sæpe à manuum pedúm ve digitis, vel à crure, ab vtero præsertim cùm fœtus gestatur, ex eadem parte primariò affecta distributionem mali ad superiora, hoc est ad cerebrum, fieri percipiunt, prædicuntque quod ipsis futurum est, cùm distributio vitij ad cerebrum vergere incipit, siue qualitas quędam sit, quæ alteratis per continuationem partibus à parte affecta ad cerebrum ascendat, siue spiritalis quædam substantia praua ac venenosa transmittatur. His etiam accidit, vt sine vehementi conuulsione concidant, sed veluti saliendo per interualla concuti videantur. (Quanquã & id cõmune est ijs, qui à stomacho comitiali morbo afficiuntur) Omnium manifestissimè hæc species deprehenditur. Ex ea quippe sede in qua mali fomes delitescit, prehendente accessione velut aura quædam frigidior tanquam per continuatas partes in cerebrum efferri percipitur, cuius etiam impetus incipiẽs iniecto arctiori vinculo, si pars id commodè ferat, intercludi cohiberiq; potest. Sed cùm Epilepsia conuulsio sit, aut potius cum cõuulsione, hi motus qui ad sensum rei molestæ transferuntur, & sunt per cõsensum, quales ventriculo diximus accidere per singultum, reuera neque à repletione, neque ab inanitione fieri dicẽdi sunt Epilepsia verò, quæ primarium cerebri vitium est, ad conuulsionem à repletione pertinere videtur, non absimilis ijs quæ à spinali medulla principium habẽt conuulsionibus, cùm crassus & frigidus succus in ventriculis cerebri aggregatus explantationes neruorum, & maximè

initium ſpinalis medullæ comprehendit, & irrigat. Ex quibus colligitur dictum Hippocratis, Quòd ſpaſmus eſt à repletione, vel ab inanitione, de vera cõuulſione intelligendum eſſe. neque fieri poteſt, vt cerebrum ad tantam perueniat ariditatem, vt corio quid ſimile patiatur. Hinc etiam patet, quòd motus quiuis Epileptici non ſunt veri ſpaſmi, ſed vero ſpaſmo ſimiles, quia in vero fit contractio præter voluntatem: alij verò motus miſti ſunt ex re præter naturam, & à voluntate. Cæterùm hoc vitij genus inuadit maximè infantes (quòd humidiori ſint cerebro & genere nerꝰuoſo valde imbecillo) ac præſertim eos quibus nõ naſcuntur puſtulæ in capite. Deinde pueris familiaris eſt Epilepſia ob multitudinem vaporum & humorum, vel ob vermium putreſcentium exhalationem, aut eorum adhuc viuorum, ſed materiam commouentium præſentiam. Infeſtat quoque adoleſcentes, & iuuenes: minùs verò ſenes ac decrepitos. De his alij ſic: pueris & quibus acrior ſenſus eſt in cerebro ad noxam percipiendam, & in pauca materia quæ quaſi ſpumeſcit & turget, familiaris eſt Epilepſia. In alijs & quibus craſſum caput eſt, & collum breue, Apoplexia. Hic affectus longus eſſe conſueuit, niſi crebris vehementiſſimiſq; acceſſionibus veluti acutiſſimus ſtatim iugulet. Si enim in pubertate, vel menſtruorum initio, aut puerperio ſolutus non fuerit, & poſt hoc tempus remanſerit, ſæpe vſque ad mortis diem prorogatur, niſi congruam medici curationem fuerit conſecutus. Comitialis morbus ſæpius viros, quàm fœminas exercet. Interpoles morbi Epilepſia 7. menſe, anno vel 7. vel 14. diſſoluitur. Grauiſſimus autem eſt, & incurabilis, cùm in caſu illo adeſt ſtertor, ſtridor dentium, peruerſio faciei, multa ſpuma, inuoluntaria ſeminis effuſio, & ſub caſum acclamatio. Vbi quædam alia abſunt, reliqua leuia ſunt, leuis Epilepſia eſt. Non omnis ſanatur morbus Comitialis ex pubere ætate, niſi alia rectè geſſerint: neque quibus in hac accidit, omnino permanet, ſi bonam victus rationem adhibeant. Magna ex parte Epileptici fiunt melancholici, & contrà. Quamuis Epilepſia pituitoſa non mutatur in melancholicum morbum. Etſi enim in cerebro extra venas propter caloris defectum non mutetur, in venis tamen & arterijs aduri & migrare

Prognoſtica.

& migrare in alteram naturam nihil prohibet. Morbus Comitialis tum pessimus est, cùm continenter recurrit, atque interualla accessionum habet minima, diuque vbi inuasit, immoratur: præcipuè si simul vertigo est multa, & difficillima respiratio, vehemensq; ac longa corporis agitatio, & post hanc succedens alta plurimaque quies Catochæ similis, sub qua amisisse homo quasi vitã credatur. Quòd si inter hæc nil iuuare etiam videbuntur remedia, quæ mouendis sternutamentis vtilia sunt, scire licet rem in pessimo statu esse: simulq; vehemens tremor est, neq; finita accessione meminit quidquam æger, pudoréve factorum mouetur. Irruit omni tempore, sed verno magis (quo etiã tempore periculosior est) & pluuiarum multitudine, atque Austrina cœli constitutione. Si annum vicesimum quintũ superauit, nunquam sanescit, maximè si Comitialibus natus est parentibus, aut fluentibus menstruis concetus. Si quid inde vitij fœtus contraxit, id magna ex parte conquiescit, vbi editus in lucem protinus euomuerit, multumq; aquosi excrementi ejecerit: sin minùs, manet morbus. In eodem tempore Alphos albus in capite natus, puerisque crustosa scabies spem curationis aliquam facit, maximè si morbus non ita diu traxit, & vitæ solummodo secutus est intemperantiam, aut si ab vna parte corporis, sensus venientis accessionis incipit, à manibus vel pedibus potiùs, quàm à lateribus, aut ab ipso (quod pessimum est) capite. Epilepsiæ in prægnantibus suscitantur quæ facilè conquiescunt discusso eo vapore vt per sternutamenta, aut ædito partu, aut vitioso humore ex vtero excreto. Obseruatum enim est à quibusdam neotericis Epilepsiam factam esse in cerebro tantùm sine vlla partium subiectarum concussione, sed solius capitis. Quod opinati sunt contigisse ex maligna aliqua materia in dextro ventriculo contenta, præsertim cùm in dextram partem caderet. Nam contrà, vbi totum simul afficitur corpus, neq; antè in parte aliqua accedentis mali sensus est, sed homo ex improuiso concidit, cuiuscunq; is ætatis sit. vix sanescit. In eodem morbo si mens læsa est, & neruorum facta resolutio, medicinæ locus non est. Illud prorsus pro valetudine est, si morbo Comitiali longa febris, ac

præcipuè quartana acceſſerit. Sæpe enim Comitialis morbus à quartana diu infeſtante depulſus eſt. Rigore quartanæ Epilepſia ſoluitur, vt quotidie obſeruamus iniecto vehementi metu, aut moto è crapula vomitu, vel alui profluuio, aut graui aliquo caſu quartanam quaſi excitatis naturæ pigræ viribus cocto humore ſolui. Iam vt ad curandi methodum veniamus, æger ſi infans eſt, vel etiam lac aſſumit, nihil moliendum, nec agendum: nam ætate ad calidiorem ſiccioremque ſtatum vergente, ac victu moderatione, ſua ſponte plærunque morbus finitur. Sat erit ſi ſalubris victus infantium, & eorum qui lacte nutriuntur, habeatur ratio. Igitur lac nutricis benignum ſit, & recrementis liberum: ſi infans adhuc lactans ſit. Quod fiet, ſi nutrix ea victus ratione vtetur, quam infra præſcribemus. Si conceperit nutrix, alteri lactandus puer committatur: idemque fiat, ſi lac nutricis ſelectum nõ fuerit. Craſſum etenim & plurimũ caſei habens ac nidoroſum, morbum Comitialem gignit. Nutrix victu attenuante non vtatur, ne plus vaſa vteri aperientibus, plurimumque ſanguinem menſtruum proritantibus, lac imminuatur. Propterea fœniculo, anetho, aniſo, ac alijs viridibus veſcatur, & non aridis, vt quæ magis acria ſint. Vis enim aliqua medicamenti ſupereſt in lacte, vnde præcipiunt dari mulieribus & capris alimenta medicamentoſa, vt lac vim medicamenti attrahat, & inde pueri purgantur, qui alioqui pharmacis inepti ſunt. Nutrix etiam à vino & venere lac ipſum corrumpente, vel naturam lactis mutãte abſtineat: ab ira, & corporis animique omni vehementi commotione, à crapula, à cibis malis, flatulentis, acribus, cæteriſque lac prauum gignentibus. Purgatio quoque conuenit, pro temperamento nutricis, vel humoris redundantia. A medicamento ſumpto mamma infanti non porrigatur, niſi ſub veſperam. Ab infante etiam remoueatur omne obiectum ſenſus inſigne & ſubitum, vt ſonitus vehementes, ſtrepitus, terrores, coruſcationes, cùm Matthęi Gradi filius repentino tubarum clangore Epilepticus euaſerit, & alij non pauci à cauſis ſimilibus. Conuulſus autem infans vbi experrectus, & acceſſione ſolutus erit, capiat indies antequam lac ſugat, ſaccharum album cum oleo ſeſamino,

Curatio infantium.

(quod

(quod fortasse minus gratum est) vel oleo amygdalarum dulcium, vel butyro mixtũ, electarij mollis forma ad purgandos humores prauos è ventriculo & intestinis, à quibus elati vapores Epilepsiam his adferunt. Dein sumat indies cochlear vnum syrupi de cichorio sine aqua. Vel manna, aut puluis tartari albi, vel nitri, si eius potestas est, (nos eo caremus) aut lapidis Iudaici, iusculo vel lacti cocto misceatur, quanquam horum trium suspectus est vsus. Pæoniæ maris præsertim radix transuersim secta, coronæ modo, confert collo appensa, vel quouis modo alio gestata, vt odoretur tamen: proprietate sua præsentem Epilepsiam sanat, vel impendentem prohibet. Smaragdus & corallium collo appensum, vt hodie fit à multis, est optimum. Puluis capiti inspergitur ex cypero, adiantho, iride. Insuper assiduè illinitur caput ex oleo anethino, irino, amaracino, rutaceo calidis, adiecto momento ireos, vel cyperi. Si puer est iam qui prehenditur, eius corpus molliter fricandum est, & inungendum. Eidem mel despumatum ad delingendum datur. Et ablactatis, præter victus rationem, vtiliter vtendi venia datur medicamẽtis. Namq; & glandibus paruis, quæ ex agarico, sale gemmæ, & puluere hieræ simplicis, ac despumato melle parantur, vti expedit, & clysteribus ex gallinarum seu pullorum iure, pauco sale, oleo communi, seu amygdalarum dulcium, melle rosato, agarico trochiscato, aut hiera picra, vel ambobus, si biennium æger excesserit. Potest & dari vel ipsis tenellis expressio ʒ ß vel ℈ ij. rhabarbari electi infusi in aqua graminis, vel cichorij. Lingendus quoque præbetur sæpius diambræ, vel diamoschi, vel mithridatij ℈ j. maximè si iam triennium, vel quadriennium transcenderit. Fit & mel passulatum, cui puluis pæoniæ, hyssopi adijcitur. Parantur & parui sacculi futuræ coronali applicandi, qualis recipit hyssopi, sampsuchi sicci ana grana iiij. corticis thuris, mastiches ana grana iij. spicæ, florum stœchados, maceris, caryophyllorum, nucis moschatæ, ana gr. j. rosarum rubrarũ siccarum gr. iiij. omnia terantur pro sacculo, vel idem puluis circa futuram coronalem inspergatur. Pileolus etiam seu cucupha sic fit: ℔. cyperi, ireos florentiæ, ana ℈ ij. seminis seseleos, & & pæoniæ ana ℈ j. capilli veneris, florum anthos, & cha-

Sacculus.

Pileolus.

Puluis.

mæmeli ana p. j. macis, cinnamomi ana gr. viij. Datur & pueris assumendus per os puluisculus hic: ℥. mannæ thuris, mastiches ana gr. iiij. nucis moschatæ, spicæ, cinnamomi ana gr. ij. hirundinis præparatæ ℈ ß. seminis, & radicis pæoniæ ana gr. iiij. pulueris cranij viri, si masculus est, fœminæ, si fœmina fuerit, gr. v. sacchari optimi ℔ß. ß. misceantur & fiat puluis. Tempora quoque & locus iuxta narium foramina ex antidoto mithridatica, succo rutæ, & pauco vino illinuntur. Ruta etiam sæpius odoranda offertur, & simul cerui cali substernitur. Fit & suffumigium. ℥. ladani ʒ j. corticis turis, mastiches, ana ℈ j. rosarum rubiarum ʒ iij. quo super prunas adhibito infans ac domus in qua degit, leuiter suffumigatur. Inungitur & spinalis medullæ principium, ex oleo nardino seu de nuce moschata, cum oleo rosato, vel amygdalino permixto. Adhibetur & cauterium in posteriori parte capitis, potissimùm si pueri sint obesiores. In vermibus dentur, quæ necant vermes. Vnguenta ex amaris admouentur non ori ventriculi, sed vmbilico. Mithridaticum, & theriacam tanquam fortiora in pueris Galenus damnauit. Sed iam de ijs qui post puerilem ætatem in hanc affectionem prolabuntur. Corpus eorum quando rapitur, loco lucido & mediocriter calido collocetur. Sublimius sit caput. Partes conuulsæ in rectum dirigantur, blandè fricentur, inungantur oleo, atque ita contineantur. membrorum enim agitationes vehementes cohibendæ sunt (ne corpus nimium fatigetur) sed cum moderatione, nonnihil ipsis concedendo, ne interim contendentes validè fibras neruorum & musculorum dirumpant, aut neruos ab origine diuellentes, in Paralysim incidant. In totum verò prohibere, nil aliud est quàm retardare paroxysmi solutionem: quia dum concutiuntur partes, materia morbifica discutitur. Deinde os aperiendum, cuneusque dentibus interponendus, ac penna oleo irino illita, pituitæ ex ore & stomacho extrahendæ gratia, vomitus prouocandus. Exacerbatione adhuc perseuerante glans immittatur ex agarico, sale gemmæ, hiera & despumato melle. Clysteribus quoque acrioribus vtendum: quanquam magis conferunt ipsis reuocatis. Nam in ipsa accessione materia à cerebro auerti debet modis omnibus,

Suffumigium.

Curatio adultorum in accessione.

bus, siue affectio propria erit, siue per consensum. Et in id prosunt iteratæ frictiones manuum ac pedum, nec non vincula dolorifica ijsdem partibus iniecta, non ad articulos vsque, ne omnino motus earum compescamus. Proinde & deligatura in scroto est efficacissima. Vsus quoque cucurbitularum scapulis admotarum proficuus. Vnguibus item scalpere occipur, plurimos iuuat, & ita excitat, vt admirationem moueat. Odoratis etiam sensum irritare oportet, vt peucedano, cyrenaico succo, bitumine, cedrina pice, quæ omnia tenuitate partium in cauitates cerebri penetrant, & digerendo siccandoq; materiam consumunt. Diductis etiam maxillis diffunditur in os castoreum, vel succus cyrenaicus cum oxymelite: vel totum os fricatur mithridatio, vel theriaca, vel puluere hieræ simplicis, & palatum illi nitur. Aut hæc in aqua vitæ aut saluiæ dissoluta in os injciuntur. Sic post auersiones materia digeritur suffitu castorei, assæ fœtidæ, pęonię radicis, & seminis eius. Ruta quoq; trita, & succus eius in nares turunda immittitur per se, vel cũ castoreo, pæonia assa, & similibus, Odor thymi & pulegij statim etiam excitat. Præbetur & oleum balsaminum vulgò dictum, naribus subditum olfaciendum: aut quod ex laterritiò lapide eximitur. Item aqua stillatitia cerasorum dulcium à recentioribus in os effunditur. Tardante accessione, piperis aut euphorbij parum infunditur naribus, & sternutatio prouocatur. In nares etiam & aures immittitur fœlici successu oleum roriſmarini, aut anisi, aut saluiæ arte chymica extractum. Eodem futura coronalis & lambdoides inunguntur. Plura alia tenuiũ partium olea in aures adhibenda destillantur, vt oleum de spica, de cinnamomo, de macere, de nuce moschata: vel alia quæ citra destillationem parantur, vt rutaceũ, sicyonium, de abrotano, addita aquæ vitæ ad tertiam partem, vt penetrationẽ acquirant, quibus & vnguntur futuræ. Nonnulli laudant catulos viuos, vel gallũ in medias partes sectum, capiti raſo admotum. Qui conualescunt, viribus recreatis, hiera Galeni, agarico trochiscato, aut alio medicamento conueniente purgandi sunt. Futuræ autem accessioni debetur sola prophylactice, cuius officium est, causam quę morbum factura est, adimere. Illa verò ferè pituita est.

Curatio ab accessione.

Victus ratio. Quare in primis vtilis est victus ratio incidens tenuans q;. Proinde aër sit calidior & siccior, qualis est in locis editioribus, perflatis, & montosis, ad meridiem vel orientem spectantibus. (Sin ex melancholico succo pendebit, ad calidum declinans aër deligatur, temperatus tamen sit in passiuis) Ergo ignis luculentus sit, & fiat suffitus cum caryophyllis, cortice citri, roremarino, maiorana, salua, stœchade, & alijs id genus, modò ne copia vaporum aut caput repleat, aut materiam exagitet. Panis sit selectus, qui furfuris partem habeat, & anisum per diem ante coctus. Cibus sit paucus, nec vaporosus, præcipuè in cœna. Nam ex alimento multo multus vapor tollitur, qui accessionem Epilepticam, & alia capitis vitia accersit. Cibus (inquam) cõueniens sumi debet mediæ materiæ. Propterea his non conueniunt sorbitiones, alijque molles & faciles cibi, neque caro, maximè suilla, vel caprina. Damnatur & caro anatis. Tamen ex volatilibus gustare licet carnes gallinarum, phasianorum, caponum, attagenum, auium montanarum, turdorum, turturum, alaudarum & passerculorum, quæ decoqui debent cum extenuantium alimentorum aliquo, vt hyssopo, serpillo, pulegio, sampsucho, anetho, & alijs eiusmodi. Pisces pauci conueniunt, vt lucius, trocta, solea, perca, & saxatiles. Vitentur legumina & præsertim lenticula: caseus itẽ, & lac: herbæ frigidæ humidæ, vt lactuca, portulaca, & similes. Sumantur aliæ, salua, maiorana, & præter cæteras hyssopus, qua sola decocta, & cibis largiter mixta, quidam testantur se multos persanasse. A cæpis, porris, allijs, eruca, sinapi, dauco, smyrnio abstinẽat, & præcipuè ab apio vulgi, quod proprietatem habet excitandi & detegendi Epilepsiam, vti odor bituminis, iecur caprinum, & hircinum assum, & sumtum. Capparis esus mirificè prodest. Fructus cauere admodum salubre est: quanquam voluptatis gratia modici, & magis à cibo offerendi sunt. Nuces & palmulæ vitentur. At pistacea & vuas passas super cibum sumere possunt, quæ leuem astringendi vim habent. Coriandrum etiam commendant, quod vapores ad caput ascẽdere prohibet. Potus sit aqua mulsa, vel aqua in qua coriandrorum semina, & cinnamomum decocta sint, aut vinum tenue, aquosum, dilutum: quod etiam

Apium.

etiam paucum, & aromatites, & aliter calidum permittitur, præsertim assuetis eo citra capitis aut ventriculi noxam vti, nisi corporis aut aëris intemperies calida vetet. Exercitatio prodest: nullo tamen ludo aut exercitio vtantur, in quo caput inclinare opus sit, aut frequenter in gyrum vertere. Frictiones itidem vtiles sunt linteo asperiore factæ: caput quoque pectine scalpendum, & frictiones ei postremo loco adhibendæ. Incipient enim à brachijs, deinde ad pectus perueniendum est: tum ad crura, & postremò ad caput. Fæces alui quotidie deponant. Caueant omnes ebrietatem, cruditatem, incessum per trabem, inspectionem ex loco alto & decliui, longam in balneo moram, aut sub sole æstiuo, qui caput replet. Vitent & subitam animi motionem, vt triste seu lætum nuntium, & terrorem quàm maximè: iram, sollicitudinē, negotia omnia, conspectum torrentium, & similium rerum. Somnus sit moderatus & nocturnus. Diurnum autem omnino fugiant. Vsus quoque veneris moderatus sit. Altera pars curationis est, vt constantibus viribus, & morbi causa id expetente, & sanguine caput obsidente, accendente quoq; magnitudine & frequentia accessionum, venam cubiti secemus. Verùm si malum futurum timetur, ineunte vere præseruationis ratione aut maioris reuulsionis gratia, comitialibus venas secabimus, quæ sunt in malleolis: non secus ac in fœminis in quib. menses sperātur, aut cohibiti sunt, & in quibus præterea malum inueterascit. Postea pituitosus succus redundās coquitur melle rosato, oxymelite simplici, vel scillino, syrupo stœchados, aut hyssopi, cum aqua mulsa, vel decocto hyssopi, betonicæ, maioranæ, stœchados, radicis pæoniæ, seminis nigellæ & similium. Ad præparationem humoris etiam Guaiaci decoctum commendatur. Si succus melancholicus redundabit, syrupus è fumaria, vel de lupulis, seu de epithymo propinetur, aut senę, vel epithymi in aqua mulsa decoctum, quibus & radicis pæoniæ decoctum commisceri poterit. Postea purgatio instituatur, sæpius repetenda: cauendaque semper erit exquisita in vna vice vacuatio. Igitur in cacochymia pituitosa, hiera picra simplici, agarico trochiscato, pilulis coccijs, aureis, sine quibus & de agarico vtendum: interdum ale-

Medicamentorum ratio.

phanginis & maſtichinis: & in robuſtioribus corporibus, fœtidis, alijsque. Imò in ipſa acceſſione ſi nimis eſt moleſta aut diuturna, pilularum fœtidarum & cocciarum ana ℈ ij. vel ana ʒ ß. ex aqua hyſſopi ſoluta dari poſſunt, ſi maius nil intercedat: vel electarij indi, aut diaphœnici ʒ ß. aquis capitalibus ſoluta. Præſtat tamen extra acceſſionem medicamentis purgantibus vti: apparata materia videlicet per ſex, vel octo, vel decem dies. Si humor melancholicus peccat, dentur pilulæ arabicæ, de lapide lazuli, de lapide armeno, ſeu puluis ſenæ & epithymi, hiera picra, & eiuſmodi. Poſt purgationes corpus reficitur, ac poſt duos vel tres dies cucurbitulę hypochondrijs affiguntur: deinde verò ſcapulis cum ſcarificatu. Hinc particulariter caput vacuatur medicamentis quæ ſternutamenta cient, vt ellebori albi, ſeu piperis, ſeu caſtorei puluere naribus iniecto, vel errhinis liquidioribus, vt aqua hordei, in qua ſampſuchus, amaracus, ſerpillum, calamentum, ſeu ruta decocta fuerint: adiecto etiam betæ, vel iridis, vel cyclaminis ſucco. Ad idem conferunt paſtilli manſiles, ex hyſſopo, pulegio, caſtoreo, chia maſtiche, pyrethro, vua paſſa, & cæra confecti. Reliquam in cerebro materiam reſoluunt, ac cerebrum frigidum humidum calfaciendo & ſiccando roborant acorus conditus, diamoſchus dulcis & amarus, diambra, pliris archoticon, ſcilla, electarium Rhaſis: & conſeruæ ijs admiſcentur, quæ aduerſus Epilepſiam valent. Ad eundem vſum valet & caſtoreum cum mulſa: aut oxymel ſcilliticum quotidie potum, cuius doſis eſt pueris ʒ ß. adultis ʒ ij. Dantur & compoſitiones tam molles, quàm ſolidæ roborantes cerebrum: quales hæ ſunt. ℔. conſeruæ bugloſſi, borraginis, anthos, & acori, item mithridatij veteris, & corticis citri conditi ana ʒ ij. puluerisradicis pæoniæ maris, viſci quercini & cranij interioris maris (ſi mas eſt) fœminæ (ſi fœmina) ana ʒ ß. raſuræ eboris, & cornucerui an ℈ ß. cum ſyrupo de hyſſopo, vel de ſtœchade fiat opiata, vel cum ſaccharo conditum: Vel ℔. myrrhæ electæ, coralli rubri, raſuræ cornucerui & eboris ana ʒ ß. ſeminis pæoniæ maris, viſci quercini, & cranij humani ana ℈ j. cum ſaccharo in aqua bugloſſæ diſſoluto fiant tabellæ ponderis ʒ ij. æger eſitet

Opiata.

Conditum.

Tabellæ

vnam

nam quotidie, manè & vesperi. Ita virium ratio habe-
itur, & morbi causa oppugnabitur. Radix pæoniæ collo
estanda semper apponatur. Neque prætermittendi sunt
cculi, vel cucuphæ iam antea descriptæ. Spinæ initium *Topica.*
ngatur oleo costino, nardino, hyperici, de castoreo, de nu-
e moschata, & consimilibus. Postea radendum est caput,
bniendum peucedani succo in aceto dissoluto. vel spon-
lium & serpillum in aceto coquantur, aut iris: & eodem
odo illinatur. Caput etiam abrasum oleo irino fricare
xpedit, aut laurino, & succo calaminthæ, aut anethino, &
luereradicis ireos. Aut apponatur emplastrum ex melle
rutæ foliis trius, aut melle & oleo rutaceo. Si malum
is non cesserit, adhibe sinapismum capiti, aut ferro can-
ente adure, quo loco vertebra cum capite committitur,
eu in fine occipitis. Causticum etiam post aures appo-
itur, vel vtrique brachio ad musculum deltoidem, & diu
ulnus apertum tenetur. Prosunt & Comitialibus balnea
aturalia, & frequens vsus theriacæ à purgatione. Sin ve- *Curatio Epilepsiæ per consensum Ventriculi.*
ò Epilepsia est per consensum, vt à ventriculo primariò
ffecto, summopere cauendæ sunt cruditas, ebrietas, &
ames, præsertim si calidus & biliosus humor fuerit. Ali-
nenta sint boni succi, & facilis coctionis. In prandio su-
nant carnis turturis aut turdi parum cum pane, aut pul-
gallinacei iecur assum, aut vitellos ouorum coctos, &
orbiles. Postrema mensa sumant aliquid puleuris à pastu
icti capite de vertigine. Quandoque datur panis solus, si
on sitiat æger, aut si sitiat, madeat panis ex vino albo, &
stringente. Huiusmodi vinum robustum efficit ventri-
ulum, neque caput tentat. Vomitus prouocetur, si adest
ausea, aut ventriculus cibo plenus est. Detur & singulis
nnis bis aut ter medicamentū ex aloë, quod totum ven-
rem purgat, viresque reparat. Eo plures sanati sunt, præ-
ertim si in eis flaua bilis in ventriculum decubuit. Sin pi-
uita in causa fuerit, agarico adiuncto purganda est. In *Agaricus Veratrum nigrum.*
oc enim affectu siue per essentiam, siue per consensum,
garicus non prætermittatur, quemadmodum nec vera-
rum nigrū, potissimùm si nigra bilis causa Epilepsiæ fue-
it. Mirū etiam in modū confert assidua crurum scarifica-
io in talo, vel poplite: vel sanguinis derractio è malleo, ad

materiæ in cerebrum aſcendentis reuulſionem. Confirmetur vẽtriculus, ne deinceps huiuſmodi tetros humores colligat, aut vapores ſurſum mittat. Id fiet aſſumptis diarhodon, & alijs tabellis: admotis verò fomentis aſtringentibus ac linimentis. Si qui alij ob oris ventriculi vitium correpti ſunt, & non probè concoxerũt, aut vini plurimum potarunt, aut veneri immodicè operam dederunt, ijs non alia ratione ſuccurrendum, quàm prohibita eorum cauſa, bonam concoctionem procurando. Cæterùm ſtomacho dum conſulitur, ijs quæ illum roborant, miſcentur quę occulta proprietate huic morbo reſiſtunt. Vt ℔. olei maſtichini ʒj. coralli rubri, radicis pæoniæ maris ana ʒ ß. Corallus, radix pæoniæ, laſpis viridis è collo ſuſpenduntur, vt ſtomachum contingant. Si nec caput nec ventriculus Comitialis morbi origo eſt, ſed alia pars vt manus, vel pes, ei potiſſimùm curatio eſt admouenda. Propterea ſi pars illigari poſſit, vincula ſunt injſcienda, quæ eius aditum prohibeant. Id enim indicauit puer, cuius morbus Comitialis à crure oriebatur, curato primùm vniuerſo corpore, ligatóque in medio membro, ſupra eam videlicet partem quæ diſpoſitione erat affecta, adhibitoq; ex ſinapi, aut thapſia medicamento. Igitur eius exemplo in alijs poſt totius corporis vacuationem, cùm malum remittit videlicet, ea quæ corruptum humorem diſcutere, adurere, ſeu exulcerare, extenuare, aut calfacere partem, malamq; eius temperaturam emendare poſſunt, medicamenta parti affectæ imponenda ſunt, vt cauterium, vel veſicatoriũ ex cantharidum (abiectis capitibus & alis) ʒj ß. miſce cũ fermento & melle anacardino in conſperſionis modum: quod applicetur parti, ibiq; maneat tantiſper, dum veſicæ exiſtant, quæ poſtea rumpantur, & humore inde manante expulſo, ficubus, aut braſſicæ folijs tegantur. Capitellum item Ioannis de Vigo adhibetur. Confert & emplaſtrum ex ſola theriaca vel mithridatio, parti vnde aura virulenta manat impoſitum, vt virus extrahatur. Venenorum enim curatio non modò eſt alteratio, ſed & vacuatio. Sinapiſmus etiam ex ſemine naſturtij, ſinapi, vrticæ, fermento veteri, addita portione diachyli ireati. In his non conueniunt ſetones, vel cauteria circa caput, niſi morbus ob antiquitatem iam fa-

Curatio morbi Comitialis per conſenſum aliarum partium.

Veſicatoriũ.

ctus

tus sit per essentiam, aut proprietatem. Tum enim potiùs
nfra partem affectam deberent admoueri. Quod perti-
et ad alterationem, cardiaca conferent sumpta & appli-
ata, velut epithemata. Cumq; aura illa caput iam preha-
erit, emplastrum ex alto attrahens, aut ruptorium, vt vi-
us exhalet, ad coronalem erit admouendum. Si ab vtero
st Epilepsia, prouocentur menses, si res postulabit. Ac si *Epilepsia ab vtero curatio.*
ulier vtero gerit, adhibeatur emplastrum pro matrice, &
eroneum cum pauco moscho ipsi pubi, ad roborandum
t retinendum fœtum. Detur diambra & diamoschus. V-
endū & pessis pro semine corrupto, ac mensibus retentis.
Applicentur cucurbitulæ inguinibus. In paroxysmo per
onsensum vteri, fœtida naribus adponantur, & vtero gra-
a; præterquam in grauidis, in quib. satis est successionem
imiam inhibere. Si vermes putrentes in intestinis Epile- *A Vermibus.*
siam excitant, puluis contra lumbricos dandus est, aliaq;
emedia quæ capite de vermibus dicentur, vsurpanda.

De Spasmo. CAP. *XX.*

ΣΠΑΣΜΟΣ Græcis affectio est, quæ distentio neruo- *Distentio nervorum.*
rum Celso dicitur. Cæteri omnes Latini conuulsio- *Conuulsio quid.*
nem interpretati sunt. Est autē conuulsio musculi ad suam
originem perpetua contractio præter voluntatem. Nam
cùm in spasmo motus voluntarius perierit, necesse est per
eum neruos musculósq; duci in eum situm, in quem si pro
ege naturæ se habetent, ab animali virtute ducerentur.
Vnde & alijs conuulsio dicitur corporum neruosorum, id
st neruorum, ligamentorum, musculorum, & tendinum,
quibus voluntarij motus perficiuntur, inuolūtaria & do-
orosa reuulsio. In hac itaque trahuntur seu reuelluntur
d propria capita musculi, adeò, vt is motus inuoluntarius
imilis sit naturali. Hac etiam membrum in quod muscu-
i tendo inseritur, simul adduci necesse est & contrahi, atq;
naturali figura desciscere, & vehementissimo torqueri
dolore, qui modò leuiùs modò atrociùs insultat viresque
prosternit. Tendi igitur musculos, & ad initia propria re-
rahi, corporisq; cui inhæserint partes secum trahere, est
anis & conuulsis pariter cōmune. Verùm illud inuoluntа-

rièe his quidem ineſt, qui naturaliter vtiq; nonhabeant. At præcedente volũtate motus quidẽ naturalis erit his qui naturaliter habẽt. Cõuulſio interdũ totũ corpus, interdũ partes infeſtat. Vnde alia cõuulſio vniuerſalis, alia particularis dici poteſt. Noxa. n. ab hoc malo cũ omni corpore cõmunicatur, cùm videlicet omnia principiorum vitijs conſentiant, ac tum quæ totius eſt corporis, id adeò arctè occupat, vt haud flecti poſſit. Vniuerſalis conuulſionis rurſum tres ſpecies ſtatuuntur. Cùm corpus vnà cum ceruice & capite in priora curuatur, ἐμπροσθότονος: cùm in poſteriora, ὀπισθότονος: cùm æquali robore in vtranq; partem diſtenditur, ſeu totum corpus riget, & recta intenditur, τέτανος appellatur: Celſo rigor dicitur. Ita fit vt modò ſcapulis caput, modò mentum pectori annectatur, modò recta & immobilis ceruix, corpuſque totum intendatur. Quæ nomina ſolent etiam ſolis ceruicis conuulſionibus accommodari, vt particulares conuulſiones tum quodam modo vocari poſſe videantur. Sunt præter has aliæ in dextrum, vel ſiniſtrum quæ ſæpe accidunt, ſed nomine carent, vt ſcribunt nonnulli, qui eas ad gibboſitatem referunt. Tamen rariſſimè tenſiones ad latera videntur euenire, quòd in lateribus pauci nerui & muſculi ſiti ſint. Verè autem particulares ſunt conuulſiones, quæ quarundam partium nomina ſortiuntur: vt σπαρισμὸς eſt oculorum, τρισμὸς mandibulæ, κυνικὸς σπασμὸς oris, σατυρίασις pudendi. Reliquæ ferè carent proprijs nominibus, quæ cum additione huius vel illius partis efferuntur: vt conuulſio radicis linguæ, cutis frontis, brachij, manus, cruris, & ſimilium. Altera diuiſio conuulſionum, quòd quædam ſint primarij neruoſarum partium affectus, quales à repletione vel inanitione oriuntur: quædam per conſenſum, cùm cerebrum rapit neruoſum genus in conſenſum, vt in Epilepſia, vel cùm aliqua neruoſarũ partium primò affecta, cerebrum primùm in cõſenſum trahit, à quo mox conuulſio in alias partes deriuatur. Sic ob ventriculi morſum, & ob vteri inflammationem, vel ſuffocationem, vel aliam eiuſdem læſionem, conuulſio frequenter accidit: atq; huiuſmodi conuulſiones permanentes non ſunt. Ex his verò conſtat Epilepſiam vniuerſalibus conuulſionibus annumerari, ijsque

Conuulſio multiplex.

per

er cõsensum, cùm sit quædam totius corporis conuulsio, atiente nimirũ neruorũ principio, sed ea est ex interualis, nec perpetua, atque cum mentis sensuumq; oblæsione, t superiori capite ostensum est. In quibus à tribus dictis onuulsionis differentijs distinguitur, præterquam quòd ninimè vera aut propria conuulsio dicenda sit Epilepsia, ùm neq; à replectione, neque ab inanitione videatur esse, ed in ea tantùm animalis insurgat facultas, ad expellendũ uod noxium est, vnde motus illi inordinati ac deprauati riuntur. Inter species conuulsionis recensetur & quædam euis neruorum musculorumque distentio à flatibus orinem ducens, Græcisque τετανὸς φυσώδης appellatur. Quæ etsi noxium dolorem, eum tamen perbreuem, & ou magis hora durabilẽ exhibet, sola fictione miteſcenem. Hactenus de differentijs omnibus conuulsionis. Haum verò sedes primò affectæ plures esse possunt. Inter lum enim cerebrum ipsum noxam suscipit, interdum pinalis medullæ initium, quandoque neruus & musculus, ni particulari motioni deputatus est. Nam conuulsio paris alicuius declarat neruum, qui eius motioni seruit, aut musculum affectum esse. Cùm autem musculus sit instrumentum primarium voluntariæ functionis oblæsæ, patet eum secundum se totum affectum esse, maximè tamen secundum partem sui neruosam. Sed distinguitur affecta pars: quia si vna cum toto corpore faciei quoque musculi conuellantur, cerebrum ipsum patietur. Si faciei partes seu musculi seruentur, spinæ initium afficit sciendum est secundum totum, vel partem. Si pars aliqua conuulsa est, eius motioni dicatus neruus vel musculus laborat. Itaque ro cognitione particularis conuulsionis determinatæ artis cuiusdam, cùm determinatus neruus seu musculus afficiatur, anatome neruorũ ac musculorum summopere necessaria est. In emprosthotono duo musculi flectentes caput laborant. In opisthotono ex duodecim musculis caput extendentib. in posteriori parte colli, vel aliqui, vel oẽs afficiuntur. In tetano vtriq; musculi & anteriores & posteriores patiuntur. In strabismo musculi qui oculum mouent conuelluntur: in Trismo temporales musculi contrahuntur, vel nerui è secunda & tertia coniugatione. Ita de

Diſcrimen inter ſpasmum & Epilepſiam.

Spasmus à flatu.

Quæ partes afficiuntur.

alijs. Musculi autem ferè semper ad sua capita referuntur, aliquando & ad suos fines, quod valde rarum est. Præterea contingit aliquando rigere & contorqueri membra sine conuulsione, vt paulò infra docebitur. Omnes conuulsionum species symptomata sunt in genere noxæ functionis motricis voluntariæ, eiusque deprauatæ à causa præter naturam. Qua ratione conuulsio à tremore discrepat, qui non à causa præter naturam solùm, verùm & à facultate ipsa quamuis irritata pendet. Alijs censetur Spasmus esse deprauatus motus facultatis motricis, dum fit contractio scilicet: hac autem facta, morbus in figura. Conuulsio enim aliquando ὀντῷ γίνεσθαι adhuc est seu in fieri, vt conuulsionis motus ex morsu neruosarum partium agente natura & noxam excutiente, siue in facto esse vt distentio à solo morbo, id est siccitate & humiditate. Fit hic affectus neruis vel musculis exiccatis, vel calefactis, vt à vulnere, post largam sanguinis missionem, post febres ardentes, meningum inflammationes, vel cerebri: aut congelatis, vt ob refrigerationem humorum, vel sudorem refrigeratum, vel ventum frigidũ: aut inflatis à pituita viscida, (nam rarò fit à sanguine) vel post morbum non satis exiccatum, vel sanie collecta in aliqua parte capitis, vt meningibus ob vulnus, vel à flatibus medicamenti agitatione, vel materiæ, vt post hellebori potionem: ab ebrietate, crapula, supressa vacuatione cõsueta, exercitatione intermissa, phlegmone, dolore, consensu vteri, morsu, puncto nerui, aut tendone, affecto ore ventriculi ab æruginosa materia, vermibus, fungis, ab ictu feræ venenatæ, & similibus. Hippocrates has omnes causas reduxit ad duas, repletionem & inanitionem. Ex repletione videlicet madefactæ partes atque irrigatæ conuelluntur, ac secundum latitudinem dilatantur, earum longitudine decurtata: ex inanitione verò, ipsis neruosis corporibus violenter exiccatis, vt propterea cogantur in seipsa duci, contrahi, atque conuelli. Nolentibus enim tales fiunt membrorum ad originem contractiones, quales in lyræ fidibus, quæ si diu intentæ maneant, cùm conuelli vtrinque nequeant, vtrinque ligatæ, siue ob aëris humiditatem, siue nimiam siccitatem disrumpuntur. Musculi tamen & nerui cùm non sint ita ossibus alligati,

Conuulsio quid affectus.

Causa.

gati, vt nullatenus cogi possint, non rumpuntur, sed ad originem ducuntur, siue à nimia humiditate impleantur, siue à vehementiori siccitate corrugentur. Porrò in conuulsione humiditas contrahit ob plenitudinem, vt in Paralysi relaxat ob madorem. Nam eadem humiditas tẽdit solidam substantiam penetrando & dilatando (vt pluuioso tempore chordæ inflantur) quæ etiam relaxat leniendo: vt si quis corium exiccatum pinguedine oblinat, vel humore imbuat. Siccitas verò contrahit, modo quo lora ad ignem exsiccantur, ac proinde cõtrahuntur ac tenduntur: & sol tergora arefaciens contrahit. Tertiam causam conuulsionis addiderunt recentiores per condolentiam, & Spasmum non proportionatum ad materiam vocauerunt, cùm motum celebrum, vt expellat quod noxium sentit. Sed hanc Galenus ad inanitionem, alij quia materia venenosa est, licet pauca, ad plenitudinem referunt. Notæ autem præsentis conuulsionis satis sunt conspicuæ. Nam si corpus vel illius membrum aliquod repentè contortum & inflexum apparuerit, perinde ac si naturali situ esset: rigidum tamen est, nec ab eo situ potest dimoueri, etiamsi eò vi inflectere coneris, conuulsionem esse suspicandum est musculorum, vel plurium, vel alicuius, qui ad sua principia contracti, partem simul cui inseruntur adducunt, immobilémque reddunt, ita vt recta, vel inflexa, vel cõtorta pars videatur. Obseruandum tamen est, ne id articulorum ossium vitio fiat. In his enim sæpe callus gignitur, vel delapsus humor intra cauitatem, prohibet liberam in iuncturis motionẽ. Quod intelligetur, si nec repentè, nec affatim, nec post febrem ardentem, affectio inciderit, si luxatio fuerit in particula læsa, non rectè curata, si contusio aut aliquid simile antecesserit. Tum enim musculi primariò non afficiuntur, sed flecti ossa in iuncturis nequeunt, licet ipsi quoque musculi trahantur in consensum. Cùm enim diu manent immoti, otio propriam mouendi vim amittunt. Conuulsorum omnium dolores atroces, propter violentam, repentinam & immodicam partium neruosarum tensionem, faciem habent pallidam, rubidam, variegatam, & variè distortam, oculos tigentes & crebrò motos, buccas distortas, labia tremẽtia, quibusdam etiam maxillæ quatiuntur, & den-

Nota.

tes strident. Opisthotonos retrorsum hominem ita incurvat, vt reflexum caput inter scapulas collocetur, & guttur extet, maxillaq; inferior dehiscat, ventrem & pectus prominere facit, abdomen intendit, manus & crura retrorsum detorquet. Emprosthotonos caput in pectus affigit, vel genibus annectit, vt non solùm in arcus modum, sed etiam in orbem totum corpus incurvetur, manus cohærere facit, crura in priorem partem adeo extendit, vt genu articulus in poplitem depulsus esse videatur. Tetanus rectum totum corpus in neutram partem detortum atrocissimè distendit, & quatuor diebus iugulat, vel recedit. Adde & quod Tetanus congelationi similis est. Corpus enim rigidum manet musculis impletis crasso humore, & nebuloso vapore. Hi ceruicem torquere nequeunt, ægrè spirãt, pulsum habent rarum & paruum, vigilant, dolent, singultiunt, risum Sardonicum referunt. Potus sensim sumendus est. aliàs fit vt ipsum per nares reijciant, & laborantes validiùs contendantur. Præterea cùm repentè sanum hominem adoritur conuulsio, ex repletione eam fieri necesse est, vt si temulento homini ac omnino pleno qui in otio degat, ita euenire conspexeris, vel si necessariè vacuationis facta suppressio est, si intermissa exercitatio, & continuata pocula fuerint. Verùm vbi propter defectum & vacuationem ex labore, vigilijs, fame, solicitudine, arida æstuantique febre, qualem est in Phreneticis videre, aut ex præcedenti sudore, vrina, alui deiectione, sanguinis profluuio, menstruis, vomitu, aut simili quapiam causa, & vbi sensim ac paulatim obrepit, inanitio ac siccitas causa est. Rursum si ex plenitudine conuulsio excitetur, bifariam id potest contingere, nempe aut ex inflammatione principij neruorum, id est cerebri: aut initij spinalis medullæ, seu alterius partis neruosæ, aut ex succorum copia circa iam dictas partes, ex qua ipsæ partes tendi cogantur. Id verò signis inflammationis dignoscitur. Ac si præter eam ex humorum duntaxat copia conuulsio excitata sit, nunquid ex plenitudine simpliciter dicta, aut ex ea quæ est sueci vnius redundantis, inuestigare oportet: quanquam neruosæ partes frigidis & glutinosis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, promptè replentur. Si est conuulsio per consensum

sensum & ab externa causa, vt ab ictu alicuius animalis, eam ab ægro & astantibus addisces. Si nulla præcesserit externa, internam esse putabis, quemadmodum per consensum cum ore ventriculi, vbi fortiùs morderetur, ab humore æruginoso obseruauit Galenus in adolescente, cui cùm totum corpus conuulsum esset, ærugine per vomitum vacuata, febris & conuulsio cessauit. Conuulsio ab inanitione, potissimùm si fiat occasione febris incendentis, scilicet vniuerso corpore præ nimia siccitate squalente, immedicabile malum est, cùm priùs sic affecti pereant, tempus excogitandi remedia negantes. Omnes enim conuulsiones ab ariditate profectæ longum tempus exigunt ad remouendam neruorum siccitatem: morbi autem acerbitas tempus non expectat, qui subitò vires resoluit, & exitium adfert. Et cùm duplex sit Spasmus ab inanitione, alter quidem confirmatus, in quo omnes membrorum humiditates consumptæ sunt, hic dicitur insanabilis. Alter verò in quo primæ tantùm humiditates consumptæ sunt, spei aliquid relinquit, vt restaurentur, & sic interdum ab eo inuasio fiat. Conuulsio è febre fit neruis siccatis nimiumque calefactis, aut acrimonia demorsis. *Prognostica.* Quæ per morborum principia incidunt conuulsiones, humorum copiam ac frigiditatem arguunt in partibus neruosis, aut vellicationem ab acrimonia & morsu, aut insignem laborem vt inter vomendum. Mulieres sanè magis quàm viri neruorum distensione tentantur. frigidæ enim sunt. Verùm ipsæ frequentiùs liberantur, quia humidæ sunt. Ex abortu tamen mulieres conuulsæ rarò euadunt. Quātùm ad ætates attinet, pueri assiduè hoc malo vexantur, sed non admodum pereunt, quòd illis familiare sit vitium. Iuuenes rarius quàm pueri id patiuntur, sed crebriùs intereunt; viri minimè. Senes inter omnes eo vitio corripiuntur magis, & eo necantur. Pueri infirmitate neruorū & mollitie facilè conuelluntur. Robore verò naturali citò liberantur insito calore multo materiam coquente, excludente neruis, atq; discutiente. Rarus quidē morbus est, ac multùm acutus. Qui à conuulsione aut distensione neruorum tenetur ex repletione, febre superueniente liberatur eadem die, aut sequenti, aut omnino tertia. Febrē conuulsioni melius est superuenire, quàm cōuulsionem febri.

Conuulsiones omnibus morbis atræ bilis succedentes, atram bilem sedant. Faciles quoque sunt ex vtero affecto, si sine febre sint. Paraplegia conuulsione soluitur. Et cõuulsio cũ motus violentos cieat, naturalibus vehementiores, ita vt per vini partes neruosæ concutiantur: de capite neruosisque partibus sæpe excutit obstructionem, impactámque humorum crassorum aut viscidorum substantiam eliquat, aut auertit: vnde soluitur morbus. Quicunque Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt. Tetanus morbus peracutus est, compositus ex Emprosthotono & Opisthotono. propterea citiùs in ipso fit iudicatio, nõ tolerante natura longiori tempore tensionis laborem: quo fit, vt in primo circuitu iudicatoriorum dierum passio iudicetur. Quanuis neque pueris, neque senibus conuulsio fiat tetanica. Conuulsio ex vulnere lethalis. Conuulsio ex vulnere fit ratione sequentis inflammationis, vbi partes neruosas attigerit. Et primùm quidem videntur conuelli, quæ è directo sunt partium laborantium, dein cùm & principium attigerit, passio ad totum corpus extenditur. Toto verò corpore ab affectu immuni, si labrum, aut palpebra, aut lingua contrahatur, graue symptoma existimandum est, quod maxima inuehat pericula, licet exiguæ partes affectæ videantur. Vbi moritur aliquis, potionem, & sorbitionem, & pituitam per nares extundit. Spasmus quandoque est incipiens: quandoq; succedens alijs ægritudinibus, vt Cynanchæ, Pleuritidi, & Phrenitidi. Conuulsio ab inanitione seu siccitate si quidem sanari potest, humectatione sananda est. Proinde ad humidum aër vergat. Somnus consueto sit longior, æger quiescat, & ab immodicis animi affectibus caueat. Nutriatur ptisana hordeacea, amygdalato, lacte mulieris aut asinæ, iure pulli, aut gallinæ, aut carnium aliarũ succulento. Quin etiam contusæ pullorum, seu gallinarum, aut phasianorũ carnes, & prædictorũ aqua carnis ei offeratur, siue ex carnibus hœdorum, agnorum, aut castratorum, in quib. ponantur quoq; humectantia olera, præcipuè si siccitas cum caliditate adiuncta fuerit, aut carnes cum prædictis oleribus humectantibus decoquantur. In summa vescatur sorbitionibus pinguibus, & cunctis cibis probè nutrientibus,

Curatio cõuulsionis ab inanitione.

quique

quiq́ue per omnes partes facilè distribuantur. Potus verò sit vinum tenue, aquosum, dilutum, neque enim denegatur, si febris absit, quanquam alij vino abstinendum censent, quia materias penetrare facit. Si febris aderit (quę extremam perniciem à siccitate conuulsis adfert) eligatur aqua hordei, aut aqua in qua glycyrrizæ parum, aut cinnamomi fuerit decoctum, vt promptiùs aqua penetret, seu violaceus syrupus permisceatur. Datur etiam aqua hordei, in qua cancri fluuiatiles & testudines decoquantur. Porrò eos qui sic conuelluntur, oleo vel hydrelæo calido fouere oportet. Ad lauacrum etiam aquæ dulcis deducere conuenit, temperatóque solio vti: post quod oleo amygdalino tepido existente totum corpus inungendum erit. Vel balneum fiat ex capitibus veruecum, & oleis clementibus. A balneo conuulsam partem illinit, & astringit, ac roborat Auicenna oleo rosato ac cucurbitino, ne humiditas balneo quæsita exhalet. Aliud balneum similiter paratur, cui si caliditas appareat, incoquantur lactucæ, violæ, folia cucurbitæ, salicis in aqua hordei. Huiusmodi balneis humectatio perficitur. Postea verò vnctione quæ fit per vnguentum resumptiuum, vel aliud vnguentum confectum ex oleo violarum & cæra, aut ex aqua & oleo tepentibus. Ac post balneum quibus competit, ac citra ipsum quibus nõ competit, ægroto lac recens mulctum dandum erit quantitate congrua, asininum, seu caprillum pauco addito saccharo, si febris non aderit, aut si ea admodum exigua fuerit. Detur & electarium ex conseruis violarum, buglossi, nucleis nucum pinearum, carnibus testudinum, puluere electarij resumptiui, puluere electarij diatragacanthi frigidi. In vniuersum qui hoc malo infestantur, vt hectici curandi sunt. Sed huic malo præsertim occurrimus, cùm causam quæ illud nata est excitare, auferimus: velut in febre ardentissima, si tanta fuerit partium siccitas, vt conuulsionem minetur. Tum enim cerebrum irrigamus, irrigationib. principium ueruorum humectantibus, & totam spinam oleis frigidis & humidis inungimus, hoc modo 2ℒ. olei violati ʒiiij. olei amygdalarum dulcium, & de lilio ana ʒij. lactis muliebris ʒj. mucaginis seminis psyllij ʒ ß. misce. fiat vnguentum, quo vngatur spina dorsi. Potest & supra caput

Medicamentorum ratio.

Lac asininum seu caprillum.

Vnguenta.

Embrocha. fieri similis irrigatio ℔. florum nenupharis, violarum, liliorum ana p.j. violarum albarum cum toto m̃.ij. salicis, cucurbitæ ana m̃.j. seminis lini, fœnugræci ana ʒ j. fiat decoctio in aqua, & cum decoctione irroratio. Ex ijsdem paratur balneum, modò æger non patiatur Phrenitidem, aut non sit futurus sudor, aut alia excretio critica. Intrò etiam assumuntur, quæ humiditatem reparant, vt testudinum carnes, & cancrorum fluuiatilium, vel marinorum. Dantur & electaria restaurantia humiditatem, vt diapenidion, conserua humectantes, pineæ. Si Spasmus est à vomitu, aut immodica vacuatione alia, curetur humiditatem reparando per humectantia, & ea quæ prosunt hecticis, vt dictum est. Conuulsio autem ex repletione maximè pituitosa, quæ alijs est frequentior, curatur in primis victus ratione calida sicca. Proinde aër ad eas qualitates vergat, ignisque continuus excitetur in conclaui in quo cubabit æger, potissimùm antelucano tempore, quo præcipuè frigus intenditur. Imò ignis ab vtraque lecti parte succenditur. Somnus sit mediocris, & diurnus vitetur. Quies ægro præcipiatur. Partes quæ conuelluntur, continendæ sunt valenter, inordinatisq; motibus omnino resistendum est. Oleoque perfricare oportet rutaceo, aut alio eiusdem generis. Frictionibus multis magnisque vtantur. Primis tribus diebus tenuissimo victu vtantur, nempè ad septimum diem offeratur aqua mulsa, ius pulli cum saccharo, amygdalatum cum melle. Solis enim sorbitionibus vtendum, & fugiendus est cibus quisquis mandendus est. Oua sorbilia concedantur, vel ius pullorum assumendum, in quo hyssopi, serpilli, saluiæ, sampsuchi, betonicæ, satureiæ parum fuerit decoctum. Post septimum assis quoque carnibus gallinarum, pullorum, phasianorum, perdicum, turturum, aliarumque auium montanarum vesci poterunt, vuaque passa & pineis. Potus præter id quod debet esse exiguus, aqua mulsa eligatur, cui saluiæ parum, aut cinnamomi, aut anisi fuerit incoctum. A vini potu præsertim circa initia abstinendum. Licebit tamen eo vti, vbi affectus processerit, in parua quantitate, cùm & ipsum extenuando, & calfaciendo conferat. Aluus lenienda clysteribus ex aqua mulsa, & succo mercurialis, & decocto origani, pu-

Curatio cõuulsionis ex repletione.

Victus ratio.

ni, pulegij, calaminthæ, cum hiera diacolocynthidos, melleac sale. Ex animæ affectibus ira moderata conuenit, vt & gaudium. Tristitia verò & timor vitentur. Cæterùm auspicanda statim curatio à venæ sectione, modò non penitùs a sanguine secretus pituitosus succus redundans fuerit. Secabitur autem vena media lateris sani, aut in tensione vtriusq; lateris, primùm dextri, deinde sinistri, præterquam si menstruis retentis id accidat. Tunc enim venæ malleoli tundendæ sunt. Partiri autem sanguinis missionem oportet, ne corpus magna & conferta sanguinis missione refrigeretur, & validius conuellatur. Aliquid enim symptomati relinquendum est, cuius causa sudores sæpe eueniũt, vigiliæ molestant, & vires ægri debilitãtur. Quòd si sudores euenerint, linteis oleo calentib. abstergere conuenit, vbi refrixerint. Si pituitosi succi citra sanguinis permistionem fuerint, hi primò extenuandi, calfaciendi, aut incidendi veniunt: si grauia vtique non sint symptomata, neq; dolor vrgeat, neque citra præparationem vacuandum suadeat. Igitur præparatio fiet aqua mulsa cũ decocto pulegij, calamenti, hyssopi, saluiæ, aut melle rosaceo, aceto mulso, scillitico, syrupo ex stœchade, cum aquis betonicæ, sampsuchi. Purgabitur autem materia catapotijs fœtidis, aureis, de sagapeno, de opopanace, agarico trochiscato, hiera diacolocynthidos: vel detur infusum agarici, diaphœnicon, electariũ indum. Et purgatio sæpius iterari debet. Auertentia quoq; materiam ad inferna præscribi debent, vt clysteres ex prædicto capitali decocto cum melle, hiera diacolocynthidos, vel electario indo, & sale, ac oleo rutaceo. Frictiones itẽ, errhina, sternutatoria, gargarismi, apophlegmatismi cõueniunt, præsertim si caput affectum est, idque post legitimam totius vacuationem. Cucurbitulas parti conuulsæ applicare salubre est, læues quidem, si paruus Spasmus est; cum scarificatu, si magnus: alioqui largiori materia in partem conuulsam attracta, nec vacuata plenitudine conuultionis causa geminatur, & conuulsio sit lethalis. De cucurbitulis hoc etiam notandum, quòd quę partibus conuulsis admouentur cum scarificatu, in contraria membri conuulsi facie adponendæ sunt, velut si brachium ad pectus conuellatur, musculis externis

Venæ sectio.

Cucurbitula.

ipsis ad dorsum vsque: si contrahatur crus ad nates, femori & ossi sacro. Cauendum etiam, ne cucurbitulæ tendinibus affigantur, sed musculi principio, aut medio, ad iuuandam eius actionem. Quibusdam præterea locis admoueri non possunt, vt labris, supercilijs, digitis: vbi sanguisugæ earum loco admouentur: vt in palpebris & lingua fit scarificatio. Postea reliquiæ materiæ neruis affixæ (quæ causa est Spasmi continens) digerendæ sunt vnctionibus cum oleo liliorum, & nisi febris adest, costino, vulpino, de nuce moschata, de piperibus, de hyperico, de vermibus terrestribus, aut decocto catuli ex oleo & vino, vel aqua saluiæ, partium conuulsarum balneo. vnguentum quoq; è bdellio in Spasmo est efficacissimum, & pelles luporum, vulpium, melidum seu taxonum, felium, veruecum, & similium animalium. Hepata ac pulmones à viuis animalibus, vt vita calet parti conuulsę admota, quamdiu calebunt. Confert & partem in bouem, aut veruecem, aut aliud maius animal recens cæsum immissam continere, quamdiu animal calebit. Membra item conuulsa, ac dorsum, & caput ipsum, ijs oleis & vnguentis fricanda sunt & vngenda. Martiatum vnguentum in oleo liquatum, aut oleo de castoreo, aut oleo de euphorbio & laurino valdè iuuat. Aut ℞. vnguenti Agrippæ ʒ ij galbani, opopanacis, Belzoin ana ʒ ß. castorei ℈ ij. valet & cati pinguedo. Et in Spasmo malactica aliqua digerentibus misceuda sunt, in quo nimirum adhibenda cura est, ne quod tenue est per valenter exiccantia & digerentia resoluatur. Vel (vt alij iubent) ceruix, totaque spina inungatur oleis supradictis, & vbi inunxeris, admoue vesicas bubulas, aut vtriculos oleo repletos, oleoque veteri, vel adipe quàm vetustissimo ceruicem, scapulas, & spinam perfricare oportet. Frictio namque cum omnibus in homine vertebris, tum his præcipuè quæ in collo sunt, vtilis est. Quòd si cerebrum affectum est, id oleo irino madefacere oportet, sacculúmq; imponere ex floribus stœchados, hyssopi, sampsuchi, serpilli, castoreo, ac macere, aut calfactos sacculos ex milio & sale superimponere oportet. Quando verò dolor est intolerabilis, vt miris modis se torqueant aut iactent ægri, tunc balneo tradantur ex oleo communi temperatè calido per se, tum ei incoquendo semen lini, fœnu-

Sanguisugæ. Topica.

Sedantia dolorem.

Fœnugræci, folia maluæ, violæ, lumbricos, & hos iam coctos probè tritos parti imponere licet cataplasmatis modo: si verò diuites sint, balneum ex oleo vulpino, cui vetusto vulpes aliquæ ætate florentes viuæ sint incoctæ, paretur. In his balneis mora longior vires resoluit. Mox dolore sedato in lecto reclinandi sunt, & cùm dolor repetet, balneo tradendi. Anodynum quoque est decoctum capitum, & intestinorum veruecis, & omasorum aliorum. Præter suprà dicta præstantissimum quoq; est partes illinere adipe anseris pinguis exenterati, & cato minutim concisо, ac lardo veteri, & myrrha, thymo, & reliquis capitalibus & calentibus medicamentis farti. & consuti, & tosti, non qui primus, sed secundus defluet. Excipiantur autem cadula aceto albo distillato semiplena, & eodem aceto anser percoquatur, adépsque supernatans collectus priori addatur. Balnea quoque purgato ritè corpore, præsertim naturalia, vti sulphurea, salsa, aluminosa prosunt, & quæ à nobis ex sulphure, sale, alumine, in aqua coctis fiunt, ac etiam ex decocto herbarum capitalium, maioranæ, saluiæ, betonicæ, chamæmeli, torisinatini: aut ex sanguine bubulo ab animali calente. Dum enim à singulis partibus resoluent, non erit periculum ne fusa à balneo in partem distentam confluant. Suffitum quoque & vaporem prædicti decocti per lapides ignitos, præcipuè pyriten, aut lateres coctiles in cacabum iniectos excepisse toto corpore sub papilione, ne vapor expiret, confert. Communis autem non modò distentionis, sed cuiuslibet alterius conuulsionis ex plenitudine ortæ sine vlceratione, iuuenibus bene carnosis ac æstate media curatio ab Hippocrate instituta est multa aquæ frigidæ perfusio: quæ caloris reuocationem faciens cùm in prædictis fortis fuerit, propterea ex accidenti affectum sanat. Quod remedium à Paulo & posteris damnatum est: à Valesco tamen in suo Philonio commendatur, idque remedium bis se fœliciter expertum esse testatur. Reuera ea frigidæ perfusio temeraria multis visa est, & proinde vituperata. Febrem quoque ephemeram Auicennæ seculo ob victus parsimoniam & corporum puritatem excitasse fuit salubre. Nunc verò non videtur tentandum, quia corpora pleniore victu magis excrementosa sunt reddita:

Remedium Hippoc.

ob id ad febres sunt opportuniora. Ne igitur potiùs à febre quàm à Spasmo æger dicatur perijsse, à febre excitanda abstine. Id tamen approbant alij, quia (vt aiunt) curationem, vbi id quod est non recipit, potest recipere quod futurum est. Potest autem febris excitari, dando medicamenti diatrion pipereon ʒ ß. aut confectionis anacardinæ ʒj. in origani decocto dissolutæ videlicet. Superest vt sumantur intrò quæ resoluunt & roborant, vt acorus conditus, diacorum, diamoschum dulce & amarum quotidie ad ʒij. theriacæ verò & mithridatij fortiorum tantùm semel in hebdomade ʒj. aut si quotidie, parciora scriptulo vno, aut semidrachma. Datur & diambra, confectio anacardina, myrrha, aut castoreum ad ʒj. quod sumptum & admotum neminem vnquam lætitiæ Galenus affirmat: etiamsi deleterium odore appareat. At si ex plenitudine cum inflammatione conuulsio excitetur, vena secanda erit, liberaliterque sanguis detrahendus, modò pluribus vicibus id fiat, & non vniuersim, ne vires symptomati occurrentes deijciantur. Demum clysteribus acribus vtendum, modò ne quid impediat. Quòd si inflammatio non cedat, eis vtendum medicamentis, quæ inflammatio exigit secundum diuersa eius tempora, indicatione quæ à parte sumitur non neglecta. Sæpius repetenda est venæ sectio, & oleis medijs vtendum. Si à flatibus est conuulsio, his resolutis præsertim frictione cum pannis calentibus, aut vnctione aliqua digerente adhibita cessat, nisi etiam pituita lenta mater flatuum sit vacuanda. Quæ per consensum est conuulsio, curata parte primariò affecta, & ipsa curatur: velut si ex erodentibus succis os ventriculi infestantibus conuulsio fiat, his per vomitum vacuatis conuulsio sedabitur: dando (si opus erit) aquam tepidam bibendam. Tamen si conuulsio est à fungis, aut veneno, aut bile æruginosa, vel prassina, non est statim ciendus vomitus. Dum enim reuomuntur, os ventriculi lædunt. Tutius est ea clystere acri trahere deorsum, aut pilulis deijcere: spinamq; oleis dictis inungere, additis calfacientibus & astringentibus, vt oleo de mastiche, de terebinthina, & menthæ. Si conuulsio ab acribus humoribus ortum ducat, vomendi sunt illi ac purgandi: parsque morsu attemperanda, roborandaque.

Conuulsionis ex plenitudine cum inflammatione curatio.

A flatibus.

Per consensum cum ventriculo.

Vomitus.

Ab acribus humoribus.

Ab ictu animalis.

randaque. Sin conuulsio est ab ictu animalis, vt scorpionis, phalangij, aut alterius feræ venenatæ, id venenum extrahendum parti punctæ admoto ano galli, vel gallinę deplumato. Suctu enim ani venenum extrahet. Sunt qui eius rostrum tunc comprimant, vt ano etiam respiret. Scabiosa quoque trita, cruda vel cocta, vel cæpæ succus punctę parti admotus, venenum trahit. Ad hanc rem etiam conferunt vincula partibus superioribus iniecta: à quibus præsentaneum remedium expectatur. Ac si in aliquo digitorũ ictus fuerit, confestim rescidendus est. Nam ex hoc saluus euadet. quemadmodum nonnulli rustici (quorum meminit Galenus) ex tali rescissione euaserunt, atq; à periculo liberati sunt: potissimùm si medicamenti ex viperis tribuatur ʒj. cum pauco vino albo, tenuique. Si partem abscindere renuerit æger, facta ligatura paulò supra partẽ affectam, ipsi parti affectæ medicamenta quæ validè attrahunt adhibenda erunt: tum excalfactoria, tum quæ citra calefactionem id efficiunt: veluti cucurbitulæ cum multo igne, vel cum scarificatu parti punctæ affixæ. Theriaca itidem apponitur, quanuis ex quo venenum pellitur, intra corpus protrusura videtur, non foras attractura. Quod tamẽ falsò quibusdam visum est. Ac si inueniri poterit quispiam, qui ore suo virus extrahat, id quoq; maximè confert. Vt etiam venenum trahatur, vulnus initio latius faciendum erit: locus totus in circuitu scarificandus, impositis cucurbitulis: vulnus etiam latioribus cauterijs ignitis inurendum. Postea porri semina cum sale trita, aut allia, aut cæpas illinire oportet. Et post crustæ casum vsq; ad dies quadraginta vel sexaginta, vulnus à cicatrice arceatur: ad quam si festinabit, vsus vitis aut siculneæ cinere vlcus aperies. Locus etiam decocto oxalidis fouendus est. Si conuulsio fit puncto neruo à ferro acuto, punctura sit aperta, vt sanies expiret. Si angustior sit, ferro aperiatur, ne sanies retẽta ibi putrescat. Vnguentũ multùm siccans, & digerens tenuiũ partium imponitur, quale est vnguentum Apostolorũ dictũ: aut, quod eo fortius, Basilicum. Quoniam autem puncto neruo dolores interdũ vehementissimi sunt, ad eorũ mitigationes loco punctura imponatur oleum de euphorbio cum empiastro de galbano: si quidem ægrotus robustus

Theriaca.

A punctura nerui.

Anodyna.

fuerit: sin delicatus, terebinthina oleo rosato mixta, aut oleum sabinum, aut quoduis aliud mite, quale est oleum cui terræ lumbrici fuerint incocti. Ijsdem oleis parte puncta fota, dolor sedari solet, vulnúsque ad cicatricem non ducendum, nisi post multum tempus. Panis quoque calidus lacte calido infusus, & cataplasmatis modo impositus, valde anodynus est. Si tamen hisce remedijs ipsum vinci non contingeret, stupefacientibus vtendum, vt pane cum albi papaueris decoctione, aut quod vehemētius erit, cum ipso opio. Si neque sic dolor compescatur, tendo vel ictus neruus transuersus secetur in parte supra punctura. Dorsi autem spina oleo de lilio, aut de terebinthina inungatur.

A frigore. Si ex immodico frigore conuulsio est, balneis, vnctionibus, frictionibus, ac reliquis calfacientibus medicamentis curatur. In conuulsionibus capitis, & humorum refrigeratione, calidioribus vtendum, partes lana succida inuoluendo: cucurbitulis, sectione venæ, quæ supra primam dorsi vertebram apparet. A meningum punctura, aperiendum cranium trepano, aut alio instrumento, vt materia transpiret, aut epispasticis trahenda, nisi subsit plenitudo. Cùm fit ex vulnere, seu ictu, aut conantibus magna pondera leuare, aut humi & loco duro dormientibus, veluti sicca conuulsio curandi sunt.

De Tremore. Cap. XXI.

Tremor quid. Τρόμος Græcis, Tremor Latinis, motus est compositus, quo pars suo pondere deorsum versum vergit, ac rursus in altum à facultate attollitur. In tremore enim geminus est motus, quorum alter secundum naturam, & à voluntate perficitur, alter verò præter naturam, & à partis quæ tremit onere, atque grauitate. Horum motuum perpetua fit successio, dum non finit facultas membrum laborans deorsum ferri, nec tamen patitur eius grauitas, vt natura ipsum sublimè diutiùs teneat, sicuti per sanitatem consueuerat. Tremoris autem differentiæ plures

Tremoris differentiæ. sunt loco distinctæ. Tremor est vel in toto, vel in parte, vt in capite, manu, & cæteris, pro varietate causæ, quæ est in principio neruorum ac spinæ, vel in ramis neruorū in has vel illas

vel illas partes diductis. Itaque in tremore pars afficitur quæcunque motu voluntario mouetur, sed morbo reluctante duplici & contrario, vt dictum est. Pertinet autem ad symptoma actionis læsæ motricis facultatis voluntariæ, eiúsque deprauatæ. Atque huius symptomatis multiplex causa esse potest: obstructio neruorum à multis succis, crassis, lentis, ita, vt exigua facultas motrix in partem affluat, quæ alioqui robusta est, sed copia grauatur, vnde conatur membrum leuare, aut leuatũ firmare: grauitas autem contendit deorsum ducere: vel imbecillitas facultatis motricis, contracta ex frigida intemperie corporis vniuersi, vel principij neruorum, vel aliarum partium natura imbecilliorum, & ad morbum propensarum, quam vel spirituum & sanguinis vacuatio, vel senectus frigida sicca, vel venus immodica & intempestiua, vel timor, vel dolor, vterque magnus longúsque, vel frigidus aër, vel balnea, vel potus largior vini meracioris, aut aquæ frigidæ, aut ignauia, diuúque omissa post multos cibos exercitatio inuexerit. Interdum & imbecillitas nata ex ijs quæ tota substantia neruis sunt infensa, vt hydrargyri vapor immodicus. Breuiter tremor fit nimio humore solutis neruis, aut contrà nimium siccatis, infirma denique potestate quæ è cerebro est, & violento spiritu qui influit. Notus satis est morbus, quique signis ad mali vel causarum dignotionem non indigeat. Deprehenditur enim tum visu, tum ex corporis constitutione, & ægri sermonibus. Tremor morbi initio & ab oppressione lethalis nõ est, vt nec à subita in affectibus animi spirituum collectione. In peruitiosis autem vt in progresso iam morbo, & viribus collapsis mortem in propinquo denuntiat. Qui in Causo tremores siũt, delirio soluuntur. In febre ardente si à tremore delirium superueniat, conuulsionem verius præsagit quàm tremoris dissolutionem. Materia relictis neruis in caput recurrens non solius delirij sed & cõuulsionis aut grauioris tremoris periculũ incidit. In Phrenitide partes neruosæ, tum potionis defectu, tum febrili incendio conuelluntur, aut propter summam facultatis animalis infirmitatem in tremorem incurrunt, quæ duo vehementissimæ phrenitidis finiunt modum. In Lethargo tremor, malum. Tremor ex-

Quis affectus.

Causæ.

Signa.

Prognostica.

cluſa è venis parte materiæ in neruoſa corpora κρίσιμον cenſetur. Si vero non indicat, id eſt ſi à tremore nulla ſequitur vacuatio, non ſudor, vomitio, diarrhea, & alia id genus, malo eſt. atq; ita perire ægrum neceſſe eſt, aut coctione vel abceſſu liberari. Tremor qui in conuulſionem degenerat, ab intemperie eſt & febrili calore, qui partes neruoſas arefacit. Stupor amiſſum ſenſum, Tremor motum deperditum antecedit. Si tremor fit à craſſis humoribus, aër ad calidum inclinabit. Cibis ea quę incidãt & attenuent, ſemper miſceantur. Carnes aſſæ eligantur, volatilium ſcilicet, & montanarũ auicularum. Sed per initia vtantur iuſculis boni ſucci, & ijs quæ facilem coctionẽ admittunt: & præſertim cùm vires reficere oportet, liquida alimenta meliora ſunt. Abſtineant à vino meraciori, ebrietate, coitu, aquæ frigidæ potu, ab aceto, acidis omnibus, deniq; ab ijs quæ infrigidant, emolliunt, humectant, replent cerebrũ ac neruos. Bibant hydromeli, cum decocto ſaluiæ, vel lauendulę, vel ſtœchados, aut betonicæ. Prodeſt & decoctum aniſi, & cinnamomi, aut vinum album aquoſum, & paucũ. Vtantur exercitijs, fricationibuſq;. Igitur qui ætate, aut languore facultatis tremunt, ſola corporis refectione dicta ſanãtur. Qui ex erroribus cõmiſſis manifeſtè tremũt, à noxijs abſtineãt. Si tremor eſt ab intemperie frigida, curatur calfacientibus, & balneis. Si à ficca, cùm ſit incurabilis, omittatur. Si craſſi humores neruos obſtruunt, præparentur ad vacuationẽ ſyrupo de ſtœchade, aut aqua mulſa, cum decocto maioranæ, ſtœchados, calaminthæ. Deinde purgentur pilulis fœtidis, coccijs, aureis: aut hiera propinetur. Humor excutiatur maſticatorijs, & gargariſmatis, de quib. iam ſæpius. Poſtea roborentur cerebrum & nerui acoro condito, floribus roriſmarini conditis cum melle, aut electario ſimili. ℞ conſeruæ acori, conſeruæ anthos, conſeruæ florũ ſaluiæ ana ʒj. cranij hominis ʒ ß. cerebri leporis ʒj. radicis & ſeminis pæoniæ ana ʒj. caſtorei ʒ ß. pulueris diagalangæ ℈ iiij ſyrupi de ſtœchade quantum ſufficit. fiat opiata. Vel bibat æger caſtorei ℈ j. ex aqua mulſa duobus aut tribus diebus. Interdum ſumat mithridatium, vel theriacam. Sumat & quotidie piperis gr. v. ex mulſi ʒj ß. Datur & ius galli veteris elixi, cum aneto, polypodio, & ſale. A purgatione

Curatio.
Victus ratio.
Medicamẽta.
Opiata.
Topica.

gatione partes trementes fricentur oleo de castoreo, vulpino, aut simili vnguento. ℞. olei laurini, olei irini ana ʒ ij. galbani, & opopanacis ana ʒ ij. castorei ʒ j. cæræ parũ. fiat vnguentũ molle. Vbi malum perseuerabit, in oleo calente pars immergatur, imò totum corpus ipsum: sed non sæpe, nec diebus continuis. Partes præunctæ pellibus vulpinis obuoluantur, vel lanis mollibus contegantur. Cucurbitulæ citra scarificationem à priori vertebra vsque ad spinam lumbósque affigantur, vt scilicet crassi ac lenti humores vertebrarum foramina obstruentes, ad extimam superficiem trahantur, atque faciliùs discutiantur. His non conferentibus omnibus balnea thermarum, vel aquæ maris prodesse possunt. Ac membra trementia quandoque abluuntur vrina. Si tremor est à contactu argenti viui, ℞. schœnanthi, spicæ, calami aromatici, cyperi, nucis moschatæ ana ʒ j. olei de castoreo ʒ iij. cæræ parum, fiat vnguentum liquidum. adde auri limati ʒ ß. pro ditioribus: loco auri pro pauperibus adde ʒ ij. theriacæ. Illinantur manus & superiores vertebræ metaphreni. Si tremor est ob suffumigationem ex semine hyoscyami & papaueris albi, quo vtuntur nonnulli ad occidendos Cyrones, abluant manus cum decoctione florum stœchados, saluiæ, & radicum galangæ. Qui tremunt, non abluant manus nisi in prandio & cœna. frequens enim earum ablutio ex frigida nocet: ita vt tremorem non tantùm foueat, sed & generet. Vtantur aqua tepida pro lotione, vel dicta decoctione florum stœchados, saluiæ, &c. Balsamum contra tremorem, palpitationem, spasmum, torturam, & stuporem: ℞. myrrhæ electæ, aloës hepaticæ, spicæ nardi, sanguinis draconis, thuris, mummiæ, opopanacis ana ʒ ij ß. carpobalsami, croci, mastiches, gummi arabici, styracis liquidæ, styracis rubræ ana ʒ ij ß. moschi fini ʒ ß. herbæ paralysis m. ij. terebinthinæ pondus omnium: puluerentur, & misceantur: destillentur ingeniosè. Hoc balsamo occiput, & spina sæpius inungantur. In summa superante frigore, acopis ad resolutionem conscriptis, vnctionibus, & cutis rubificationibus, seu phœnigmo vtemur. Palpitatio (cuius essentia fusiùs explicabitur capite de Palpitatione cordis, & quæ accidit frequenter ijs qui inebriantur, vel longo

Curatio tremoris à contactu hydrargyri.

Ab alijs causis.

Balsamum.

Palpitatio.

somno ac otio vtuntur, & cruditatibus ventris molestan-
tur) eadem victus ratione curatur qua tremor, & medica-
mentis simul pituitam vacuantibus, vel flatum discutien-
tibus, vt puluere diacymini cum pauco vino parum diluto
sumpto: aut partibus palpitantibus illitis oleo de castoreo,
aut rutaceo, vel oleo irino, in quo cuminum frigatur.

De Ephialte seu Incubo. CAP. XXII.

Ratio nominum.

ΕΦΙΑΛΤΗΣ Græcis dictus est, quòd qui eum patiatur, grandi se mole opprimi, inuadiq; ab alio imaginetur. ἐφάλλεσθαι enim premere, & inuadere est. ἐπιβολλω eadem de causa veteres videntur appellasse. πνιγαλίωσα verò à suffocando, quòd cum difficili respiratione, immobilitate, ac voce præpedita, propè suffocari ægri videantur. Latini Incubum vel incubonem dixere: fortasse quia ex veteribus quidam dæmonem, alij cupidinem, alij incubantem vetulam, aut externam quandam vim quę quiescentes inuaderet, & pondere oppressos grauaret, esse voluerunt: quanuis tota mali causa intra corpus esset, de qua mox. Atq; omnino Incubus à Phantasia nomē traxisse videtur, qua patientes afficiuntur: si quidem veluti ascendere quicquam, atq; insidere suo pectori sentiant. Est enim reuera Incubus nocturna corporis oppressio & suffocatio, cùm quis videlicet somnum ingressus, grandi se mole opprimi, atque ab alio inuadi imaginatur, vt paulò antè commemoratum est. In ea affectione cerebrum lædi euidens est: si quidē tum motrices, tum sensibiles functiones vitiantur. Incubo enim detentos difficilis comitatur motus, torpidus in somno sensus, & suffocationis imaginatio. Cerebrum autem vt pars instrumentalis læsum est, non vt pars similaris. Afficiturque secundum ventres, quia oppletis ventriculis cerebri vaporibus crassis ac frigidis, facultates per neruos transire prohibētur. Alij præcordia diaphragmatisq; partes hic affici volunt, id quod ex actione læsa cōstat: homo se suffocari ab aliqua re incumbente imaginatur, spiritúsq; eū difficultate magna ducitur. Cerebrū verò putant hic lædi per consensum subiectarū partiū. A fumis enim ascendentib. contingit motrices sensibilesq; functiones perturbari. Sensus fit torpidus, difficiliſq; motus, malè denique imaginantur.

Incubus quid.

Quæ pars afficitur.

Quis affectus præter naturam.

Hoc

Hoc malum ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium, earumque propè omnium: cùm in eo depravata ſit imaginatio; motus difficilis, ſenſus torpidus, vt diximus. Ac propterea hæ functiones aut debiliter fiunt, aut non fiunt prorſus, præſertim motrices: vnde immobiles penitus tales permanent. Quamuis demum per multam anxietatem diſcuſſo obſtruente ſpiritu ac attenuato, apertisque meatibus, de repente excitentur. Proinde media quædam diſpoſitio dicitur inter ſomnum naturalem, & Epilepſiam. Incubi cauſa remota, (vt magis conſentanea rationi afferatur) cenſeri debet aſſidua ventriculi cruditas & crapula, à qua gignitur pituita craſſa, lenta: aut etiam ipſi cibi coctu difficiles, qui os ventriculi opprimunt, reſupino iacente corpore. Inde enim vapores craſſi & frigidi ſurſum feruntur, ventriculosque cerebri replent, vnde ſpiritus animalis viæ interciptũtur, & facultas animalis per neruos diffundi prohibetur, tumque partes extremæ primæ hoc incommodi ſentiunt, & ſpiritibus priuatæ torpent, vixque mouentur. Repit autem malum paulatim ſurſum, deſtituunturque deinceps cæteræ partes ſpiritu animali, ac tandem conſtringitur ſeptum tranſuerſum, pectus, pulmo, cor, quæ ad iuſtum modum non dilatantur. Hinc ſuffocationis velut ingruentis cuiuſdam mali imaginatio. Itaque ob venarum thoracis plenitudinem quiddam molis incumbere putant reſpirationem opprimens, ac vocem ſimul impediens. Solet autem poſt primum ſomnum, & non niſi in ſomno euenire: quia à vigilijs in quibus vapores diſſipantur, quieſcit calor natiuus, & ad interna ſe conuertit vapores generãs, ac ijſdem cerebrum impleus, præſertim ſi eo tempore alimenta conficiat, non euincat. Et quia cùm dormimus, non tam liberè reſpiramus quàm cùm vigilamus, cum ſuſpirio, & ſuffocatione, & motu difficili expergiſcuntur. Vapor itaque craſſus partim ſpiritui animali viam intercipit, partim animæ offunditur, vnde in ea lædi imaginatio videtur per conſenſum, quemadmodum fit in melancholia hypochondriaca, in qua ex craſſiori ſanguine ſurſum delati vapores, metum animæ incutiunt, varieque imaginationem afficiunt. Sed id magis quadrat ſententiæ eorum qui opinati ſunt incubum fieri à

Quis affectus præter naturam.

Cauſa.

melancholico ſucco, vel ſanguine craſſo. Imò non defuere qui à bile craſſiori oriri exiſtimarunt, quam vitellinam vulgus vocat. Ex antè dictis notæ incubi ſatis ſunt conſpicuæ. Præcedit enim vocis priuatio, grauitas & immobilitas. Comitatur autem motus difficilis, torpidus in ſomno ſenſus & imaginatio ſuffocationis, vt iã diximus, vox ſupprimitur, aut incerta & nihil ſignificans editur. Hanc ſi quis propè cubet, audiet: reliqua referet excitatus, veluti quòd & incubantem vidit, & allocutus eſt, & ſubitò aufugit, cùm eum manibus attrectaſſet. Eadem denique patiuntur incubo oppreſſi dum dormiunt, quæ morbo Comitiali correpti in exacerbationibus pati ſolent. Vnde & Galeno incubus dictus eſt Epilepſia parua, vel nocturna: quãquam non ſit cum conuulſione, nec à materia venenoſa (vt Epilepſia ſæpiùs) oriatur. Huic malo tempeſtiuè ſuccurrendum eſt. Inueteratum enim & aſſiduè infidens malum, grauius aliquod vitium denuntiat, vt vertiginem, morbum comitialem, apoplexiam, inſaniam, neruorum diſtenſionem, paralyſim, aut ſubitam mortem: dum paulatim ſcilicet in cerebri ventriculis craſſus humor acetuatur. Imò hoc malo interemtos in ipſo etiam cubili multos repertos eſſe conſtat. Si verò vbi dormientes idem occupat, poſt expergefactionem oriuntur ſudores, aut cordis tremor, peſſimũ eſt. Vix vnquam incubus accidit in latus cubantibus. Sæpe hic affectus melancholiam hypochondriam ſequitur. Pueri (quibus eſt familiaris, vt & obæſis corporibus) nonnunquam moriuntur dormientes, nimio vapore craſſo lactis oppreſſi & ſuffocati. Quare nõnulli immeritò nutrices accuſant, quòd eos ſuperiecto brachio, aut crure oppreſſerint. Victus ijs inſtituendus eſt boni ſucci, qui facilè concoquatur, modicè alat, minimè inflet, aut vapores ad caput mittat. Quocirca vitentur legumina, fructus oleoſi, radices flatulentæ, & cum eorum cibis permiſceantur quæ extenuandi vim habeant, vt hyſſopus, ſampſuchus, ſerpillum, ſatureia & huiuſmodi. Cœna parua contenti ſint, veluti melle roſaceo, cum pane toſto, vel ſatisfacient paſſulæ cum amygdalis, aut cappares cum aceto & ſaccharo, aut duo vitelli ouorum tremuli. Bibant parum vini aquoſi, albi, ſubaſtringentis: aut ſi ferant, aquam aniſi.

Nota.

Prognoſtica.

Victus ratio.

anisi. In medio pastus, non in fine, bibendum est. Vltima mensa astringentibus vtantur cibis, pyris, cydonijs. Atque admonendi sunt, ne in cubiculo dormituri soli includantur. Manibus odores bonos assiduè ferant. Ab importuno, frequenti, & assiduo literarum studio abstineant, præsertim à cœna. Caput multis pannis obuoluant. A sole, frigore, ventis, igne, fumo, diurno somno ac statim à cibo, caueant. Frequens extremorum ablutio confert. Sæpius etiam caput pectendum est ex ebore in posteriorem partem ducto pectine. Curandos etiam iacere oportet loco lucido, ac mediocriter calido: decumbere in latus, adhibita animi requie, & corporis abstinentia vsq; ad tertium diem. Summatim victus ratio conuenit, quæ vertiginosis, & comitialibus præcipitur. Qui incubo opprimitur, statim excitandus est. Postea videndum ne affectio redeat. Si sanguis redundat, ita vt plenitudo coniuncta videatur, & in quibus latæ venæ apparuerint, aut facies rubet, curata priùs ventriculi cruditate, curatio à sanguinis missione auspicanda est. Proinde secetur vena in cubito externa, vel media. Si verò succi vitiosi prædominantur, purgante medicamento vacuentur, priùs exhibitis extenuantibus quibusdam medicamentis pro humorum præparatione. Vt si pituita fuerit quæ redundabit (sicut ferè fit) ex stomachicis pilulis, & hrera Galeni vacuabitur, aut ex eadem picra cum epithymo & sena, aut pilulis de lapide lazuli, si melancholicus succus aderit. Sæpius autem purgandi veniunt: maximè cùm metus est ne in alium affectum transeat. A purgatione, ea quæ cùm ventriculum, tum verò caput roborant, exhibeantur: vt aromaticum rosatum, diarobra, diamoschum, theriaca, conserua acori. Sumantur & grana x v pæoniæ in aqua trita scilicet. Et paretur puluis vtendus à pastu. ℔. anisi ʒ iij. aromatici rosati ʒ ij. cinnamomi ʒ j cum saccharo. Vel ℔. coriandri præparati ʒ ij. specierum diamargariton & diathodon abbatis ana ʒ j. seminis pæoniæ ℈ ij. coralli rubri ʒ ß. macis, cinnamomi ana ℈ j. cum modico saccharo rosato, fiat mistura. Vtantur & errhinis, apophlegmatisinis, sternutatorijs, ijsq; leuioribus iam sæpius repetitis. Clysteres item & frictiones (etiam in paroxysmo)

Curatio.

Puluis à pastu sumendus.

Topica. ex vsu sunt, quia fumos reuellunt. Cucurbitulæ item cruribus & omoplatis adhibendæ sunt. Insuper capiti raso admouenda sunt localia remedia, irrigationes videlicet, ac inunctiones calidę ex oleo anethino de castoreo, & laurino. Puluis quoque inspergendus est, cuiusmodi est. ℥. corticis citri sicci ʒ iij. cyperi, & caryophyllorum ana ʒ ij. cocci infectorij ℈ iiij. coriandri præparati ʒ j ß. sampsuchi, betonicæ ana ʒ ß. stœchados, rosarum ana ℈ ij. fiat puluis. Sacculus autem cordi applicetur: ℥. corticis citri sicci, galangæ, cyperi, ocimi, seminis citri ana ʒ ij. florum anthos, stœchados, bugloss ana ʒ j. pulueris diamargariton frigidi ʒ j pulueris de gemmis ʒ ß. fiat sacculus intersutus ad formam scuti, qui irroratus aqua melissæ cordi admoueatur. Pectus etiam oleo anethino, vel chamæmelino inungatur. Cucuphæ præterea parentur ex floribus anthos, stœchados, & cæteris capitalibus. Cæterum dropax simplex ex pice, tum hypochondrijs, tũ capiti adaptari potest. Calidus applicatur, & ne pertinaciùs hæreat, linteolum rarius, & attritum interponitur. Dropax componitur ex quinque partibus picis, & vna olei de spica, vel de mastiche.

Puluis capitis inspergendus.

Sacculus cordi admouendus.

Dropax.

De Melancholia. CAP. *XXIII.*

Melancholia nomen vnde. *Melancholia quid.* *In quibus differt à Phrenitide & Mania.*

MELANXOLIA Græcis pariter ac Latinis dicta est à melancholico humore, vel vapore, qui mentis sedem occupauerit. Itaque connumeratur inter affectus, qui à causa nomen habent. Est autem melancholia mentis alienatio seu desipientia sine febre, cum metu ac mœstitia sine causa manifesta cõiuncta. Quib. notis differt à Phrenitide & Mania, quia Phrenitis est cum febre, & cum quodam furore, & incomposito motu: Mania autem est sine febre, item sine metu ac mœrore. Quanquam verò melancholiam dicimus esse sine febre, constat tamen in febre hominem sæpe melancholicũ reddi, aut post febrem, aut alium morbum: dico timidũ, tristem, sine furore, multa falsa, & ridicula, & ab omni ratione aliena mouentem, læsa imaginatrice, & ratiocinatrice facultate. Fit enim sæpe Melancholia, vel calore resoluto, vel calidiore cerebro, aut corpore colligente Melancholiam, non adurente tamen,

men, (alioqui enim in Maniam degeneraret) hicque humor vel a partis intemperie generatur, vel relinquitur post inflammationes, vel crassior in venis conclusus, vel torpidus malignam qualitatem contrahit, & vapore atro spiritus animales & vitales inficit: vnde metus, tristitia, palpitatio cordis, inflatio carotidum, pulsatio in multis corporis partibus, aluus dura, macies refrigerato corpore, & cogitationes somniantibus similes consequuntur. In Melancholia semper cerebrū afficitur, siue fiat per essentiam, siue per consensum cum toto corpore, vel hypochondrijs. *Qua pars afficiatur.*

De quibus differentijs paulò pòst fusiùs. Nam cùm sit delirij species, necesse est in ea lædi functionē aliquam principem: quæ non nisi in cerebro perficitur. Qua de re & ipsum cerebrum affectū erit. Quòd enim in cerebro consistant omnes principalium animæ virium affectus, omnibus Medicis est in confesso. Atque vt similaris pars cerebrum afficitur, in cuius scilicet corpore si melancholicus succus abundat, totius substantiæ cerebri temperies mutata est: præterquam quòd neque subitò euenit, neque affatim soluitur Proinde melancholici magna ex parte Comitiali morbo afficiūtur. Et contrà, morbo Comitiali laborantēs efficiuntur melācholici, quia si in cerebri corpus infirmitas repit, in eoq; obstructionem facit, Epilepsiam: si in mentem, hoc est si temperamentum cerebri ac spirituum muter, Melancholiam creabit: (de qua re iam diximus alibi) facilè enim humor melancholicus cerebri ventres obstruens, alterat ipsum, & qui alterat, facilè ventres occupabit. Alterās verò imaginationem & cogitationem vitiat, ad quæ delitia sine febre sequuntur. Est autem affectio symptoma potiùs, quàm morbus: symptoma (inquam) in genere noxæ functionū principum, cùm earum quædam deprauata sit functio, imaginatricis videlicet, & cogitatricis. Tametsi quidam velint vnam imaginatricem lædi, cogitatrice atq; memoria non læsis. Imaginatricem sanè læsam esse nemini dubium est, cùm variæ sint melancholicorum imaginationes, & visa circa quæ decipiuntur. Eorū varia exempla & obseruationes ab alijs require. Iuxta Aretæum in melancholia ratio in vna & aliqua re labitur, vt in tristitia, metu eorum quæ metui non debent, *Quis affectus.*

ac cum semel aliquid apprehensum est, in reliquis ferè iudicium constat: quod in mania aut furore non fit. Excitatur autem Melancholia quæcunque fuerit, cerebro intemperato, ac tenebris simili reddito, quæ intemperies frigida ac ficca erit: (eademque intemperies communicatur cordi) siquidem melancholicus succus talis naturæ est, & ab eo frigidum siccum cerebrum redditum est. Ex ea enim atræ bilis specie fit Melancholia morbus cerebri, quæ rectiùs melancholicus succus nuncupatur, estq; veluti fæx sanguinis, ac nisi paulò pòst vacuetur, in veram atram bilem transit. Nam quæ propriè atra bilis est, multo tenuioris est essentiæ quàm prædicta, vomentibusq; eam & olfacientibus acida esse videtur, terram radit ac fermentat, & ex prædicto melancholico succo, vel præassata flaua bile, seu sanguine oriri consueuit, eaque ferina deliramenta inducit, de qua rursum capite sequenti tractabitur. Iuxta id vt notant alij, ex bile vel sanguine crasso, aut melancholico succo atra bilis magis vel minus exusta est, ac aliter deprauata seu putrefacta, & dilutior conspicitur. Succus aucem melancholicus iam dictus nonnunquam in toto corpore redundat, vniuerso sanguine in venis melancholico effecto, & propterea ipsum quoque cerebrum læditur. (Alij sunt qui Melancholiam fieri aiunt à sanguine non modò crasso, sed putri & corrupto) nonnunquam verò reliqui corporis sanguine prorsus innocuo, solus qui in cerebro contentus est, alteratur, siue in ipsum aliunde deriuetur, siue in ipsomet genitus sit. Interdum quoque contentus est sanguis crassior & melancholicus in venis mesaraicis inter ventriculum & hepar, sublataque ex eo euaporatione melancholica symptomata efficit. Vnde tres in vniuersum statuuntur differentiæ seu species Melancholiæ. Vna, cùm totum corpus simul cum cerebro, melancholico sanguine redundat. Altera, quàdo is sanguis ipsum duntaxat cerebrum occupat (reliquo sanguine corporis innoxio existente) bile aut sanguine sensim calfactis, & tenui parte dissoluta, terrena ac melancholica seruata. Tertia, quando ipsa hypochondria primùm malè affecta, cerebrũ in consensum rapiunt. Melancholiam autem quæ cum redundantia humoris in toto corpore fit, victus generat, qui eu n

Caus.

Atra bilis propriè dicta.

Differentiæ tres Melancholiæ morbi.

cum humorē parit: vt lentes, carnes salitæ, cochleæ, caseus, vinū nigrum, & similes cibi, nimia solicitudo, & huiusmodi. In cerebro quoq; ipso augetur melancholicus sanguis pariter ex nimia solicitudine, mœrore, & vigilijs præcedētibus. Et quando morbus in capite tantùm est, causam habet intemperiē exurentē, & sanguinē ac bilem flauam in Melancholiam cōmutantem. Sępius tamen sequitur capitis ardores, Phrenitidē, vigilias, solicitudinē, vt dictū est. Si est à partib. ventris, causa est ardor earū partiū qui exurit cibos, & in Melancholiā vertit, aut humor vitus in inflammatione lienis & partiū vicinarū, vt in signis exponetur. Ex metu quoque fieri sæpiùs experti sumus, à corde nimirum transfuso humore vsto, & læsa imaginatione. Sed de causis plus satis. Cōmunia autē quædam sunt omnibus commemoratis speciebus signa: quædam verò singulis peculiaria. Communia quidem metus, tristitia, odium, & auersio hominum, idq; perpetuò cum luctu: quanquam nonnulli etiam rident, sed paulò pòst mœsti ac tetrici redduntur. Omnes exercent vanæ intentæq; animi cogitationes, adeo vt persæpe hi fixis oculis veluti stupidi consistant, subitoq; falsis imaginibus exemti, celeriter cum suspirio procedāt. Qui grauiùs laborant, sese vel pecudes esse, vel testaceos, vel etiam vita defunctos credunt. Quare alij gallinacei cantū imitantur; alij occurrentibus cedunt, ne distringantur; alij epulas pertinacissimè recusant, amissam esse vitam rati. Ita præter naturam eis visa non semper eodem genere continentur. Læditur tamen in omnibus imaginatio, & se videre, & audire ferunt, quæ nō sunt extra se, sed in humore & vapore cerebri consistūt, quia imaginationis noxæ sensibus externis traducuntur. Metuunt quoq; ac mœrent omnes fine causa manifesta, quia tenebræ rationali animæ parti sunt circūfusæ. Quod enim extrinsecus fit altissimis tenebris aērem occupantibus, id Melancholiæ vitio ab interno ipsō corpore cōtingit, vel nigra bile ipsum occupante, vel aliqua melancholica exhalatione. Hęc enim est causa perpetuæ tristitiæ in melancholicis, & qui nullam externam sui mœroris causam habent, sed timoris causam in corpore circumferunt. Cæterùm timor & mœstitia non minùs atræ bilis causa sunt, quàm signum, quoniam illis

Signa.

Metus & mœstitia vnde.

perseuerantibus sanguis & spiritus contaminantur. Humores autem corporis immutati, actiones animæ immutant, & contrà. Præterea timor ac mœstitia pathemata sunt irascibilis facultatis in corde sitæ: quæ nõ concitantur nisi præcedente imaginatione eius quod delectet, aut contristet. Præcedit enim cognitio nigredinis, humoris aut vaporis cerebrum occupantis, & tenebræ imaginatione deprehensæ, timorem & tristitiam concitant. Alij verò obscuritatem, quatenus ab hoc humore pendet, in cerebrum inductam, ad atræ bilis ἐπιπόθειαν referunt, aiuntq; in tenebris etiam sanos timere non ob atram bilem, sed quia destituuntur optimo duce, nempe visione. Alij hæc ita exponunt, Terrentur melancholici quòd atræ bilis color mentis sedem tenebris similem reddens metum sine occasione incutiat. Nam & humores & partium temperamenta animi actiones mutant. Color autem nigeridem præstat, non quòd qualitas sit actiua, aut quod priuatio vt tenebræ, imprimat in visum, aut color non temperamentum mores variet, sed quia ex temperamento tum humorum, tum partium solidarum sequitur. temperamentum verò humoris non solùm prima qualitate, sed etiam secunda, vt splendore vel obscuritate functionibus animi confert. Sic sanguis lætitiam inducit, melancholicus humor metũ. Dum enim spiritus simul cũ cerebri substantia nigrore inficitur, fit vt speciẽ quamlibet externã horridè recipiat, & cum mœrore, non secus quàm si triste esset, quod recipitur quasi animus puro æthere splendidoque spiritu gaudeat, impuro ac tenebroso lædatur. Et licet mœstitia proprium signum sit melancholiæ, quædam tamẽ in ipsis deliria apparent cum risu, cantu, vbi permiscetur sanguis, qui dum vritur multo magis quàm ante splendet, vnde animo spes, vigor & alacritas per interualla oriuntur: licet non absoluantur à communi melancholiæ mœrore. Propria autem dictarum specierum indicia sunt hæc. Si vniuersum corpus melancholicus succus occupabit, hi sunt quibus iecur ad generandum talem humorem aptum est, & ratio victus præcessit, de qua in causis: & ipse splen est natura imbecillior, vt quicquid de eo generatur, ad se trahe-re minimè potens sit. Eorum item corpora sunt colore nigra,

gra, hirsuta, gracilia, & venas latas habent, qui melancholici sunt natura. Qui verò ex acquisititia, per solicitudines aut vigilias, hæmorrhoidum aut mensium suppressiones tales facti sunt. Ac si boni succi cibis vsi fuerint, & reliqua considerabis: exercitationes, mœstitiam, tempus anni, præsentem ac præteritam anni constitutionem, regionem, ac laborantis ætatem. Imò & venam mediam tundendam curabis, vt experiare nunquid sanguis sit melancholicus, vel non. Ac si fluens sanguis non videatur melancholicus, inquirendum nunquid circa ventrem prima inceperint symptomata, ipsisque auctis melancholica affectio secuta sit. Nam tunc conijcies humorem melancholicum in ventre tanquam in parte quadam inflammata contineri. Ex quo facta ad cerebrum vaporatione, eóque intemperato ac tenebroso reddito, melancholia excitatur, cerebro ipso per consensum affecto. Hunc verò affectum quem hypochondriacum ac flatuosum nominant (quod copiam flatuosorum spirituum coniunctam habeat) testantur præter metũ ac mœstitiam cruditates, acidi ructus, æstus in præcordijs, flatus, interdũ ventriculi dolores vehemẽtes, sumptoque cibo maximè coctu difficili, sputũ humidum, idemq; multum sequitur, præcordia sursum conuelluntur. Deinde alui deiectione, vomitu proba concoctione, ructibusque ægri leuantur. Venæ circa oculos à vaporibus & flatibus intumescũt, aurium fiunt sonitus, vertigine crebrò infestantur; macies, sudor, somnia turbulenta, quin etiam subinde fit cordis palpitatio, & quædam quasi suffocatio. Et per circuitum modò phantasijs impetuntur, adeò vt temporis nonnunquam intercapedine solita & necessaria strenuè satis obeant munia. Ac proinde ad exhalationem sanguinei humoris cerebrum infestantis referri eam desipientiæ speciem magis suspicandum sit. Fit enim Melancholia hypochondriaca sæpius vitio splenis, ventriculi, mesenterij, & intestinorũ, & quia suppressi sunt menses, vel hæmorrhoides, vel alia vacuatio consueta, in eáque augetur insania aucta cruditate, & ea magna ex parte à fumis malignis & acrioribus oritur. Sunt tamen qui negent eam esse inflammationem oris vẽtriculi, (vt ex Diocle videtur sensisse Galenus) quod sit sine febre: sed volunt esse

Melancholia hypochondriaca.

intemperiem ſiccã cum caliditate, & obſtructione à ſanguinis craſſitie, & acrimonia recrementorum, vnde vaporum ſublatio magna ad cerebrum, qui nonniſi à calore chylum & humorem illum adaſſante fieri poſſunt. remanet enim ſanguis craſſior, tenui parte ad cerebrum delata. Quoniam igitur venæ meſaraicæ inter ventriculum, hepar, & lienem ardore quodam efferueſcunt, & obſtructione laborant, humores crudi & melancholici illic concluſi flatus multos procreant, & ad caput elati melancholica ſymptomata, ac difficultatem anhelitus excitant, percipituq; rugitus, ac velut murmur queddã circa hypochondria, quòd incipit modò ab hepate, modò à liene. Quidam hanc melancholiam ita deſcribunt: In partibus quæ ad hypochondria pertinẽt ab extraneo & immodico calore imbecillioribus redditis alimentorũ coctio læditur, & eruditates fiunt plurimæ, vnde flatus & ructus, & diſtenſiones gignuntur. Hanc melancholiam ſeruor in venis circa ventriculum parit. Sic & in hydrope ſicco ex morbo acuto, atque etiam in voluulo à phlegmone inteſtinorũ flatus multi gignuntur. De qua re ſic & alij, humor melãcholicus per ventriculum & lienem diſperſus ex ſuppreſſione vel febre incaleſcens fuliginoſa & fumoſa euaporatione ad cerebrũ hypochondriacam melancholiam mouet. Atqui ſi neq; circa ventriculũ aliquod ſignum apparuerit, neq; ſigna redundantis in toto corpore ſanguinis melancholici adfuerint, propria autem exciterint Melancholiæ ſymptomata, metus & mœſtitia: cerebrum ipſum principio affici exiſtimandũ eſt, ob melancholicũ ſuccum in ipſo congeſtum, ſiue aliunde in ipſum deriuatũ, tertiaq; Melancholiæ ſpecies eſt: & is ſuccus à partis intemperie genitus eſt, vel poſt aliquas inflammationes relictus, vt diximus. Signa quoq; eius ſunt propriæ cogitationes ſuperfluæ & aſſiduæ, cæq; melancholicæ. Nam cum caput calidius fit, ſanguinẽ aduerit, atq; eo aduſto fumi melancholici animum exagitant. Eiuſmodi facie ſunt rubente rubore ſaturato, & liueſcente: quibus etiã aliquando adnaſcuntur puſtulæ. Deinde etiam qui flauo ſunt colore, quib. caput citius bilẽ aduirit. Circa initia diligentiſſimè curãda eſt Melancholia, ne diutiùs protracta in Apoplexiã, vel conuulſionẽ, vel furorem, aut

Prognoſtica.

Epilepſiam

Epilepsiam, vel cęcitatem permutetur: prętereaquã quòd inueterata & velut in naturã cõuersa incurabilis euadit. Recens autem curationem nõ habet difficilem. Præterea furoré efficit: quia melancholicus succus si priùs non vacuetur, paulò pòst superassatus in atram bilẽ vertitur, & qui in furorem aguntur, febrem patiuntur hecticæ non absimilem, & quæ in marcorem promtè vertitur. Vitanda sunt timor & mœstitia immodica ab externa causa orta, quia si longo tempore perseuerent, melancholiam significabunt. Si melancholicis hęmorrhoides superueneriut, vel varices, vel (vt quibusdam placet) aqua inter cutem accedit, soluitur malum. Quanquam id de furore & Mania scribit Hippocrates: quòd ab aqua inter cutem soluatur. Frequentant in masculis magis, & medijs ætatibus hæ affectiones, difficilè in fœminis, & alijs ætatibus, & his sunt deteriores. Rarò quispiam tumorem effugit lienis, qui hoc morbo rapitur. Quòd autem scripsit Aristoteles eos qui ingenio claruerunt, omnes melancholicos fuisse, intelligendum est eos excellere ingenijs, quorũ crasis est temperata, sed declinans ad melancholiam. Nam atra bilis est naturalis, quæ præstãtiores motus in ingenijs facit, & nõ adusta. Sed antequam curationem melancholicorũ aggrediatur Medicus, monendus est ne solus eos adeat, aut ad hos propiùs accedat, & ipsorum manus, pedes, os, obseruet. Cùm enim initiò multi mẽte constare visi sint, mox deprauata ratione medicos & alios violarunt. Phantasiæ quoq; variæ obseruandæ sunt, & earum quibusdam ad curationem seruiendum est. Vt si quis seranas in ventre habere imaginetur, ranæ in peluim clam deiectionibus immittendæ sunt, quæ & allidentibus, & ægro ostendantur. Quibusdã blandiendum, quia verbis benevolis plæriq; seruati sunt, cùm vidissent, aut audissent quæ desiderarunt. Alios iurgare, verberare, ligare oportet, ne sibi vel alijs violentas manus inferant. Omnis ferri, præcipitijque potestas auferenda. Quare custodes robusti illis semper adhibeantur. Melancholicorum phantasiæ subuertendæ sunt placidè, & non omnino damnãdæ, ne prouocati respuant medentibus obedire. Terrores ab animo remoueantur, & eorũ opera laudentur, & ante oculos proponantur. Cogendi *Curatio.*

sunt etiam aliquid discere, & memoria tenere. Terrore quoque incusso, terrorem alium excutere non est alienum. Nam inde fiet, vt à perpetuo illo timore, aut terrore soluantur. Prodest insuper coram eis non quæ metũ & mœstitiam afferre possunt, loqui: verùm quæ his contraria, hilaritatem, bonam spem, ac animi constantiam & securitatem, vt ægri gaudeant, & lætentur, in hocq; id est ad hilaritatem excitandam, cantu aut alijs musicis instrumentis vtendum. Quærenda etiam delectatio ex fabulis, ludisq; quibus maximè sani capi consueuerant. Amici in primis quos ægroti charos habent, ipsos frequenter visant, iucundisq; sermonibus recreent. Igitur Melancholia quæcunq; sit, communem habet victus rationem sequentem. Aër in calido temperatus sit, sed ad humidum parum vergat, idq; sponte vel arte, per vaporem decocti maluæ, althææ, violæ, & sit suaue olens per odores gratos ac blandos; non tenebrosus, sed lucidus. Somnus supra modũ confert. Quare paulò consueto longior sit: & is si non obrepit, conciliet modis infrà dicendis. Vigilia interdicatur immodica. Veneris quoq; moderatus sit vsus. Exerceantur ægri mediocriter equitando, vel deambulando per amœna & viridia loca, vel nauigando, redditis priùs natura vel arte alui recrementis, quę diu nullo pacto retinenda sunt. Frequenter etiam fricentur, & regionem mutent. Eorum cibi sint probi succi, mediocriter humidi, concoctu faciles, ac flatus exortes, elixi (inquam) non assi, nec frixi. Attendenda tamẽ in ijs ægrorum dispositio, cùm nõ omnes ad omnes cibos dispositi sint. Plærunq; tamen conueniunt panes clibano cocti, & probè præparati, carnes non virosæ nec pingues: gallinarum videlicet, pullorum, caponum, perdicum, phasianorum, oua gallinarũ mollia, pisces petrosi, & molles carne. Erinacei marini plurimum præstant ad iucunditatem & vtilitatem. Conueniunt & hœdinæ carnes, & veruecum. Sed vitentur bouinæ, caprinæ, leporinæ, & salitæ omnes carnes, aut pisces similes, nec non caseus, & legumina. Ex oleribus deligantur ad communem victum dulcia cum prædictis carnibus decocta, vt borrago, buglossum: (interdum lactucæ, intybi, & maluę comeduntur) Acriora verò loco pharmaci aliquando offeruntur. In summa deuitent

Victus ratio.

uitent omnes cibos, qui melancholicum succum generãt. Et ptisana potissimùm vtendũ, quæ cum iure aliarum carnium paranda erit. Ex fructibus vti poterunt malis dulcibus, & vua passa. Pro potu vtantur vino tenui, albo, nõ valde veteri, optimè diluto, nec tamen aceruatim eo vtantur. A nigro & crasso abstineant. Omnino cruditas fugiatur, & potus sine cibo, vel in fine pastus. Huiusmodi victu humido simul cum frequentibus balneis, (vbi non diuturnus affectus hic foret) se curasse nonnullos testatur Galenus, & eorũ humor nõ erat valde rebellis. Huc pertinet vsus quoque lactis asinini. Et addendũ approbatã esse à multis magnis vitis aceti acerrimi sorbitionem post omnem cibum, vbi iam dormire velit æger: idq; modicum esse debet, vel cochlearij mensura; fortasse quia attenuat ac melancholicum succum discutit; vel quòd assumtorum ciborum vapores humidos cõfestim ad caput deferat, somnumq; propterea conciliet. Iam vt ad curationẽ singulatũ specierum veniamus, ab ea ordiemur in qua melãcholicus sanguis vniuersum corpus simul ac cerebrũ ipsum occupauit. In eáque principiũ à venæ sectione sumetur, viribus ægri, alijsq; consentientibus. Et iuxta Græcorum sentẽtiam deligetur media, scilicet quæ cũ vena externa & interna copulatur: tantumq; sanguinis extrahendum, quantũ pro roborantis habitu satis esse conieceris, vulnusq; quod infligitur, satis latum esse debet. Arabibus tamen & posteriotibus consultius visum est, humerariã incidi partis illius, in qua maior grauitas capitis percipitur. Et si sanguis niger crassusq; fluxerit, fluere permittendus est: si tenuis & clarus, mox sistatur. Alijs magis placet basilicam aperire. Quòd verò scriptum est, si tenuis sanguis est, statim cum sistendũ esse ex Galeni consilio, non ita interpretandum videtur, vt simul atq; aperta est vena, ac defluit sanguis tenuis ac clarus, venam claudere confestim oporteat: quinimo iam detractis vncijs duabus, si perseueret sanguis tenuis, claudere venam oportet. Nam aliquando contingit, vt vacuato tenui ad vncias duas crassus & melancholicus sequatur. Et si sanguis fluens melancholicus non apparet, statim supprimendus, quoniam succi melancholici malitia à sanguinis bonitate corrigitur. Si vires multam vacuationem non tolerant,

Curatio Melancholiæ à toto corpore.

Locus Galeni expositus.

prima vice necesse est non modò semel, sed & bis, & sæpius quantum licet paulatim auferre: & si è bracchio fieri nequit, tentandum à poplite vel talibus partibus moliri, idque potissimùm mulieribus & viris, quibus menstruæ purgationes, vel hæmorrhoides retentæ fuerint. Est enim pro prædicti affectus curatione necessaria vacuatio, & ex quacunque parte sanguis detrahi debet, vbi cubiti venæ manifestæ non sunt, cùm sit (teste Hippocrate) confluxus vnus, conspiratio vna, consentientia omnia. Perseuerante malo in fronte vena diuiditur, virginibus quoque vena malleoli tunditur, quæ plærunque fiunt melancholicæ, quia amoribus vruntur. Item viduis accidit, vbi mœrore & curis conficiuntur. Refluit enim sanguis ad cor vitiosus: atque ita animam lædit. Hæmorrhoides si tumeant, cæpæ succo solicitandæ sunt: aut hirundinibus, abscissa cauda: sic enim meliùs trahunt: aut scalpello aperiendæ. A missione sanguinis præparationi redundantis succi vacandum est. Pro qua sytupi dandi sunt boraginis, fumariæ, de pomis, de thymo, de epithymo, aqua mulsa, cum decocto vel duplo aquarum bugloss æ, lupulorum, melissæ, endiuiæ, scolopendriæ, fumariæ, & similium. Vacuatur postea humor primùm leuioribus medicamentis, vt sena, epithymo, myrobalanis, catholico, cassia, syrupo violato: deinde valentioribus, vt confectione Hamech, pilulis indis, de fumaria, de assaieret, de lapide cyaneo, seu de lapide armeno præparato. Quòd si æger renuat, aut inuitus capiat, cum vino, aut quis mollissimis accipiantur, ita vt vitelli membrana leuiter aperta in medio illa conijciantur. Catapotia tamen in hoc affectu, quia calidiora sunt & ficciora, minùs conueniunt, vt placet quibusdam. Conducit etiam sero lactis aluum subducere, quod per cocturam à lacte separetur: (Nam aliud est quod ex caseo exprimitur) Sit autẽ equinum lac, aut bubulum, præparatum eo modo quo debet. Ex eo non infra quinque heminarum mensuram æger accipiat. A purgatione auertentia à cerebro & corde ad partes ignobiles conueniunt, vt partium extremarum fotus ex aqua calida, frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ sine scarificatu, balani, clysteres acres: quibus adde masticatoria, sternutatoria, errhina, trepanum, cauteria. Deinde

reliquiæ

reliquiæ materiæ resoluantur, & ægris lætitia paretur, vires q; refocillentur. Ac quoniam est incredibilis succi malignitas, & vitiositas, vtendum præsidijs quæ eius malignitatem temperent. Proinde sumantur diabuglossatum, diaborraginatum, diamoschus dulcis & amarus, electarium de gemmis, lætificãs Rhasis, electarium Conciliatoris, addito saccharo violato. ℔. diamoschi dulcis & amari ana ʒ ij. diabuglossati, diaborraginati, sacchari violacei ana ʒ j. misce cum syrupo de pomis. Epithema cordiale admoueatur. Nam sanguis cordi cùm purus est, resistit corruptioni cerebri. Proinde corroborandum est. Temperies calida humida, temperaturæ quidem spiritus conueniens est. Contraria illi frigida sicca. Epithema: ℔. aquæ melissę, bugloss̄i, borraginis, rosarum ana lib. ß. quatuor florum cordialium ana ʒ j. ligni aloes, ben albi & rubri, ossis de corde ceruì, ana ϑ ij. croci ϑ j. aceti optimi ʒ iij. vini albi ʒ iiij. puluerandapuluerentur. Item post purgationem balneis aquæ dulcis vtendum erit. Quibus tamẽ nõ immorandum diutiùs, ne partes tenuiores materiæ peccantis discutiantur, & vires imbecilliores reddãtur. Arte quoque parentur balneæ ex floribus chamæmeli, meliloti, seminis lini, fœnugræci, capitis veruecum. Et cùm balneis egreditur æger, spina inungatur oleo amygdalarum dulcium, oleo violaceo, axungia recenti pullæ: ac eorum caput tepida potiùs quàm calida dulci perfundendum, luteisq; ouorum abstergendum. Caput etiam torrentis ritu irrigetur simili decocto. ℔ foliorum maluæ, violarum, althææ, borraginis, lupulorum ana p. . florum chamæmelin̄. ß. florũ stœchados ʒ iij. fiat decoctio, & vtere capite abraso. Deinde oleo amygdalarũ dulcium, violaceo, chamæmelino, seu anethino inungatur. Embrocha etiam fit ex capitibus, & intestinis veruecum, malua, althæa, chamæmelo, & similibus. Sed balneum capitis non sit etiam diuturnum, ne vires deijciat. Confert & pulmo arietinus calidus, agnus per dorsum diuisus & exenteratus, catulus detractis intestinis, pullus, pulláve per tergũ incisa. Pulmo autẽ immergitur calidæ aquæ, sicq; calfactus rursum admouetur sincipiti. Odoramenta similiter parantur ex aqua rosarum & florum citrangulorum ana ʒ iij. in quibus

Opiata.

Epithema.

Irrigationes.

Odoramenta.

florum nymphææ, violarum, meliſſæ, maluarum, & althææ ana 3 ij. decoquantur: parumque aceti adijciatur, & per nares vaporem ex eo ſuſcipiat æger. Si ex hæmorrhoidibus, aut menſibus ſuppreſſis malum hoc ſit concitatum, horum purgationem moliemur. Vbi vigiliæ vrgebunt, ſomnus concilietur frictionibus, fotu partium extremarum diuturno & capitis modico, ex decocto lactucæ, foliorum ſalicis, ſeminis papaueris albi, ſeminis lactucæ, ſyrupo papaueris poſt cœnam dato; fronte & temporibus vnctis oleo violato & nymphææ, vnguento populeo, nec non clyſteribus ex ſimili materia. In horum curatione naturæ quies condonanda. Nam plerique hoc morbo infeſtati, quo tempore curabantur, nil profeciſſe viſi ſunt, & ſibi dimiſſi conualuerunt, quia priùs rectè tractati, poſtea vires aduerſus malum acceperunt. Si ex primario cerebri affectu melancholici euaſerint, quod ad hanc quidem diſpoſitionem attinet, ſanguinis detractione non indigent, niſi ob alias cauſas ſanguis mittatur: vti ſi ſanguis multus in vaſis redundauerit, vel præſeruationis cauſa. fruſtra enim fatigatur corpus venæ ſectione, vt & purgatione, quia longa via eſt, niſi habeatur ratio cauſæ antecedentis. Sed aſſiduis balneis dulcium aquarum curatur hæc affectio, victuque boni ſucci, humido ac modicè calfaciente, ac flatus exorte, citra aliud auxilium, cùm videlicet humor qui moleſtat, nondum ob temporis longitudinem ægrè vacuetur. Et venæ ſectio in fronte, errhina, & cætera quæ partem ipſam citò leuare poſſunt, conuenientiora ſunt. Caput quod tetris vaporibus percellitur, oxyrhodino illinitur: à quo ſi non leuetur æger, fotus fiunt humectantes & epithemata, ad intemperiem cerebri corrigendã. Cùm tamen diuturnus iam factus fuerit affectus fortiora prædictis adhibere oportet remedia. Et vena ſecari debet, (quanquam ſolum cerebrum afficiatur) ne in Maniam, hoc eſt furorem, conuertatur. Ad præparationem quoque ſucci melancholici, eiuſdemq; purgationem confugiendum, ac pro viribus annitendum, vt (cùm in prædictis, tum in ijs quibus malum à manifeſta quadam velut primaria cauſa occaſionem nactum eſt) imaginationes abſurdæ, falſæque, & mœſtitia quæcunque fuerit, propulſentur, aut

Somni prouocatio.

Curatio Melancholiæ ab affectu primario cerebri.

ratione

ratione persuadendo, aut aliud quidpiam agendo eorum quæ subitam & affatim mutationem efficere possunt. Plurimi namque curati sunt, cùm vel vidissent, vel audiuissent ea quæ consequi desiderarunt. Philodotus medicus quendam qui caput sibi amputatum putabat, quòd tyrannus factus fuisset, curauit, imposito repentè ipsius capiti pileo plumbeo, vt grauitatem sentiens, caput se recepisse rursus putaret: quo plurimùm gauisus, vana imaginatione liberatus est. Et mulier quædam melancholico malo correpta inter dormiendum anguem se deglutisse putabat. Ciens itaque ei vomitum, anguem extinctum pelui qua vomitionem excipiebat, clandestinè imposuit, quem simul atque inspexit melancholica, euomuisse rata omnem falsam suspicionem deposuit, & salua euasit. Altera quædam mulier ex longa viri peregrinatione correpta, cùm præter spem virum conspiceret reuersum, eum amplexa multoq; gaudio affecta, subitò omni metu liberata est, atque ad naturalem statum redijt, vt nulla alia curatione egeret. Notæ sunt historiæ, sed quia memorabiles, huc allatæ. Superest curatio Melancholiæ hypochondriacæ, quæ cum ea quæ primario affectu cerebro oboritur, in sectione venæ conuenit. Nec enim facienda erit, nisi æger multo redundarit sanguine, aut si melancholicus sanguis qui in ventriculo seu eius vasis continetur, ex aliquo viscerum, liene scilicet, vel hepate, ad ipsum fuerit delatus. Tunc namq; reuulsionis gratia seruamus rectitudinem, & (vt in præseruatione idem facimus) venam internam vnius vel alterius brachij secamus. Sunt tamen qui eius loco saluatellã commendant. Deinde humores apparamus, vt dictum est in alijs, nec non postea purgamus ex hiera præsertim, puluere sennæ, epithymi, catholico, manna, cassia, alijsque similibus sæpius iteratis, à vehementioribus & valentioribus semper abstinendo, ne eorum tum calore immodico, tum à remotis partibus attractione affectio augeatur. Quare ijs moderatè & paulatim velut alijs melancholicis aluum subducere oportet: præterquam quòd ventriculus remedijs fortioribus exasperatur. Præterea tam medicamentis quàm alimentis discutientia flatum admiscenda sunt perpetuò. Et post purgationem serum lactis prædictum cum

Curatio Melancholiæ hypochõdriacæ.

epithymo, aniso, fœniculo, bibant ieiuno ventre. Assiduè quoque vtantur potu decocti pulegij, itemque centaurij, vel absinthij, quod perutile est ventriculo, plurimumque flatus generationem in ventre impedit, vrinam mouet, optimèque coctionem præparat, adeò vt hoc solo remedio plurimi sanati sint. Exhibenda sunt & alia quæ vrinam mouent, vt sunt anisum, daucus, asarum, fœniculus, smyrnion, chamædrys, chamæpitis. Horum quodlibet aqua decoctum sumitur, vel in pulverem redactum, & potui insperssum. Si affectio est ob splenis obstructionem, vel menses suppressos, addantur similiter aperientia seu diuretica, sed minùs calida, quæ in alijs spectebus non conueniunt, quia sunt acria. Extrinsecus fouenda sunt hypochondria ex oleo in quo decocta sit ruta, anethum, absinthium, pulegium, serpillum, agni semen, baccæ lauri, aut folia eiusdem tenera. Conuenit & fomentum ex decocto quod recipit rutæ, anethi, pulegij ana m̃ ß. anisi, fœniculi, carui, cumini ana ʒ ij. alumnis ʒ ß. bulliant in aceto, & spongia partes dolentes ac dilectæ foueantur. Stercus item bubulum aridum cum aceto mulso admoueatur. Interdum in stomachi inflationibus cuminum, pulegium, anisum, in aceto coquere expedit, & per spongias stomachum fouere. Vel saccelli sic parantur. ℔. foliorum & baccarum lauri, rutæ, absinthij, serpilli, pulegij ana ʒ ij. florum chamæmeli, fœnugræci, anethi, cumini, anisi, seminis fœniculi ana ʒ j. rosarum rubrarum m̃. j. contundantur & fiant saccelli, qui irrorati pauco aceto, vel vino albo calidi approximentur, sæpius eos mutando supra ventriculum. Fiunt & fotus ex floribus chamæmeli, meliloti, sena, polypodio, epithymo. Inunctiones deinde fiunt ex oleo de lilio, amygdalarum dulcium, de cappatibus, ammoniaco, & cæteris. Cucurbitulæ etiam leues hypochondrijs affiguntur ad flatus discutiendos. Nam veluti incantamentum quoddam ex flatuoso spiritu dolorem ortum confestim leuant. Vbi vitium hoc perduraut diutiùs, præsens remedium ex longiorib. interuallis est à cibis vomitus concitatus vomitorijs leuioribus, vt aceto, syrupo acetoso, seu oxymelite cum aqua tepida. Cauendus tamen vomitus in eo, cuius ventriculus debilis est. Quod reliquum est, non negligatur

Decoctum absinthij.

Topica.

Fotus.

Saccelli.

Cucurbitulæ.

negligatur caput, sed roboretur & humectetur irrigationibus, inunctionibus, odoramentis superiùs descriptis, quanuis à ventriculo originem contraxerit. In cruditate optimum est arctiùs ventriculum ligari, vt flatus impediantur, & melior fiat concoctio. Datur & melancholicis hypochondriacis ex quibusdam internallis, hyeme præsertim & inchoante vere, ʒ j. antidoti theriacę post purgationes. Dropax etiam ex pice nauali & oleo rutaceo paratur calidus, breuibus interuallis ventriculo affigitur, & toti metaphreno. Pix quoque ad emplastri formam cum oleo laurino, & puluere cumini addito, ventri & dorso è regione admouetur. *Dropax.*

De Mania. CAP. *XXIIII.*

MANIAN Græci, insaniā, vel magis propriè furorē, seu rabiem Latini vocant, quòd eo malo detenti furibundi, temerarij, & feratum instar effrenes sint. Hippocrates ἔκφασιν quandoq; appellat: habetq; hoc genus delirij magnitudinē, ac vehementiam. Quod verò paruū est delirium, Ἄνοιαν consueuit appellari. Quemadmodū apud Hippocr. Mania interdum significat maximā mentis desipientiam & furentis animi incitationē in febre acuta. Est itaq; Mania, mentis alienatio seu delirium vehemens citra febrem. Tantam verò habent inter se cognationē Mania & Melancholia, vt interdum furor pro Melancholia, & cōtrà Melancholia pro furore vsurpetur Galeno. Vnde non absre non aliud esse insaniam seu furorem dixerunt quidam, quàm intensionē ad maiorem seritatem. Intensior enim est Mania non modò symptomatū, verùm ipsius cerebri affectus, ac causæ ratione. Mania namq; cogitatione, verbo, aut opere Melancholicorū deliramenta imitatur: sed iracundia, iurgijs, clamoribus, horrendo aspectu, multo deniq; maiori corporis impetu, & mentis perturbatione laborantes exercet, ac impellit, vt quasi ferę ac immanes beluę in obuios dentibus, vnguibus, & pugnis inusitata rabie petulanter inuadant. Fit aūt citra febrē, nullaq; alia re differt à Phrenitide: Tametsi febris interdū humore putrescente accedere solet: & si febris accesserit, tunc Phrenitis nuncupatur. Si duntaxat humor vehementiùs incalescat sine febre, efficit Maniā μονῶπα, id est solitariam. *Mania, insania, furor, rabies.* *Mania quid.* *In quibus differt à Melancholia.* *A Phrenitide.*

Duplex furor. *ἐνθουσιασμός.*

Cùm autem duplex sit furor: vnus ex corporis causa, seu origine: alter diuinus seu immissus, cuius inspiratorē esse Apollinem Plato voluit, & qui est ἐνθουσιασμὸς Prophetarum, vatum, Sibyllarum (vocatur autem nunc diuinatio) de priori furore hæc nostra est commentatio. Nec omnino negandum est apud medicos fieri posse, vt homines à dæmonibus teneantur. Sed non protinus in Maniacis id recipiendum. In Mania laborat cerebrum vt pars similaris, non vt organica: laborat (inquam) modò primariò, modò per consensum, in eoque cum Melancholia conuenit, sed à Phrenitide distat. Cerebrum læsum esse testantur principales animæ vires quæ oblæsæ sunt, earumque symptoma est furor, cùm in eo deprauatè lædantur. Principes autem illæ sunt imaginatio, & cogitatio videlicet. Nam vt in Melancholia præcipuè læditur imaginatio, sic & in Mania sæperatio magis. Seruatur autem memoria (vt patet ex cantilenis quas familiares habent) præsertim si ex feruenti sanguine originem ducat insania. Consequitur huiusmodi symptoma calidam intemperiem cerebri: siue ea sola sit, siue ex succis calidioribus orta Propter quod à Melancholia discrepat, quæ à frigidiori intemperie cerebri ortum habet. Quæ est à sola cerebri calidiori intemperie, quibusdam similis videtur illi quæ ex ebrietate contingit. Oritur & nonnunquam ab humoribus mordacibus ac calidis cerebri substantiam imbuentibus, ipsamq; cum membranis suis stimulantibus. nam humor calidus cerebri membranas mordet, ac substantiam calfacit & exurit. Talis humor est bilis flaua præassata: talis & melancholicus succus exustus aut putrefactus. Quibus annumeratur feruidior sanguis, delatus per corpus totum, & caput petens. Quanquam & alij velint posse oriri à sanguine incorrupto ac temperato, soláq; multitudine cerebrum offendente, hancq; isti similem esse referunt ei quæ ebrijs accidit. Attamen purus sanguis non videtur id genus mali efficere citra caloris incrementum. Et quòd febrem non efficiant sanguis ac bilis, quanuis superincalescant aut putreant, eò fit, quando sensim accedit humor qui efferuescit, & ad Melancholiam vstione sensim quoque degenerat: ita vt nunquam adeò copiosus accedat vapor, vt febrem concitare

Quæ pars in Mania afficitur.

Causa.

citare possit. Obseruandum etiam est, quòd Maniaci tametsi maniæ causa non febriant, vt Phrenitici, lenta tamen interdum, & minimè acuta febre laborant, vt pote quæ nullius inflammationis symptoma sit, nec in maniaco delirium sequitur febrem, vt in Phrenitide: sed antecedit, ac vtrumque accidit, vt & in Phrenitide exustus humor, & in melancholia crassus ac frigidus suppressione aut æstu reddatur μανιώδης. Internæ igitur hæ sunt causæ, calida cerebri intemperies, & dicti humores assati. Nam à pituita nõ fit, cùm ad tantam assationem deuenire non possit. Cum singulis prædictis Maniæ causis præcedere solent (vt antè dictum est) quæ cerebrum duntaxat, aut totum corpus simul cum eo, ac redundantes humores calefacere valeant, ac in tantum exurere, vt possit furor ipse generari. Sunt autem ea solicitudines, mœstitiæ, vigiliæ immodicæ, præcedens Phrenitis, aut alia inflammatio seu æstuatio, aut quæuis alia cerebri dispositio. Nam plures visi sunt furore correpti, qui ab excandescentia, vel ira, vel mœstitia principiũ habuere, promptè se habente corpore eo tempore ad incidendum in tales affectiones. In Maniam facilius incidunt, qui mediam tolerant æstiuo tempore, aut sub ardenti sole iter agunt, & acrioribus vtuntur alimentis, & vinis validioribus, & salsis cibarijs, & salsamentis ex pipere, zingibere, melle, & similibus. Externæ verò causæ aliæ sunt, cuiusmodi est morsus canis rabidi, vinum fulmine gelatum & potum, vesicatiæ alterum genus, hyoscyamus, mandragora, & consimiles, de quibus plura dicere non est huius loci, vel instituti: præterquam quòd alij nolunt hos inter furentes numerandos esse. Nam repentè hęc aduenient, & celeriter conquiescunt. Furor autem stabilis, ac permanens est. Nota. Præcedunt Maniam debilitas, grauedo, vibratioque capitis, risus non assuetus & intempestiuus, ira ex facili occasione, aurium tinnitus, splendores præ oculis obseruantes, ingentes vigiliæ, curæ pertinaces & extraneæ. Progressu tẽporis augentur hæc omnia, atque increbrescunt, & appetentiæ putidiores fiunt, & ad venerem prompti sunt. Ideoq; seminis effusiones in somnis fiunt, oculi excauantur, & minimè nutant. Horum plurimis accessionis tempore oculi sanguinolenti fiunt atque attenti, accidunt vigiliæ iuges,

venarum extensio, genarum rubor, corporis durities, atq; aliena fortitudo. Et adsunt quidem delirationes eorum quos Melancholia exercet: sed in Maniacis semper iungitur effrenis iracundia, clamoribus, minitationibus, torua oculorum intuitu, violentoq; corporis impetu formidabilis. Si in causa bilis est, omnia inusitatæ temeritatis ac crudelitatis plena contingunt, adeò vt quidam carnē propriam degustarint, & domesticos velut insidiatores tractarint, occiderint, percusserint, violarint. Si melancholicus succus adest, deliramenta erunt cū metu ac mœstitia, diutiùs interdum taciturni sunt, ac loqui auersantur. Si sanguis magis subest, assiduus & dissolutus oritur risus, iocundis ante oculos obiectis imaginibus. In his & hilaritas vultus, & cantus perpetuus. Aliquando ex contingentibus euaporationibus circa aures sonitus adsunt, vt putent se tubicines audire. Sed generalius nomen Μανίας ijs videtur accommodari ἀντὶ τῆς παραφροσύνης. Atque in discernendis causis dictis consule totius corporis temperamentum, laborantis habitum, tempus anni, regionem, ætatis constitutionem, præcedentem victus rationem. Quæ omnia vel præfatam bilem, vel melancholicum succum vstum, vel sanguinem feruidiorem demonstrabunt. Quòd si calida intemperies cerebri præter calidos ac vitiosos succos redundantes fuerit, nullum eorum vitiosorum, succorū redundantiæ signum aderit: ac fortè ex aliqua causa externa quæ cerebrum calefacit, insania orta est. Nulla desipientia secura est: licet minùs periculosæ quæ cum risu fiunt, quoniam ex sola fiunt caliditate sine humore vitioso. Periculosissimæ omnium temeratiæ. In medio ambarum sunt, quæ cum studio fiunt ex flaua bile ortum ducentes, quæ cùm exusta fuerit, & iam magis ad atræ bilis naturam accedet, ex ea fiunt insaniæ illæ temeratiæ, furiosæ, ac omniū periculosissimæ iam dictæ. Insania quæ ex atro humore exusto fit, non adeò pernicios a est: velut quæ ex flaua bile præassata gignitur, prout humor est humore efficacior, ac strenuior. Varices Maniam soluunt. Furor frequentior est medijs ætatibus. Difficilè generatur in senibus, difficiliùs in pueris, & mulieribus: quanquam Maniæ accidunt interdum senibus ob naturæ imbecillitatem, quæ

Prognostica.

excernere

excernere vomitu, vel profluuio sanguinis excrementa in capite contenta nequit. Eiusmodi Maniæ sunt leuiores & cum grauitate capitis. A Mania quam humor acris & feruens excitat, conuulsio si superueniens lethalis est. A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cus, vel mentis alienatio, bonum. Mania sæpius incalescenti Melancholiæ succedit. Salutem promittunt fusi menses, aut hæmorrhoides. Non tuta sunt vlcera in facie, aut in pedibus orta, aut amissa prorsus appetentia. Pro curatione quæ superest tractanda, aer ad humidum vergat, caliditate temperatus, aut ad frigidum parum declinans. An tamen lucidus, an obscurus esse debeat, à iuuantibus desumemus. Quibusdam enim lux, quibusdam tenebræ magis imaginationem vitiant & turbant, vt in Melancholia dictū est. Mutare item regiones debent, neque hos solos esse oportet, vel inter eos quos aut contemnant, aut negligant: amici adsint qui eos hortentur, aut etiam obiurgent, & vbi opus fuerit flagellis cædant. Erunt & multorum ingressus prohibendi & maximè ignotorum. Quamuis nonnunquam sapere videantur, credendi non sunt. Est enim dolus Maniacorum, qui cupiunt à flagellis & vinculis euadere Somnus procuretur modis omnibus, vt odoribus violatum, & nymphæa. Ante omnia in lecto vinciendi sunt, ne vel sibi, vel alijs noceant: aut gestandi sunt lecto pensili intra cubile insanientibus dicatum. Quiescant, sed loco exercitij multæ frictiones illis adhibeantur. Aluum leuem & humidam semper habeant. Alimenta eis offerantur liquida, sorbilia, præsertim circa initia paucum sanguinem generantia, eumque frigidum humidum; vt hordeatum seu ptisana, borrago elixa cum iure gallinæ, aut ius pulli cum hordeo elixi, mica panis in iure pulli, aut mica panis lota. Procedente tempore, & postulantibus viribus, carnibus vti poterunt, potissimùm contusis gallinarum, pullorum, perdicum, phasianorum, & castratorum. In quarum carnium iure ptisana optimè parari possit. Pro potu sumant aquam hordei, cum qua permisceatur succus malorum punicorum, dulcium, aut acidorū. Quos potus si auersentur, & vires indicent, ac vini potioni assueti fuerint ægri, illud non omnino denegandum erit,

Curatio. Victus ratio.

præsertim si ex succo melancholico exusto Mania genita fuerit: nempe album, tenue, aquosum, subastringens, dilutum, maximè inclinante malo. Abstineant ab omnibus edulijs, ac partibus bilem gignentibus. Hæc quidem communis est omnium insanientium victus ratio: in qua pauca subinde mutari debent pro diuersa causæ ratione. Propriam autem curationem secundum medicamenta vnaquæque causa expostulat. Si ex feruenti sanguine furor excitatur, in primis secetur vena media seu externa dextri cubiti, vel eius partis, in qua grauitatis sensus appareat. Lata autem venæ incisio fieri debet. Aut si hæ non apparent, vena tali aperiatur, seu malleoli, præsertim in mulieribus. Quòd si ne hæc quidem sit conspicua, ad eas quæ in summis sunt pedibus, ac manibus transeundum est: vt quę sunt manifestæ in pedis pollice, aut in manu inter indicem & pollicem, tantumque sanguinis confestim detrahendum, quantum vires tolerare possunt. Sin vires tantam vacuationem prima vice non tolerant, necesse est non modò semel, sed & bis & sæpius quantum licet auferre. A missione sanguinis caput irrigetur ℥. olei ros. ʒ.vj. aceti rosacei ʒ j ß. succi polygoni ʒ ij. vel oleo anethino, aut melino imbuta lanea, vel linea petia sincipiti imponatur, & renouetur. Vel decoctum sic paretur: ℥. rosarum, violarum, solani, foliorum lactucæ ana p.j. corticum papaueris albi ʒ ij. florum chamæmeli ʒ iiij. florum stœchados ʒ j. quæ bulliant in debita quantitate aquæ, addito pauco aceto, eoque decocto tepido caput iuxta coronalem futuram (loco priùs abraso videlicet) irrigetur. Summè frigidis non est vtendum, quia spiritus congelant, & reddunt immobiles. Irrigatur & caput lacte mulieris. Tepida omnia, non actu frigida sint, quæ admouentur. In declinatione catelli dissecti apponuntur supra caput calidi, vt etiam pulmones arietis. Interim somnus sedulò procurandus est. Quare soporiferum diacodium vocatum cum succo ptisanæ aut aquę aut acheter exhibendum, & vbi prima die satis dormierint, vna die interposita, rursus diacodium est propinandum. Obseruandum tamen ne postea offeratur, ne sensus stupidiores reddat. Si res postulauerit, vena quoque in fronte secanda erit, præsertim si infarctus impactúsque sanguis in cerebro

Medicamentorũ ratio.

Topica.

Irrigatio capitis.

cerebro fuerit. Aut irritandus est fluor sanguinis è naribus: vel sanguisugæ naribus admouendæ sunt. Orta verò insania ex præassata bile, si mittitur sanguis, parciori manu id fiat, ne vacuato sanguine ægri immaniores reddantur. Aut si niger sanguis videatur, permittatur effluere. Sin tenuis est, sistatur: atque is humor potiùs coquatur, & vacuetur. In id detur syrupus violaceus, aut rosaceus, aut de succo fumariæ, intybi, borraginis: cum decoctis refrigerantibus, nymphææ, lupuli, bugloſſi, & similium. Deinde vacuetur idoneo solutiuo (quod in forma liquida magis conuenit, quàm solida, quia magis humectat) vt catholico, manna, cassia. Et si potio displicebit, pilulæ exhibeantur fœtidæ, aut aliæ: quibus portio hieræ picræ, aut rhabarbari, aliorumque bilem vacuantium admisceatur. Et si delirantes renuant medicamenta, vt fallantur, cibis, buccellis, ficubus, & palmulis excipiantur. Robur postea & cerebro, & cordi addendum est electarijs mollibus. ℔. conf. radicũ bugloſſi, conſeruæ rosarum, nymphææ ana ʒ j ß. conſeruæ adianthi ʒ vj. pulueris diamargariton frig. coralli rubri ana ʒ ij. fragmentorum pretiosorum communium ana ʒ ß. compositionis Alkermes, compositionis de hyacintho ana ℈ iiij. doronici Romani ʒ j. excipiantur syrupo de pomis redolentibus, de quo sumant instar castaneæ. Fiunt & electaria per tabellas. ℔. pulueris diamargar. ʒ ij. de gemmis ʒ j. serici pulueriſati ʒ ß. conſer. rosar. & bugl. ana ʒ j ß. sacchari dissoluti in aqua ros. & bugl. fiant tabellæ in rhomborum figuram efformatæ, bibendo post liquores stillatitios prædictos. Admouetur & cordis regioni epithema. ℔. stillatitij liquoris ros. ʒ viij. stillatitij liquoris bugloſ. ʒ v. stillatitij liquoris nymphææ ʒ iij. pulueris diamargariton frigidi, coralli rubri ana ʒ j ß. pastillorum de camphura ʒ ß. croci ℈ j. aceti ʒ ß. misceantur pro epithemate, manè & vesperi ante pastum. Declinante affectu balneo aquæ dulcis vtendum: aut in quo maluarum, bugloſſi folia, salicis, lactucæ, nymphæę decoquantur, cum floribus violarum, cirsij, chamæmeli, meliloti. In aqua tepida collocatus æger, aliquanti sper lauetur ante pastum. Deinde lectum ingrediatur, nec multis, aut densis stragulis sudorem eliciat. Ita humores contemperantur, & eorum reli-

Curatio Maniæ à bile assata genitæ.

Opiata.

Tabellæ.

Epithema.

Balneum.

quiæ dissipantur. Irrigationibus etiam dictis vtendum, & alijs topicis, addendo quę magis infrigidant, & humectãt. Nec minùs in his somnus cõciliandus: imò magis, quàm reliquis maniacis ac melancholicis. Quòd si his non curatus fuerit æger, cauterijs vtendũ è ferro candente, aut ex ijs compositis, quæ corrodendi vlcerandiq; facultate prædita sunt: & his potiùs vtendum, donec tanta corrosio facta sit, vt os nudum appareat. Admouentur ea vbi sutura coronalis cum sagittali coniungitur (eiusmodi cauteria id quod congestum est in capite euacuant) ossẽ denudato de eo particula auferatur, maneatq; locus apertus per mensem. Priùs autẽ tentari possunt phœnigmi, sinapismue, qui in humeris, vel cerui ce adhibentur: vt etiã hirudines, quæ capiti circulatim, sincipiti præcipuè, admouentur. Fit etiã in collo fõntanella vocata. Ex atro humore adusto si furor est, non alio modo curatur quàm Melancholia, præsertim si in toto corpore talis succus redundabit. Et si ex atra bile prædicta redundante tantùm in cerebro excitatus est, similiter curatur vt Melancholia ex redundante succo tantùm in cerebro: quanquã medicamentis plus humectantibus ac infrigidantibus pro curatione furoris opus sit. Si exorta fuerit Mania ex calida tantùm cerebri intemperie, seu externa causa ipsam calfaciente, præmissa venæ sectione & purgatione iam dictis medicamẽtis caput ipsum curandum est, & totum corpus alterantibus. Per cõsensum genitus furor primario affectu curato cessat: vt cùm ab vtero furor oritur, ad vterum conuertenda curatio est. Ac vt præseruetur cerebrum, ne in essentiam transeat, prædictis medicamentis rectè vti poteris. Postquam leuatus fuerit æger, præseruationis gratia ineunte vere ei sanguis mittendus est, & venter à bilioso humore purgandus.

Cauteria.

Curatio Manię ab humore atro adusto.

Præseruatio à recidiua.

De Catarrho. CAP. *XXV.*

INTER affectus cerebri recẽsendus videtur Catarrhus vel generaliter dictus, cùm in eo cerebrum lædatur, vt paulò pòst dicetur. Antequam igitur dictis affectibus finẽ imponamus, de Catarrho mentionẽ injiciemus. κάταρρες vt Græcum nomen sonat, vel Πτυματισμὸς, est defluxus seu descensus excremẽtitij humoris à cerebro in partes subiectas,

Catarrhus quid.

ctas, à quib. varias sortitur differentias, & nomenclaturas. Aut enim in os, fauces, & palatum delabitur humor, & κατάῤῥους propriè appellatur, Latinisq; destillatio dicitur: velut si in nares intimas excrementũ defluat, siue in eis figatur, κόρυζαν Græci (ἀπὸ τοῦ κορύσσειν quod est mordicare & lacerare, quia videtur vellicare partes) Latini Grauedinem appellant. Tamen Coryzæ vox est ambigua. Nam Celsus scribit sub ea comprehendi omnẽ destillationẽ, quocunq; influat, in nares, fauces, pulmonem, quam postea medici κατάῤῥαγμον dixerunt. Si ad laryngem & trachean arteriã descendit, βράγχος à Græcis (ἀπὸ τοῦ βραγχᾶν id est rauescere, seu potius rauescere: quanquam alij malint ἀπο τοῦ βράγχου, βραγχᾶν deductũ) à Latinis raucitas, vel raucedo nominatur. Si in gurgulionẽ, vua, & columella: si in glandulas quæ in oris termino continentur, Antiades: si in eas quæ proximæ ijs sunt, Paristhmia. Si in alias partes, aliã appellationẽ susc ipit. Nonnunquã fluxio defertur è capite in ventrẽ. Fertur etiam materia per venas & arterias in subiectas corporis partes, & neruos: de quib. omnib. hoc capite pertractare minimè instituimus: (sæpius Catarrhus tuinitur pro fluxione in partes pectorales.) Sed de tribus duntaxat prænominatis fluxionibus, destillatione videlicet propriè dicta, grauedine, & raucitate hîc disseremus. Destillatio itaq; in os fit: quanquam alij in os & fauces fieri aiunt. Quod ita accipiendũ est, vt dicamus, si per palatũ in fauces excrementũ defluat, adhuc in ore susc ipi, à quo tum gula, tum aspera arteria excrementi decursum accipiunt: fauces enim significãt spaciũ laxius, quo inter gulam & guttur præiacet. Vel dicas faucib. ipsis exiguũ excrementũ susc ipientib. fieri etiã Catarrhũ, quãdo vox nondũ mutatur, & rauca redditur. Nam βράγχος fit nedũ gutture affecto, verùm & faucib. ipsis, multo tamẽ humore imbutis, iuxta Galenũ. In Catarrho cerebrũ primò oblæsum est, vt paulò antè diximus. Quod de trib. eius differẽtijs prædictis intelligendũ, cùm earũ causa sit cerebrũ, & qualis in ventre passio ex mala coctione fit, tale quid in cerebro est Catarrhus, atq; in eo curando capiti tanquã fonti mali prospiciendum est. Quod ex cerebri quoque actionibus læsis, nec non eiusdem excrementis quantitate, vel qualitate mutatis confir-

Differentiæ Catarrhi.

Catarrhus specialiter dictus.

βράγχος seu raucedo.

Quæ pars afficitur.

matur. Tametsi cum cerebro in grauedine nares coafficiantur. In Catharro os, & fauces interdum cum cerebro: in raucitate larynx ac simul ipsæ quoque fauces, si multo humore imbutæ sint. Huc transfer quod notant alij, Catarrhum fieri vitio cerebri tantùm, aut laborante cerebro per alicuius partis vel totius corporis consensum. Vitio quidem cerebri fit, si perseuerauerit: per consensum, si alterius morbi periodum comitatur. Affectio autem ipsa, quantum ad materiam spectat fluentem, symptoma est in genere excretorum immodicè: fluit enim materia per dictas partes, quæ à sano homine exire & emitti non consueuit. Catharri essentiam omnem quidam luculentè expositi his verbis. Destillatio communiter sumpta, est defluxus humorum seu excrementorum è capite cerebróue in subiectas partes. Cerebrum quidem cum natura sua frigidæ & humidæ sit naturæ, multóque egeat ob molis magnitudinem alimento, plurima excrementa procreat. Id quoque promouebit lenis eius intemperies frigida & humida. Propter situm quoque vapores eò facilè ascendunt, hiíque condensati à cerebro propter substantiæ eius raritatem facile suscipiuntur. Prout autem excrementa eiusmodi superflua in hanc aut illam corporis partem propelluntur, appellationem suam hoc mutat malum. Contingit enim huiusmodi excrementa in interioribus cerebri receptaculis aliquando & frequenter quidem (quamdiu qualitate non multum peccant) in interioribus ventriculis cerebri quiescere, omniumque promptissimè per palatum expurgantur tunc. Aliàs verò contingit ea diffundi per cerebri loca diuersa, cum nimirum immodicè exuperant, tuncque partim per nares, partim per palatum, aliquãdo & per aures, aliàs per oculos excluduntur. Sæpe quoque prolabuntur in interiores corporis sedes, vt in pectus, pulmonem: vnde peripneumonia, asthma. Aliàs in asperam arteriam, faucésque, vnde raucitas. Subinde in ventriculum deuoluuntur, tuncq; assumpta alimenta corrumpuntur appetitus, concoctioq; subuertitur. Aliquando etiam lienteriam excitat, vt dum in intestina prolabuntur, vnde fit alui profluuium. Nonnunquã huiusmodi excrementa colliguntur extra calmariam sub capitis cute, idq; sæpe in vertice percipitur

Quis præter naturam affectus.

pitur capitis, vbi extremitates venarum faciem temporaq; perreptantes desinunt. frequenter etiam dum excrementorum inutili copia onerantur hæc vascula, in hæc loca se exonerant per plures etiam dies, vnde in extremas corporis partes subiectas paulatim viam sibi sua lenitate parãt: quæ sensim tamen crassescit calore partis à qua excipitur, vnde sæpe procedit dolor lateris, lumborum, brachiorum, spatularum, oculorum, dentiũ, humerorum, adenum, coxendicis, crurum, diuersorumq; articulorũ. Notissimũ autem hic agimus de ea fluxionis specie, quæ in pulmones fit. Sed vt ad causas descendamus. Consequitur id symptoma intemperiem calidã vel frigidam cerebri: quo casũ, vt similaris pars, ipsum afficitur. Interdum verò eo oppleto & velut instrumento oblæso, hoc symptoma excitatur. Igitur ab intemperie quidẽ fit capitis plenitudo, & excrementorũ redundantia, calida scilicet intemperie trahente à partibus alijs, & liquante excrementa: frigida verò impediente transpiratũ & humorũ dissolutionẽ, & exprimente humiditatẽ ad imas partes. Nam quod ad cerebrũ peruenit pro nutrimento, id sua frigiditate concoqnere nõ valet, sed velut excrementũ effectum, iterũ ad infernas partes conuertitur, cùm nequaquã continere possit. nec minùs cùm ex infernis partib. in ipsum vapores ascendunt, qui iterum multiplicati ac crassiores redditi, vt ad subiectas partes delegentur, necesse est. Remotiores verò causæ sunt sol, aër ambiẽs, calidus aut frigidus, plethora, cacochymia, cruditates ventriculi, ebrietas, exercitatio partiũ superiorũ non assuetis, ablutio capitis, vsus aromatũ in cibis, & similes, à quib. omnib. caput facilè repleri potuit. His consentaneũ est q; alij scripserunt, his omnib. fluxionib. capitis plenitudinẽ causam esse, idq; à vaporib. alimenti, humorũ, viscerũ vitio, caloris capitis imbecillitate: ac duo ferè perpetua esse huius mali seminaria, calidius hepar, & ventriculum frigidiorẽ, adiuncto partiũ mittentiũ robore cum imbecillitate recipientis. Quib. additur pulmo, lien, vterus: quemadmodũ & sæpe aër externus frigidus in causa est, aut exprimendo, aut calorẽ intrò cogendo, calidus verò & austrinus caput replendo, humores liquãdo ac dissoluendo. Frequẽtiùs tamen materia cerebro concluſa per æstus in superfi-

Causa.

ficiem, per frigora verò in medium corpus, & partem imbecilliorem delabitur. Cutis quoque densitas, & alui astrictio accelerant Catarrhū. Si igitur frigida sit capitis dispositio, quæ solet frequentiùs accidere, ea tum ex quantitate maiori excrementorū dignoscetur, tum ex qualitate, quòd frigida ac minimè mordacia sint excrementa, cùm sit pituitosus Catarrhus, tumq; frons & caput distenditur vndique, faciei pallor adest, frigiditas capitis, ad somnum inclinatio, piger motus, hebes anima & sensus, meatus ethmoides clauduntur, nec vox per nares trāsmeat, intercepta via: tenuis per easdem stillat pituita: caput leuiter dolet, sed multùm graue est. Ex somno caligant oculi, frequentia sunt sternutamenta: adde his præcedentem victus rationē frigidam, temperamentū cerebri simile, ætatem, tempus anni, regionem, aëris constitutionē, & locum. Vrinæ quoque crudæ fuut ac turbidæ, præcessit nimia repletio frigidorum alimentorum ac potuum, vt narratum est in causis. Ac si febris eis superueniat, ab ea iuuantur. Accidítque potissimùm ea destillatio ijs, qui aperto capite sese statim ambienti frigido exponunt: quæ materia si in fauces & asperam arteriam ruit, cum raucitate mouet tussiculam. Si verò in pulmonem decumbit, grauē tussim ac spirandi difficultatem excitat: de qua suo loco. Si verò ex æstu grauedinem, vel destillationem, vel raucedinem quis concipiat, particulæ quæ fluxionem suscipiunt, incalescunt, salsus, vel acris, tenuísque humor destillat tum per nares, tum per os, faciésq; rubescit, sitis inappetentia, vehemens cibi fastidiū est, sonant aures, arteriæ multùm mouentur in capite, totius capitis dolor est ab humorū acrimonia, aut meatuum obstructione, facies & nasus, aliæque interioris oris partes exulcerantur, nasus quoq; interdū intumescit, febris item magna ex parte oritur, ex qua malū tamen nihil leuatur. Si manus fronti aut capiti admoueatur, hæ partes calentes deprehenduntur. Vrinæ magis sunt coloratæ. Imò ætas, temperamentū, habitus, anni tempus, regio, aëris constitutio, victus ratio, calidæ præcesserunt, vel adsunt. Vinum immoderatiùs ingestū est, balnea calidiora vsurpata sunt. Assumpta etiā ea quę vaporū copiam ad cerebrū transmittunt, vt allia, cæpæ, sinapi, raphanus, odoramēta supra modum

Signa Catarrhi frigidi.

Catarrhi ab æstu signa.

dum calida. Præcesserunt etiam austri, austrinæq; pluuiæ. Præter dicta leuis dolor est capitis ac grauitas cum manifesto caliditatis sensu. In Coryza caput ingraueſcit, respiratio difficilior euadit, & non nisi hiante ore anima duci potest. Vox non vt antè sonora, nonnihil liquoris profluit è nare, in principio tenuis, deinde crassiusculi qui μυξώδης seu muscosus est. Qui calidam temperaturã habent, aptiores sunt, vt ab externis causis in destillationes incidant, veluti frigidam habẽtes temperaturam paratiores sunt, vt ab internis causis destillationibus corripiantur. Raucedines & Grauedines in valde senibus coctionem nõ admittunt, cùm ex frigidis oriantur causis, & facultas eorum imbecilla sit, ita vt eas concoquere non possit. Si in nares humor à capite destillat, leue est: si in fauces, peius: si in pulmonẽ, pessimum est. Si in asperam arteriam destillat, peius etiã quam si in fauces, non ita pessimum, vt si in pulmonem. Cunctæ destillationes breues si neglectæ sint, longæ esse consueuerunt: nihilque pestiferum, nisi si quando pulmonem exulcerarint. Quanquam neq; omninò salubris sit, aut curatu facilis affectio, si ex destillatione caput trachęię arteriæ, aut ipsa eadem exulceratur, potissimùm si ad eius cartilagineam substantiam pertuaserit. Destillationibus ij magis expositi sunt, quibus cum subiecto viscere calidiori, vt corde, vel iocinore, vel renibus, caput natura imbecillũ est. Catarrhus in eo cui simul continuò caput dolet, ægerrimè maturescit. Autumnale tempus valde opportunum est destillationibus, quia variè sępeq; cœlum tum mutatur: quæ res maximè destillationes mouet. Pro valetudine est, ad os vel nares fluxionem verti. Quibus nares humidæ sunt & genitura, minùs integra sanitate fruuntur. Omnes natura humidi, vel secundum cerebrum, vel secundum totum corpus, sani penitus esse non possunt: sed ex parua occasione continuè destillationibus capiuntur. Si superfluitas ad inferiora per palatum descendat, partes subiectæ offenduntur, fauces, guttur, aspera arteria, pulmo, gula, ventriculus. Inde dispnœæ, tusses, anginæ, crudităes, ventris profluuia, dysenteriæ, quando quod destillat, salsum est. Multa in cerebro humiditas vel ipsum obstruit, vnde capitis

Signa Coryzæ.

Prognostica.

grauitates, Epilepsia, & Apoplexia: vel fugit ad sensoria, & sensibus officit; vel ad guttur, & destillationes facit; vel ad partes inferiores, & varios morbos generat. Si per totum corpus humiditas est, fiunt febres putridæ. Qui destillatione capitis laborant, his lien minus tumens efficitur. Ad curationem vt pergamus, Catarrhus rectè curari nequit, nisi antè spectes, an causa & Catarrhi materia, eadem remedia indicent ac requirant: vt si ambo calida sint, vel frigida, an verò amborum indicationes repugnent, ob idq; remedia postulent contraria, vt si Catarrhi materia est calida, à frigore comprimente destillans: aut frigida, à calore liquante. Ita enim pugnantibus indicationibus, vrgentioris habenda est ratio, altero tamen non neglecto. Igitur in vniuersum in Catarrho, pauco cibo & quiete vtendum est: vitato etiam frigore ac calore, præsertim si repentina fiat mutatio modò ad frigus, modò ad calorem. Id enim maximè grauedines destillationésq; concitat. Protinúsq; à solis & lunæ radijs, præsertim in plenilunio, à balneo, vino, & venere summè abstinendum est. Verùm si causa fuerit frigida, ad calidum inclinet aër: si calida, parum ad frigidum vergat. Caueant ventos tum Austrinos, tum Aquilonios. Vitent somnum longiorem, diurnũ, qui etiam noctu breuior esse debet: tametsi somnus coquit, sicuti & corporis quies: vigilia verò discutit ac digerit. Cubent in latus: vel (vt alij volunt) dormiant in ventrẽ magis, vt Catarrhus in nares tutissima cerebri emissaria fluat. Fugiant & multa capitis tegumenta. Nam caput supra modũ calfactum, cucurbitulæ modo trahit ex subiectis partibus. Leui crurum frictione vtantur. Aluus sit lenis. Abstineant ab omnibus animi affectibus immodicis, ijsq; in causa calida inflammantibus: item à vegetis odoribus. Cibis vescantur coctu facilibus, boni succi, cũ frigidis aliquatenus, aut calfacientibus leuiter admixtis, prout diuersa dispositio exigit. Sorbitiones maximè prosunt, hordeatum, auenatum, vbi resiccandum est. Conuenit & oryzogala, amygdalogala cũ saccharo rosaceo, vbi retinenda est fluxio, incrassanda, & coquenda. Conuenit & amylum, oua sorbilia, panis in aqua cum amygdalarum succo decoctus, aut cum pini fructibus in causa frigida. In eadem quoq; cauliculi brassicæ cum

Curatio.

Victus ratio.

cum ipsa brassica cocti & comesti. Possunt & à ieiunis ipsimet cauliculi edi crudi. Butyrum quoque eis vtile est: & quibusdam robustioribus porri probè cocti, potissimùm in raucedine. Dantur & carnes assæ pulli, turturis, vel turdi. In causa verò calida lactucæ cauliculos parum feruefactos commedant, aut etiam in posca ipsa intingant. Vti quoque possunt pane dulciario confecto ex amygdalis & saccharo, aut ex pini fructibus, & saccharo confectis, si ex frigida causa est defluxus. Vitent cibos vaporosos, cæpas, allia, sinapi, & reliquos. Tamen in causa frigida sinapi cum carnibus edere licet in declinatione. Deuitent lac, carnes salitas, & aromatica omnia. Prædictorum ciborum quantitas minor sit in cœna, quàm in prandio: atque omnino frugalis vita imperanda. Veteres ita ferè præscripserunt, vt absumatur Catarrhi materia. Nonnulli è recentioribus contrà contendunt victum humidum multo vtiliorem esse: quod verum est non ratione morbi, sed ratione causæ, vt cùm ex calida & sicca intemperie Catarrhus ortum habet. Et post cibum neque scribant, neque legant. Aqua frigida os colluere in calidis, subtepida in frigidis fluxionibus conuenit. Secunda mensa carne citoniorum, pyris austeriusculis & coctis, coriandro vti oportet, vt confirmetur venter, fumique prohibeantur. In potu loco vini, aqua hordei in calida materia, aut aqua in qua parum glycyrrizæ, vel cinnamomi decoctum sit, vel ipsammet radicem dulcem cum cinnamomo in frigida, cum hordeo verò in calida defluxione concoquas. In frigida prodest & aqua mulsa, aut aquosum vinum refractum aqua subtepida, aut pane tosto, idque inclinante morbo, atque potus quantitas sit exigua. Nam procurata sitis confert. Iam quod ad medicamentorum rationem attinet, in quouis defluxu à capite in partes subiectas capiti maximè prospiciendum est. Etenim origo & principium Catarrhi è capite nascitur, vt iam diximus. Quare si ab ipsa caliditate syncera, aut frigiditate fluxiones contigerint, & nulla alia facultate participauerint, sedabuntur, vbi ex frigido in calidum permutatæ fuerint, & ex calido in frigidum. Itaque si calida præpolleat intemperies, ijs pugnandum est præsidijs, quæ dolori capitis ex tali causa contracto conueniunt: præstát-

Medicamẽta.

A calida intemperie simplici.

que æstatis tempore eorum caput rosaceo perungi potissimum omphacino, frequentique balneo potabilis aquæ ægros fouere oportet: quò & calidos vapores qui in capite sunt euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus: præsertim autem caput ipsum copiosiori aqua calida, moderatè tamen perfundatur. Si qui verò authores à balneo abstinendum esse voluerunt, aut sponte nascentes aquas interdixerunt ægris, vel in frigida intemperie circa initia ipsum prohibuerunt. Et cùm Catarrhus leuis fit, corpusque nec plethoricum, nec cacochymum, idem balneum sat esse potest. Prodest & inunctio capitis ac frontis è rosaceo, è caseo molli & recenti, & cauliculis lactucarum subactis è polca. Applicatur & sacculus è rosis, adhibentur etiam odorata, vt rosæ, violæ, decocti papaueris vapor. Et si resistit aluus, manna aut cassia imperatur. Si verò frigida intemperies caput infestat, calfacientibus fluxio sedabitur, in calidum intemperie permutata. quare fotus capitis fit ex linteis calẽtibus, sed sine frictione, vt calor in profundum subeat. In Catarrhis enim frictione capitis haud quaquam vtendum est. Caput igitur oleo chamæmelino, anethino, nardino, rutaceo, vel laurino perungatur. Irinum non solùm illinitur, sed & naribus instillatur. Naribus etiam odorata calida admouentur, vt ambra, moschus, suffumigium ex belzoino & styrace. Si cùm calida intemperie calidi etiam succi redundant, & acris est destillatio, totius corporis plenitudine existente, sanguis mittendus erit ab externa cubiti vena, si quid eam non prohibet, eáque iterabitur, si opus erit. Fit etiã sanguinis missio, si Cynanche, aut Pleuritis in tali Catarrho metuitur, nisi materia reuellitur per venæ sectionẽ; si febris est annexa, quæ immodicè humores calfaciat, si hepar est præcalidum, si ad oculos, palatum, pulmones materia fluat. Aliás non facienda est in Catarrho sanguinis vacuatio, quia cerebrum partem exanguem & frigidam frigidiorem reddit. Si quid autem prohibet sanguinis missionem, redundantes humores alijs vacuationibus purgare, ac deorsum trahere oportet: sed ante purgationem materia apparanda est syrupo rosaceo, violaceo, ex nymphæa, de papauere, cum aqua vel decocto borraginis,

A frigida.

Curatio destillationis acris.

Sanguinis missio.

ginis, hordei, & glycyrrizæ. Igitur materia calida vacuatur cholagogis: vt pilulis aureis, aggregatiuis, sine quibus, electario de succo rosarum, diapruno scammoniato: & rursum assumant, si videbitur, syrupos dictos, & decocta, quibus alterandi, furoremque bilis extinguendi facultas inest. Sed in ipso Catarrhi paroxysmo leuiter purgare oportet, ne materia quæ fluit, magis exagitetur. Postea extra paroxysmum materia vehementioribus dictis cathartics vacuanda est. Deorsum etiam trahere oportet alijs modis redundantes humores, clysteribus scilicet, cucurbitulis, ac frictionibus, nec non errhinis ex aqua hordei, violarum, quæ nares dilatent, viamque dent liberam effluxuræ per has materiæ. Balneis etiam dulcis aquæ, & reliquis quæ supra in Catarrho à calida intemperie simplici approbata sunt, vtendum. Et cùm somnum ingreditur æger, diacodium ore continet, sæpiusque eo vtatur si vigilet, quia reprimit influxum, & somnum conciliat. Emplastrum è terra lemnia, & bolo armeno, ac plantaginis succo paratum raso capiti imponatur. In eo etiam effluxu suffimenta adhibere licet ex manna seu cortice thuris, ladano, mastiche, santalis, corallo, rosis rubeis. Huiusmodi Catarrhum sistentibus & incrassantibus vti opus est, quando ab eo largiore suffocationis periculum impendet, aut ab eo tenuiore & actiore excoriatio, aut ab vtroque tussis aspera, & insomnia: alioqui sistēdus non est Catarrhus, nec materia in cerebrum partem principem regerenda, neque caput & meatus per quos se exonerat, occludendi. Sistunt autem astrictione sua bolus armena, mastiche, & alia quæ materiā incrassant, vt præter hæc succus glycyrrizæ, syrupus eiusdē, violatus, lulep violatū, saccharum violatū, penidia, diatragacanthū, syrupus papaueris, eclegma eiusdem, diacodium, trochisci bechici in ore retenti, cùm aliorum quæ iam deuorētur & suffiantur, vt thus, gummi iuniperi, mastiche: quædam gargarizentur, vt syrupi cum aqua rosarū, oxalidis. Et si tussis est aspera cum insomnia quæ prædictis nō vincitur, pilulę de cynoglossa dandæ sunt, quæ ad omnes morbos Catarrho succedentes valent. Earum igitur ℈j. dant quidam. Sed cautè his vtendum: & nisi affectus curatione deplorata. Sistunt quoq; gargarizationes,

Quando sistendus catarrhus.

Roborantia caput.

& oris collutiones ex decocto rosarum, corticum granatorum, sumach, capitū papaueris albi, & similium. Postremò roboratur caput, non modo oleis vnguentisq; frigidis admotis, sed & assumtis syrupis, atque opiatis frigidis ex conseruis, bolo armenico, terra sigillata, mastiche, theriaca recenti, aut conditis ex ijsdem paratis, electario diamargariton frigido, diatragacantho. Frigido Catarrho

Frigidi catarrhi curatio.

existente cum redundantia humorum præsertim in capite, per ea quæ tales purgant humores medicamenta, corpus caputque vacuabis: priusque materiam apparebis rosaceo melle, syrupo de glyzyrriza, de hyssopo, iuiubino, eum duplo aquæ saluiæ, hyssopi, vel decocto pectorali, ex glyzyrriza, vuis, myxis, zizyphis: & procedente affectu, valentiùs incidentia ac tenuantia dentur, vt syrupus de duabus radicibus, de prassio, de stœchade, cum aquis saluiæ, betonicæ, hyssopi, vel cum decocto ex ficubus, passis, glycyrriza, adiantho, præcipuè si sputum promouere velis. Si materia lenta est & glutinosa, oxymeli simplex, ac compositum conuenit magis. Purgatio verò instituetur per acres clysteres, vel ex pilulis coccijs, aureis, de agarico, (quæ etiam crassam materiam è pulmonibus vacuant) hiera diacolocynthidos, electario indo, diaphœnico: quæ itidē materiā calidā euacuant. A purgatione cōueniunt dicta auertētia, frictiones, ligaturæ extremorum, cucurbitulæ in natibus & omoplatis, errhina ex aqua vel succo maioranæ, succo foliorū & radicis betę, decocto melanthij. Et his fortiora sunt succus ireos, & cyclamini: sternutamēta quoq; ad nares trahentia. Verùm amborum vsus minimè tutus est ante coctam per quietem & medicamenta materiam, factasque totius vacuationes, quòd ambo Catarrhi materiam exagitant, motuq; ipso coqui prohibent. Idoneum quoque in frigida materia medicamē quod pituitam per os educat præbere: (quanquam non placeat quibusdam, quòd materiam non auertat, imò in palatum deducat. Ob quam causam & gargarismata videntur reijcienda) & calidis oleis prædictis caput irrigare. A purgatione quoque

Saccelli admouendi capiti.

naribus adhibentur odorata, vt ambra, moschus, styrax, ocymum seu basilicum, radix ireos arida. Item saccelli admouentur capiti, qualis est hic. ℞. hyssopi, sampsuchi, florum

rum chamæmeli, meliloti ana ʒ j ß. florum ſtœchados, ſpicę, ligni aloës, maceris, ana ʒ ß. roſarum aridarum ʒ iij. ſingula terantur, & ſacculus formetur, qui ſuturæ coronali imponatur. Et ſi magnam ſenſerit in capite frigiditatem, ſacculus fiat ex milio, aut melanthium eidem admiſceatur. vel fiat alius ſacculus ex puluere baccarum lauri, iteos, amaraci, ſtœchados, maceris, caryophyllorum. Ad robur cerebri fit etiam hic puluis capitalis. ℥. cyperi, corticis citri ana ʒ j. caryophyllorum, cardamomi ana ʒ j ß. nigellæ torrefactæ, granorum tinctorum, coriandri præparati ana ℈ iij. macis ʒ j. meliſſæ ficcæ, ſampſuchi ana ℈ ij ß. ſtœchados, roſarum rubr. ana ℈ ij. fiat puluis, quo ſinapizetur pars anterior capitis. Fit & cucupha. ℥. meliſſæ, betonicæ, ocymi, ſampſuchi ana m̃. ß. ſalis torrefacti, thuris, maſtiches ana ʒ iij. radicis acori ʒ ij. nucis moſchatæ, caryophyllorum, ſtyracis calamitæ, ladani ana ʒ j ß. roſarum rubr. p. ß. cum ſyndone rubra fiat pileolus. Vel pomũ odoriferum. ℥. nigellę torrefactæ ʒ ij. nucis cupreſſi, caryophyllorum, ſampſuchi ſicci ana ʒ j. ligni aloës, galliæ moſchatę ana ℈ ij. ladani ʒ iij. cum cæra fiat pomũ odoriferum. Aſſumuntur autem ad roborandum theriaca media, mithridatium, diamoſchum dulce, amarum, plires archoticon & conſimilia. Et ſi Catarrhum ſiſtere neceſſe eſt, fiat ſuffimentum ex macere, ligno aloës, ſpica maſtichæ, manna thuris, hyſſopo, ſampſucho, floribus ſtœchados, caryophyllorum, & roſarum. Melanthium ſuffitibus optimum eſt, & omnium maximè prodeſt ſiſtendis Catarrhis & maturandis. Idem linteo exceptum aſſiduo olfactu confert. Valet ad idem cumini toſti fumus. ℥. roſarum rubrarum, nigellæ torrefactæ, gummi hederæ ana ʒ j. coriandri ʒ iij. fiat ſuffumigium, quo fumigentur pauni, & ſi tuſſis non aderit, aliquid fumi recipiatur per os. Poſſunt addi ligni aloës ʒ iij. Galliæ & Aliptæ moſchatæ, ſtyracis calamitæ ana ℈ iij. pro ditioribus. Catarrhus item frigidus aſtringentibus calidis gargariſmis eſt conſtringendus. ℥. cyperi, calami aromatici, glyzyrrizæ ana ʒ ij. foliorum lentiſci, vel myrtillorum ana m̃. ß. corticis thuris ʒ ß. fiat decoctio. in colatura diſſolue diamori ʒ ij. mellis roſati ʒ ß. fiat gargariſma. In diuturno Catarrho materia decumbente in pul-

Puluis capitalis.

Cucupha vel pileolus.

Pomum odoriferum.

Suffitus.

Sinapismus. mones, sincipiti raso admouetur sinapismi, vel phœnigmi.
Cauterium. Eidem parti vtiliter adhibetur cauterium ignitum. Id enim materiam largam per vlcus semper apertum salubriter vacuat. Sed etiam si vlcus ad os vsque capitis aut vesiculas excitetur, vt materia liberiùs effluat, parum est successus: si quidem cutis quæ rara est, non remoratur materiæ transitum, sed os ipsum, quod tutum non est perforare. Alij apertionem post aurem faciunt. Alij cauterium adhibent in brachij parte exteriore, quò vena cephalica fertur. Ad auertētia etiā referūtur idrotica, id est sudorifica, vt guaiaci decoctum. Et hæc quidem de Catarrho in genere dicta sint. Particulatim verò si ad nares decūbat fluxio calidior, conuenit ex aqua calida per nares vaporem excipere, aut ex maluarum, hordei, violarum, & florum chamæmeli decocto. Frigida autem fluxione existente ex sampsuchi, hyssopi, serpilli, betonicæ, pulegij seu betæ decocto excipiēdus vapor erit. Ex iisdem quoque Caput purgia fiant, quæ nequaquam fieri debent, nisi purgato corpore, ac iam dictis medicamentis capite confirmato. nam & cerebrum & humores in eo contentos initiò nimis commouerent. Et vt melanthij, sic etiam cumini odorem suscipere commendatur, frigida præsertim existente fluxione. Præterea, ℔. rosarum rubrarum, coriandri præparati ana ʒ j. gummi hederæ, sandaracæ, mastiches, olibani ana ʒ ij. trochiscorum camphoræ ʒ ß. seminis papaueris albi ℈ ij. cōquassentur, & fiat suffumigium quo suffumigentur cooperimenta capitis, & recipiat aliquem fumum. Conuenit & gargarisma ex astringentibus atque incrassantibus, vt syrupus de papauere cum aqua rosarum, vel plantaginis. Si humor tam acris est vt nares interiores exulceret, vnguento rosato Mesin aqua rosarum loto liniantur, vel butyro similiter loto. Catarrhi omnes quibus fluxio tenuis & cruda est ac copiosa, non coquuntur, quoniam quæ coquuntur, quiete indigent. Proinde decet eorum cursum sistere, quoad fieri possit. Sistemus autem Coryzam calidam odore rosarum, myrti, & santalorum, aut etiam vapore aceti irrigati super ignitum lapidem, præsertim si in aceto priùs elixæ fuerint rosæ, aut myrti folia. Prosunt adidē syrupus violatus, aut de papauere. Si verò in os calida defluat fluxio, ex aqua hordei,

Suffitus.

Sistentia Coryzam.

dei, violarum, aut maluarum decocto cum glycyrrhizæ radice oris collutio fiat. In frigida autem fluxione, ex hyssopi, pulegij, sampsuchi, aut aridarum ficuum decocto os colluatur. Decumbente item Catarrho in os aut guttur, gargarismata fiant ex syrupo myrtino, & aqua plantaginis, aut syrupo rosarum, & aqua capitum rosarũ stillatitia, aut etiam ex sola frigida aqua. Cùm iam coctum excrementum, aut per nares, aut ex ore, aut thorace excernitur, ad facilem purgationem prodest aqua mulsa, pectori vero syrupus capillorum veneris, seu adianthi. Tunc etiam caput lixiuio abluere licet assuetis, & detergere sapone & pectine scalpere frequentiùs ieiunò ventre: alioqui capitis ablutio (vt nec fictio eiusdem) nullatenus laudanda est, nisi in declinatione, & diminuta materia. Priuatim etiam ipsi raucitati conferunt compositiones, quæ sub lingua tenentur, Hypoglottides nominatæ, vt sunt pilulæ bechicæ, quibus vtatur æger cubans supinus, vt eis liquescentibus asperæ arteriæ summum id quod in ipsum defluit suscipiat, paulatim relaxatis ipsius gutturis musculis. Et id pharmacum sub lingua tenendum erit, quod lohoc de papauere nominãt, si a causa calida raucitas fiat: Si à frigida, id quod lohoc sanum, aut illud quod de pino appellatur. Sæpius quoque veluti lambendo, diutissime tamen in ore sensim ac paulatim deglutiendo assumat ex syrupo adianthi, aut hyssopi, aut decocto quod ex hordeo, radice dulci, vua passa, caricis, adiantho, & hyssopo paratum sit, addendo saccharum & mel, si frigida causa fuerit. Quòd si raucitas Catarrho cessante permanserit, syrupus dulcis radicis lingendus est, aut sapa cum puluere origani, aut puluis ex saccharo condito & radice dulci, & origano. Vel hæc melli misceantur: vel sapa cum puluere radicis dulcis assumatur. Ad raucedinem quoque si humor in interiori membrana hæserit asperæ arteriæ, vtendum oleo amygdalarum dulcium cum saccharo candopuluerato.

C. sp. dicti curatio.

Lotio capitis.

Raucedinis curatio.

De Ophthalmia. CAP. *XXVI.*

EXPLICATIS cerebri capitisq; vitijs, hìc agẽdum sequitur de affectionibus oculorum, quòd inter omnia

sensus instrumenta oculus mirabili fabricæ excellentia præditus sit, certiusque ac subtilius quàm reliqua sensibile obtineat. Quoniam verò inter eas affectiones frequentiùs contingit Ophthalmia, nos ab ea rursùm enarrandi initium faciemus. ὀφθαλμία Græcis dicta, Celso alijsque Latinis Lippitudo vocatur, à lęsa particula nomen habens.

Ophthalmia quid.

Est autem Ophthalmia inflammatio tunicæ adnatæ, seu eius tunicæ, quæ corneæ adnascitur, adhæretq;. Hanc vulgus coniunctiuam appellat, propterea quòd oculum cum sua orbita connectit, & coniungit. Eadem producitur à pericranio, à quo vasa in oculum per frontem mediam ac tempora deducuntur, atq; ita ferè superficialis est inflammatio. Cùm autem inflammatio duplex sit, humida scilicet ac arida, de humida quæ propriè Ophthalmia est, hîc tractamus. Altera verò ξηροφθαλμία seu Lippitudo sicca nominatur: quæ est citra fluxionẽ: neq; est præsentis instituti. Ophthalmia rursùm humida diuiditur in verã & non verã. Vera est quę à fluxione, & causa interna excitatur. Nõ vera, quæ ab externa oritur, & τάραξις appellatur. De hac rursùm in signis paulò infra, vbi & de nonnullis alijs Ophthalmiæ differẽtijs agetur. Præterea quamuis sit Ophthalmiæ aliqua similitudo cũ Epiphora, (in qua tenuis humor lachrimarum specie in oculos irruit ex sincipite & summo vertice) ab ea tamen distat, quòd in illa oculi album rubescat, hîc verò solum palpebræ cilium. Distant & inter se materia atque origine. De quo discrimine consule recentiores. In Ophthalmia oculus perpetitur, vt ad sensum liquet, & propriè adnata tunica commemorata, quamuis ex accidẽti hoc vitiũ videatur esse oculi morbus, cùm ad totũ instrumentũ nõ referatur, neq; totius instrumẽti morbus fit primò, sed in vna quadam ipsius particula similari consistat. Qua etiam ratione fit, vt & ipsa videndi functio ex accidenti quoque ab ipsa lippitudine fuerit impedita, neq; ipsa perfectè inhærente membrana taliter affecta, absolui possit. Et propterea, quòd oculus afficiatur, ex ipsa videndi functione oblæsa argui poterit, quamuis ex accidenti fuerit impedita. Similarium autẽ partium morbi ex accidenti ad totum instrumentum referuntur: etiam si morbi compositi sint, vt plegmone. Cùm verò è numero inflammationum

Ophthalmia duplex.

Quæ pars in ea afficiatur.

tionum fit Lippitudo, morbus erit compositionis in quantitate, seu magnitudine primò, in intemperie secundò, ac soluta continuitate fortè tertiò; quemadmodum phlegmone quælibet morbus compositus censenda est. Tametsi autem eius causa magna ex parte dicitur esse tenuis biliosiq́ue sanguinis fluxio è temporum angulorumq́ue venis in obscuras & latentes oculorum venas irruens, distinctiùs tamen scriptum est ab alijs hoc malum à sanguine oriri, cùm eius est redundantia in toto corpore, vel in capite, ob eamq́ue plenitudinem adnata humoribus referta tenditur, vel non solùm sanguis affluit, sed cum eo simul acres mordacesq́ue affluunt humores, à quibus illa eroditur, vel extensio est eiusdem tunicæ à crassis succis & lentis, aut etiam copioso spiritu dilatante, quam dilatationem dolor & fluxio consequuntur. Quod tamen fit rariùs. Nam si tunica succingens costas & septum transuersum propter suam densitatem humores crassos non recipit, nec etiam adnata recipiet. Neque à paulò antè dictis dissentiunt, qui Lippitudinem (vt cæteras phlegmones omnes) fieri aiunt à sanguine, bile, pituita, melancholia, & flatu, seu à quauis redundante substantia, sed frequentiùs à sanguine, aut bile. Oculus etiam propter imbecillitatem recipit, vel propter dolorem aut calorem trahit per venas aut arterias aut vtrasq; fluxionem. Dignoscitur porrò Lippitudo ex multo oculi dolore, tensione, tumore, rubedine venarum adnatæ tunicæ, & lachrymarum effluxu, atque calore. Tantus interdum tumor est, vt ob id omnia quæ circum oculos sita sunt vsq; ad malas, quandoque in vehementi Lippitudine simul attollantur. Interdum etiam tanta est punctio, vt oculi tanquam ab infixa acu, aut spina stimulari videantur. Iidem feruenti lachryma implentur, sequiturq́; pituita modò paucior, modò vberior. Sed & sordes quædam maioribus oculorum angulis inhæresunt, circum circa arteriæ vehementer pulsant. Sed quoniã plures differentiæ inflammationis in eadem tunica adnata excitari possunt, maioris minorisq́; ratione discrepantes, eæ suas quoq; notas habent peculiares. Si leuis quædam inflammatio, & veluti phlegmones principiũ, sine discrimine partes oculi inuadens, primo intuitu appareat, cum

Causa.

Nota.

rubore quidem, sed exiguo, quem dolor mitis cõsequatur, τάραξις erit duntaxat, id est oculi perturbatio, & non vera Lippitudo, vt suprà dictum est. Hæc enim certissima signa sunt, quod nec hic affectus phlegmone sit confirmata, neque vnius magis quàm alterius partis proprius, neque vehementem dolorem, vel tumorem habeat. Quibus si adijcias à causa externa excitatum fuisse, vt sole, fumo, puluere, vomitu, lectione, fletu, oleo, radijs lunæ, vino, esu cæparum, erucæ, alliorum, sinapi, ictu, (quæ omnia diligenter ab ægro requirenda sunt) tunc nulla erit dubitatio in iudicando. Et quamuis à causa fieri externa omnes asseuerant, experientia tamen constat non rarò ab interna excitari, præcipuè vitio ventriculi & post egregiam potationem, neque tamen propriè esse Ophthalmiam, licet aliquando in corpore cacochymo, & si negligatur, in eam degenerat. Si verò palpebræ tantùm inflammationem patiuntur, atque in sese concidunt, vt oculus aperiri nequeat, φίμωσις erit, id est præclusio quædam & quasi ligatio eorum quæ secundum naturam aperta & reclusa esse debent, siue cicatrice, aut carnis incremento partes coalescant, vt labra vteri: siue inflammatione, vt palpebræ oculorum. Contrà si oculus apertus maneat, nec claudi possit, albo nimirum oculi in tumorem sublato atque eminente, nigro verò subsidente, & veluti hiatum quendam efficiente, χήμωσις est. In qua præter rubores & inflammationem pathognomonicum signum est palpebrarum ὑπτροπὴ, id est conuersio, quia adduci non possunt. At si coniunctiua tunica phlegmone laboret cum tumore, tensione, dolore, calore, rubore, vt dictum est, Ophthalmiam veram esse nõ dubitandum est. τάραξις itaque est affectio omnium oculi partium externarum communis, φίμωσις palpebrarum, χήμωσις albi oculorum, ὀφθαλμία adnatæ membranæ propria. Sæpe omnes inter se, vel plures commiscentur. Et hæc obiter de prædictis differentijs, & quidem plus satis. Nosces autem an propter totius corporis plenitudinẽ sanguineus humor influxerit, atq; Ophthalmiam concitauerit, quando cuncta rubra & sanguinea sunt, nedum adnata tunica ipsa, sed & facies rubens & humidior erit, venæ latiores, sensus grauitatis aderit, & pigritia ad consuetas actiones,

φίμωσις.

χήμωσις.

ctiones, maximus tumor in loco, tensio, lachrymæ crassiusculæ quæ facilè exiccantur, sordes molles in oculorum angulis. Adde quòd temperamentum ægrotantis, & ætas sanguinis redundantiã testabuntur: nec minùs regio, tempus anni, & victus ratio præcedens. Verùm si ab acri & rodente seu bilioso humore prouenit, id tibi manifestabit, quòd corpus biliosum fuerit, & gracile: adhæc lachryma nulla vel pauca, rodens, & acris. Quo fit vt non solùm anguli oculorum, sed & malæ vehementer ex tali influxu rodantur & exulcerentur, ægriq́ue videantur vri, exiliantq́; erosionem non tolerantes. Sordes in angulis siccæ sunt & asperæ, tumor autẽ moderatus est in superficie, color subpallidus. Præcesserunt & tristitia, curæ, vigiliæ, insolatus, ira, acrium esus, aderitque ætas biliosa. Quemadmodum si à redundante pituita & crassis succis inflammatio contracta est, grauitas erit vehemens, caliditas parua, rubedo adnatæ exigua cum qua & facies, & eiusdem color communicabit. Tumor in loco maior seu laxus, color albus, lachrymæ plurimæ insipidæ, tenues, sordes vel nullæ, vel molliusculæ, corpus pituitosum est. A flatu rara est, tensionemq́; habet sine grauitate, tantam adeò vt rumpi tunica videatur ac doleat, lachrymæq́ue non apparent, aut paruæ, nec hæ rodentes, licet quandoque rubea tunica videatur. Si ab externa causa Lippitudo orta est, ex ægri vel astantium sermone percipies. Neq; verò solùm ex materiæ varietate Ophthalmiam distinxerunt veteres, sed & ex locorũ affectorum natura. Nam alia exterior tãtùm est à fluxione è partibus externis & pericranio in obscuras & latentes oculorum venas irruente, cum tensione in fronte, palpebrarum inflatione, rubore, ac pulsatione. Alia verò interior, cuius origo ab intimis cerebri sedibus ducitur, per interiores venas ac neruum opticum cum plethora totius capitis aut cacochymia, quæ à superiore discernitur. quia partes oculorum ac frontis nõ ita tument, sternutationis cupiditas adest, & pruritus quidam percipitur tum in naribus, tum in faucibus, cum dolore capitis & grauitate. Signa verò quibus tempora Ophthalmiæ distinguuntur, hæc sunt. Principium est, cùm defluit humor copiosus, tenuis, incoctus. Incrementum, cùm idem paucus, *Tempora Ophthalmia.*

crassior,& initium quoddam coctionis adeptus est. Vigor, cùm ille adhuc parcior,& iam palpebras per somnum glutinat. Declinatio,cùm ferè huius humoris nihil supereſt. Id alij expreſſerunt alijs verbis: sed eadem propè sententia. Principium esse ostenditur,quamdiu tenuis ex oculo pituita fertur. Vbi ea crasseſcit,albaq; fit,incrementum esse: vbi tota crassa, multaq; est reddita, perq; somnū oculos veluti glutino oblinit,veniſſe iam statum significat. Declinatio est, vbi pituita & signa morbo propria minuuntur. Cùm verò ad vsum vitæ & dulcedinem conferant oculi, summa cura tuendi sunt. Protinus orta Lippitudine, quædam notæ sunt,ex quibus quid euenturum sit colligere possumus. Nam si simul & lachrymæ, & tumor, & crassa pituita cœperint, si ea pituita lachrymæ mixta est,& ea lachryma calida est: pituita verò alba & mollis,tumor non durus,longę valetudinis metus non est. At si lachryma multa & calida, pituitæ paulum, tumor modicus,idq; in oculo est,longum id est,sed sine periculo futurum est. Idque Lippitudinis genus minimè cum dolore est: sed vix ante vigesimum diem tollitur. nonnunquam per duos menses durat: sed quandoque finitur. Præterea si pituita alba & mollis esse incipit, lachrymæ quoq; miscentur, aut si simul hæ vtrumq; oculū inuaſerunt,potest esse breuior,sed periculum vlcerum est. Pituita autem sicca & arida dolorem quidem mouet: sed maturiùs desinit, nisi quid exulcerauit. At tumor magnus si sine dolore est & siccus,sine vllo periculo est. Si siccus quidem,sed cum dolore est, ferè exulcerat, & nonnunquā ex eo casu fit, vt palpebra cum oculo glutinetur. Quæ omnia ex summis viris Hippocrate & Celso desumpta,& in hunc locum translata, summam vtilitatem legentibus afferre possunt. Ex curationis errore in Ophthalmia quidam ægrè confuseque viderunt: alij in hypochysin,alij in mydriasin seu dilatationem pupillę,nonnulli in Ὑπόχυσιν, seu tabem,& corrugationem inciderunt. Quare circa eius curationem summa diligentia est adhibenda, vtiam præcepimus. Hyeme sicca & Aquilonia existente, vere autem pluuioso, & Australi, necesse est mulieribus & viris natura humidioribus æstate Lippitudines fieri. Lippientem alui profluuio corripi bonum. Iam si tumor quidem consedit,

Prognostica.

ac co-

ac copiosior diu profluit lachryma, scire licet euersionem palpebrarum viris instare: fœminis atque pueris exulcerationem. Si Lippientibus caput assiduè, longoq; tempore dolet, futuræ cæcitatis metum denuntiat. Interdum Lippitudo ex vno oculo ad alterum quadam velut contagione transit, idq; ominis non mali esse creditum est. Quidam volunt, quòd in regionibus meridianis multiplicetur & renouetur velociter Lippitudo, superadueniente eis frigore, quòd difficilius eadem fiat. Præterea quòd in regionibus & temporibus frigidis Lippitudo minoratur: verùm ea quæ oritur, praua est. Ophthalmia repetit per circuitionem. Alterius oculi morbus diuturnior & grauior est, quàm vtriusq;. Iam vt ad curationem veniamus, æger decumbat obscuro loco, sic vt à sermone quoq; abstineat: splendor enim seu lumen humores commouet, spiritusq; resoluit, nec non visionis instrumentum offendit. Recreatur autem id potissimùm nigro, cæruleo, aut viridi coloribus. Quare si in propatulum æger progreditur, oculis obducat linteum, vel sericum, vno ex his coloribus tinctum. Aër eligatur calidus vel frigidus, pro causæ varietate. Sæpius verò conuenit frigidus natura, vel industria nostra, sparsis per aream aquis, & partibus plantarum refrigerantibus. Somnus sit nocturnus, isq; moderatus. Per somnum oculus quiescit à motu ac dolore: à quibus fluxio trahitur. Quare exercitio vitato quietem præferant, loco tamen exercitij, sæpe brachia & crura fricentur. Perturbationes animi vitent immodicas, quæ humores accendunt: à coitu q́ue abstineant. Aluus si non natura quotidie, arte saltem reddatur leuior. Parco ac tenui potu vtantur & cibo, inter initia præsertim, tum ob inflammationem, tum ob dolorem. Nam prima omnium in eiusmodi malo sunt quies & abstinentia, quia partes inanitæ, quos habent humores, retinent, ne ad oculum confluant. Sorbitionibus maximè vtendum, ne oculus agitatione materiæ moueatur. Cibus igitur sit beta elixa, borrago, lactuca, cucurbita, poma, pyra assa, & amygdalatum: & inclinante morbo ius pulli, & ipsius alæ, & hepata gallinarum. Vitentur cibi vaporosi ac tardæ coctionis, vt carnes potissimum animalium quadrupedum, lactis vsus, casei, fructuum recētium. Caueant

Curatio.

Victus ratio.

ab acetosis, salsis, acribus, & aromaticis, ijs denique omnibus quæ fumos acres capiti, & oculis mittunt. Oua, & reliqua sanguinem adaugentia vitent. Pro potu abstineant à vino præsertim circa initia, eoque potissimùm veteri ac vinoso: (vinum Græci propinant in declinatione, cùm venæ crasso sanguine distentæ sunt, quem discutere oportet) Sed aquam bibant, in qua coriandrorum præparatorum semina, aut semen fœniculi, seu hordeũ, aut cinnamomum fuerint decocta, aut multæ permixtionis aqua mulsa, præsertim cùm ex crassioribus humoribus Lippitudo fiat, ac tempore anni frigido. Quo casu vino etiam vti poterunt albo, astringẽti, tenui & aquoso. Vinum enim sanguinem diffundit, & vacuat, suiq; motus vehemẽtia obstructiones aperit. Cœna parcior esse debet, & imminuta. Quòd verò ad medicamenta attinet, ὁ τῇ παράξει subducto ægro à causa externa, abluatur oculus tepida primùm, deinde frigida: imperetur abstinentia à cibo, ac somnus. Cæterùm παράξεως iuuatur multùm aëre frigido, lacte mulieris puerũ lactantis cum albo oui & aqua rosarum agitato: quemadmodum si exiguus affectus est ac leuis Ophthalmia, maioribus remedijs, vtpote phlebotomia, & purgatione non opus est. Sed rosarum succo, oui liquore tenui, aqua rosarum, aut plantaginis, lacte mulieris, aut asinę curatur. Hi succi instillentur oculis, eosq; contegere oportet panniculo lineo, ijsdem liquoribus insuccato. Postea verò iam declinante morbo, santalos citrinos, modicum maceris, aut spicæ in aqua rosacea feruefacta adhibebimus. Si verò ex plenitudine ortum duxerit Lippitudo, quæ distensionis dolorem efficit, si nihil impedierit, venæ sectio confert: venæ (inquam) humeralis appellatæ, quæ è directo est laborantis oculi. Oculorum enim persæpe dolores grauissimos, eius venæ sectio intra horæ vnius spatium compescuit. Stante tamen totius corporis plenitudine mediam venã priùs secare expedit, & si oportuerit, non semel tantùm, sed bis aut sæpius venam humeralem secabis. Imò vsque ad animi deliquium permisit sanguinem auferre Galenus, vbi vehemens esset inflammatio. Eademque ratione cucurbitulas occipitij cauo, ceruici & scapulis admouebis, sed præcipuè, quà venæ iugulares exteriores in occiput

Medicamẽtorum ratio.

παράξεως curatio.

Curatio lippitudinis à plenitudine.

Vena sectio.

Cucurbitulæ.

occiput attolluntur: quia venæ anteriores capitis à venis occipitis propagantur. Imperabis autem purgationem, si bilioſi acresq; humores vnà cum ſanguine redundarint, quia ſæpe oculorũ phlegmone ſola purgatione per aluum vno die ſanata eſt. Sed cauendum ne fortiori medicamento humores agitati in oculos confluant. Itaq; caſſia, manna, catholico, rhabarbaro ventrem ſubduces. Nõ dubium tamen eſt contumaces Ophthalmias reperiri, quę non niſi paulo vehementioribus curari poſſint. Sed omnia pro humoris quantitate & qualitate temperanda ſunt. Fluentem etiam ſanguinem auertunt clyſteres, partium extremarum frictiones, fotus ex aqua calida, ligaturæ dolorificæ, & huiuſmodi. Perſeuerante malo vena quoque frontis inciditur, vel quæ in ſincipite apparet, quæ poſt aures, quæ in temporibus. In quibus eligenda eſt quæ tumet, rubet, pulſat magis cæteris. Reliquias inflammationis vacuat ea quæ ad maiorem angulum eſt. Et loco phlebotomiæ nonnunquam hirudines inducuntur. Arteriotomia locum habet, vbi calidus & ſpirituoſus ſanguis eſt. Cauteria etiam ad coronalem ſuturam, vt priùs, poſt aures in occipitio & è regione oculi laborantis, vt in ceruicis initio imponi poſſunt. Paracenteſis hic quoq; fieri ſolet: ſed quomodo celebranda ſit, norunt peritiores chirurgi. In Topicis autem hæc obſeruãda ſunt. Initiò admoueantur pharmaca repulſoria, quæ non vehementem ſortita ſint aſtrictionem, ſed tum propria eorum ſubſtantia ſint moderatiora, tum lenitiui liquoris alicuis admixtione magis talia fiant, potiſſimùm cùm vehementi dolore afflicti ſint ægri, aut propter inflammationis magnitudinem, aut ob influentium humorum acredinem. Cauenda autẽ ſunt quæ vehementem ſortita ſunt aſtrictionem, quod ampliorem dolorem infligant, tunicas exaſperando, quàm iuuent, influxionis impetum repellendo. Quæ verò mediocriter aſtringunt. Lippitudinibus iam dictis commodiſſima exiſtunt. Itaq; leuiter repellunt roſarũ ſuccus, flores, folia nardi, ſpica, crocus, hypociſtis, oui candidum, mucilago pſyllij, ſumach, cydoniorum, aqua roſarum, plantaginis. Oportet etiam quæ oculis admouentur læuia eſſe, mollia, ſine morſu, præterea non nimis lenta, quia aſpera oculum

Purgatio.

Topica.

offendunt: periculosa etiam sunt nimis corpulenta, & viscida, quia frequenter loco adhærent, aut exiccantur, aut putrescunt, sed tum maximè, si pustula aliqua subsit. Diluantur propterea quæ instillantur oculis oui liquore optimè confracto, vt nihil habeant viscidi, & lacte mulieris iuuenculæ, dein fœnugræci decocto. Lenitiui enim liquores sunt albus oui liquor, lac ipsum quod iuuenculæ bonique succi fœminę existat, vberibus in cotem ex qua collyrium teritur expressis, quò calidum adhuc oculis infundatur, fœnugræci decoctum, & similes liquores. Ab eis verò anodynis, quæ sensum auferendo dolorem sedant, & narcotica vocãtur: summoperè cauendum est, cùm ipsa neque vehemẽtes reprimant fluxiones, sed excerni prohibeant: atque adeò si humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit: si verò multi, magis irritari, ac vehementer extendi, ac si rumperetur. Ex quibus nisi medicamentum fuerit summoperè stupefaciens, dolores impatibiles excitantur. Si verò fuerit adeò vehementer stupefaciens, vt ex eo oculi maximam inflammationem non sentiant, necessarium est simul quidem vim visoriam offendi, adeò quòd cessante inflammatione, vel debiliter, vel nihil omnino videant: simul autem & quandam præduram dispositionem, ac quæ difficulter sanari possit, in oculorum tunicis relinqui. Hac de re suspecta habenda sunt talia medicamenta, neq; liberaliùs admouenda, etiamsi ingens dolor vrgeat. Quòd si maxima vrgẽte necessitate narcoticis dictis fueris vsus, (nunquam autem à principio veteris, neque ante purgationem) postmodum sanitatis tempore oculi calefaciendi sunt, veluti omnes reliquæ partes, si eis talia applicuisses. Fronti itaque potiùs illinendi sunt succi rosarum, plantaginis, solani, foliorum salicis, aut eorum stillatitij liquores cum oui albo & aceto, hisque admiscere conuenit bolum armeniam, thus, acaciam, santala rubea, balaustia, & similia. Ex quibus adiecto oleo rosato, & hordeacea farina, cataplasma aut emplastrũ imponatur. Admiscetur interim & croci parum, quod mirifice dolorem finit, admodumque feruentes oculorum inflammationes concoquit. Iterum & crocus cum mica panis luteisque ouorum, ac rosaceo miscetur. Vice autem rosacei, aqua rosacea

Narcotica.

facea præsertim rosarum rubrarum vtere. Fronti (inquam) ac temporibus cataplasmata perijs aut stupis excepta imponuntur ex albo oui & thure, aut aqua rosarum stillatitia, aut santalis, & posca, & thure, cum bolo armeno. Oculis autem instillatur lac ab vbere mulctum, vel liquor ab oui albo eductus, vel fœnugræci decoctum, vt diximus. Fit etiam catalapsma ex papauerum capitibus in aqua coctis, ac fœnugræci, vel hordei, vel lini seminis farina aquæ immista. Sed hoc loco aduertendum est, ea quæ repellunt fluentem materiam, magis admouenda fronti, si fluxio fit per venas & arterias extra craniũ (vt magna ex parte accidit, cùm materia est subtilis) cùm tunica hęc à pericranio producatur. Si autem per venas & arterias intra cranium materia fluat, nocent illa repellentia, cùm materiam versus neruos opticos impingant. In summa fluxionis initio foueantur oculi decocto violarum, rosarum, seminis papaueris albi, rubi, myrti, & similium: in augumento decocto maluarum althææ, citoniorum, adiecta modica quantitate eorum quæ reprimunt. Rursum procedente morbo, flores chamæmeli, meliloti, anethi miscendi sunt. Et mucilago psyllij initiò conuenit: citoniorum, in augmẽto: lini, aut althææ, in statu: fœnugræci, in declinatione. Discutiunt sarcocolla, aloë, myrrha, crocus. At si ex vehementi acris humoris confluentis rosione dolor prouenerit, ac inflammatio, si quodammodo cum sanguine ij permisti fuerint, venam cephalicam priùs secare oportet reuulsionis saltem gratia. Et venæ sectio pro magnitudine phlegmones repeti debet. Deinde purgantib. medicamentis deorsum scilicet reuellendo, & vacuando curare conuenit, potissimùm vbi biliosa prauitas humorum in toto corpore superare videatur. Tunc namque ijs quæ totum corpus purgant recrementísque liberant, vtitor. Alioqui si excrementa acria non in toto redundant corpore, sed qualitate potiùs quàm quantitate peccare videantur, solis balneis aquę dulcis & temperatis ægrum citra dolorem liberabis. Itaque si in toto corpore biliosus succus redundarit, purgantibus medicamentis iam dictis veteris, vt manna cum tamarindorum decocto, aut cassia fistula, catholico, hiera, electario de succo rosarum, æstate videlicet. Reliquis tem-

Anacolsemata.

Curatio Lipposudinis ab acribus humoribus.

poribus fortiores sunt pilulæ aureæ, pilulæ lucis, hiera diacolocynthidos, nec minùs antè & pòst alterantes syrupi dicti præbendi sunt: veluti violaceus, rosaceus, ex papauere, seu nymphæa confectus & similes. Demum ipsi particulæ candidus oui liquor infunditur, quò per eum acris fluxio sine offensa eluatur. Is liquor minimè mordens est & glutinosus, & propterea lenit omnes asperitates quascunq; acris fluxio excitat: & cùm crassus & lentus sit, constantiùs quàm tenuis & aqueus in loco permanet, & cùm absq; rosione sit, si modicè caleat, dolorem maximè lenit. Nec minùs & lacte inuenculæ fœminæ vti poteris, quæ sit boni succi. Adhæc idipsum cum tenui humore, rosarumq; albarum stillatitio liquore seu aqua permistum, commodum erit medicamentum, non semel tantùm aut bis in die, sed ter, quater, & sæpius applicatum, vbi vehementior dolor vrgeat, tenuibus linteis in eo madefactis. Imò perpetuò & subinde imponenda medicamenta sunt: quia nouo humore & lachrymis effluentibus eluuntur. Vbi autem concocta iam phlegmone ipsa fuerit, & corpus simul vacuum, tum vtique lauationes in balneo ijs sunt aptissimæ Dolores enim statim sedant, & fluxiones quæ ad oculos feruntur, sistunt, maxima quidem eius parte inter lauandum per totum corpus excreta, reliquo verò diluto. Quæ sunt ex Galeni sententia perita omnia, & diligenti obseruatione digna. Si verò Lippitudo à crassis humoribus frigidisque oriatur, vacuetur in his quoque totum corpus, auertaturque humorum momentum. Et si pituita redundat, ex hiera picra purgetur, pilulis alephanginis, de agarico, diaphœnico, pilulis fœtidis, & coccijs: si melancholicus succus, detur hiera Ruffi, diacolocynthidos, addito epithymo, aut folijs sennæ, iisque humores prius apparentur, vt sæpius dictum est. Ac si ijdem crassi & frigidi succi permisti fuerint cum sanguine, ante purgationem media aut humeralis vena secetur, & deinceps purgatio propinetur. Si à sanguine absoluti sint, purgatione duntaxat vtendum. Deorsum quoq; humorum motus auertendus est frictionibus, vinculis, ac cucurbitulis. Topica verò conueniunt non quæ repercutiunt ac reprimunt, sed quæ euocant ac digerunt. Qua de re fouendi sunt oculi ex fœnugræci decocto

Candidum oui liquor.

Balneum.

Curatio Lippitudinis à crassis humoribus.

cocto eo priùs curiosè loto, ne quid sabuli vel pulueris adhæreat, admoueaturq; fomentum oculis ipsis per spongiã, semel, bis, ter, quater, vel sæpius in die, prout vehementior dolor vrgeat. Fœnugræco etiam additur melilotum. Sed fœnugræcum quoad viscositatem simile est albo ouorum liquori, & discussoriam ac moderatè calfactoriam vim habet, & ob id multis dolores mitigat. Ouum quoque quod coquẽdo durum factum est, imponitur calidum. Item pomum putre, vel coctum calens admouetur. Fomenta autem & reliqua applicanda suspecta sunt omnia, vbi in toto corpore redundantia subest. Implebunt namque potiùs, quàm educent. Alia etiam digerentia seu euocantia, & discutientia prosunt: qualia sunt, ℞. pompholygis lotę, aloës non lotæ, ana ʒj. dissolue in aqua fœniculi, euphrasiæ, & rosarum albarum, aut ℞. tarcocollæ in lacte asinę seu mulieris nutritæ ʒj. aloës ℈j. pompholygis ʒ ß. & in vncijs tribus aquæ rosarum dissolue. Similiter aloë sola in aqua fœniculi & rosarum dissoluta, moderata quantitate vtere. Quòd si non totum corpus, sed caput duntaxat humorum redundantiam ad oculos transmittat, ipsum priùs sanandũ esse cõstat, eius affectu explorato, quem superfluorum generatio comitatur. Quinimò diutinas oculorũ fluxiones curamus oculis ipsis dimissis, atq; ad capitis curationem conuersi. Vt si intemperies frigida, vel humida, caput vitiat (ambæ enim sæpe congrediuntur) ex contrarijs curatio fiet. (Rariores autem quæ propter calorem acrem oculis fluxionem immittant) Propterea conducunt his quæ per nares & os pituitam eliciant: de quibus iam sæpius antea: quanquam errhina plærique improbant, ne ob viciniã aliquid ad oculos trahatur. Caustica etiã ex cantharidib. pistis retro aures sunt vtilia, & rubefacientia ceruici admota, vel humeris. Et paracenteses in collo instituũtur, & cauteria in brachio prope venã cephalicam adhibentur. Verùm vbi nec in toto corpore humorũ copia adsit, nec à capite in oculos defluxio fiat: verùm crassus sanguis oculorum venulas intendat, eósq; squalidos habeant, & propterea valde tumidos ac plenos sanguine, balneũ temperatum præcipiendũ erit, quod meatus calfacere ac laxare valeat, ac deinde vinũ meracius exhibendũ, quod (vt suprà *Balneum.*

dictum est) & diffundit, & euacuat, & obstructiones aperit.

Fomentum. Si vini potione vti æger metuat, fomentum potiùs (cùm sit tutissimum, & omnino aliquam afferens vtilitatem, tanquam causa sanitatis oculorum, vel tanquam signum ad dignotionem) admouendum est, fitque ex calida aqua, vel decocto fœnugræci, meliloti, & chamæmeli. Vbi his fouebis oculum, nihilque influit, constat totum corpus recrementis esse vacuum, ac fomentis insistendum esse. Si autem humor influat, ac dolor, cùm primùm fomentum adhibetur, suo calore paulum remissus sit, sed paulò post intendatur iterum, tunc tanquam signum dignoscitiuum proderit, ex quo comprehendemus quòd euacuatione indiget æger ad totius corporis vacuationem. Quare aut venam secamus, si corpus plethoricum est, aut purgamus, si vitiosi infestant humores. Propterea inter omnia remedia tutissimum est fomentum ex Galeno. Si verò ex flatuoso spiritu tunica adnata distenditur, vaporationibus ex milio, aut saccellis ex milio & furfure paratis curatur: aliisque digerentibus, euacuantibus, & discutientib. medicamentis. Vitanda autem sunt quæ repellunt, & astringunt. In quibus fortis Chemosis contingit, oui luteum cum musceæ carne terito, atque ad cærati formam reducito, & linteo excepta imponito, & confestim sedant, vt scripsit Galenus quarto κατὰ τόπους.

Si Lippitudo fiat ex flatuoso spiritu curatio.

De effluxu lachrymarum.

CAPVT XXVII.

LACHRYMARVM effluxum recentiores quidam ἐπιφορὰν oculorum vocasse videntur, cùm dixerint Epiphoram esse velut tenuis humoris impetum lachymarum specie in oculos factum. Alij verò Epiphoram definierunt, omnem defluxionem in oculos irruentem. Omnino hîc à nobis dicetur effluxus lachrymarũ, destillatio aquosi humoris ab oculis profluentis, idque præter morbum, vel causam internam. Cùm enim lachrymæ aliæ sint voluntariæ quasi nobis volentibus obortæ, etiamsi vis aliqua eas expresserit, eaque à causa externa manifestáq; fiunt: aliæ autem inuitæ, vt quæ per morbos accidunt, veluti per Lippitudi-

Lachrymarum effluxus quid.

pitudinem, fluxionem à capite decumbentem, & propter facultatis retentricis imbecillitatem, nos de eo fluxu hic agemus, qui sequitur redundantiam excrementorum in capite, aut etiam in toto corpore, vt ex causis mox narrandis patebit. Pars igitur affecta est cerebrum, vt constat ex eius operationibus læsis, nec non eiusdem excrementis quantitate & qualitate mutatis. Manant enim & defluunt in oculos lachrymæ, vel à partibus extra caluariam, vel ab his quæ intra ipsam sunt. Quanquam & oculus dici possit coaffici. Affectio vero ipsa quantum spectat ad materiam fluentem, symptoma videtur esse excretorum præter naturam, fluit enim à cerebro, quod in sanis exire non consueuit. Sed ex iunioribus nonnulli ægritudinem in via esse autumant, cùm visum impediat, debitam specierum visibilium delationem per corneam prohibendo. Fluxus lachrymarum sequitur redundantiam excrementorum in capite, aut solo, aut etiam cum redundantia in toto corpore: vel iuxta alios, huius fluxus causa materialis est humiditas aquea, quæ in cerebro continetur, tenuis ac splendida, quæq; per oculos guttatim redditur, & ea differt à saliua, quia citra aëris admixtionem destillat, & à muco qui ob refrigerationem incrassatur. Lachrymarum verò aliæ calidæ, acres, salsæ, ac erodentes sunt: aliæ aquosæ, & frigidæ: quædam etiam ob canthorum oculi apertionẽ fluunt, vt quę sequuntur carnium lachrymalium absumptionem. Aliæ fluunt ob facultatis expultricis irritationem à fumo, cæpis, aliisque acribus: item à puluere, pilis palpebrarum, ictu, inflammatione, dolore, vlcere & similibus. Mouentur & lachrymæ per compressionem cerebri: & compressio fit ab aëre ambiente, & affatim refrigerante: vt & in mœrore ob malum aliquod conceptum. Fit & lachrymarum effusio in profundo risu. Illi pororum densitate extrudũt quod in ipsis est humectum. Tristitia enim pororum facit densitatem. Gaudentes verò laxitate eorundẽ humida effundunt. Acres & salsæ lachrymæ noscuntur, quia mordent, irritant, & calidæ sentiuntur, palpebras exedunt, & valde exasperant. Aquosę autem morsu vacant. Si à partib. extra caluariam manauerint, narium pruritus aderit, & sternutatio accedet, & in palato morsus, & quandoque aderunt

Pars affecta qua.

Qua affectio præter naturam.

Causa.

Nota causarum.

Prognostica.

capitis dolores. Mulieres & pueri sunt ad lachrymas procliuiores ob copiam humoris aquei in cerebro contenti. Ex inuoluntarijs lachrymis quæ natiuæ sunt, non curantur, nisi prouenant ex superflua humiditate, quæ per decursum ætatis corrigatur. Lachrymæ antiquæ ægerrimè curantur. Lachrymæ diuturnæ frequenter ad fistulam lachrymalem ducunt. Victus eorum quibus lachrymæ sunt acres & salsæ, erit idem qui Ophthalmiæ dictus est cõuenire. Quemadmodum aquosis exeuntibus lachrymis, oculos ab aëre & luce custodiant, cibi sint arefacientes, vt carnes turdorũ, & perdicum, turturum, auium montanarum. In cœna, vt pote parciori, sat erit amygdalatũm, aut vuæ passæ cum amygdalis. Vinum aquosum bibant, & aquam cinnamomi. Ventrem habeant perpetuò leuem. Frictionibus vtantur, exercitij vice. Animi corporisq; tranquillitatem procurent. In curandi ratione reliqua, si excrementorum redundantia cum sanguine fuerit, idq; in toto corpore, à missione sanguinis auspicandum erit. Quare incidatur externa cubiti vena eiusdem lateris. Humores deinde, si excrementa acria redundarint, præparentur per syrupum de endiuia, vel acetosum: ijdemq; purgentur pilulis sine quibus, vel electario de succo rosarum in decocto prunorum, passularum exacinatarũ, & violarum dissoluto. Aut in eodem decocto myrobalani citrinæ infundantur, ac postea idem electarium dissoluatur. Conueniunt & pilulæ sine quibus, aggregatiuæ, de quinq; generibus myrobalanorum, & aliæ quæ recipiunt mastichen, vel myrobalanos ob astrictionem. Deinde fiat reuulsio humorum ad oculos fluentium. Quare cucurbitulæ occipitio admoueantur. Masticatoria, & gargarismata idonea vsurpentur. Ceruici etiam Setones vocati transfigantur, & diu seruentur aperti. Applicatur & actuale cauterium temporibus, vel post aures, vel supra verticem capitis, quod etiam diu apertum seruari debet. Et hæc quidem contumaciori malo existente fiunt. Alioqui si per venas quæ sunt extra caluariam fiat fluxio, appositione emplastrorum astringentium prohibetur. Quare fronti repellentia admoueantur, ex albo oui, thure, & balaustijs: aut ex albo oui, gallarum, & rosarum puluere cum aqua rosarum. Vel ℔. sanguinis

Curatio.

Victus ratio.

Medicamẽta.

Lachrymarum acrium curatio.

sanguinis draconis, mastiches, boli armenici ana ʒj. cum oui albumine & pauco aceto, fiat linimentum pro fronte & temporibus. Postmodum fiat hoc collyrium ℔. ceruſſæ lotæ, ſarcocollæ nutritæ, lycij, acaciæ, olibani ana ʒ ij. oſſium myrobalanorum adustorum, coralli albi & rubri ana ʒj. margaritarum ʒ ß. ſucci mali punici ad dimidij conſumptionem cocti, quantum ſufficit. fiat collyrium manè & veſperi imponendũ. Solus quoq; malorum punicorum ſuccus coctus, donec dimidium abſumatur, vel vua acerba combusta & puluerata, lachrymas calidas curat, ſi imponatur ℔. aquæ ſtillatitiæ roſarum ʒ ij. acaciæ, & lycij ana ʒij. in quib. lintei madefiant, & oculis ſuperponantur. Siccum etiam fit collyrium ex ſarcocollę partib. duabus, & amyli parte vna. Vel Recipe tutiæ præparatæ drachmã vnã: fiant trochiſci cum oui albumine, vel ſucco citoniorũ. Adduntur & quæ fortiter exiccant, vt vitreolum Romanum, Cadmia, plumbum vſtum, marchaſita. Si verò frigidæ & aquoſæ erunt lachrymę, parentur humores ſyrupo de ſtœchade, melle roſato, hydromelite, & aquis betonicæ, fœniculi, euphraſiæ. Purgentur pilulis lucis maioribus, vel coccijs. Fiant & auerſiones, de quibus ſuprà: & ex ijs deligantur, quæ magis ad rem facere videbuntur. Roboretur & cerebrum: ac proinde aſſumantur theriaca, mithridatiũ, pliris cũ moſcho, diambra, & alia exiccantia. Exterius verò vtantur puluere capitali, vel fumigio: qualia iam deſcripta ſunt antea. Collyrij verò hoc erit paradeigma. Recipe thuris, maſtiches, nucis cupreſſi, myrrhæ, aloes ana drachmas duas; tutiæ præparatæ, ſarcocollæ nutritę ana ʒ ßj. ſanguinis draconis, rhois obſoniorum, baccarum oxyacanthæ, roſarum rubrarum ana ſcriptulum vnum: puluerentur tenuiſſimè, & cum aqua fœniculi fiat collyrium. Si perſeuerabunt lachrymæ, fiat maſſa pilularum ſemel per hebdomadem vtendarum. Recipe maſſæ pilularum aſſaieret, pilularum lucis maiorum, ſine quibus ana ſcriptula duo: excipiantur ſyrupo ſtœchados, fingãtur pilulę ſex pro drachma: de quibus tres ſumantur ſemel in hebdomade per aliquot horas à cœna. Si hic morb. eſt per abſciſſionẽ carnis lachrymalis ſiue canthi, difficilis eſt reſtauratio. Anguli quaſi præſidia poſita ſunt, ne cerebri excremẽta in oculos deſtuãt. Porrò fiſtula lacrymalis relegãda eſt ad chirurgos.

Collyrium.

Frigidarum & aquoſarũ curatio.

Collyrium.

De Vngue oculi. CAPVT XXVIII.

Pterygion vnde dictũ.

EST & affectio quædam oculi, quam πτερύγιον Græci vocant, ab alæ similitudine, hæc enim alam auis refert. Et vt alæ in volantibus ab humeris extensæ aperiuntur, sic membranæ huiusmodi quæ Pterygia dicuntur, oculis distentæ nocent. Latini Vnguem, Barbari Vngulam nominauerunt id genus mali, quòd humano vngui progrediens ea neruosa membrana similis sit. Non est tamen ea oculi affectio quam Græci ὄνυχα vocant, & alio nomine πύωσις nuncupatur. Est enim ὄνυξ collectio puris in nigro oculi cum phlegmone secundum iridem, vngui assimilis. Sed Pterygion est neruosa adnatæ membranæ dictæ excrescentia, seu membranula neruosa exoriens ab angulo, & ad pupillam perueniens, eamque obtenebrans, sæpius à narium, interdum etiam à temporum parte adnascitur: rarissimè à superna aut inferna palpebra. Hæc verò neruosa membrana cùm maior facta fuerit, etiam pupillã contegit, & visum impedit; ac propterea non ex accidenti, sed primaria ratione pupillam obscurat, visus aciem aut vitiosam reddendo, aut omnino auferendo. Eodemque tempore multæ partes ipsius in eo afficiuntur. Nam licet in adnata tunica primùm oriri incipiat, corneam tamen attingit, & vbi plurimùm increuerit, pupillam obscurat, visumque impedit: ex cuius visus impedimento, satis constat ipsum oculum in hoc vitio affectum esse, secundum plures partes ipsius: tametsi adnata primò, cornea secundò, & pupilla tertiò oblæditur. Præterea totius oculi tanquam instrumenti compositus est morbus in numero videlicet, atque in excessu (non tamen toto genere præter naturam, vt est lapis in vesica, & lumbricus in intestinis) eò quòd primaria ratione, & non ex accidenti pupillam obscuret, vt dictum est. Huius autem causa & occasio magna ex parte est scabra præcedens lippitudo, aut assidua crassorum lentorumque humorum fluxio. Fit enim post Ophthalmiam, aut carbunculum palpebrarum, aut post aliquam solutionem continui, & scabiem. Gignitur & ex multitudine sanguinis, qui ex venis effluit, & panniculum generat, ita vt hypersarcosis videatur esse in parte: atque ita videtur esse

ὄνυξ ἢ πύωσις.

Pterygion quid.

Partes affectæ.

Quis affectus.

Causa.

quod

quod Arabes Sebel dixerunt. Inter Vngulam tamen & Sebel nonnulli differentiam ſtatuunt, quia Sebel non eſt panniculus, ſed in eo venæ multo ſanguine diſtẽtæ ſunt, & repræſentant panniculũ, qui ex neruis & ligamentis contexitur. Imò ne Vngula quidem verus eſt panniculus, ſed cum carne potiùs conuenientiam habet, quàm cum neruo aut ligamento. Præterea Sebel cooperit totum ferè oculum: Vnguis à cantho altero inchoat. Sed ad rem vt redeamus: alij à craſſis humoribus & calore valido Pterygion oriri volunt, præcedentibus Ophthalmia, aut ſcabie, aut pruritu, aut vlcere, atq; cicatrice oculi. Pterygion cùm ad ſenſum pateat, nullis ſignis quibus deprehendatur, opus habet: in eo enim album quod eſt in oculo, ampliùs augeſcit, aut caro ſupercreſcit, ex ſcabra lippitudine, vel alijs dictis cauſis. Cæterùm Vnguem recentem non difficile eſt diſcutere medicamentis. Si inueterauit, iamque ei craſſitudo acceſſit, excindi debet. Faciliúſque curationẽ recipiunt Pterygia, quæ ſunt tenuia & alba. Et ex Pterygijs manu curanda ſunt, quæ aucta ad nigrum extenduntur. Quæ verò parua & in albo ſunt, ea conandum eſt vt pharmacis comprimamus. Similiter neque craſſa Pterygia curanda ſunt & euerſa, eminentia, ac indurata, & quæ tempora per conſenſum afficiunt. Sunt enim maligna & cancerata. Victus ratio talis ſit, quæ craſſos & lentos humores extenuet, calfaciatque, qualis capite de Cephalalgia pituitoſa, vel de Lethargo præſcripta eſt. Quatenus verò ad medicamentorum rationem ſpectat, relictis magnis & inueteratis Vnguibus, qui ſolam manum expoſtulant, recentiores & magnitudine mediocres curabimus abſtergentibus medicamentis, ac ijs quibus cicatrices in oculis obteruntur. Et Pterygia quæ adhuc fiunt, inhibentur ſanguinis miſſione, tenui victu, & inciſione venarum quæ in adnata apparent. Eædem ſi filo comprehendi poſſint acu recuruata, breuiſſimo tempore panniculus ille contabeſcit. Si iam facta ſunt, ijs conuenient qualia paulò antè narrata ſunt, ſeu quæ aſpritudini idonea ſunt, & Albuginibus. Sed priùs vniuerſum corpus à craſſis lentíſque purgandum eſt humoribus, vbi ſcilicet cocti fuerint ac præparati. Proinde ijs pilulæ cocciæ, vel aureæ conueniunt. Pur-

Sebel.

Nota.

Prognoſtica.

Victus ratio.

Medicamẽta.

gato benè corpore, detur theriaca antiqua, quæ succos absumit, vel mithridatium, & similia. Hinc fouendus est Vnguis ex aqua moderatè calida, aut ex hordei, maluarum, althææ, chamæmeli, seminis lini, fœnugræci decocto, quoad oculus calefiat. Deinde quæ abstergunt medicamenta admoueantur, ac quæ repurgant. Inter ea thus reponendum est in puluerem tenuissimum redactum, quod modicam vim habet abstergendi: sepiæ testa vsta cum sale ammoniaco, aut si cum pumice arefacto, vinóque læuigato illinatur. Vehementem facultatem absterſoriam habet æs vstum, squama eius & flos, chalcitis quoque vsta: quæ si lauentur, absterſoria quidem adhuc manēt, sed tanto efficacia imbecilliora, quanto mordacitatis expertia magis fiunt. Primò igitur eis vstis ac lotis vtendum: deinde si malum non cedat, non lotis. Eadem ratione & chalcantho vtere. Erodentia huiusmodi vrunt, & dolorem maximè inferunt. Quare non sunt adhibenda, nisi cum mitioribus. Obid saccharum candum tritum diligentissimè est apponendum. Inter ea etiam quæ citra mordacitatem extergunt, connumeratur cornu cerui vstum, & cornu caprarum. Nec erit absonum ijsdem medicamentis præsertim generosè abstergentibus, portionem quandam miscere tragacanthi, seu gummi. Sunt enim mordacitatis atque acrimoniæ expertia medicamenta, veluti fœnugræci decoctum, tenuis oui liquor, & lac. Alia collyria imperantur ex felle lucij, & sale, & felle porcino, aut caprino, & melle. Aliud: Recipe æris vsti drachmam vnam, croci drachmam dimidiam. Aliud: Recipe æris vsti, chalcanthi vsti ana vnciam vnam; salis ammoniaci, spumæ maris ana drachmã dimidiam: conformentur pastilli è succo rutæ. de quibus dissoluatur vnus in aqua fœniculi, aut aridus Pterygio inspergatur. Pterygion quandoque nouacula aut forcipibus absciditur. Sed curationis modum pleniorem per chirurgiam, reperies à plærisque alijs descriptum.

Topica.

De oculorum Sugillatione & pure sub cornea.

CAPVT XXIX.

AFFECTVS qui à Græcis ὑποφθάλμιον καὶ ὑπόσφαγμα cognominatus est, Latinis oculorum Sugillatio, recentioti-

centioribus quibusdam Macula oculi dicitur: quæ cùm sit *Macula oculi.*
ſpecies Ecchymomatis, vt alijs corporis partibus, ſic & oculis accidit. Eſt autē ſanguinis effuſio per tunicas in ſpatia *Sugillatio quid.*
quæ venis circumiacent, tenuibus circa cutem vaſis contuſis, ac quomodolibet ruptis: quæ effuſio per diapedeſin, hoc eſt per ſubſultationem, fieri conſueuit. Ea in principio quidem concreſcit & rubet, ita vt cruentus quidem ſtatim oculi color ſit, progreſſu temporis liueſcit, poſtremò nigrorem contrahit: multitudine autem & diuturnitate temporis aliquando in pus vertitur, vt ſanguis omnis per grumos collectus ſolet. Tunc fit ὑπώπιον, id eſt pus ſub cor- *ὑπώπιον.*
nea: dimidium nigri occupans, aut per totam corneam pellucens: vnde dolor pulſatorius vehemens, rubor totius oculi, & temporum dolor. Fit etiam aliquando ὄνυξ, cùm *ὄνυξ.*
ab vlcere profundiore pus defluens, & inter tunicas delapſum, ac in circuitu iridis figuratum, vnguis reſecti imaginem refert. Differuntque in ſola vnguis ſimilitudine. Ex quo intelligitur id ſymptoma quod Galenus ſugillationi tribuit, vt ita affecti quæcunque videant, rubra eſſe putent, haud quaquam eſſe perpetuum: ſed in principio tantùm apparere. Nam alijs temporibus ſubnigrum quid ob oculos volitare exiſtimant: quod multi ſæpe ſimilitudine decepti, ſuffuſionis principiū eſſe credunt. Quòd verò in hoc *Pars affecta.*
malo oculus perpetiatur, nomē ipſum indicat. ὄψις enim τὸν ὀφθαλμὸν Græci vocant. At quòd particulatim aduata tunica, ſeu cornea dicta indifferenter affici poſſint, quæ exteriores quidem oculi tunicæ ſunt, modus generationis oſtendit: ſenſus etiam indicat, quēnam earum affecta fuerit, alijs indicijs non indigens. Nam ſub qua tunica cruentus ſtatim, poſtea verò luidus color apparuerit, aut niger, eadem affecta erit. Si ex ſugillatione videndi fun- *Affectus quis.*
ctio non impediatur, ſymptoma eam eſſe dicimus in genere affectuum corporis, eorum ſcilicet quæ ad viſum pertinent. At ſi viſionē per ſe primò impediat, vtpote magna exiſtens, & ſub cornea potiſſimùm, iam non ſymptoma eſſe, ſed morbum in numero ſeu quantitate aſſerimus. Eius autē cauſa eſt vaſorum ruptio, aut contuſio. Ruptionis *Cauſa.*
autem cauſa potiſſimùm externa, ictus ſeu plaga. Quanquam & interna eſſe poteſt: vt nimia vaſorum repletio,

aut sanguinis in eisdem contenti feruor exuperans. Et quia si multus sanguis extra venas effusus sit in sugillatis, in pus conuertitur, cùm non possit discuti, ὑπώπιον facit. In eandem sententiam alij sic: Fit ὑπώπιον interdum ab vlcere, interdum sine vlcere, si capitis dolor & Lippitudo præcesserit. ob ingentem enim inflammationem disruptis vasis sanguis effusus suppurat. Sugillatio statim visu deprehenditur. Nam cruentus oculi color videbitur, quasi sint puncta sanguinis. Progressu temporis liuescit, aut nigricat, putantque ægri omnia quæ respiciunt rubra esse. Si à causa externa fuerit, ex relatu ægrorum & astantium cognosces. Internas verò causas ex ipso perpendes. Si adest ὑπώπιον, accedit pulsatorius dolor, ac circa vniuersum oculum rubor, nec non etiam temporum dolor, & color sanguinis qui initiò fuit, in albedinem quādam mutatur. Vnde colligimus pus factum esse. Statim ad curationem sugillationis te conferas, priusquam denigretur. Nā si in grumos sanguinis coierit, egerrimè discuti potest. Curatio enim à principio facilis: processu verò temporis humore concreto, & crassato, atque obdurato, curatio impossibilis. Itaque præscripta victus ratione idonea, sanguis mittatur, si res postulabit; & per cucurbitulas lateribus colli appositas deriuetur. Purgatio quoque instituatur, si ea opus erit. Præsertim enim si dolor adfuerit, ipsam humorum mediocritatem minuere conuenit, vt fluxio caueatur. Tum ad topica progrediendum, quę non modò discutiendi vi prædita esse debent: verùm quiddam ex astringentibus miscendum erit, quando vasorum tunicula, ex quibus sanguis exilit, disrupta est. Disruptio enim est consolidanda, confirmanda, ac restituenda astringentibus. Discussoria verò redundantem in parte humorem in halitum digerunt. Leuiter repellentia sunt albumen oui, aqua peculi rosarum, & myrtillorum, quæ quidē apponuntur, vt plus sanguinis à vena rupta non effluat. Et si post ictū medicus vocetur, sanguisque iam defluxerit, priùs quàm omnino denigretur, instilletur sanguis palumbi vel columbæ, aut turturis, vel calidum ab ipso vbere lac mulierbre, cui thuris paulum sit adiectum, & croci, aut candidum oui tepidum infunditur. Alijs placet, vt pulli columbi plumæ te-

Signa.

Prognostica.

Curatio.

Topica.

mæ teneræ euellantur ab alis, quæ adhuc sanguine plenæ sunt, & in oculum exprimantur. His sanguinibus nonnulli sanguinem hirundinis anteponunt. Sequentibus diebus oculus per spongias fouendus est absinthij aut hyssopi decocto, aut melliloti & fœnugræci primùm, postea ipsius tantùm fœnugræci decocto. Post quæ folia brassicæ decocta, & contrita superimposita iuuant. Caseus item recens parumper salsus supra corneam apponitur. Quin & raphanus supra corneam appositus discutit: sed melius accommodatur succus eius cum melle. Myrrha, omphacium, amurca, & fel auium prosunt in declinatione. Nec erit inutile vti decocto fœniculi, liliorum, chelidonij, euphrasię, & seminis seseleos, ac fumum illum seu vaporem recipere: vel ea decoctione partem ipsam fouere. Si sanguis suppuretur, dolorem facit in oculo, qui prius non erat: quia oculus quodammodo inflammatur, mutaturque color sanguinis in albedinem, vt dictum est. Tunc quia dolor est vehementissimus, sedandus est lacte recens mulso, decocto fœnugræci, & seminis lini. Si inflammatio sentitur, aqua violarum, vel solani adijciatur. Sedato dolore & pure iam facto, ad leuiter discutientia veniendum est, vt ad mel, mucaginem fœnugræci cum pauco saccharo, vel melle. Si nulla ratione ob crassitiem expurgari possit, doloreque vehemens perseueret, affectus punctura curandus est. fieri enim non potest, vt crassus ille humor totus discutiatur. Punctura fit in latere, quemadmodum in transpositione panniculi facti ex suffusione, vt frequenter acum mittendo, & extrahendo aliquid puris, tandem euacuetur. Vtilissimum esset acum vacuam confingere, & suctu pus illud haurire. vide recentiores. *Punctura.*

De Vlcersibus oculorum. CAP. XXX.

VLCERIS nomen ac ratio nota sunt. Sed vt vnum est genus vlcerum in alijs partibus; multæ autem differentiæ specificæ: sic & in oculis. Hæ autem diuersimodè nominantur, prout diuersas oculi partes exulcerari cõtingit. Interdum enim adnata, quandoque corniformis, aut palpebræ, aut anguli ea affectione laborant. Sensu autem visus dignoscitur, quænam prædictarum partium vlcerata *Vlcerum oculorũ differentiæ plures. Affectæ partes.*

sit. Vlcera etiam sunt parua, magna: munda, sordida: boni moris, exedentia, cancerosa. Item vlcera alia sunt in superficie, alia altè descendunt, vt aliquando humores oculi profluant.

Affectus quis præter naturam.

Is affectus est in genere solutionis continui, visionem lædens, si fuerit notatu dignus: non solùm ob id quòd redundantem humorẽ coaceruat, sed & quia efficit, vt crystallinus humor ex breui spatio cogatur cum circumfuso splendore conuersari, Galeno teste, præsertim si in corniformi genitum sit vlcus. Et quòd procedens quoque ad interiora vlcus versus pupillam, aliquid humoris aquosi foras effundit: atque imminet periculum, ne sic affectus ad extremam perueniat cæcitatem.

Causa.

Vlceris causa aliquando externa est, ab aliqua re scilicet illabente in oculum, vt ab ictu, concussione, a spina, frusto vitri, gladio, lapide, & alijs incidentibus, ac rumpẽtibus: vel interna, vt post Ophthalmiam, Phlyctænas, Vngulam, lachrymas, aut calidam & acrem fluxionem. Et frequentior est propter acriũ humorum erosionem. Si externa est, ab ægro vel assidentibus intelliges: quemadmodum si à morbis qui adsunt, aut præcesserunt. Sin verò interna, & ex humoribus acribus, ex qualitate doloris pruriginosa, aut punctoria, reduundantis succi qualitas inuestigãda est: quam etiam ægri ætas, temperamentum, victus, regio, anni tempus, aetis constitutio, ac reliqua indicabunt. Vlcera in adnata membrana obortа non ita sunt pernicioſa, vt quæ corneæ innascuntur. At omnium periculosissimum est, quod corneæ è regione pupillæ aduenit. Hoc enim vlcus pupillæ procidentia subsequi solet quàm citissimè. Et si vlcus ad interiora descendit, magna ex parte taliter affecti obcæcãtur.

Signa.

Prognostica.

Victus ratio.

Victus sit ex boni succi alimentis, & aquæ potu. Venter natura, vel arte leuis sit. Vice exercitij fiant brachiorum & crurum frictiones. Abstineant ægri quàm maximè à ventris plenitudine, ebrietate, & vini potu, vsque ad declinationem: ab ijs quæ caput replent, & fluxionem irritant, ab omni corporis valida motione, præsertim partium superiorum. In quacunque oculi parte vlcus contingat, eandem genere requirit curationem, quàm alia vlcera, quanuis ob partis naturam: quàm leuissima adhibenda sint medicamenta. Sed priùs vniuerso corpori prospiciatur. Ideò si corpus

plenum

plenum est, humeralis seu media vena eiusdem lateris secetur, & humores acres purgatione vacuentur ex pilulis sine quibus, aut similibus. Humores etiam frictionibus, vinculis, cucurbitulis ad inferna auertantur. Purgantia sæpiùs repetantur. Quòd ad topica attinet, si vlcus cum inflammatione infestat, curationem ex ijs quæ inflammationem lenire possunt & concoquere, moliemur, non neglectis ijs quæ proximè ad vlcus pertinent. Per initia igitur collyrium album muliebri lacte dissolutum immittendum, instillandumque ex oui albumine. Cataplasma quoque adhibendum ex ouo simul cum eius vitello, cum rosaceo, ac vino. Id repefactum & lana exceptum imponatur; vel linteo lineo excipiatur. Sequentibus diebus fiat fomentum ex decocto rosarum & meliloti, & infundatur lac cum ouo tepidum, adhibeanturque linimenta, maximè id quod ex capitibus papaueris, meliloto, croco, & pane paratur: ex quo superna duntaxat illinatur palpebra, vt commodè aperiatur oculus ad lachrymas excernendas. Recentiores, si accesserit inflammatio ac dolor ob nimium sensum, aut medicamentorum acrimoniam, fluxionē cohibent dictis reuulsionibus, & fronti repellentia admonent, ouique album oculis instillant, temperantque medicamenta mucagine psyllij, aut opij pauca quantitate, aut lac recens mulsum injciunt. Sin verò vlcera sordida fuerint, mulsa diluta (iuxta veteres) & decocto fœnugræci vtemur. Vlceris enim curatio à detersione incipiet, nisi mundum extiterit. Et si multa sordes adfuerit, ad succum fœnugræci parum mellis addere conuenit. Fœnugræcum autem exactissimè purgandum est, sæpe abluendum, ac madefactum pura aqua dulci decoquēdum. Et postquam vlcus purum factum est, à fœnugræci succo abstineas, & collyrio ex thure quod vim habet glutinandi, atq; incarnandi, vtaris. Id est q̄ sic paratur. ℔. ammoniaci, sarcocollæ ana ʒ ß. thuris ʒ x. croci ʒ ij. omnia læuigata ac fœnugræci succo excepta, in collyria digerantur. Vlcere incarnato & explanato, aut etiā adhuc paulo p̄fundiori existēte, adhibenda sunt collyria, quę cicatricē inducere possunt: quale est hoc: ℔. pompholygis lotæ ʒ iij. plumbi vsti ʒ ij. squamæ æris ʒ ij gummi ʒ iuj. oīa lęuigata

Topica.

Collyrium ex thure.

Collyrium Cleonis.

digerantur in collyria ad vsum. Iuniores collyria instituũt tergentia, siccantia, cum quadam astrictione, ac digerentia. Cuiusmodi hoc est, ℥. sarcocollæ nutritæ in aqua peculi rosarum ʒj. myrrhæ, sacchari candi ana ʒ ß. thuris, aloës ana ʒ ij. tenuissimè triturentur, & cum oui vitello reducantur in formam vnguenti. Aliud collyrium ad cicatricem inducendam idoneum ℥. plumbi vsti diligentissimè & tenuissimè puluerati, antimonij, ceruſæ lotæ, cornu cerui vsti & loti, coralli rubri ana ʒj. excipiantur melle. De numero cicatricem obducentium est tutia præparata, deinde diluta in decocto fœnugræci, ceruſa, antimonium, plumbum vstum, squama æris vsta. Oculi frequenter abluantur vino diluto aqua fœniculi, cùm est detergendum, vel aqua peculi rosarum aut myrti, cùm est inducenda cicatrix. Vlcera si cancerosa sunt, non curantur. Dolores tamen mitigandi sunt infuso sæpe albo oui, aut lacte muliebri tepido.

De Cicatricibus & Albuginibus oculorum.
CAPVT XXXI.

οὐλαί. *Νεφέλια.* *Λευκώματα.*

POST curata oculorum vlcera, fiunt in eis cicatrices, quæ οὐλαὶ Græcis appellantur, & à nonnullis νεφέλιαι, id est nubeculæ, quia tenuibus nubibus similes sint, & sunt cicatrices superficiariæ, ac minùs profundæ. Crassiores enim atq; altiores λευκώματα potiùs, id est Albugines vocãtur. Possunt tamen prædictæ omnes cicatrices Albugines dici, cùm in oculi nigro appareant. Densata namq; corniformi tunica, subiectus ipsi cæruleus color non ampliùs transluceat. Et quoties cornea membrana crassescit, impedita naturali perspicuitate & transparentia, color alb. succedit: si quidẽ à semine membrana generationẽ habet. Semen autẽ album est, nisi nimia tenuitate substantiæ transpareat, & colorem occulter: quod eo albidius redditur, quo crassius. Idem faciunt crassi humores intra corneã perspicuitatẽ impedientes, qui si parum crassi fuerint, nubeculas efficient: si crassiores, Albugines. Cicatrix à Suffusione distinguitur, quòd illa semper alba, & in parte externa: hæc verò in parte interna appareat. Præterea cicatricem semper vlcus, vel Ophtalmia præcessit. Quidam ex recentio-

Cicatrix à suffusione diuersa.

ribus

ribus ὁμίχλην seu nubeculam definiunt esse tenuem humorem corneæ inhærescentem, cuius adhæsu putat laborãs sese per nebulam, vel vaporem, aut fumum, res omnes intueri, eumque humorem sensim crassescere existimant, tandemque parere Albuginem. Est enim Albugo iuxta illorum sententiam crassus & albus humor in vuea, aut etiam supra hanc ita concretus ac densatus, vt omnem videndi aciem perstringat. Pars affecta (vt ex antè dictis colligere est) præcipuè est corniformis tunica. Cicatrices verò connumerandæ sunt inter morbos in numero, quæ si supereminentes fuerint, maximè albescunt: si planæ & æquales, minùs sunt albæ: si magis cauæ, sunt concolores nigro. Causa minimè inuestiganda est, cùm vlcera consequantur. Et (vt alij tradunt) humores ibi congeruntur, aut aliunde fluxerunt, sæpissimè quidem in Ophthalmijs, & lachrymis, & ictibus, atque doloribus. Cicatrices sequuntur & Pterygia, seu vngulas. Visum est quoq; recētionibus, (vt supra dictum est) fieri ex lento humore, qui ob pupillam effunditur ex ijs spatijs quæ sunt inter membranam inhærentem & vueam. Cicatrices callosas & diuturnas, crassasque curare non oportet. Cicatrices non auferuntur in totum: sed si pupillam occupent, exteruntur, (faciliùs in pueris quàm in senibus) ne visionem impediant. In ijs exterendis vnicè opus est congrua victus ratione vti, ex quo moderata materia & boni succi per vniuersum corpus diffundatur. Itaque ab omnibus salsis, acribus, & crassi succi cibis, vinique copia abstinere oportet, & probæ concoctionis curam gerere. Omnino victus sit extenuans. Decet etiam oculos ab aëre frigido tueri, & à solis ac luminis splendore. Cæterùm oculus malè affectus illinendus est ante cibum hesterna cœna exactissimè concocta, percepráque capitis & vniuersi corporis leuitate, alùoque exonerata, neq; statim inungendus est qui modò à lecto surrexit, neque ante cœnam. In curandi ratione, in corpore plethorico, vel cacochymo (ne ad oculum fiat attractio admotis topicis) initio purgandi sunt ægri catapotijs & masticatorijs. Cucurbitulæ etiam admouendæ occipitio, vel ruptorium. Postea tutiùs venitur ad topica. Circa quæ obseruandum vt in primis leuioribus extergentibus vta-

Pars affecta.

Quis affectus.

Causa.

Prognostica.

Victus ratio.

Curatio per Medicamēta.

Topica.

mur. Vitanda autem sunt medicamenta acria, & quæ excoriant. Nam succedentibus ex eis fluxionibus, itemq; inflammationibus, & aliquando resolutis cicatricibus, vlcera magis profunda fiunt. Inter ea verò quæ citra molestiam recentes exterunt cicatrices, maximè commendatur lac equinum cum modico melle assiduè illitũ: item centaurij minoris ex melle, nec minùs anagallidis cœruleum florem habentis, & chelidonij succus cum melle: aut etiam menthæ succus. Extergunt etiam, extenuant, ac dissoluunt citra mordacitatem cornu ceruinum, velut & caprarum. Inueteratas autẽ atque altiores Albugines tum abstergentibus, tum discutientibus pharmacis curare tentandum est. Inter quæ sepiæ testam combustam, & cũ melle in pollinem redactam veteres cõmendant. Laudant & butyrum liquefactum solum illitum, & rumicis hortensis, & plantaginis semen in testa exustũ. Similiter hirundinum capita detracta, in olla exusta, ac trita. Galbanũ cum melle liquefactum, ac similiter tritum. Licet & vti æreo vsto, aut eius squama; seu flore, priùs tamen lotis, eisq; solis in pulverem redactis, aut cum melle mixtis. Aloë mixtæ cuiusdam est facultatis. Inest illi amaritudo, qua extergit. Inest & astrictio, qua contrahit vlcera, & ad cicatricem perducit. Suprà dictis addunt neoterici fel hirci, vel bouis, & auium rapacium, vt milui, aquilæ, & alia quæ tenuitatem habent. Tamẽ in Albugine ac cicatrice, cùm sit affectus externus, satis possunt esse fella crassa, & potissimùm, si liquida sint, & melle excipiantur. Succus chelidonij, succus fœniculi, mel rosaceum conueniunt. Paradeigmatum loco sint hęc: ℔. mellis despumati ʒ iij. succi fœniculi, succi cẽtaurij ana ʒ j ß. Aliud: ℔. fellis lucij, succi fœniculi ana ʒ ß. sacchari rubri ʒ ij. tutiæ ʒ ß. in oculum calidum collyrium instilletur. Poterit & sequens inspergi puluis: ℔. cornu cerui vsti ʒj. sepiæ combustæ ʒ ß. sarcocollæ ʒ ß. aristolochiæ rotundæ ℈ j. sacchari ʒ iij. fiat puluis. Albugo quandoque auellitur acu, & tum Chirurgo opus est.

De Phlyctænis, seu Pustulis. CAP. XXXII.

Phlyctænarũ etymon.

ΦΛΥΚΤΑΙΝΑΙ καὶ φλυκτίδες, ἀπὸ τοῦ φλύειν, φλύζειν, καὶ φλύσσειν, quod est ebullire vel feruere, Græcis dictæ sunt:

ctæ sunt: Latinis, vt Celso: Pustulæ: Vesicæ Barbaris. Sunt autem quædam excrescentiæ, & bullæ corniformis tunicæ ortæ ex humore quodam subexcoriante eius cõpaginem. Et genus est pustularum simile exanthematis, vel, vt alij loquuntur, varis. Afficitur oculus per hunc affectum præsertim secũdum corniformem tunicam, vt sensu iudicari potest. quamuis & in oculi albo, & in palpebris interdũ fieri possint. Nam quamuis toto corpore nascantur, nullibi tamen periculosiùs, quàm in membrana oculi cornea. Est autẽ morbus in magnitudine, & quantitate: etsi in intemperie ac solutione continui simul morbus dici possit, cùm sit de numero tumorum præter naturam. Verùm cùm eadem corniformis tunica ex quatuor veluti densissimis ac fortissimis membranis constet, possunt interim sub prima membrana fieri prædictæ pustulæ: quandoq; sub secunda & tertia. Quapropter quædam in superficie, quædam in profundo fiunt. Quæ in superficie ac prima membrana, colorem nigriorem præ se ferunt: si sub secunda, aut tertia, albidiori colore sunt: quoniam in profundo occultantur. Natiuus autem Phlyctænarum color niger est. Cornea verò tunica velut cornu pellucida est, & candicat. Quanto igitur profundior erit pustula, tanto candidior apparebit, magisque erit dolorifica & molesta. Proinde huiusmodi Phlyctænæ dicuntur liuidæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore immutatæ, subest q; ijs humor, vbi rupte sunt: infrà quasi exulcerata caro apparet. Oriũtur Phlyctænæ à sanguine ob plenitudinem, aut à feruentibus acribus succis, ijs quæ ab igne aut feruenti gignuntur aqua similes. Iuxta recẽtiores fiunt & à serosis humoribus. Signis ad mali cognitionem nihil opus est: cùm aperto oculo satis appareant. Ac primùm quidem tunica vesiculæ in modum attollitur: deinde verò excoriatur, & oculum purulentum reddit. An verò à plenitudine, an ab acribus succis vel serosis fiant, distinguere facile est: si doloris qualitatem ac magnitudinem, ipsarumq; pustularum colorem, & ægri temperamentum, habitum, ætatem, anteactam vitam, anni tempus, regionem, aëris constitutionem, & similia diligenter perpendas. Ex quacunque causa est pustula, si superficiaria est, facilè curatur: si profunda, ægrè: etiamsi tu-

Phlyctæna quid.

Quæ pars afficitur.

Affectus quis.

Causa.

Signa.

Prognostica.

nica ipsa vlcerata sit. Periculum enim est, si in profundo orta sit, ne reliquum corniformis tunicæ tenue existens rumpatur, & vuiformis procidat, aut effluant oculi humores, præsertim si iuxta pupillam ruptio fiat, aliudque graue consequatur. Nam inducta etiam talibus vlceribus cicatrice homo non videbit, propter inductas cicatrices. Porrò ita curandę sunt pustulæ, vt multiloquium, sternutationes, iram, spiritus detentionem, splendorem nimium ægri caueant, vitentq; deambulationes, & alios motus ab initio. Cibo & potu exiguo, coctuq; facili vtantur. A vino abstineant toto curationis tempore. Pro potu vtatur aqua hordei, vel coriandrorum, vel cinnamomi. Si est totius corporis plenitudo, & sint Phlyctænæ magnæ cum rubore oculorum, vena secanda erit, si nihil prohibeat, idq; semel, bis, sæpius, si opus erit. Secetur autem humeralis seu media: vel media primò, dein humeralis. Auertatur & humor clysteredeorsum, nec non admotis cucurbitulis. Fiant frictiones, & infernarum partium vincula. Si mordaces humores & acres adfuerint, vel serosi; purgentur priùs apparati & concocti. Atq; hîc vitentur quæ purgant vehemẽtiùs, & stomacho infesta sunt. Quapropter manna, catholicon, cassia cum tamarindorum decocto, & syrupus rosatus solutiuus cõueniunt, & huiusmodi alia. Dantur & quæ ichores & tenues humores euacuant, vt syrupus rosatus solutiuus, cùm decocto mercurialis, betæ, brassicæ marinæ, vel decocto carthami, folliculorum sennæ, &c. Deinde ad topica veniendum, quæ leuiter discutientia esse debent: ac vbi recentes pustulæ fuerint, & adhuc inflammatæ, à leuiter astringentibus absolui non debent. Vitandæ sunt deligationes, & linteorum, lanæve applicationes. Sunt enim hæc non tantùm his infestissima, sed omni quoque Lippitudini ab acribus humoribus ortæ. Verùm cataplasmata adhibere oportet, vbi inflammatio adfuerit, maximeque in principio, leuia quidem, sed lata. Ea verò sunt tenuibus ac mollibus linteolis illinienda, & super totum oculum imponenda, supercilio, ac mala, & tempore simul cõprehenso. Et sinenda sunt quamdiu fuerint madida. Postquam verò siccata fuerint, tollenda sunt, & alia imponenda, vt sunt ouorum vitelli, cum pauco croco, & opij portiuncula, sapaque

Victus ratio.

Medicamẽtorum ratio.

Topica.

paque, & pane subacti. Sed nisi maximus dolor adfuerit, ab opio abstinẽdum. Poma etiam citonia decocta, & malicoria elixata imponuntur. Procedente tempore ouum auferatur, poteritque addi myrrhæ parum, aut fœnugræci cremor. Verùm cauendum ne oculus arctiùs ligetur; imò sedata inflammatione cataplasmata & fomenta, vt pote quæ grauitate sua lædunt, remouenda. Proficiente curatione adhibendum medicamentum, quod ex thure, myrrha, & croco paratur. Si fomenta applicentur, obseruandum erit vt principiò tepida sint. Calidiora enim inflammationem exacuunt. Transacto initio concedūtur, quæ reliquum discutere valeant. Parantur autem ex florum chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, aut meliloti decocto. At si ob multitudinem pustulæ rumpantur, aut propter acrimoniam erodatur, aut vlceretur cornea, curationem ex capite de vlceribus oculorum petas. A veteribus non dissentiunt iuniores, qui scribunt Phlyctænis (quia fiunt cum quodam affluxu) à principio vtilem esse mucaginem psyllij, vel citoniorum, extractam cum aqua rosarum, vel myrti: Conuenire item albumen oui cum aque plantaginis, & solani. Neque verentur opij portiunculam in lacte vel sapa dissolutam, ad doloris sedationẽ cum pauco croco adhibere: aut poma cocta diligẽtissimè contrita: aut mala cotonea, aut granata benè cocta, & contusa: quibus optimum est, ne asperitatem inducant, parum vnguenti rosati admiscere, & palpebris admouere. Si non cedant repellentibus pustulæ, ad digerentia transeunt, vt ad mucilaginem fœnugræci, & quæ ex lycio collyria parant: vel ex amurca, omphacio, & acacia, quæ digerunt cum astrictione. Diluuntur autem aqua rosarum vel myrti, cùm fluxio pertimescitur: vel aqua fœniculi, rutæ, chelidonii, quando nulla fluxior is est suspicio. His vtuntur donec humor discutitur, vel tunicula rumpitur, & in vlcus vertitur. Ad Phlyctænas, ℞. hæmatitis lotæ in aqua rosarum ʒ ij. cerusæ lotæ, lycij ana ʒ j. amyli, gummi arabici, tragacãthi, æris vsti, ammoniaci ana ʒ ß. opij ℈ j. formentur pastilli cum succo foliorum oliuę. Dein cum succo fœniculi oculo instillentur. Comitatur sæpe inflammatio & vehemens dolor Phlyctænas, quibus prodest hypocistis, &

acacia, cum aqua ſtillatitia roſarum, & malum cotoneum elixum, aut pomum auſterum calidum, emplaſtri modo applicitum, non valdè compreſſum, ne grauitas dolorem augeat.

De procidentia oculi. CAP. XXXIII.

ἔκπτωμός. PROCIDENTIA, vel oculi totius, vel partis eius vitium eſt. De procidentia totius (quæ ἔκπτωμὸς Græcis dicitur, expreſſio Latinis, fitq; cùm totus oculus ita prolabitur, vt extra oſſis ſui cauitatẽ exertus emineat, & ad malas vlq; procidat: fitq; à paralyſi, vehementi inflammatione, aut alio magno præter naturam tumore, & fluxione, ictu, caſu, dolore, vehementi conatu cùm ſpiritus compreſſione, vt in parturientibus, & alijs cauſis, de ea (inquã) procidentia hîc non agitur: ſed de procidentia tunicæ rhagoidis, ſeu vuiformis, quam Græci πρόπτωσιν ῥαγοειδοῦς χιτῶνος, Barbari corneæ rupturam vocant. Ea enim eſt procidentia vuiformis, quæ rupta vel eroſa cornea accidit. Continet enim hæc, & cõplectitur illam. Quare ſi corneam erumpi, vel erodi contigerit, primùm albugineus humor emanat, & protinus vuea excidat neceſſe eſt. Procidentia cùm nondum creuerit, μυκίφαλον nuncupatur, quòd figura muſcæ capiti ſimilis ſit: cùm ampliùs creuerit, σαφύλωμα Græcis, vuatio Latinis appellatur: quòd acinum vuæ repræſentet. Fit rupta cornea membrana, & laxata vuea: in qua quod prominet liuidum, aut ſubnigrũ apparet, acino vuæ nigræ ſimile. Sin creuerit plurimùm, vt etiam palpebras excedat, μῆλον à Græcis: à Latinis malum vocatur. Verùm vbi callum obducat, præter id quod extra palpebras tranſgreditur, Græcè ἧλος, Latinè clauus nuncupatur, quoniam per omnia claui capiti ſimilis eſt. Sic pro roſionis ruptionisve magnitudine plus minúſve tunicam procidere neceſſe eſt. Hæ igitur quatuor differentiæ ſtatuuntur, quæ rupta cornea contingunt. Alias verò prætermittimus, in quibus ſola corneæ eleuatio, & non ruptura exiſtit, & ſtaphylomata non vera dicuntur. fit enim in ijs quædam corneæ membranæ extenſio, & eleuatio, tota mole alba apparente, quæ quidem eminentiam acino vuæ ſimilem facit. de quibus

Procidentia differentia.

quibus paulò post. Affectus igitur hic oculi est secundum partes eius, cùm corniformis & vuiformis tunica oblæsa sit. Corniformis (inquam) erosa, vel rupta, in soluta continuitate morbo afficitur. Ipsius verò vuiformis tunicę morbus in situ est, totiusque oculi in figura. Quare nec vna duntaxat pars in hoc affectu laborat, nec vno tantùm affectu. Quo fit vt hîc pupilla omnino diuulsa sit, ita vt aut non appareat, aut à situ & figura eius sit immutata. Quo distinguitur oculi procidentia ab eiusdem Phlyctæna seu pustula, tum etiam quòd id quod prolapsum est, nigrum, aut cæruleum apparet. In circuitu verò circa fundum eius partis quæ procidit, labia corosæ corniformis tunicæ alba apparent: id quod in pustula videre non licet: quando ea superficialis existens similiter vndique nigra est, licet non exacta nigredine. A procidentia quoque diuersa est oculi confusio, in qua ex ictu humores permisti confusique sunt citra ruptionem vllam. Causa autem huius procidentiæ iam explicata est, nempe erosio, aut ruptio corniformis tunicæ. Et staphylomata non vera fiunt à crassis humoribus intra corneam membranam cõtentis, aut ex pustula quadam satis profundè inter eius partes consistente. Vnde tunica ipsa corniformis eleuatur & incuruatur, non autem rumpitur aut exeditur. ex his enim duabus causis duæ staphylomatis non veri differentię statuuntur. Verùm pustulis, aut variolis præcedentibus fit interdũ, vt membranę tunicæ quædã rumpantur, & vuea intra reliquas tuniculas procidat. Differentiæ quatuor suprà dictæ ex ijs notis quas iam retulimus, visu manifestæ esse possunt. Morbus hic visum impedit, & oculũ deformat. Visum sanè reparare impossibile est. Procidẽtia quæ ad myocephalũ degenerauit, curari potest, vt & staphylomata recẽtia, licet ægrè. Sed vbi alborẽ aut callũ cõtraxerint, nullis remedijs locus est. Alij tradũt visum omni staphylomate aboleri. Si igitur procidentia curari potest, victus ratio seruetur, vt in alijs oculorũ affectibus, præsertim quæ capite de vlceribus & pustulis declarata est. Quod ad medicamẽta topica attinet, hic repellentia simul & astringentia conueniunt: maximè quæ nullam aspritudinem faciunt, vt folia rosarũ, flores & succus, nardi spica, crocus, lycium, hypocistis. Poterunt ergo

Partes affectæ.

Affectus.

Oculi confusio.

Causa.

Staphylomata.

Prognostica.

Curatio.

flores rosarum in vino adstringenti decoqui, aut aqua pluuiali, si inflāmatio vel calor adsit, & in eo decocto spongia imbuta supra affectum locum applicetur, aut ex plantagine, rubi folijs, virga pastoris, & polygono, ac rosis parato decocto fotus fiant. fieri quoque poterit atque adhiberi cataplasma ex folijs rosarū, ac citonijs in vino astringenti, vel aqua pluuiali decoctis, acacia, & croco additis. Collyrium etiam conficitur sic. Recipe aloës lotæ, pompholygis præparatæ, sarcocollæ nutritæ ana scriptulum dimidiū, spicæ nardi, croci ana grana quinque, stimmeos seu stibeos vsti & abluti (quod antimoniū vocant) scriptulum vnum, cum cremore tragacanthi, aut fœnugræci, fiat collyrium, & vtere. Aut omphacitidas gallas tere, balaustium, & cytinos ac rosarum flores, & cum succo polygoni, aut virgæ pastoris, foliorum oliuæ, aut rosarum vtitor. Et si inflammatio fuerit, mitioribus vtendum erit medicamentis semper, ac simul cum ouo recenti ea infundentur. Nam incipiente morbo inflammatio & dolores infestant, ac proinde curationis ratio quæ inflammationibus oculorum conuenit adhibenda. Itaque secundum iuniores album oui instillandum, fœnugræci decoctum adhibendum cum aqua mulsa. Inclinantibus doloribus farina fabacea cum semine lini aqua subacta emplastri forma admouetur. Quæ staphylomata respuunt curationem dictam per medicamenta, ea curanda sunt chirurgia, vt moderatum ægri decorem conciliemus, non vt visum abolitum restituamus. Quæ quomodo administrari debeat, Aëtius & Celsus fusissimè docuerunt.

De dilatatione pupillæ. CAP. XXXIV.

Μυδρίασις vnde dicta.

PVPILLAE effusionem ac dilatationē μυδρίασιν Græci vocāt, quasi ἀμυδρίασιν, ἀπὸ τῦ ἀμυδρῶς ὁρᾶν, quod est obscurè & exiliter videre: vel ἀπὸ τῦ μυδᾶν, τῦτέστιν ὑγραίνεσθαι, quòd pupilla superfluo redundet humore.

πλατυκορία.

Eadem affectio πλατυκορία nuncupatur. In eaque rhagoeidis seu vuiformis tunicæ foramen quod pupillam appellant, si dilatatum & ampliatum est, siue iam ab ortu, siue ex morbo, ea dilatatio semper visui obest: vt quæ videndi spiritum

spiritum vniuersè diffundi ac dissipari sinit Cùm itaq; perpetuò visionem lædat Mydriasis, in ea oculus læditur non totus, sed secundum pupillam, quę à naturali statu recessit, & cùm à naturali colore nihil euariet, multo tamen quàm consueuit latior est atque effusior, vt aliquando ad iridis circulum pertingat: vt nonnunquam ab ictu valido oculi visum est contigisse. Estque morbus in genere conformationis, quoniam immodicè pupilla dilatatur, & quantitatem naturalem euariat. Nam cauitates siue obstruantur, siue immodicè pateant, & à naturali mediocritate secūdū excessum recedant, ad conformationem pertinent. Causa huius est humorum influxus siue aceruatim, siue paulatim factus, à quibus rhagoides tunica distenditur, & pupilla diffunditur ac dilatatur: aciesq; eius hebescit. Quod manifestiùs exprimunt alij, qui pupillam dilatari aiunt nimia humiditate occurrente, vueamque membranam relaxante. Arabes aliam causam afferunt, desiccationem vtique vualis tunicæ, à qua & interdum pupillæ dilatatio excitatur: exemplo coriorum perforatorum: quæ cùm exiccantur, illorum foramina dilatantur. Sed hæc minùs contingit, minusque curatur: in eáque rhagoides vt similaris pars tenditur, non humectata, vt instrumentum. Fit quoque pupillæ dilatatio à vulnere, & ea repentè accidit. Fit & à flatibus, vt volunt recētiores. Id mali visui expositum est. Quare alijs notis non eget. Sed pro recessus quantitate ac dilatatione, quandoque in totum visus impeditur. Interdum vident ægri, verùm obscurè, & quæ videntur ab ipsis, omnia minora quàm sint putantur esse, propter visilis spiritus dispersionem: & quia ipsam pupillam vniuersus spiritus implere non sufficit: vnde ipsum diffundi dissipatiq; necesse est. Ac quia visio ab oculo procedens dispergitur, & circulos maiores quàm per bonam valetudinem ad æquam distantiam efficit, proinde amplitudo circuli cum superficie corporis mensurata eandem superat. Si naturalis est pupillæ amplitudo, omnino incurabilis existit: si nō naturalis, ægrè curabilis. Nam vbi tunica vuiformis semel distenta fuerit, induratur, nec facilè contrahi potest, restitutioniq; inepta permanet. Non multum à resolutione pupillæ distat. Accidit præsertim pueris propter tuni-

Pars affecta.

Affectus quid.

Causa.

Signa.

Prognostica.

carum mollitiem atque imbecillitatem: sed & ijs qui natura nigros oculos habent, quia magnis sunt pupillis, ideóque in hanc affectionem promptè incidunt. Si repentè à causa quadam violenta fiat, vt vulnere, tunc disrumpitur extremitas rhagoidis, qua parte rugata est, circa iridem, &

Victus ratio. non curatur. Sat est si vulnus sanetur. Si curari potest, pro eius curatione attenuante victus ratione vtendum est, & exiccante. Ea sit etiam ventri commoda: vino vsque ad exactam sanitatem prorsus abstinendum, & balneo, aut saltem balnei ratior vsus sit. Et vbi æger ad balneum accesserit, capitis lotioni parcendum est. Deambulationes lentæ ac plurimæ seu lenes ac longæ in obscuro loco factæ conducunt. Similiter infernarum partium frictionibus, materia semper deorsum trahenda est. Si adfuerit plenitudo, vena secetur humeralis vel media; aut purgantia pro ratione humoris redundantis instituenda sunt. Quanquam ea nec pluribus vicibus exhibenda, nec vehementer purgantia esse debent. Quæ si fieri nequeunt, venas in angulis oculorum diuidere oportet: deinde cucurbitulas sine scarificatu occipitio admouere, & marina aqua frontem & oculos perfundere, hyeme quidem tepida, sed æstate frigida. Tota etiam facies in aquam mittatur, oculis per tempus quoddam apertis. Quòd si marina aqua non adsit, paruum salis aquæ misceatur: aut posca aquosa assumatur. Oculo.n.

Topica. admouenda sunt exiccantia, quæ non valde calfaciant, neq; refrigerent supra modũ. Medicamenta itaq; supra locũ affectum sint subastringentia, vt rosa, crocus, thuris cortex, spica nardi, pompholyx, spodium, acacia. Alioqui quæ valdè acria sunt, humorum copiam attrahunt, distenduntque membranam, & latiorem pupillam efficiunt. Si verò vehementer astringant, & immodicè frigefaciant, membranas indurabunt, ampliusque contrahent & coarctabunt. In summa quæcunque citra aspritudinem astringunt, atque repellunt, exiccantve, vsurpentur: de quibus est collyrium ex thure, & alia quæ iam dicta sunt: & ex his varia remedia componantur. Si est dilatatio pupillæ à flatibus, & sensim fiat, sunt euacuandi & discutiendi flatus: tum qui in toto corpore, tum qui in oculo geniti sunt. Quare topicis discutientibus addenda sunt hic quoq; aliqua astringentia,

quæ

quæ robur addant; vt si fiat decoctum ad fotum ex semine fœniculi, rutæ, anethi, quibus addantur flores rosarum, rubi, myrti, & hyperici, eaq; decoctio fieri potest in aqua peculi rosarum, vel myrti. Posthæc etiam fiat collyrium spissum ex acacia, hypocistide, tutia, sanguine draconis, inspissando cum pauco vino. Hoc poterit præcauere & curare dilatationem: quæ si iam facta sit, nunquam, vel difficillimè in statum suum redibit; quòd pars illa rugata suã contractionem amisit, ob distensionem internam. Si repentè fiat, vt à vulnere, tantùm tentabimus in principio, ne dilatetur magis fluxu sanguinis copiosi. Quod fit venæ sectione, deriuatione, & medicamentis astringentibus repellendo, & corroborando.

Curatio dilatationis pupillæ à flatibus.

De Tabe pupillæ. CAP. XXXV.

PVPILLAE seu foraminis rhagoidis imminutionem Græci φθίσιν, Latini Tabem pupillæ, vulgus Medicorum constrictionem pupillæ nominat. Id mali est quo pupilla fit angustior, obscurior, atq; rugosior. Differt autem ab oculi macie seu atrophia, quòd in hac totus oculi bulbus, minor angustiorq; efficitur. In ea igitur affectione oculus secundum pupillam laborat, cornea nihil affecta, & ad malam conformationem in genere reducitur, in specie verò ad cauitatem seu viam, pupilla in seipsam concidente, & propterea minori reddita, seu imminuta. Causa eius est densatio, seu potiùs siccitas, & corrugatio: (Hinc est quòd magna ex parte periculosas imbecillitates ab inanitione & vehementissimis capitis doloribus comitatur) vt si humores minuantur, & plus iusto exiccentur, propter aliquam causam exiccantem & astringentem. Fit etiam ab humore relaxante, cùm ea ab humore perfusa vt similaris pars humectatur. Quando enim vt instrumentalis humectata est, tum potiùs pupillæ fit dilatatio, vt superiori capite ostensum est. Ne videlicet quis opinetur ab eadem causa eodemq; affectu rhagoidis tunicę excitari contraria vitia, pupillæ dilatationem & diminutionem. Ampliationis enim causa est coniuncta, tensio rhagoidis: imo

Tabes pupillæ quid.

Quæ pars afficitur.

Quis affectus.

Causa.

naturalis semper bona est, siquidem in minori pupilla colligitur spiritus, constringitur, ac densatur. Si morbi vitio minor sit reddita, multo deterior efficitur, quàm mediocris, quoniam vitiosos sequitur affectus, eoque maximè insanabilis est, si ex tenuis humoris defectu gignatur: minùs autem noxia, si propter vuiformis humorem minor reddita sit pupilla. Nam difficilius est similari cuiuis particulæ cùm siccata est humiditatem restituere, quàm eam cùm humectata est siccare. Igitur si ex siccitate cerebri & animalis spiritus defectu tabes pupillæ contracta est, curationem Mydriasi contrariam expostulat. Quare victus optimi succi esse debet, & sorbilis ex carnium iuribus. Vinum sit fuluum, & odoratum: aut nigrum, dulce. Somnus cibum excipiat etiam meridianus. Balnea conueniunt ex aqua dulci, & captis ex calida perfusio. Supernas partes exerceant: humeros ac manus cum spiritus & respirationis detentione. Iuuat & exufflare & inflare buccas: caput ac facies confricentur diligenter, extremisque digitis oculi contrectentur. Eadem facies calida proluatur. His conuenit etiam maximè à coitu ac fletu abstinere. Caput post frictionem oleo irino inungatur. Deinde palpebris diductis acriori medicamento humiditatem attrahente oculus sublinatur. Ad id Recipe ammoniaci scriptula duo, aloës drachmam vnam, æruginis æris scriptulum vnum, crocidrachmam dimidiam. Ex placitis nostrorum, si à siccitate vel consumtione humoris fiat pupillæ diminutio, non potest nisi longiori tempore restitui: quod fiet bene alendo corpus, & fouendo oculum aqua tepida, cui parum vini adijciatur. Parentur quoque collyria ex mucaginibus & axungijs, vt ex mucagine seminis lini, & axungia anseris vel anatis, quæ palpebris applicentur. Tale est hoc: Recipe pomatæ vnciam vnam, mucaginis seminis lini extractæ cum aqua violarum drachmas tres, axungiæ anseris vel anatis drachmas duas: incorporentur simul, & fiat ad formam linimenti: applicetur palpebris. Si verò humiditate vuiformem relaxante Tabes oculi fiat, adhibeantur medicamenta quæ vim digerendi ac exiccandi citra morsum habeant: expeditque fouere oculos decocto fœnugræci. Item quæ præcedenti capite de pupil-

Prognostica.

Curatio.

læ ampliatione dicta sunt, in hunc locum reuocentur.

De Suffusione. CAP. XXXVI.

Nominum ratio.

Cataracta.

Suffusio quid.

Pars affecta.

Affectus quis.

IAM verò transeundum nobis est ad eam affectionem, quæ iuxta ipsam quoque pupillam oritur, & Græcis ὑπόχυσις vel ὑπόχυμα dicitur, Latinis Suffusio: Arabibus & vulgo Medicorũ Imaginatio, Aqua, Gutta, Cataracta nominatur, eorumq; nominum apud illos ratio diuersa est. Imaginatio enim est tanquam suffusionis principium, in quo videri imaginantur ægri, quod verè non est. Aqua verò & Gutta vocatur, dum in aquæ modum & guttæ suffusio se habet. Nam si currit, & in compressione digiti dispergitur, Aqua dicitur. Dum firmari incipit, Gutta; dum firmata est, Cataracta. Quæ appellatio postrema Aquam descendentem significat: quia existimarunt per aquæ defluxum in oculum suffusionem generari. vnde & aquam descendentem hunc morbũ nominarunt. De nominibus plus satis. Quod ad rem ipsam attinet, suffusio est παρέγχυσις seu affusio, vel quasi σύστασις, id est consistentia, & concretio quædam humorum circa pupillam congelatorum; quæ vbi perfecta fuerit, visum impedit. Per affusionẽ enim aptè describitur, dum ἐν τῷ γίγνεσθαι, seu dum fit, consideratur: per concretionem verò, dum iam facta & confirmata est. Verùm cùm suffusio impediat visionem, oculum in ea affectum esse minimè dubitandum est, & propriè iuxta pupillam, seu inter crystallinum humorem & tunicã corniformem, & cùm per se primò functionem seu τὸ ἰδεῖν lædat, morbus dicendus est: isq; in compositione, ac propriè in numero excedente, non deficiente: connumeraturq; inter morbos qui præter naturam sunt toto genere. Morbus etiam in via dici potest à crasso humore factus, qui partem eam quę est inter corneam & crystalloidem, occupat. Non desunt tamen qui symptoma esse velint, putentq; pertinere in principio eius atque augmento ad corruptam actionem visiuæ facultatis, cùm videntur oculis obuersari quæ non debent, vt postea dicetur. In statu verò cùm ex toto visio perierit, ad actionem ablatam vitius referunt. Humor enim dictus glaciei modo concrescit, & visum aut omnino impedit,

impedit, aut rerum visionem confundit, ita vt non satis distinguere possit earundem colorem, figuras ac magnitudines. Id autem symptoma morbum organicum in via, seu obstructionem à materia vaporosa aut humorali consequetur. Est igitur ferè huius mali causa frigidus, crassus, seu lentus humor iuxta pupillam (vt ex dictis constat) concretus. (Licet aliquando humor serosior sit, vt volunt alij, in oculo propter eiusdem imbecillitatem collectus) Ibi situs impedit, ne crystallinus humor, qui solus à coloribus alteratur, res oculis obiectas præterquam seipsum admittat: simulq; pupillam obscurat. Quanquam discrepat ab ea alteratione quam γλαύκωμα Græci vocant, quæ est alteratio crystallini humoris in glaucum humorem conuersi ab humiditate quadã intra ipsum cõtenta. Quamuis & aliud est discrimen, quòd suffusione laborantes multã aut paucã lucem videant: Glaucomate autẽ vel Amaurosi affecti nullã prorsus lucem ferant. Alijs causa suffusionis esse traditur non modò humor aliquis, sed & vapor qui crystalloidi effunditur. Humor per venulas tunicarũ effunditur in aquosum humorẽ sub cornea: quia oculi humores venis, arterijs, & neruis carent. Vapor autẽ spiritui cõmixtus per neruum opticũ adfertur. & quod parua similitudine ad aliud accedit, quia id ipsum putatur esse sæpe, quæ obuersantur, culices, muscæ, & alia id genuse esse putãtur, forisq; occurrere. Vnde muscas veluti præteruolantes manu abigimus. Sed vt ad cõmunem magis causam reuertamur, si id crassum corpus in rhagoidis foramine existens totũ foramen occupat, vtiq; hominẽ videre prohibet; si nõ totũ foramen obtenebratum est, sed aliqua pars eius pura supersit, per illam quæ extrinsecus sunt, singula per se sola nihilo deterius, quàm antea videbuntur, non tamen similiter vt antea vno tempore multa, eo quòd angustior quàm priùs factus sit visus conus. At si in pupillæ centro exigua suffusio constiterit, reliquis quæ circa sunt partibus pueris existentibus, omnia ijs qui sic affecti sunt veluti fenestras habere videntur. Verùm si diuulsa, nec inter se coniuncta fuerint crassa corpora, quæ iuxta pupillam consistunt, fluiténtque in tenui seu aqueo humore, ijs qui sic se habent tanquam culices foris obuersari putantur. Sæpenumero ex

Causa.

Discrimen inter suffusionem & glaucoma.

crassioris quoque humoris consistentia, tanquam aliquod idolum sibi appareat, imaginantur. Eiusmodi autem idoli imaginatio plerunque incidit, postquam à somno surgũt, potissimum pueris, & ijs qui plusculum biberunt, aut aliâs capite oppleto sunt. Galenus verò huiusmodi symptomata refert ad tenuis seu albuginei humoris qui est in oculo, permutatam essentiam & colorem. Suffusionis enim causam putat esse crassitudinem tenuis humoris, qui pupillæ meatum intercipit, ne possit communicare radius externus cum crystallino humore. (Tenuis is humor albugineus à quibusdam Medicis dictus est, inter rhagoidem & crystallinum humorem, quo crystallinus humor partim fouetur, partim munitur, vt lux refringatur, ne crystallinũ lædat) Præclusa itaque via seu pupillę foramine, (quę via est spiritus animalis) aut etiam radiorũ (qui à reb. externis ad videndi facultatẽ importãtur) quia humor ille albugineus longè crassior seipso factus est, suffusio oritur, & cùm crassior est, visus in totum adimitur. Si parte aliqua naturaliter habet, in multis obiectis vnum aut alterum cernitur, reliqua non videntur. Si qua parte centrum pupillę est, omnia fenestrata & perforata apparent: si partibus alijs crassus, alijs purus, varia simulachra obuersantur, vt culex, musca, & id genus. Et hæc quidem ex Galeno. Accidit & suffusio (vt alias causas tangamus) potissimùm ex perfrictione & imbecillitate spiritus visorij, eoque senes, & longo morbo confectos inuadit. Nam ex frigiditate & crassitudine humorum ac spirituum, id mali affertur. Fit etiam ex vomitu violentiùs concitato. Præterea sæpe nascitur primario cerebri vitio, cùm ex cerebro per neruum opticũ decũbit humor inter corneam & rhagoidẽ ad pupillæ foramen, vt ostensum est. Tumque antecedunt capitis dolores & imbecillitates, Catarrhi, & lachrymarum effluxus. Aut quia cõcrescit humor aqueus senio, aut febre, aut epilepsia, aut melancholia, aut graui aliquo affectu qui præcessit, aut commixtus est. Sæpe etiam fit consortio stomachi, vt in vomituris vomitione critica, & in ardentium febrium vigore, ac Phrenitide per consensum cum cerebro: de quibus paulò post agemus pluribus. Portò suffusio his notis dignoscitur. Visio paulatim hebescit, primumque obuersari

Suffusio per consensum.

Signa.

sari videntur oculis quasi pusilli culices, vel muscæ, vel nubeculæ, vel alia lucentia caliginosaque rerum simulachra, incerto motu huc illuc acta: interdum veluti festucæ, tenuia quædam filamenta, aut telæ aranearum offeruntur. Alijs lucernam intuentibus, cingere eam tanquam circuli quidam obscuriores videntur. Post hæc pupilla turbida esse incipit, & tenebrosa, & malè serena. Denique pro suffusionis ob pupillam figura variæ offeruntur imagines. Tantisper autem hęc interposito tempore crescunt, donec crassescente materia totus aliquis cæcus fiat. Et pupilla quidem pura apparet ijs qui negligentiùs considerant: postea colorem maris refert, aut plumbi: vbi perfecta est, colorem ad albedinem mutat, aut glaucum, & omnino non transluet, plures enim sunt suffusionis colores: quædam aërem assimilant, aliquæ vitrum referunt, aliæ albicantes sunt, aliæ ad cæruleum mutantur, aliæ glauescũt. Omnes tamen suffusione laborantes lucem vident, aut paucam, aut multam, vt suprà ex Paulo relatum est. His verò notis distinguitur suffusio per essentiam ab ea quæ fit per consensum, quòd in ea quæ cõsensu fit per interualla, visa quædam visis propriè suffusorum similia obuersantur ob oculos: idque vel à biliosò humore è ventriculo vapore ad oculos sublato, vel à cerebro fumis ab humore vsto delatis per venas & arterias cum spiritu, vt in Phrenitide ac febribus ardentibus: vel à toto corpore, vt instante crisi. Per cõsensum etiam fieri indicant hæc, si non in altero tantùm oculo incipiat, perpetua non sit, post eruditatem augeatur, pupilla non obscuratur, crisis instat per sanguinis fluorem è naribus, febris viget. Contraria oculum primariò affici demonstrant. Veræ enim suffusiones, neque in vtroque oculorum, neque similiter incipiunt: & si tribus, quatuorue, aut pluribus mensib. transactis oculorum pupillæ purę ac nitidæ apparent, à ventriculo procedunt visa. Quin & si æger molestetur visis, & dixerit mordentem aliquem humorem in ore ventriculi sentire se, atque reiecto humore mitigata fuisse symptomata. Præterea hæc suffusio fit per circuitus, seu paroxysmos. Distinguitur & temporibus vera suffusio. Nam in principio veluti fumus est: quem si acu delere velis, diuulsus recurret; aut in tenues particulas dis-

sectus, visum grauiùs offendet, multiplicia obiecta pro vno repræsentans. Sub statum concrescit in nebulam, tumque ferè sine dolore acu dimouetur à pupilla. Vbi obduruit, acu si pungatur, tunicam simul adducit ac lacerat; vnde periculum cum dolore maximo consequitur. Quibus autem indicijs ea quæ iam concreuit suffusio, distinguitur ab ea quæ nondum confirmata est, ita discernendum venit. Oculo aperto perattentè suffusionem contemplari oportet. In his quibus humor coaluit nondum, fusio quædam ex digiti impressione oboritur, ac primùm latior apparet, rursus in suam figuram & magnitudinem recurrit. At in confirmatis suffusionibus nulla immutatio nec latitudinis nec figuræ ex impressura euenit. Si ferri, aut marinæ aquæ, aut plumbi colorem suffusio habet, moderatè coaluit, & ad eductionem idonea redditur. Si gypso aut grandini similis color suffusionis est, plurimùm & supra modum concreuit. Quibus etiam altero oculo conniuentibus, alterius pupillam dilatari cõtingit, ijs si compunctio administretur, recipiendi visus fiducia est. Quibus nõ dilatatur, horum nemo reuidit vnquam, neque si minimo cum dolore ac commodissimè administrata est compunctio. De his alij scripserunt in hunc modum: Si id quod accrescit, perfrictum deducitur, & sic manens iterũ non contrahitur, tum si æger quoq; visione non caret penitus, sed quædam etiamnum rerum simulachra cernit, itemque si malum nondum tertium, vel quartum, vel quintũ annum superauit, scire licet id nimis recens esse, & acui in idoneũ. Propter vetustatem autem reluctatur curationi, semelque ablatum protinus recurrit, quod clauso oculorum altero nullis aut compressionibus aut perfrictionibus dilatatur, simulque omnem semel visum abstulit. Cæterùm id tutò curari potest, quod vbi perfricatur, deducitur, iterumque rediens iungitur, coloremque exhibet obscurè albũ. Nam quod nigrum, vel liuidum, vel vehementer flauum est, id neque medicina, neque acu curari potest. Quod reliquum est, suffusio iam incipiens digeritur. Vbi vero diu constitit, digeri nullo pacto potest. Ergo antequam consistat, suffusione tentatis succurrendum est. Omnes incurabiles sunt suffusiones quę glaucescunt, cùm eæ fiant ab humore

Prognostica.

iuxta

iuxta pupillam congelato & reficcato. Et quę suffusio oculis propria nihil vnquam materiæ concrescentis intuentibus exhibet, sed penitus serena est, ea perpetuã cæcitatem inuehit, nullumque remedio locum præbet. Eam quidam guttam serenam vocant. Ad eam demum cataractã medicina instituenda, in qua nulla desideratur ratio neq; cõcretionis, neq; magnitudinis, neq; loci & motus, neq; vlla fontis perennis affectionis melancholicæ, nec Epilepsiæ, aut obstructionis nerui optici excusatio possit adferri. Si præcessit aliquis morbus acerbior, capitis dolor, vel ictus, aut etiam si hæc adsunt, peior suffusio est. Ætate media faciliùs curatur suffusio: prima & extrema difficiliùs. Cœlo sereno, tranquillo & temperato commodiùs curatur, & luna decrescente, vt addunt Astrologi. Coëunte verò, aut eadem plena, atque vbi est in ariete, vel alijs eiusmodi signis, curationem differunt. Vbi igitur curanda est, præscribatur victus ratio attenuans, & exiccans. Aër propterea ad calidum siccum declinet, qualis est æstiuus, aut qui talis arte, igni, & suffitibus paretur, si desit. Somnus sit breuior consueto. Exercitium moderatũ, præcipuè infernarũ partium, aut eius loco frictiones earum adhibeantur. Alui plenitudinem, ebrietatem, & literarũ lectionem deuitent. Quotidie ieiuno ventre caput anterius retrorsum pectine scalpant. Cibis vtantur boni succi, & qui parum humectare valeant, nec non ijs qui extenuandi vim habent, vt hyssopo, pulegio, satureia, sampsucho, fœniculo, betonica, saluia, & reliquis. Quin & ieiuniũ, & abstinentia huic malo plurimùm conferunt. Quòd si die semel comedisse his nõ sufficit, saltem leuiùs cœnent. A iusculis abstineant, & à vino, præsertim per totam curationẽ, cuius loco pro potu aquã mulsam, vel anisi decoctum, & cinnamomi bibant. Assa elixis meliora. Ab omnib. caput replentib. caueant: itemq; à balneo (nisi quis alterius occasionis causa ad lauandum cogatur) in quo paululum insideat, citoque exeat. Ab oleribus abstineant, à piscibus, à fructibus viridibus & oleaginosis, auellanis, amygdalis, pinearum nucleis. Hæc enim caput tentant, fumisque replent. Legumina quoque omnia fugienda sunt, & potissimùm fabæ, eæque recentes potiùs quàm siccæ. Piperata omnia, & odorata nocent.

Victus ratio.

Postrema mensa drageta vocata vtantur ex anisо, fœniculo, coriandro. Frequenter pedes abluere iuuat. Reliqua pars curationis est, vti sanguis circa initia ex cubito extrahatur, incidaturque aut media, aut externa seu humeralis, aluo priùs mollita. Fit autem venæ sectio, præcipuè si plenitudo magna, vel inflammatio apparet, quæ aliâs omittitur, ne per eam refrigeratum cerebrum aquas largiùs accumulet, ac in oculum transfundat, néue exhauriatur spiritus, à quo suffusio discuti deberet. Dein humores apparantur melle rosato, oxymelite, syrupo stœchados, aut hyssopi, cum duplo aquarum fœniculi, maioranæ: & sacculus lineus puluere maioranæ plenus oculo ac naribus admotus multum iuuat. Aquosa materia vacuatur pilulis lucis, coccijs, sine quibus, agarico trochisсato, pilulis de agarico: mastichinis, alephanginis, de hiera, assaieret. Sæpius (inquam) materia vacuetur, semel, bis, ter, quater, si opus erit. Fiant & auersiones acribus clysteribus, balanis, & fotibus partium extrematum per aquam calentem: atque harum ligaturis dolorificis, cucurbitulis occipitio affixis cute incisa, sanguine ex fronte vel naribus missо: item apophlegmatismis, vel errhinis (sed his rariùs) phœnigmo, cauterio in coronali, vel prope aures, Setone quem vocant ceruicibus affixo è regione oculi affecti. Si natura corporis ferat, decocto aliquo siccante, vt guaiaci, chinæ, sarzæ parillę vtendum est. Et manus sępe ac diu clausas si tenebis in lecto vel alibi, vt largiùs sudent, & sudorem crebrò terseris, omnia capitis & thoracis vitia materialia multùm iuuat. Materiæ quoque reliquias dissoluunt & dissipant partim sumpta hora somni, vt cùm cibi vapore vis eorum in cerebrum & oculos rapiatur: (Tales sunt compositiones exiccantes, vt theriaca vetus, mithridatium) partim admota, corpore tamen toto atque adeo capite ipso exquisitè vacuato. Nam hæc in oculum vapores nouos, & aquas largiores qua vi digerunt, etiam traherent. Caput ergo resiccetur sacculis, suffitibus, lixiuijs ac puluere capitali insperso sincipiti. Et ne vapores ascendant, præscribatur puluis vtendus à pastu. Clementiora verò collyria primo loco admoueantur, vt sensim oculus vehementiorib. assuescat: fœniculi, rutę aqua, vel succus depuratus per residentiam,

Medicamẽtorum ratio.

Topica.

aqua

aqua ex melle destillata, quæ mirè terget Albuginem ac maculas oculi & faciei, puluis sacchari candi, sagapenum vino granatorum dissolutum, vel aqua rosarum, fœniculi, mellis destillati, & lacte, & albo oui, & saccharo cando: puluis capitum hirundinum, vrina pueri nondum polluti cum pauco fœniculo destillata, ossis sepiæ puluis oculo immissus. Eodem spectat puelli halitus, qui ieiunus fœniculum masticarit, ab ægro oculo excipiẽdus. Fella his sunt valentiora, eaque tentanda, sed priùs quæ sunt mitia, qualia piscium, suum, agnorum, gallinarum, perdicis: deinde acria, vt auium prædacearum, accipitris, aquilæ, falconis. Sunt & valentia, fel tauri, fel bouis, fel apri. Collyrijs ex melle, succo fœniculi additur aliquid fellis lenioris, aut fortioris, habita ratione mollitiei, duritiei, temperamenti oculi. Alia enim remedia pueros aut senes, rusticos & vrbanos, cæruleos & fuluos oculos, cæsios & nigros iuuare possunt. A fortioribus si mordetur oculus, statim oui candido, aqua rosarum, aut lacte muliebri temperãdum malum est. Recentiores primùm fouent partem decoctione simili, ℥. seminis fœnugræci ʒ ij herbæ fœniculi, vel seminis eiusdem, herbæ euphrasiæ ana m. ß. rutæ tertiam partem m. j. fiat decoctio, in fine cuius adde florum chamæmeli, melissæ, & folliculorum sennæ ana ʒ j. foueatur pars: vel fumum recipiat, aut vaporem ℥. mellis optimi ℔ j. piperis ʒ ij. destilletur in alambico vitreo, & aqua seruetur vsui, quæ inijciatur in oculum. Ea pueris, & delicatis, & laborare incipientibus hoc morbo cõducit. Collyrium. ℥. liquoris stillatitij fœnugræci ʒ ij. liquoris stillatitij euphrasiæ ʒ j ß. sagapeni ʒ j. pompholygos ʒ ij. misce. fiat collyrium. Item ℥. myrrhæ & piperis partes æquales cum melle. Si nondum absoluta est suffusio, supradictis curatur. Si est absoluta, acu puncto ad angulum paruum oculo deturbetur. Sed de manus administratione plura vide apud Paulum, Celsum, & alios. Si affectus est per consensum, pituita ex ventriculo apparata purganda est, si ea vapore suo visioni officit. Si bilis visa vapore excitat, ea mox vomatur. Alioquin deijcienda potiùs est cholagogis. Deinde oculo prospiciendum est.

De obscuritate seu offuscatione oculorum, & eorundem hebetudine.

CAPVT *XXXVII.*

Amaurosis quid.

AMAVRΩΣΙΣ Græcis, visus obscuritas, seu debilitas, seu offuscatio Latinis: est visus obscurus à causa occulta, seu perfectum visus impedimentum, nullo manifesto affectu in oculis apparente, & pupilla planè pura & incolumi. Neque enim vitium in oculi tunicis apparet, nec pupilla amplior aut astrictior est, sed vitium est internum, in ipsa spirituum, humorum, tunicarumue alteratione, vt dicetur. In hocq; affectu omnino vel magna ex parte visus

Ἀμβλυωπία quid.

aufertur. In quo differt ἀπὸ τῆς ἀμβλυωπίας, id est ab obtusione, seu hebetudine, in qua minor tantùm visus notabiliter redditur. Hebetudo enim est quædam videndi obscuratio ab aliqua causa immanifesta proueniens, differuntque prædictæ duæ affectiones sola intensionis ac remissionis ratione: communicant autem, quod vtraq; paulatim irrepit; interdum etiam repentè ingruit. Læditur in

Partes affectæ.

ea oculus, quauis non manifestè, idque secundum varias partes, secundum spiritum visiuum, aut secundum tunicas,

Affectus quis.

aut secuundum humores, vt dictum est. Verùm quouis modo generetur, symptoma est in genere noxę sensibilis functionis visiuæ, eritque ablata, vt plurimùm, vel diminuta, & quoduis morbi genus intemperiem, malam compositionem, & solutionem continui consequitur. Causæ enim

Causæ.

offuscationis sunt (si paulatim fit) obscuritas, crassities, & imbecillitas spiritus visiui, corrugatio & densitas tunicæ, crassities humorum, obstructio à crasso & viscoso humore alicubi impacto, cuiusmodi sæpe contingunt ex longo morbo, mœrore, senectute, aliisque præterea causis omnibus. Crassi humores & lenti, oculum & humorem crystallinum occupant, vel opticum neruum. Externæ causæ sunt frequentes cruditates, crapulæ, insolatio, capitis inustio, refrigeratio à ventis valde refrigerantibus, multa lectio minutarum literarum à cibo, balnea & vomitiones, concubitus immoderati intempestiuique, terræ effossio quæ depresso fit capite, & magni ponderis eleuatio, spiritus violenta cohibitio, vt tubicinibus frequenter accidit, à quibus

omnibus

omnibus caput valde repletur. Præcedunt & capitis morbi, destillationes, lachrymarum magna effusio. Accidit & nonnunquã obscuritas ob vehementes capitis plagas, aut casum è sublimi loco, neruo visorio resoluto, aut contuso, aut ob ingentem concussionem humorum multitudine illata, & neruum visorium obstruente, hæcq; affectio confestim incidit, vel est secundum visuos duntaxat neruos, læsio seu obturatio à crassis & viscosis humorib. confertim in ipsum illapsis, vel eorum neruorũ resolutio. Hancq; affectionẽ oculistæ, & Barbari propriè Guttam serenam appellant, qua nonnulli repentè obcæcantur. Eędẽ sunt causæ hebetudinis, sed imbecilliores. Supradictas omnes causas quidam in paucas conferunt. Si, inquiunt, visus obscuritas repentè oriatur, & grauitas capitis adfuerit, dolorq; ad oculorum radices pertinet, obstructionem affectionis causam esse certum est. Si sensim acciderit, eius causa obstructio non erit, sed siccitas quę visorium spiritum imminuit, aut oculi tunicas condensat, aut humores oculi exiccat, aut neruum opticũ coarctat, vel humiditas spiritũ animalem, oculi tunicas & eiusdem humores incrassans. Dignosces autem hæc suis notis. Nam si æger nihil omnino videt, vel diminutè, sed semper æqualiter, & vno oculo clauso alterius pupilla non dilatatur, nullo scilicet in eam irruente spiritu, signum est spiritum transire non posse ad oculum per neruos opticos: aut si transeat aliquis, non sufficere tamen ad illustrandum oculum: idque fiet vel vitio cerebri, vel meningum, vel nerui optici. Si vitio cerebri spiritum non suppeditantis aut corrumpentis, vt post longum morbum & in senectute, simul cum visu cæteri sensus afficiuntur. Si in meningibus, ad oculorum radices percipietur dolor, aut grauitas: sin minus, in neruo erit vel resolutio, vel obstructio, vel contortio. In contortione vident obliquè: in obstructione si perfecta sit, nihil: sin minus, parum. (Obstructio fit à vaporibus crassis, non solùm ab humoribus, vt visum est in puella repentè facta cæca, quæ post iniectionem clysteris statim visum recuperauit) At in neruorum resolutione tardè mouebitur oculus, aut non mouebitur. Si à violenta plaga in caput facta, aut ex casu à cerebri connexu ruptus fuerit, primùm oculus

Gutta serena propriè dicta.

Signa.

prominentior fit, dein cauatur & non alitur. In ſpiritibus affectiones quæ viſus offuſcationem generant, ex eorum naturali conſtitutione deprehenduntur. Debent enim moderati eſſe in ſubtilitate, craſſitie, fulgore, obſcuritate. Si præceſſit longus morbus vel ingens mœror, indeque facta eſt humorum ac ſpirituum diſſipatio, quam veluti corrugatio oculi ſequitur, ex ægris, vel aſſidentibus audies: quemadmodum & externas cauſas ab iiſdem cognoſces. Craſſi humores grauitate noſcuntur, & præcedente victus ratione. Paulatim offuſcatio ſi fiat, nõ admodum difficulter curari poteſt, vt neque hebetudo, niſi ſenioribus accidat. Nam à moderatis cauſis, & nõ ab immodicis ortũ ducit. Verùm ſi confertim ob violentas ſcilicet plagas, aut caſus ex alto, omnium mitiſſima erit ea quæ fit ex humorum copia illata propter vehementem concuſſionem, & viſiuũ neruum obturante; deinde quę à craſſis humoribus, & quę fiunt ob vulnus illatum deſcendens in partes profundas oculi, & neruum opticum. quanquam hæ ferè omnes nullo pacto curantur. Si enim perſeuerauerit viſus obſcuritas ob aliquam obſtructionem, partes concidunt, cùm ſpiritus amplius non recipiant, quę cauitates poſtea difficilimè dilatantur, vt notant iuniores. Obſcuritas ſiue ſenſim, ſiue confertim fiat, hac victus ratione curetur. Aër moderatus ſit, vel parum ad ſiccum vergat. Somnus quoque modicus, non diurnus. Aluus mollis & ſolubilis: quod procuretur per cibos ad idoneos cùm opus erit, ijdemque ſint euchymi, facilis concoctionis, partes ſolidas humectantes, nunquam craſſe facientes, ſed potiùs tenuantes. Potus ſit aquæ potio, mulſa, cinnamomi decoctum, Guaiaci decoctum ſecundum: vinum autem fugiatur. Exerceant omnes partes infernas, & in vmbroſis locis deambulent. Caueant ab aſſiduo coitu, capitis inſolatione, motu à cibo, ſicut nec ſcribant, nec legant. Balneum quoque vitent, iram, indignationes, curas pertinaces, vehementes perturbationes ac timores, præſertim poſt cibum. Quin & aſſiduum vomitum fugiant. Quod reliquum eſt, ſi repentè inuaſerit affectio, & corpus plenum eſt, ſecetur vena cubiti humeralis, vel media. præſens enim auxilium eſt venæ ſectio. Interpoſitis aliquot diebus deinde faſcia collo circumdabitur,

Prognoſtica.

Victus ratio.

Reliqua curatio.

bitur, & constringetur. Postquam venæ frontis eleuatæ fuerint, rursum soluentur, & id sæpius, quò per spiritus motum humores obturati violenter concutiantur. Dein angulares ab vtraque nasi parte eleuatæ venæ secentur. Sanguis enim si mittatur à venis quæ sunt in angulis internis oculorum, priùs deligato collo, ac priùs soluto bis aut ter, concussione sanguinis, & agitatione ipsius & capitis facta, humor crassus obstruens paratur ad exitum. Confestim etiam cucurbitula occipitio affigenda est cum scarificatione. Nam contingit plærunque statim incumbente adhuc cucurbitula, hominem respicere. Hirudines quoque temporibus admouentur, inferioréque partes perfricantur; postea reparatis viribus corpus totum purgare expedit per pilulas coccias, sine quibus, lucis, succis coctis & apparatis, vt cap. de suffusione ostensum est. Et si protelabitur affectio, errhinis, apophlegmatismis, & sternutamentis vtendum: de quibus in superioribus plus satis. His malum si nõ cedat: præsertim si est ex multis & crassis succis, sinapismi vsus in capite non erit alienus, & cauteria occipitio commodè poterunt admoueri: Collyria denique è stillatitijs liquoribus fœniculi, rutæ, chelidonij, melle, pipere longo, aloë, pompholyge, myrrha, ammoniaco, sale, & similibus parata. Sin visus obscuritas sensim accidit: itidem sanguinem mittemus è venis angularibus, si pauci sanguinis æger fuerit; sin multi, ex humerali priùs auferatur. Cucurbitulæ infigantur, corpus purgetur per modò dicta. Caput item per errhina, & alia commemorata. Illinantur oculi primùm per simplicia, vt mel, oleũ vetus, deinde per composita; vt per huiusmodi collyrium: ℞. croci ʒ j. myrrhæ tantundem, piperis gr. xv. spicæ ℈ j. ammoniaci ʒ j. cum succo fœniculi, & melle paretur. Sed ante eius vsum adhibeatur fomentum per spongiam in aqua marina tinctam, aut in eam facies immittatur. Omnẽ verò offuscationem omne fel sanare creditur. Ad visus hebetudines & suffusiones incipientes valet cinis lumbricorum terrestrium cum melle. Aliud: Mel, oleum antiquum, & succus fœniculi in vase æneo misceantur, & seruentur. Si ob spirituum paucitatem, aut crassitiem est obscuritas, vt post morbos qui fuerunt cum magno fluore sanguinis, aut alui, aut sudoris,

& in senibus ob spirituũ paucitatem & instrumentorum siccitatem, quæ ea corrugat, in tali causa sanguinem restituere oportet optima victus ratione, sumendo quæ bene nutriunt, & vacant excrementis. tum vinũ aqua dilutum iuuat, præsertim album, & quod caput non tentat. Si siccitas hebetudinem effecerit, balneum aquæ dulcis maximè ex vsu esse videtur. Cauendum ab austeris & astringentib. omnibus sumptis, & admotis. Caput aqua calida commodè irrigatur. Oleum amygdalarum dulcium, oleum dulce in nares immittitur. Oculi vapore aquæ dulcis fouentur. Lac muliebre è mamma in oculum instillatur. Cinnamomum, semen fœniculi alimentis admisceatur, vt ptisanæ, iusculis. Si à spiritus crassitie est, tunc alimentis vtendum attenuantibus, & cauebimus vacuationes magnas, quæ substantiam spirituum dissipant. Decoctis etiam tenuantibus, incidentibus, & leuiter detergentibus vti erit commodum: quorum descriptiones vide apud recentiores. Si ob tenebrationem humorum oculi fiat visus obscuritas, collyria detergentia, & quæ descripta sunt ad dilatationem pupillæ à flatibus, erunt ex vsu: quemadmodum & si quod est vitium in cornea, sua est curatio. Hæc enim omnia iustum commentarium exposcerent. Obstructio à crassis vapotibus, vt fit in ijs qui in aluo excrementa diutiùs retinent, & malè concoquunt, frequenter curatur laxantibus, vt pilulis de hiera cum agarico, & huiusmodi.

De Nyctalope. CAP. *XXXVIII.*

Νυκτάλωψ. SVPEREST explicandum aliud oculorum vitiũ, quod Græci Νυκτάλωπα vocant, Nocturnam cæcitudinem Latini. Non modò verò *νυκτάλωψ* est affectionis nomen, sed & eum qui dicto affectu laborat, significat: quasi sit τῆς νυκτὸς ἀλαὸς, id est noctu cæcus, ἀπὲ τῦ λάμ, quod videre est. Lusciosum Plinius vocauit. Sed id nomen *μυωπι* etiam conuenit, seu ei qui à primo ortu oculis propiùs admota videt, eaque propè oculis contingit, & limis semiclusisque oculis aspicit, etiamsi parua sint, remota verò quanuis magna videre non potest: & hoc vitium est congenitum ab imbecillitate spiritus visiui, seu à

Luscioſum.

Μύωψ.

natiuitate.

natiuitate. Νυκτάλωψ verò ex morbo talis euasit. Luscio-sus autem qui est, idem & luscitiosus & nuscitiosus dicitur. Nyctalopia igitur est malum, quo homo interdiu cernit, sole occidente obscuriùs, noctu omnino nihil. Quia igitur videndi functio læsa est, oculum læsum esse euidens est. Est hæc affectio in genere noxæ functionis animalis sensibilis diminutæ, vel debilis, non ablatæ vel deprauatæ. Accidit que propter imbecillitatem capitis, & maximè propter visiui spiritus crassitudinem, itemq; reliquorum oculi humorum, ac tunicarum. Siue, vt recentiores tradunt, mali causa est crassus humor qui pupillam obstruit, & albū humorem incrassat, atq; visorium spiritum offuscat, ita vt nō sine magna luce ad opus sufficiat. Idem facit imbecillitas ex frigiditate orta. Hoc autem loco dignū est obseruatione, quod huc à iunioribus affertur, & de quo superiori capite meminimus. Spiritus debent esse moderati subtilitate, crassitie, fulgore, obscuritate, paucitate, multitudine, quanuis rarò sat multi esse possint. Qui spiritus multos, subtiles, & lucidos habent, atq; in vnū coactos, nullo aliunde impedimēto accedente, hi omnium vident acutissimè, cæteri sunt præter naturam. Quib. sunt subtiles, pauci, lucidi, subtilitate facilè diffluunt, paucitate resoluuntur, ac luce maiore offenduntur. Si remota intueri nequeūr, propinqua exactè discernunt, obscuriore aëre oblectātur, nec diutius legere, aut oculos in rem aliquam defixos habere possunt: quibus si accedit pupillæ amplitudo paulo maior, parum aberunt à cæcitate: atque hæc est causa μυωπίας. Si pauci sint spiritus & crassi, paucitate hebetior visus est: crassitie obscurior, ob idque egent lumine externo, vt lustrentur: quod nyctalopibus contingit. In quibus verò multi sunt spiritus & crassi, longiùs posita meliùs circunspiciunt, quia opus est multa luce, proindeq; interuallo longiori ad illustrationem. Crassities autem à crassiori sanguine, aut alimento originem habet: sæpe à vaporibus, aut humiditate cerebri. Et si ad maiorem angulum fiat fluxio, è sincipite: ad minorem, è venis post aures atque in temporibus. In his noctu obtusior est oculorum acies, tum quia sufficiente lumine destituuntur: tum quia eo tempore lunæ defluxu humor accrescit,

Nyctalopia quid.
Pars quæ afficitur.
Affectus quis.
Causa.

Quare pleniluuio deteriùs habent. Si qui verò sint qui noctu videant clariùs, id fit vel quia igneos habent oculos, vel quia subtiliores spiritus, qui crassescunt nocturno aëre, & coguntur. Ex dictis colligere est quæ nam affectiones in spiritibus ex eorum naturali constitutione deprehendantur. *Signa.* Et hæc quidem causas spectant. Signis verò nihil opus est, cùm malum ægri relatu & querimonia satis cõstet. *Victus ratio.* Hoc idem vitium in fœminam bene respondentib. menstruis non cadit. Pro curatione victus ratio tota attenuatoria & exiccans præcipienda est. Vitanda omnia crassefacientia. Circa initia à vino abstinendum. Membrorum inferiorum frictio, & deambulatio conueniunt. Caput pectine retrorsum scalpere, & faciem vino abluere vtile est. Postrema mensa coriandrorum semen, anisi, fœniculi exhibeatur. Si æger boni habitus fuerit, secetur vena cubiti externa: dein venæ quæ sunt in oculorum angulis externis. Sanguis enim trahendus est, si videatur in capite redundare, ex venarum inflatione Cucurbitulæ etiam adhibendæ Purgentur postea medicamentis idoneis, vt pilulis coccijs, lucis, & huiusmodi, si vitiosis abundent succis. Clysteribus item aluus inaniatur. Quibus peractis, apophlegmatismis, errhinis, ptarmicis vtendum, è quibus masticatoria magis conueniunt ex pyrethro, cubebis, semine fœniculi: errhina verò minus. Purgationes per medicamenta sæpius repetantur, si malum contumax erit: quibus optimum est addere castoreum, & scammonium. Hoc enim quanquam per se bilem trahit, quoties tamen pituitosis adduntur tenuantia, incidentia, vel liquefacientia bi- *Topica.* liosa, pituitam etiam purgare creduntur. Oculi verò illinendi sunt melle despumato, quo iniecto ad ipsum continendum oculi claudantur, vel oleo vetustissimo similiter illinantur: vel aluminis partibus duabus, salis ammoniaci parte vna trita cum melle, vel lacte muliebri. Fel quoque hirci, vel capræ illini debet. Similiter & sanies iecoris hircini, excepta dum assatur. Idem iecur, aut caprillum comeditur: fel etiam lucij, perdicis, & similium. Conueniunt & quæ cicatrices, vel aspritudines curant. Fit & potus ex chelidonia, ruta, summitatibus fœniculi, seminis seseleos, & fœnugræci. Contrarius affectus est oculorum, in quibus multùm

multùm tenuatur spiritus, & tunicæ rarefiunt, & propterea spiritus dissipatur, ac visus obscuratur, noctu verò colligitur ac sensum mouet. Sed hic affectus rarus est, in eoque robur addendum est oculis.

De Ægilope. CAPVT XXXIX.

Ἀιγίλωψ, καὶ αἰγιλώπη, καὶ αἰγιλώπιον Græcis, Ægilops pariter Latinis dictus, affectus est qui inter maiorem oculi angulum ac nasum oritur: vel est paruum quoddam abscessui simile tuberculum inter nasi os & magnum oculi angulum ortum: ac sæpe in eum angulum rumpitur. Priusquam rumpatur in vlcus, Paulo Anchilops vocatur: eo in vlcus verso Ægilops. Quanquam è recentioribus quidam aliter sentiunt, cùm aiunt Ægilopa inflammationem esse in angulo magno oculi: cùm verò post suppurationem in abscessum migrauerit, Anchilopa dici. Pars affecta sensui exponitur, vt ex descriptione patet. Affectus idem morbus est in compositione primò, in magnitudine scilicet, & propriè in excessu: cum quo intemperies, & soluta continuitas complicatur. Eo disrupto morbus erit in soluta continuitate, cùm de genere vlcerum fit. Veteres dixerunt progigni à vitiosis succis ad prædictam partem delatis, nempe aut à toto, aut à partibus quibusdam translatis. Sed recentioribus Ægilopis causa est tenuis biliosusq; sanguis per temporum, frontis, facieique venas eò insiliens, sicque venam illic conspicuam exedens & corrumpens, vt sanguis in id spatium sub cutem effusus phlegmonem pariat: qua rupta exulcerataque cute, abscessus apparebit: è quo pus per vlcusculum manat. Cuiusmodi tuberculum in fistulam lachrymalem vertitur. Fit etiam tumor ille à lachrymis retentis. Pars ipsa quasi furunculo tumet, ambitus rubore perfunditur, dolor summus viget, isque lancinans, nonnunquam exeso osse vsque ad nares penetrat, atque interdum naturam carcinomatis induit. Intentæ in eo venæ sunt, color pallet, cutis dura est, & leui tactu irritatur: inflammationemque in eas partes quæ coniunctæ sunt, euocat, ipsique oculo propter vicinitatem frequenter eam accersit per na-

Ægilops quid.

Pars affecta.

Affectus.

Causa.

Signa.

Prognostica.

turale foramen quod in oculo habetur. Hoc tuberculum nonnunquam fistulam paruam aperit, vt dictum est, per quam pituita assiduè distillat, idque assiduè malè habet oculum. Affectio hæc ægrè curabilis est propter corporum tenuitatem, & subiecti ossis putredinē seu corruptionem. Ex his eos qui quasi carcinoma habēt, curare periculosum est: eos verò quibus ad nares tendit, superuacuum. neque enim sanescunt. At quibus in angulo est, potest adhiberi curatio, quæ quanto angulo propius id foramen est, tanto difficilior est, quoniam peranguste est in quo versari manus possit, præterquam quòd ab acribus medicamentis phlegmone augetur, & multa liquida pharmaca non tolerat locus, & necessariò ex eis aliquid influit in oculum, neque adhærere huiusmodi queunt citra obligationem, quæ totum oculum complectatur. Hanc verò impossibile est

Curatio.

aliquem per ferre tot diebus, quot ad mali curationem requiruntur. Incipiente igitur inflammatione, victus ratio idonea instituatur. Et pro auersione eius quod influit, incidatur humeralis in cubito lateris eiusdem: frictiones & vincula, aliæque auersiones administrentur. Redundantes etiam succi vitiosi medicamento leniente purgentur. Quo tempore medicamenta repellētia circa partem affectam adhiberi possunt: dein ad discussoria medicamenta citra mordacitatem veniendum. In quem vsum probè facit medicamentum ex glaucio, & croco, vnà cum parietariæ succo. Hoc medicamento curantur incipientes Ægilopes, & nondum in pus conuersi prohibiti sunt sæpe, ne in suppurationem verterentur. Præterea alica in aceto trita & probè cocta non solùm incipientes & in pus mutatos perfanat, rumpitque, & ad os vsque descendit. Ruta cum lixiuio quod primò distillauerit contrita, cocta, & imposita, egregiè huic malo medetur. Cochleæ cum testis suis tritæ imponuntur: interdum aloe vel myrrha admixta. Hoc enim valde desiccat. Thus quoque cum stercore columbino recenti impositum iuuat. Hæc quidem à veteribus probata sunt. Sed alia curandi methodus iunioribus est vsurpata. Quia paruus est hic tumor,

Secundum recentiores.

& sensim fit, negligitur, nisi dum per defluxionem fit, & dolorem excitat. si fiat sine dolore, & sine inflammatione est,

ne est, purgatio tum sufficit: & aliqua digerentia supra tumorem apposita, vt emplastrum diuinum, cæroneum, diapalma, & similia discutientia vt diapalma. Si per defluxionem repentè fiat, tumor maior est, & cum dolore, tunc mittitur sanguis, & parti adhibentur repellentia, quæ in cantho, & supra buccas & maxillam inferiorem vsque ad aures extendantur, per eas enim partes materia defluit. Cucurbitulæ etiam supra iugulares venas apponantur. Si dolor vrget, sedetur pomo cocto in lacte, vel lac mulsum injiciatur. Confert & mucago psyllij & fœnugræci simul mixta, & extracta cum aqua violarum, & supra tumorem appositа. Diligenterque inspiciendum est, num tumor sit suppuratus. Nam citò suppuratur. Obid confertim partem aperire oportet, ne materia diutiùs retenta sinum faciat, & os lædat. Quæ si pauca sit, per canthum expurgabitur citra dissectionem. Si maior fuerit, vel diutiùs retenta, vel per decubitum tumor factus est, ferro aperire oportet. Quòd si morbus recidiuus est, post apertionem factam nouacula, eligendum qua parte os carioſum fuerit, & in ea cauterium adhibendum. Procurandum postea, vt eschara decidat: & siccioribus medicamentis atque astringentibus inducenda cicatrix, vt partes illæ laxiores constringantur. Solet enim hæc affectio accidere ijs, quibus sunt hæ partes humidiores, & mulieribus. Ab alijs particularia hæc remedia describuntur: initiò repellentia, quale est: ℔. succi solani ʒ vj. thuris ʒ ij. Postea discutientia, vt farina erui cum melle. Et si transijt in suppurationē, nec sponte rumpatur, auro candenti aperitur. Post rupturam medicamenta abundè resiccantia adhibentur, antequam malum os subiectum inficiat, & pars temperaturam amittat. In id ℔. aluminis tenuissimè triti ʒ j. resinæ terebinthi ʒ j. hoc vlceri immittatur. Cùm os semel affectum fuerit, fistula lachrymalis candenti auro vel ferro opus habet. Cæteri oculorum affectus, si qui hîc prætermittuntur, ad opus chirurgicum spectare magis videntur: vel ex superiorum morborum curatione intelligi possunt.

Cauteriũ.

De dolore aurium. CAP. XL.

EXPLICATIS oculorum affectibus, ad eos qui auribus accidũt, iusto ordine transibimus. Inter quos quoniam ἀτραλγία Græcis nominata, Latinis aurium dolor, potissimùm ad se curationẽ trahit, meritò ab ea affectione exordiemur. ἀτραλγία igitur tum ab affectu, tum à parte ipsa affecta nomen habet. Hic autem intelligitur dolor nõ tantùm qui est in euidentibus auriculis, seu sola cute circa meatum: sed potiùs qui altiùs neruũ auditorium exercet, seu qui affligit in profundo auditorij meatus, ad quem locum neruus auditorius peruenit, non longè à cerebro: cuius audiendi meatus finis, vbi neruo dilatato coniungitur, proprium ac primum est audiendi instrumentum. Cæteræ partes eidem vsum præstant: quæ etiam lædi possunt: quemadmodum & facultas læditur interdum, sed vehementior dolor est, si in profundo fiat, & si non tantùm euidentes auriculæ, sed potiùs meatus ipse afficitur. Portò hic aurium dolor, vt cæteri omnes dolores, vel intemperiem inæqualem aurium, vel continui solutionem, vel vtramq; consequitur, pro varietate causarum quæ earum partium dolores excitant. Quidam enim ex nuda refrigeratione fiunt, à frigidis scilicet ventis, & in peregrinationib. susceptis, aut ex balneis frigidis. Ex calida item intemperie simplici, prægressa quadam insolatione seu æstuatione, aut vẽtis calidis, seu medicatis aquis, in quibus nonnulli frequenter delicijs indulgentes, vel ob commoditatem corporis lauant, oriuntur. Fit etiam auris dolor ex inflammatione interdum solius circa meatum auditorium cutis: interdum etiam in profundo, quando videlicet auditorius neruus ad inflammationis affectum peruenerit. Quomodo & humor crassus aclentus obstruens, & flatulentus spiritus transitum non habens, dolorem efficit. Qua ratione & inflammatio particulas inflammatas distendens, dolorem parit. Sanioſi etiam humores & setosi (vt addunt recentiores in corpore aurium generati, consimiliter & humores mordaces & acres, qui extrinsecus illabuntur, dolorem conciliant. Adde his tum nerui auditorij vlcus, tum vermes qui nascuntur ex

ἀτραλγία quid.

Pars affecta

Causa.

tur ex putredine, contusionem, & rem quampiam extrinsecus occurrentem, vt pulicem, cimicem, caput aciculæ, capillos, festucam, fabam, aliaque eiusmodi. Dolor autem qui est ex refrigeratione, dignoscetur à te, si antegressa ex ægro vel assidentibus percontaberis: vel si præsentia consideraueris: quoniam dolor altè infixus manebit, fixus quidem & lentus, citra grauitatem, distensionem vel ardorē. Vt si ex intemperie calida sit ortus, & ab æstuatione præcedente, sentient ægri dolorem feruidum, sine grauitate tamen, aut vlla tensione. Quòd si frigidi, glutinosi, crassique succi proritent dolorem, eumque potius obstructione concitent, rursus deprehendes cibos & potus pituitosos, ac mali succi præcessisse: nec non temperamentum ætatemque frigidiores esse, similiterque anni tempus, & regionem, ac aëris constitutionem: & de capitis auriumq; grauitate ægri conquerētur. Sed si distensio sola appareat, grauitatem verò in capite vel aure neutiquam percipiant, fueritque antegressa frigiditas, spiritus flatuosus & crassus transitum non habens, doloris causa putādus est: qui haud aliter quàm inflammatio membranas ac partes distendēs dolorem acerbum excitat. Sin verò grauitas, distensio, simul ac calor, & dolor pulsatilis, simulque etiam febricula, eáque continua obortur: inflammatio causa est efficiens doloris acerbissimi, qui ab influxu sanguinis excalfacti originem habet. Auris enim phlegmone gignitur ex acri tenuissimoque sanguine, eaque calore se prodit, & dolore grauissimo. membranas quippe humoris acrimonia pungit: præterquam quòd copia distendit ac diuellit. Si ex ichoribus seu sanioſis in aurium corpore genitis consimiles dolores excitātur: quemadmodum ex mordacium humorum illapsu forinsecus facto contingunt, tunc morsus aderit, & calentis ac mordentis humoris effluxus. Si à vermibus, aut contusione, & aliqua re incidente dolor erit, id etiam ex relatu cognosces: quemadmodum & cognoscitur dolor qui in auditus sensu aliquando mouetur, atque à proprio sensibili fit, (vt obiter hîc aliquid de eo dicatur) vt à voce aspera, grauissima, maxima, celerrima, qualis sonus est tonitrui, à quo sæpenumero inductam surditatem animaduersum est, diuulso auditus instrumento. Sicut con-

Nota.

trà vox leniſſima tardiſſimaque, ſano auditui ſolet eſſe grata. Fatigato autem gratior, ſi præterea ſit exigua: ægrò verò longè gratiſſima, coq; magis ipſum ſilentium, vt iuniores annotarunt. Porrò in aurium affectibus maius quàm in vitijs oculorum imminet periculum. Et quia interdum ad dementiam mortemq; præcipitant, propterea inter initia ijs eſt ſuccurrendum, ne maiori periculo locus ſit. Natu minores ſeptimo die, aut citiùs hoc morbo interimuntur; Natu verò maiores multò tardiùs. Febris enim ac deliriũ minùs eos infeſtant, & aures eis ob id antea ſuppurantur. Sed per has ætates recidiuæ morborum euenientes, plurimos interimunt. Minores verò natu, priuſquam ſuppurentur aures, interimuntur, Siue meatus auris, ſiue alia ipſius interna particula frequentiùs inflammatione tentetur, acutiſſima pericula viciniæ regionis & generis ſubſtãtiæ inducit. Neruus enim qui internã ſublinit auris ſuperficiem, cùm ſit ſenſibilis, validos dolores excitat: vt etiã cerebrum in conſenſum perducat, & febris & deliria ſic affectis obortiantur, interim verò moriantur. (Aurium dolor gignit delirium, quoties fluxio dolorem excitans confertim decubuerit in cerebrum) Dolor autiũ alias auris affectiones audiendi functionem lædentes frequentiſſimè antecedit. Sordes aurium dulces ſunt mortiferæ, quòd ex ſua natura amaræ ſint, & nonniſi per colliquationẽ cerebri dulceſcãt. A natura aliena eſt purgatio per aures, quandoque tamen in infantibus etiam per aures cerebrum expurgatur. Inde cerumen aurium appellatum. Quibus imbecillum eſt cerebrum, & excrementis abundans, ijs diu auris diffluit, manetque interdum ſuppuratio admodum diuturna, qua vel pus album, vel liquidior ſanies excurrit. Fit tamen interdũ ſuppurationis & ſordium genus aliud citra inflammationem ex magna cerebri impuritate, ex multaq; colluuie eò ſibi viam & exitum moliente. Quòd ad curationem attinet, pro diuerſitate cauſarum, ſpeciatim victus inſtituitur: vt in frigido dolore calefaciens ſit cibus, boni ſucci, admixtis melle, pipere, caryophyllis. Potus ſit vinum album, tenue, aut aqua cinnamomi, & dolore à flatu excitato, aniſum addatur. In calido dolore victus ſit refrigerans, vt lactuca, endiuia, potus aquæ hordei. Quòd ad medica-

Prognoſtica.

Cerumen.

Victus ratio.

medicamentorum rationem facit, si dolores à frigiditate oborti sunt, sublata antea si adest causa externa, calfacientia medicamenta quàm celerrimè curant, vt oleum amaracinum, nardinum, costinum, rutaceum, laurinum, de castoreo, vel iuxta recentiores oleum liliorum, nucum, amygdalarum dulcium vel amararum, anethinum, lumbricorum, scorpionum, & id genus: & si ingens perfrigeratio adest, oleum addito pipere exquisitissimè trito. Aut veteri oleo admisceas exiguum euphorbij, (vt olei veteris ʒj. euphorbij obol. j.) styracem, cassam seu calamum odoratum. Confert & irinum oleum. Allium in oleo contusum feruefactum, atque ita infusum, aut magna cæpa exsculpta, oleo impleta, & in feruēti cinere calfacta, atque auribus infusa, prodest hominibus rusticis. Valet etiam oleum in quo cæpa bulhierit, aut cæpæ succus, aut allij succus, cum oleo anethino. Fiunt & fotus ex herbis calfacientibus & digerentibus, vt ruta, betonica, melissa, absinthio, foliis lauri, rosis. Adipes etiam conueniunt anatis, gallinæ, anseris, & aliorum. Succi item herbarum parietariæ, sambuci, matricariæ, absinthij. Si ex calida intemperie, propterea quòd acre aliquid in aurem inciderit, originem duxerit dolor, oui candidum in aurem demissum mitigabit, si paulatim cum lacte muliebri infundatur. Plurimùm iuuantur ex succo perdicij cum modico rosato, aut solani, seu coriandri, vel amygdalarum oleo, vel oleo lumbricorum, aut in quo aselli fuerint incocti. Coriandri succus cum lacte muliebri dolorem tollit. Si quid in aurem inciderit extrinsecus, illud quamprimùm educere oportet, vel fuctu per tubulū, vel frequenter apposita spongia; vel iniecto oleo dulci cum lanæ flocco. Si ex aqua medicata dolor est, circa auditorium meatum, oleum assiduè infundere conuenit, quo ipsum eluamus. Deinde lana molli extergere, rursusque infundere. Iuuantur quoque plurimùm adipe anserino, vulpino. Aqua medicata si pauca fuerit, specillo auriculari cotone vulgò appellato obuoluto educetur, & altero pede auri respondenti subsiliat æger, inclinato in eam partem capite. Deinde lac muliebre, aut album oui instillabitur, aut oleum rosaceum. Si tamen multa aqua fuerit, per eadem curatio ten-

Medicamēta.

tanda, & per Siringam exugẽda, aut per auricularem clysterem. Quicquid autem auribus adhibetur, ad lucernæ vel cæreæ candelæ flammulam calidum esse debet, tamdiuq; instillare oportet, donec aliquid ad exteriorem partem regurgitet. Nihil etiam debes infundere dolore vexatis, neque per lanam instillare quod præster, neque omnino contingere doloris tempore meatum auditorium. At remisso dolore partem dolentem fouere licebit, & injicere salubria tepefacta: postea forinsecus vniuersæ auri mollem lanam imponere. Omnino diligenter caueas, ne quid graue aurem contingat. Si ex flatuoso spiritu & crasso, lentoque humore dolores fiunt, commendarunt veteres quæ obturatione liberant, abstergunt, atque incidunt citra vehementem rosionem, præsertim quibus dolor magnus & copiæ suspicio subest. Cuius generis sunt album & nigrum veratrum, amygdalæ amaræ, omne genus aristolochiæ, iris illyrica, cinnamomum, cassia, centaurij minoris coma, item oleum amygdalinum, & alia quę citra molestiam meatus expurgant, & obturata disijciunt, dissecantque, vt cremor porri, & cæparum succus. Et ad vehementiores aurium obstructiones fel caprillum, bubulum, ouillum instillatur. Capræ vrina infusa valet, fel taurinum, quo floccus imbutus læuigatusq; auri imponitur. Commendatur & cucumis ex aqua calida fota, auriq; demissa. Conducit & vaporatio ex ruta, sampsucho, origano, stœchade, castoreo, & milio. Quæ omnia medicamenta parum tuta sunt, si est humorum redundantia in toto corpore, vel capite. Ea enim priùs deplenda est. Quare crassi humores oxymelite attenuantur, vel syrupo de stœchade, ijdemq; pilulis coccijs & aureis vacuantur. Inter injicienda quæ attenuant & discutiunt flatus, neoterici cum veteribus annumerant allia, cæpas, radicem ari, serpentariæ, bryoniæ, cucumeris agrestis. Possuntque succi horum injici, vel cataplasma ex illorum redundantia pinguedine porci addita fieri. Vel sacculi ex eadem materia implentur, incoquuntur vino acri, cretico, seu maluatico, aut alio vino generoso exprimuntur: admouentur calidi auri, vt inde vapor excipiatur. Dolens auris cotone dicto clauditur, eóque moschato. Pileolis consutis via ad aures frigori præcluditur.

Curatio doloris auriũ à flatu, vel crasso & lento humore.

cluditur. Ab ijsdem commendatur succus porri cum melle, aut aqua mulsa, in qua iris & aristolochia bullierint, aut oleum amygdalarum amaratum, aut oleum de absinthio cum adipe anserino, vel vulpino, aut oleum de styrace. Si dolor est ab inflammatione, statim sanguis ex cubiti media seu humerali vena eiusdem lateris, (idque maiori vel minori quantitate pro ratione plenitudinis) detrahatur, alijsque reuulsionibus vtendum est, vt frictionibus, vinculis, cucurbitulis, clysteribus, humorum fluxus inhibeatur, potissimùm vbi aluus sponte sua non deiecerit. Et si sanguis biliosus redundabit, cholagogis clementioribus vtendum erit. Demum moderata existente inflammatione, rosaceum cum aceto tepefactum adhibendum erit. oleum quoque dulce & calens per specillum lana inuolutum continuo adhiberi potest, aut adeps anserinus, aut vulpinus cum rosaceo. Extrinsecus verò ea quæ dolorem leniunt, materiamque concoquunt, superaccommodare oportet. Si vehemens fuerit ex inflammatione dolor mitigabit ipsum oui candidum tenue cum lacte muliebri tepidum infusum. Rosaceum item cum succo auriculæ muris, polygoni, portulacæ, semperuiui tepidè sæpe instilletur. Vt ℞. succi semperuiui ʒ ij. olei rosati ʒj. aceti ʒj ß. mixta omnia & agitata auri dolenti instillantur. Mitigant & dolorem asselli sub hydrijs stabulantes, seu intestina terræ cum oleo cocta, ac oleum amygdalinum, quod cum aliquo prædictorum misceatur. Vbi maximus & vehementissimus dolor est (ita vt vigilias & mentis turbationes inferat) ex inflammatione, necesse est sensum stupefacientibus vti, cùm videlicet ob dolorem ad mortis discrimen æger tendat: & vtendum ijs quæ leniter stupefaciunt, ne consortij lege cum neruo per quem erogatur facultas audiendi cerebrum offendatur. Neque id sæpe faciendum, sed vbi coactus fueris, semel duntaxat aut iterum offerre conuenit, præsertim si opio vtaris. Misceatur autem opium oui candido, & lacti muliebri: quæ & ipsa per se sæpe aurium inflammationibus profuerunt. Excipiatur opij pars vna, castorei partes duæ, & cum lacte muliebri seu oui albumine, seu vino dulci, aut tepido instillentur. Verbi gratia castorei grana octo, opij grana quatuor. Medicamen-

Curatio doloris abinflammatione.

Topica.

Narcotica.

tum hoc ex castoreo & papaueris succo nõ solùm aurium, sed & oculorum & dentium dolorem sedat, si auribus injiciatur. Verùm eo vtendum, cùm maxima necessitas vrget: alioqui partes lædit ex refrigeratione, & nisi sanitatis tempore easdem partes excalfeceris. Liquor quo hæc diluuntur, ex musto sapa est. Et Philonis antidotum crebrò sic laborantibus profuit, dissolutum lacte muliebri vel sapa, & instillatum ad ʒj. Extrinsecus oleo calido aut nardino, quod anserinum adipem habeat, locus fouendus est, aut rosaceo, aut amygdalino. & fomẽtum fit per spongias imbutas decocto florum chamæmeli, meliloti, fœnugræci, aut cataplasma ex papauerum capitibus in aqua coctis, & fœnugræci, vel hordei, vel lini seminis farina aquæ immissa imponitur. Et si externa auris inflammatione laborat, farina hordeacea, aut triticea, sapæ aut vino dulci incocta, cataplasmatis modo inducatur. Vbi dolor iam inueterauerit, & in suppurationẽ conuerti cœperit, medicamento ex seminis lini succo vtitor, quod vnà cum rosaceo aut chamæmelino solutum instillabis. Quæ quidem omnia ferè ex veterum scriptis petita sunt. Recentiores verò de curatione doloris aurium ex inflammatione hæc tradidere. Is dolor curatur eodem propè modo, quo qui à materia calida oritur, nisi quòd maior sanguinis quantitas detrahenda est. Præterea addenda sunt leuiter astringentia. nec enim hîc tutum est multùm repellentibus vti, etiam in principio, vt nec in augmento & declinatione nimiùm calidis & humidis, quia conseruanda est partis temperies quæ frigida sicca est. Proindeque minùs humectantibus vtẽdum est. Si ad suppurationẽ inflammatio transierit, abstergatur detergentibus medicamentis, & ducatur ad cicatricem. Eam ob causam in statu & incremento, injectionib. & cataplasmatis addatur aliquid mellis, & in declinatione fel aliquod, atque etiam in statu, vt absessus rumpatur. Sin absessus sit frigidus, vtẽdum est oleis, & alijs remedijs calidis. In particulari exercitatione, à principio mitigant dolorem oleo violato, oleo amygdalarum dulcium, & chamæmeli. Postea addunt oleum liliorum, & injciunt in aurem. Parant & cataplasma: ℔. seminis lini & fœnugræci ana ʒ ß. florum chamæmeli, meliloti, rosarum,

Curatio recentioribus vsurpata in curãda inflammatione auris.

rosarum ana p. j. fiat decoctio. contundantur, & fiat cataplasma, addēdo olei rosati & violati añ. ʒ iij. Ad mitigationem doloris parāt etiā fotum, vel iniectionem cum decoctione, vel euaporationē ad aurē. Accedente statu commiscent quæ digerūt, oleum amygdalarū dulcium, liliorum, laurinū, amaracinum. Si ruptus est abscessus, vt abstergatur, medicamenta adhibent ex succo apij, betæ, porri, & cum succo foliorum cucumeris agrestis, vel cum decocto lupinorū, hordei, & cum melle conseruationis fellis vaccę, vel cōmuni. Fit & ab illis suffumigatio ad vlceris exiccationē ex thuris, mastiches, sarcocollæ, gummi iuniperi ana ʒ iij. ladani, hypocistidos ana ʒ ij. ex quib. cum terebinthina fiūt trochisci, & fumus recipitur per embotū vulgo dictū, quod auri applicatur, & non arctè iungitur. Fumus enim non ascenderet sursum, nisi aliquis pateret exitus. Et quia aurium vlcera magna ex parte inflammationes suppuratas sequuntur, vel humorum erodentium effluxum, ex illorum decretis conferunt eis auxilia quæ tergere valeāt, & ob loci temperaturam abundè exiccent. Tale est quod sequitur. Ferri stomoma in aceto teratur, & ad æstiuum solem resiccetur, aut igni admotū donec arescat, bulliat: dein cum aceto & sapa instilletur. Præterea vinū confert, in quo myrtus & malicorium bullierint. Aliud: ℔. aluminis ʒ j. croci & myrrhæ ana ℈ j. cum vino aut mulso. Si vlcera sordida fiāt, & pus fœtidū ab aure manauerit, abluuntur aceto mulso: dein infunditur collyrium. ℔. aluminis ʒ ß. vini albi ʒ iij. bulliāt ad sordiū crassitudinē: cum aceto liquentur, & in aurem infundantur. Plura alia ab alijs vsurpātur.

Auris dolor à vermibus.

Si à vermibus sit auris dolor, in aurē injiciatur decoctum lupinorū, vel succus absinthij, vel decoctū agarici, vel succus persicariæ maioris, & alia quæ vim habēt enecādi vermes. Si animal incidat in auē, aceto & scammonio occidetur, aut succo absinthij. Si semē aliquod incidat, dein ita intumescat, vt extrahi non possit, specilli mucrone diuidatur, & id aut lapillus educetur per specillū lana obuolutū, & terebinthina aut melle illitū: adhærebit. n. atq; extrahetur. Quòd si mar' adhuc fuerit, & extrahi nequeat, Chirurgia opus habet. Si dolor fit à cōtusione, mittatur sanguis ad prohibendā inflammationē. Applicétur & supra partem,

De his quæ incidunt in aurem.

Curatio doloris auris à contusione.

quæ aliquo modo astringunt, nisi fortissimus dolor adsit. Tunc enim dolor mitigetur mollibus, vt si à principio ponatur aliquid olei rosati cum aceto, vel albumine oui fortiter agitato. Potest etiam addi puluis myrtillorum supra partem. Et si dolor fortissimus esset, fiat cataplasma ex oui albumine & vitello fortiter agitatis, additis oleis chamæmelino & violaceo, cum farina hordei, & floribus chamæmeli. Si dolor his non sedetur, fiat aliquod ex præcedentibus cataplasmatis, nempe ex foliis papaueris, hyoscyami, & similium.

De Sonitu aurium. CAP. XLI.

Ἦχος καὶ συρισμὸς ἢ συριγμός. *Aurium sonitus quid.*

VBI aures intra seipsas sonant, vt Celsus loquitur, in vitium incurrunt, quod Græci Ἦχον, καὶ συρισμόν, ἢ συριγμόν, Latini aurium sonitum, vulgus sibilum seu tinnitum appellat. Est autem eiusmodi aurium sonitus, sensus quidam soni intra aures, impediens quò minùs externum sonum excipiant: in eáque affectione læditur meatus auditorius, potissimùm circa eius extremum, nempe vbi dilatatum neruum obtingit. Id enim liquet ex eo, quòd sensûs audiẽdi, qui ea parte perficitur, affectus est. Quanquam aliis primum audiendi instrumentum aër est cęcis aurium meatibus conclusus & quietus, vt sonos omnes externos qui ex motione fiunt, percipere possit: quemadmodũ crystallinus omnium colorum expers est, vt coloris differentias subire possit. Eo quiescente audiendi organo aëris motiones prompte excipiuntur. Moto verò, propriæ quidem motiones sentiuntur, vt sibili, & sonitus: alienæ verò & externæ minimè, nisi deprauatè. Quæcunq; igitur aërem illum cæco spatio in aure contentum sua natura quietum commouere possunt, aurium sonitum & tinnitum faciũt. Hæc autem in inferioribus partibus oriuntur, aut in ipso cerebro, de quo infrà. Ipsa autem affectio symptoma est in genere functionis sensibilis deprauatæ. Nam cùm sentiat audiendi facultas quod sentire non debet, eius actio deprauata dicẽda est: vt fusiùs docuere iuniores. Eius causam flatulentum spiritum statuunt omnes, & cùm plures sint differentiæ eiusdem, sibilus, tinnitus, sonitus, strepitus, omnis

Affectus genus.

Causa.

mnis huiusmodi deprauata auditio ex motu & agitatione nascitur. Nam vt varius est & variè impellitur, ita varios sonitus edit. Sibilus ex flatu tenui exiliter elabente, tinnitus ex illius cursu intercepto, sonitus ex crassiori pleniùs erumpente, strepitus ex impulsu valido. Horum nihil obauditur, si causa interior conquiescat. Sonorum etiam diuersitas accidit partim ex materia aëris congeniti & concluſi, qui vel splendidior, vel tenuior, vel turbidior, vel crassior est, quemadmodum & aer externus: partim ex conditione materiæ quæ ipsum aerem internum mouet, quę vel crassa est, vt crassus flatus & turbidus; vel tenuis exhalatio, & vapor. Eiusmodi obauditionem ad plures causas remotas referunt neoterici. Nam cùm vlcus ab inflammatione, vel abscessu, multo pure manauit, nisi probè coalescat, perpetuum sonitum aut strepitum relinquit: & licet præter naturã flatus nullus subsit, spiritus tamen per arterias impulsus impetu læsum auditum offendit. Quinetiam citra vllam auris offensionem obauditio, id est deprauata auditio, interdum capitis consensu accidit. Et quæ huius est generis, non vt superior in solam aurem impingit, sed per omnes capitis arterias effundi percipitur. Talis existit per summum febriũ ardorem, nec non sine febre, quum è subditis viscerib. calida copiosaq; expiratio in caput effertur. Etenim tum hac, tum flatuoso spiritu distentæ arteriæ vehementiùs pulsant, multumq; calidi spiritus in cerebrum & aures effundunt. Ab his vero sensus audiendi sanus perturbata atq; cõfusa obaudit: quemadmodũ & oculus aliena multa cernit in ea suffusione, quæ ventriculi consortio fit: & hac multi torquẽtur, qui sunt impuris visceribus. Sonitus enim ad aures se habet, vt imaginatio ad oculos. De flatulento spiritu qui intra aurẽ concitatus exitũ inuenire nequit, hæc alij ex recentioribus tradiderunt: quæ dilucidioris doctrinæ causa huc afferentur. Is aut in capite nascitur, aut aliunde transmittitur: sed magna ex parte ex vẽtriculo. In capite generatur ob frigidã aut calidã intemperiẽ veluti causam, aut ob crassos humores, qui copiã materiæ præstant, etiamsi calor, aut parũ, aut nihil à natiuo recedat. A ventriculo ascẽdit per cruditates, ebrietates, repletiones ciborum. Sæpe etiã ad frigidã intemperiẽ capitis accedunt

causæ externæ refrigerantes, vti aër, balneum, & medicamentorum refrigerantium vsus: quemadmodum ad calidam solis æstus, qui vaporum concitatione auriũ sonitum sæpe facit. Ictus præterea capitis externis causis annumeratur. Quandoq; etiam iuxta veteres oritur sonitus ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem. A qua causa nõ potest effici tinnitus, nisi adsit quòd aërem quietum adeò leuiter cõmoueat, vt ab acri sensu percipiatur. Subtilitas verò illa intemperiem siccam, vel calidam simul & siccã sequitur. Ab ea acrior sensus auditus factus naturales vapores ascendentes in caput, aut ex coctione humorum capitis leuatos cum sonitu aliâs imperceptibili agnoscit, vt accidit ijs qui ex morbis febrilibus reualeſcunt: vt pote post Phrenitidem, & calidos capitis dolores. Fit & ratione crisis. Itaq; si à causis externis hoc malum accidit, vt à frigore, æstu, ictuq; capitis, vel ex cruditate, largo vini potu, aut violento & multo vomitu, vel ob pharmacorum auricularium vsum, facilè ex ægri sermonibus dignoscitur. Si ex alijs causis, quamuis certa cognitio earum haberi non possit, artificialem tamen coniecturam ex alijs facere oportebit. Si sonitus nunc cessent, & spatio interposito reuertantur, intelliges ex spiritu flatuoso, cui non facilis patet exitus, prouenire: maximè si præcesserint cibi, qui flatus generare possint, & multæ cruditates, vt quòd propter humores crassos ac viscidos accidat sonitus, inde cognosces, quòd neque repentè oboriatur sonitus, sed paulatim increscat. Insuper quòd etiam grauitas percipiatur, præcesserintq; cruditates, balneorum intempestiuorũ vsus, & alia quæ crudos humores generare solent. Ac si aliquis suspicatus est ob flatulentum spiritum qui transitum non habet, aut à crassis humoribus malũ prouenisse, ac propterea medicamentis quæ incidunt, tenuant, discutiunt adhibitis, nihil profecit, simulq; apophlegmatismis vsus est, & toti capiti prospexit, tunc ob auditus subtilitatem sonitum fieri coniectandum est, præsertim si acuto audiendi sensu æger præditus fuerit. Eius autem certissimũ est indicium, si tempore famis & inediæ increuerit, crapulæ verò & repletionis tempore remissior fuerit. Quemadmodum si ob locorum imbecillitatẽ ortus fuerit sonitus, ex ijs quæ præcesserunt

Signa.

ceſſerunt colligere erit, vt ex præcedentibus morbis quibuſdã, à quibus conualeſcunt ægri. Iis enim accidere conſueuit. Atque ſi in febribus ſonitus fiant, aut earũ criſibus, promtè ex ijſdẽ cauſis progigni dignoſces: quemadmodũ ſi per eſſentiã aures affectæ erunt, ſonitus earũ erit perpetuus. Per ſympatheiã verò interdũ quieſcit, interdũ excitatur, videlicet poſt repletionẽ, aut inanitionem, vel motum, aut vehementem calorẽ, ſeu frigus. Leuiſſimum eſt hoc vitium, vbi ex grauedine eſt, inquit Celſus: peius, vbi ex morbis capitiſue longis doloribus incidit: peſſimum, vbi magnis morbis veniẽtibus, maximeq; comitiali prouenit. In febre ardenti ſonitibus auriũ accedentibus cum viſus hebetudine & grauitate in naribus accedente, melancholico modo mente mouentur. Relicta victus ratione quæ pro varietate cauſarum varianda eſt, eaque ex antedictis ſatis manifeſta eſt, ad curationem per medicamenta veniemus. Itaque ſi à craſſo flatulentoque ſpiritu, aut ab humore craſſo & lento ſonitus aurium excitatus eſt, totius corporis, aut ſaltem capitis purgatio præmittatur: præſertímque vbi craſſi & lẽti redundãt ſucci, purgenturq; coccis cactapotijs, aut ſimilibus cũ agarico, præparati ſcilicet aqua mulſa, vel áceto mulſo, vel ſyrupo de ſtœchade, & decoctis quæ extenuãdi & incidẽdi vim obtinẽt. Proſunt & gargariſmi, & errhina pituitã euocãtia. Auribus verò admouẽda ſunt attenuãtia & diſcutiẽtia pharmaca, vt oleũ amygdalarũ amararum, aut rutaceũ, aut oleũ in quo radix cyclamini aut cucumeris agreſtis incocta fuerit, aut oleũ in quo caſtoreũ tritum ſit, aut in quo cuminũ, anethum, ſeu nardus fuerint incocta, quib. acetũ & mel admiſcebis, ſi vehemẽtiùs attenuare volueris. Aut ſuccus raphani cum oleo rutaceo, aut oleũ irinũ cum ſucco rutæ, aut oleũ de euphorbio: eaq; omnia affectæ auri inſtillentur. Aut aurem inclinent ægri, vt per harundinẽ ſeu inſtrumentum aliud vaporẽ intus ſuſcipiant ex aqua, in qua prius oleo fuerint decocta ſampſuchus, ruta, ſtœchas, abſinthium, hyſſopus, pini folia, & origanum. Aut vaporẽ recipiant decocti ſaluiæ, hyſſopi, abſinthij, rutæ, anethi, ſtœchados, maioranæ, baccarum lauri, ſeminis aniſi, carui: nec non ſacculi ex ijſdem herbis admouẽtur. Parentur quoque alij ſaccelli ex be-

Prognoſtica.

Curatio.

tonica, maiorana, hyssopo, floribus chamæmeli, pini, lauriq; foliis, qui calfacti aurib. imponãtur. Faciunt & ad inueteratos sonitus auriũ, castoreũ, & spica nardi portionibus æquis cum aceto & rosaceo, si instillentur. Porri succus cum lacte muliebri, aut rosaceo quoq; infunditur. Ruta & cuminum pari mensura trita & aceto diluta admisto melle instillantur, aut amygdalarum amararum oleum cum melle mixtum. Cæpæ quoq; & allium, & adeps anserinus pari mẽsura trita & excolata infundũtur. Recẽtiores maximi faciunt oleum quod sic parãt. ℔. colocynthidos ʒ ß. succi rutæ & amaraci ana ʒ j. cumini, carui ana ʒ ij. fiat decoctio in vino & oleo amygdalarũ amararum, quæ decoquantur ad consumtionem vini, & exprimantur omnia, & colentur. vtanturq; hoc oleo frequenter injiciendo in aurem. Semper habeant aures obturatas bombace muscatelino vocato. Aliud præstantissimum remedium, maximè si cum surditate est tinnitus. ℔. radicis hellebori albi ʒ iij. foliorum lauri & rutæ ana m̃. ß. foliorum fraxini m̃. j. fiat decoctio in oleo amygdalarum amararum, vel de Kerua, vel nucum, & cũ vino albo aut maluatico decoque ad consumtionem vini, exprimantur fortiter, & colentur. de colatura injice in aurem. Conferunt & sternutamenta, si frequenter excitentur. Sic non tantùm per aures, sed & per nares flatus cerebri discutiuntur, & donec perfectè curati sint, occludant aurès, maximè quando ventus australis vel borealis flat. Conferunt & pulueres à pastu vtendi, flatus discutiẽtes. Si verò ob sensus audiendi subtilitatẽ sonitus fiat, prædictis pharmacis aliquid ex stupefacientibus sensum admoueatur, velut est mandragoræ, aut papaueris succus, aut rosaceum cum pauco aceto, aut pauciſſimo opio. Aut oleum in quo intestina terræ incocta sint, infundendũ erit, & magna prouidentia semper adhibenda sunt narcotica, minima scilicet quantitate, & à leuioribus semper inchoando. Item oleum violatum in aurem instillatur, aut vapor decocti violarum, aut corticum papaueris: aut olei rosati ʒ ij. opij grana ij. Si hic flatus à ventriculo oriatur, & est per consensum, acetum mulsum bibãt. & deinde purgentur hiera, aut pilulis de agarico. Venter oleo absinthij, aut nardino liniatur. Cruditas vitetur. crurum frictiones

Curatio sonitus ob audiendi subtilitatem.

Curatio sonitus à causis per consensum.

nes fiant. Si in febribus, aut harum iudicationibus fiat sonitus, febres curentur, nihilq; aliud moliendum est. Plurimùm enim statim sedatur. Si à causis externis est sonitus, eæ semoueantur. Si post morbũ, aut capitis dolorem perseuerauerit, absinthij decocto aures foueantur. Acetum & rosaceum infundãtur: aut raphani succus cum rosaceo, aut veratrum nigrum cum aceto, vel aloë cum vino mulso. Si propter imbecillitatem ortus est, vt in conualescentibus, infundatur oleum aliquod temperatũ, vt chamęmelinum, anethinum, rosaceum. Ex quauis causa vbi iueueterauerit aurium sonitus, confert quod sequitur. ℞. seminis porri, caryophyllorũ ana ℈ j. moschi gr. v. cum sampsuchi & rutæ decocto (pauco vino dulci addito) instilletur.

De graui Auditu & Surditate. CAP. XLII.

BAPYΗΚΟΪΑΝ τὸ δυσηκοΐαν Græci vocant affectum, quem nos grauem seu difficilem auditũ appellamus: & quem illi κώφωσιν, nos dicimus Surditatẽ. Eos verò qui ita laborant, βαρυκόους, ἢ δυσηκόους, καὶ ὑποκώφους Græci, Latini grauiter & difficulter audientes, vel subsurdos, vel surdastros nuncupant: κωφὸς verò surdus. Est igitur auditus difficilis, cùm quis exiguas voces penitus non audit, altas & claras vix percipit. Surditas verò, vbi quis nõ solùm grauiùs, sed nihil prorsus audit. Grauis enim auditio & surditas, sola magnitudine distant. Vel Surditas est actio auditus abolita, à causa præter naturam, seu affectio auditui opposita, vt habitui priuatio. His affectionibus aures lædi nemo dubitat, vt ex earum functione læsa euidens est. Sed per se læduntur, si earum audiendi primum instrumentum, aut aliqua alia pars eidem vsum præstans afficitur. (Præcipuum autem instrumentum auditus est extremitas interna meatus auditorij, vbi neruus cum dura meninge exporrectus attingitur, de quo capite præcedenti) Per accidens verò, si earum facultas affecta sit, neruo scilicet per quem facultatem suscipiunt, aut cerebro à quo eisdem facultas transmittitur, perpetientibus. Cerebrum verò læditur ea præsertim parte, vbi oritur quinta neruorũ coniugatio, à qua neruus auditorius est. Aures (inquam) ex accidenti affectæ poterunt dici, si earum facultas læsa est, siue

βαρυηκοΐαν. κώφωσις.

Graui auditio quid.

Surditas quid.

Pars affecta.

ratione nerui, siue cerebri, quoniam eo tempore priuantur eo, quo præsente secundum naturam actionem perficiebāt: ac tum nullum vitium, nec sensu, nec alia ratione manifestatur in auribus ortum: verùm illæso earum foramine, reliqui sensus qui etiam à cerebro facultatem suscipiūt, perpetiuntur. Et aliquis sensus læsionis in cerebro innotescit, eoq; casu cerebrum affectum erit: aut præter audiendi facultatem nihil oblæsum est, & tunc neruum propriū affectum esse conijcimus. Iam quoquo modo orta sit hæc affectio, symptoma est in genere noxæ functionis sensibilis diminutæ in graui auditione, in surditate verò ablatæ.

Affectus quis. Causa.

Consequitur autē intemperiem, vel morbum instrumentalem, vel continui solutionem. Ad vnum enim genus ex his referēdæ sunt causæ omnes, ac eæ præcipuæ quæ ipsum sensuum neruorumq; principium, hoc est cerebrum, malè habent, præsertim qua ex parte ex eo neruus auditorius producitur. Cuiusmodi sunt intemperies nuda, aut vitiosus aliquis humor, vel sensim in cerebro cumulatus, qui habitualem & incurabilem surditatem facit: vel confertim & subitò in ipsum irrumpens, sicuti per febres acutas accidit, apud Hippocratem in Aphor. Quibus biliosę deiectiones, &c. Et, Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum. Pleno enim huiusmodi humoribus cerebro, iisq; ad aures maximè vergentibus, fieri non potest, quin & audiendi potentia vel hebetetur, vel etiam in totū auditu priuetur, & ipse animalis spiritus auditorius impurior, crassior, & fæculentior redditus, ad audiendum prorsus ineptus euadat. Hæ ipsæ causæ possunt esse aëri congenito primo audiendi instrumento, nec non organis auditus communes, & in ipso auditorio neruo, præsertimque meatu eius interno talem intemperiem, tantamque obstructionem excitare, vt nec sonis in aures aditus pateat, nec interno spiritui in ipsum neruum via. Igitur vt ab intemperie, vel bile prædictæ affectiones inferūtur, sic & à phlegmone, ab abscessu, à scirrho, ab vlcere infliguntur. Sed ab humore frigido, crasso, & pituitoso, penitus impacto & conquiescente, crebrior ei origo est. Hic enim omnium maximè sensus omnes, eorumq; functiones cōsopire solet. Obstruunt

& ver-

& verruca, sordes, callus, caro adnata, aut quæcunque incidentia tenaciùs inhæreſcunt, vt lapillus, cimex, nucleus. Si cauſa ſit per compatiendi rationem, tunc vel à toto eſt eſt, ſicut in febribus, ex quibus vapores ad aures feruntur: vel à criſi iam facta: vel à membro particulari propinquo & remoto, ſicut à cerebro & ſtomacho. Vapores à partibus inferioribus mittuntur etiam, cùm alimẽta ſunt craſſa & flatuoſa. Adiuuat & hanc affectionem aëris conſtitutio auſtrina & pluuioſa. In meatu quoque vitium eſt, ſi vitioſam habet conformationem. Item fiunt ſurditates ex paucitate & craſſitie ſpirituum, vel à corporis conſumtione. Prædictarũ cauſarum indicia hæc ſunt. Si à bilioſis humoribus ſurditas, vel ſubſurditas accidat ſurſum vergentibus, de repente potiſſimumque in febribus infeſtant. Bilis proprias notas habet ex calore, & acredine, atq; victu, natura, ætate, habitu bilioſis, nec non tempore anni, regione, aëris conſtitutione ſimilibus. Intemperies frigida partim tactu & faciei decoloratione noſcitur, partim à iuuantibus & nocentibus deſumitur. Si à craſſis humoribus ad aures decumbentibus ſurditas vel ſubſurditas oriatur, cum aurium, tum capitis grauitas aderit, & reliqua quæ pituitoſos humores indicant. Obſtructio à cauſa externa, ex ægri relatu noſcetur. Ab interna cauſa, vt ſi fuerit inflammatio, eius ſignis patet. Scirrhus (qui præcedente inflammatione generatur, & craſſis humoribus ibidem congeſtis) grauitate & obturatione naſcitur, ac diuturnitate. Sordes poſt vlcera magna ex parte accedunt, & à capite tranſmittũtur, capitis dolore præcedẽte. Adeſt quoq; in aure morſus, & pruritus. Callus, aut caro adnata poſt vlcera cõſequitur, & ſpecillo tangitur, & quandoq; viſu detegitur, vti & verruca. Si criſis ratione ſurditas eueniat, morbi capitis aut partium inferiorum præceſſerunt. Adueniente vero ſurditate, aut omnino euanuerunt, aut mutationem in melius fecerunt. Quæ à generatione ſtatim, aut etiã paulò poſt, ſed lõgiſſimæ & abſolutiſſimæ ſurditates conſtituuntur, immedicabiles exiſtunt. Quæ non abſolutæ, ſed diuturnæ, & ipſæ curationem non ſuſcipiunt, aut certè difficillimam. Diuturnæ ſeu antiquæ ſunt, quæ duos annos exceſſerũt. Quæ ex bile ſurſum repentè fiunt facilè ſanãtur,

Signa.

Prognoſtica.

& quæ ſanguinis fluore, aut aluo turbata ſoluuntur. Vt in cauſis iam meminimus. Grauis auditus ſuſpectus eſt, quando paulatim augeſcens, temporis progreſſu perfectam ſurditatem inducit. Surditas curari non poteſt, quæ poſt morbum acutum accidit. Surditas quæ poſt ictum prouenit, ſi per aliquot menſes perſeueret, incurabilis eſt: quoniam cum fractura, vel diſtenſione nerui, & tympani exiſtit. Surdi ab ortu naturæ, muti fiunt. Sed muti non fiunt, qui ex morbo ſurdeſcunt. Surdi è naribus loquuntur magna ex parte, quia pulmo illorũ vitiatus eſt. Surditas enim detrimentum eſt pulmonis Ariſtoteli. Quod ad curationem attinet, ſi ob bilioſum humorem ſurſum vergentem oriantur hæ affectiones, quidam ſua ſponte ab illis liberantur, bile vtiq; inferiùs deſcendente, aut ſanguine ex naribus fluente, vt ſemel atque iterum dictum eſt. Quidam etiam per medicamenta cholagoga exhibita facilè curantur: quorum materia ex alijs locis petatur. Præterea victu conuenienti contemperentur humores bilioſi ac permutẽtur, vt ſæpius oſtenſum eſt. Si verò citra febrem hoc mali contigerit, bilioſo redundãte ſanguine, qui ſurſum aſcendens meatum auditus obſtruxerit, à venæ ſectione curatio inchoanda eſt. Incidaturque humeralis cubiti vena lateris eiuſdem, ſi auris vna, aut altera magis affecta ſit: ſi vtraque ex æquo, ex humerali brachij dextri ſanguis mittatur. Materia apparetur ſyrupo violaceo, nymphææ, endiuiæ, permixto cum ſtillatitijs liquoribus cichorij, acetoſæ, bugloſſi. Purgetur poſtea cholagogis, rhabarbaro, electario de ſucco roſarum, & conſimilibus. Remedijs localibus deinceps vtendum. ℥. olei violacei & nymphææ ana ʒ j. miſceantur: duæque guttæ tepidæ in aures manè & veſperi inſtillentur, vel ℥. ſtillatitij liquoris lactucæ, aquæ vitis quæ defluit cum putantur vites, ana ʒ ij. duæque guttæ injiciantur. Aut de lacte muliebri cum oui albo permiſto ſimiliter fiat. aut, ℥. collyrij albi ſine opio q. v. miſceatur cũ muliebri lacte, eodemque modo vtere. vel ℥ florum violarum, foliorum ſalicis, foliorum maluæ & althææ, foliorum lactucæ ana m̃ j. Decoquantur in aqua. fumus per infundibulum recipiatur. Si ex crudis & craſſis humoribus ſurditas ſit, vel grauis auditus, vniuerſa victus ratio ſit attenuans,

Curatio ſurditatis à bilioſo humore.

Topica.

Surditatis à crudis &

nuans, boni succi, & coctu facilis. vitent olera, fructus viri-
des, vinum nouellum, lac, & quæcunque vapores capiti
mittunt, caseum, pisces crassæ substantiæ. Bibant aquam
cinnamomi, aut anisi, aut vinum antiquum. Anisum & cu-
minum cibis admisceant. Aërem eligant calidum & sic-
cum. Capitis vtantur frictionibus à purgatione. Si nihil
prohibeat, incidatur vena media, aut externa cubiti, potis-
simùm si recēs est affectio, aut cum sanguine dicti humo-
res permisti sint. Purgatione verò vtendum erit, qua ne-
dum totum corpus, sed & caput ex eiusmodi succis inani-
atur: eaque non semel tantùm, sed bis ac sæpius (si res exi-
get) repetatur. Conuenient igitur, oxymeli simplex, syru-
pus stœchados, & alij, cum decocto betonicæ, sampsuchi,
melissæ, ad humorum apparatum: qui electario Indo ma-
iori, hiera, catapotijs coccijs vel aureis educentur. Ac post
purgantia medicamenta tantillum theriacæ bonę, vel mi-
thridatij boni contulerit. Similiter quolibet mense vacue-
tur materia leuioribus catapotijs, & intermedio tempore
locus sit errhinis, apophlegmatismis, gargarismis, & ster-
nutamentis, de quibus satis superque dictum est in affe-
ctibus cerebri curandis. Vtatur & ęgrotus puluere à pastu,
fumos ad cerebrum efferri prohibente. Curet & inspe-
gendum puluerem capitalem sincipiti. Item balneis sua
sponte scaturientibus, & horum inopia marinis aquis, cor-
pus abluere oportet, omniquę modo caput ipsum, præser-
tim vbi graue fuerit ac repletum, exiccare, simulque cor-
roborare erit saluberrimum. Ijsdem emendatur crassities
aëris in aure contenti. In aurē verò immittenda sunt phar-
maca quæ incidunt, secant, & attenuant crassos ac lentos
humores, eosdemque calfaciunt & attrahunt. Cuiusmodi
est præter ea quæ ad sonitus tradita sunt, absinthium cum
aqua in olla coctum, per arundinem pro fomento adhibi-
tum, ita vt alteram arundinis partē cauitati auris adaptes,
alteram verò foramini operculi ollę inseras, quò vapor qui
exhalat, ad auditorium meatum allabatur. Baccis lauri aut
folijs in aqua coctis similiter vtitor, aut origano & hysso-
po, eodem modo, aut aqua marina, & aceto. Omnis item
piscis fel, perdicis, capræ infusum prodest, aut erinacei ter-
restris cum oleo. Fel insuper tauri cum anguis senecta ace-

crassis humoribus curatio.

to exceptum,&aurium meatui inditum,grauem auditum soluit,aut rutæ succus cum melle,seu castoreum cum oleo anethino. Fomentis quoque vtendum est quæ per spongias fiunt ex aliquo prædictorum decocto. Et castoreum cum baccis lauri & aceto permistum,in aurem instillatur. Nam huiusmodi valentia medicamenta sustinet meatus auditorius,quanuis non solùm vsq; ad cerebri durā membranam pertineat,sed etiam neruū cōtingat, qui in ipsum à cerebro descendit. Commendantur & alia, vt succus hederæ mundissimus cum vino instillatus,allium & cæpulæ cum adipe anseris,oua formicarum contrita,fel bubulum, lac cum felle caprino mixtum. Hæc,si infundantur,veteribus laudata fuerunt. Iuniores verò præcipiunt in aurem inijci oleum amygdalarum amararum,& nardinum,cum succo cæpæ, aut helleborum album mixtum cum melle, aut aristolochiam rotundam dissolutā in oleo baccarum lauri. Confert & succus hastulæ regiæ,vel succus foliorum raphani cum melle. Aut hellebori radix bulliat in oleo laurino,amygdalino,itino,& in aurem instilletur. Aliud: ℔. fellis capræ,& vrinæ capræ,ana ʒ j. galbani ʒ ß. Aliud: ℔. cæpas duas: minutatim seca,& in alembico positis misce mellis ʒ iiij. succi porri ʒ viij. aut succi absinthij tantundem. Aqua stillatitia ex his in aurem tepida infundatur. vel ℔. olei amygdalarum amararum,olei nardini ana ʒ j ß. succi cæpæ ʒ ij. hellebori albi instar ossis dactyli. misceantur cum melle,& gutta tepida manè ac vesperi immittatur. Aut ℔. aristolochiæ rotundæ ʒ ß. dissoluatur cum oleo baccarum lauri,vnaque aut altera gutta immittatur. Si surditas à sanie vel vlcere proueniat, abstergenda erit sanies,& vlcus exiccandum,ac corpus euacuandum. Inijcienda verò sunt in aurem quæ vim habent abstergendi: succus porri,cucumeris agrestis cum melle, vel ex fellibus mitioribus aliquod: quale est fel porcinum,agninum: postea adhibentur tutò quæ vim habent exiccandi, vt vlcus ducatur ad cicatricem. Quare trochisci albi Rhasis dissoluantur in succo,vel decoctione aliqua abstergentium,& alia quæ ex cerussa,pompholyge, seu tutia parantur. Præstantissimum remedium est quod ℔. scoriæ ferri ʒ j. decoquatur in vino quod postea inijciatur in aurem. In his vlceribus

Curatio ex iuniorib. petita.

Curatio vlcerum in auribus.

ribus cauenda sunt olea, vnguenta seu iniectiones magis conueniunt. Sed horum vlcerum, vt & inflammationis curatio iam descripta est capite de aurium dolore. Modus etiam extrahendi quæ in aurem inciderũt, dictus est. Scirrhus, callus, verruca curantur oleo amygdalarum amararum, cum medulla colocynthidis, aut succo cucumeris asinini, cum melle: si quidem curari possunt. Sordes aurium specillo mundantur, si crassæ fuerint & paucæ. Multę & tenues aqua mulsa egent, aut aceto mulso, aut melle, & succo foliorum raphani. Sordium influxus reuellendus est. Surditas quæ à catarrho fit, curatur auertendo fluxionem in aliam partem, & consumendo quod parti impactum est.

De Parotidibus, CAP. *XLIII.*

PAROTIDIS nomen Græcis proprium, sed & Latinis mutuatũ, à loco desumptum est, ac sæpius inflammationem glandularum sub auribus denotat. Quandoque enim omnem tumorem significat qui in Adenibus iuxta aures nascitur, siue is scirrhosus sit tumor, siue œdematosus, siue phlegmonodes. Itaque hic definietur Parotis, inflammatio seu abscessus erumpens in carnibus adenosis quæ pone aures & ad earum radicem consistunt. Partes igitur quę hîc afficiuntur, visui manifestæ sunt, & earum tumor sensui conspicuus est, Adenes (inquam) iuxta aures: præterquam quòd referunt dolorem adesse ægrotantes. Affectus autem est Parotis, morb. in quantitate, & propriè in excessu primò: sicuti aliæ inflammationes: secundariò verò in intemperie, & soluta cõtinuitate. Oritur ex redundante sanguine copioso, vel eodem bilioso, vel pituitoso, vel melancholico existente: idq; aliàs sine febre: aliàs cum febre acuta, vel diuturna. Is verò sanguis vel transmittitur à capite, vt sæpius contingit: vel à toto corpore, vt in iudicationibus. In eandem sententiam tradunt alij fieri post febres acutas, quæ ad tertium aut quartum diem perueneriũt: vel post longas, vt post febres quotidianas vel tertianas extensas, idq; per ἀπόσκημμα, cùm materia quæ cerebrũ obsidet, ad has partes adenosas irrumpit. alij verò notant Parotides fieri in morbis qui vigesimũ diem excedũt,

Parotis quid.

Pars affecta.

Affectus.

Causa.

quos ex decidentia acutos vocant: seu qui ambigunt inter acutos, & absolutè longos. Materia crassior est quàm in verè acutis. minus crassa & frigida, quàm in valdè diuturnis. Secundo calor paulo vehementior, quo materia attenuatur, penetrat, & sursum effertur. Tertio naturæ robur adest: quo deficiente symptomatica translatio, cõuulsionem aut aliquid simile accersit. Scribunt & fieri iuniores qui sectantur Arabes, ex materia venenosa iuxta semitam Epidemiæ, vt loquuntur. Fiunt autem hi tumores propter partis laxitatem, & magna vasa ad cerebrum conscendentia, à quo depulsam materiam facilè recipiunt. Parotides quæ feruentis sanguinis plenitudini adscribuntur, dignosci possunt ex tumoribus magnis ac rubentibus, ex dolorib. continuis, vehementibus atque grauantibus, ex temperamento, ætate, habitu sanguineis, atque ex præcedente victus ratione eiusmodi succum generante. Percipitur & in loco frequens pulsatio. Absceſſus enim glandularum quidam cum dolore & inflammatione sunt: quidam sine his. Si bilis abundat, tumor est pallidior citra grauitatẽ, ardor maior erysipelati similis. Habitus, temperamentum, & reliqua paulò antè dicta bilem arguunt. Si pituitosus erit sanguis, laxus erit tumor seu œdematosus, cum maiori grauitate, & ardore minori, nihil habebit dolorificum, aut renitens, & fastigiatus erit. Quemadmodum si melancholicus sanguis extiterit, neque rubor erit, neque dolor magnus: sed tumor quidam scirrhosus, & durus, & magna grauitas erit pro magnitudine tumoris. Quoniam verò Parotides, vt paulò antea monuimus, oriuntur ex humoribus dictis impactis in capite, ab eoque ad partes dictas transmissis: interdum etiam citra capitis affectionem in febribus, cùm natura superfluos humores ex vasis effundens ad regionẽ inter cutem & subiecta corpora deponit iudicatoriè, quo tempore & glandulæ ex effusis humoribus participãt, prædictoque affectu laborant: dignosces si à capite transmittitur materia, quia caput priùs dolebit, & transmissione facta caput leuabitur, nec aderit totius corporis plethora, aut cacochymia, quibus præsentib. ab ipso corpore transmissio fiet. Iudicatio autem per lõgas febres fit, crassis humoribus redundantibus, aut per acutas febres tenui humore,

Signa.

more, sed languente facultate. De prædictione sic statuendum. Parotides quæ fiunt crisis ratione, concoctione apparente, curatu faciles sunt, multósque magnis periculis liberarunt. Quæ ex copia cruda contingunt, naturam grauant, simul & nonnihil irritant. Quare etiam procedente tempore periclitantur, & medicis multa tentantibus, vix ad suppurationem aut coctionem perueniunt. Quæcunq; enim ante coctionem crises fiunt, malæ sunt: quæ verò cocta materia, bonę. Satius est enim naturam vincere, quàm vinci. Parotides abscessus sunt nonnunquam maligni, eoq; magis si pestiferi: nonnunquam clementes, & leues, quales sæpe puerorum. Quædam Parotides etsi pestilentes nõ sunt, tamen cum dolore & inflammatione sunt; quædam sine his. Si intrò redeunt, lethales sunt, nisi alui profluuiũ, vel insignis excretio subsequatur. Aliæ tardiùs erumpunt, aliæ cituùs. In his regionibus rarò ad salutem apparent. Hęc ferè omnia & plura quidam his verbis complexus est: solæ Parotides periculi metu liberant, quæ moderatę sunt, sine dolore, & integris viribus erumpunt. Præterea de critico, antegressis coctionis signis tum in toto venoso genere, tum in parte, quæque aut ad suppurationem sine molestia ducũtur, aut facile resoluuntur propter imam aëream & caliginosam, aut citra hæc superueniente bilioſorum excrementorũ excretione, per aluum vel vrinas materiam morbificam expurgant, aut symptomatum omnium remissionem afferunt. Aliæ omnes aut in cerebrum refluũt, aut vehementia symptomatum ægros conficiunt, aut diffusa in thoracem & pulmones materia præfocant. Victus autem esse debet, qualis ferè inflammationibus conuenit, accommodatus scilicet affectui, nec non causæ eius effectrici: vtpote victus tenuis, & eo tenuior, quo morbus maior & breuior futurus est, constante facultate videlicet. Si sanguis redundat, in primis vena secta vacuandus est. Secetur autem humeralis vena eiusdem lateris. Nam qui ante missionem sanguinis ad Topica conuolarunt, exitium sæpe ægrotantibus attulerunt, vt testis est Alexander. Sanguis autem pro plenitudine & viribus mittatur. Et si materia calida est ac bilioſa, vacuetur deinde electario è succo rosarum, & syrupo rosato purgatorio, vel rhabarbaro. Si

Prognostica.

Curatio.

causa est frigida, vt à sanguine pituitoso, vel melancholico, post coctionem ex melle rosato, oxymelite scillitico, syrupo stœchados, cum aquis stillatitijs betonicę, melissophylli, buglossi, ea materia pilulis coccijs deturbetur. Cæterum Topica, vt in reliquis inflammationibus, minimè repulsoria esse debent. maturari enim Parotidas quamprimum, & aperiri commodius est, præsertim si ex aduersa valetudine fiant. Tametsi Celsus interdum ea admittat: cùm sine morbo intumuerint. Sed abstinere ab eis satius est. Considerandum autem num vehementi impetu fluxus illabatur, vel non. Primo enim casu omnia naturæ permittimus. Nam siue cucurbitulam, siue aliud pharmacum humores ex alto ad cutem attrahens admouerimus, vehemens dolor hominem apprehendit. vnde & vigiliæ fiunt, & febres succedunt, ac vires exoluuntur. Mitigare igitur, & non humorum influxui opitulari oportet, per cataplasmatum lenientium vsum, quia maior influxus non est promouendus: sed dolor qui vehemens est, vbi præsertim causa calida est, anodinis, hoc est calidis & humidis, est medicandus, corpore tamen priùs vacuato, vt dictum est. Huiusmodi est quod ex frumenti, aut hordei, aut seminis lini farina cũ aqua mulsa, aut fœnugræci, seu althææ, seu chamęmeli decocto conficitur: Item quod ex lapatho & axungia insulsa constat. Atque in corporibus mollibus puerorum, eunuchorum, mulierum, & eorum qui teneram carnem habẽt, butyro locum illinemus, vel butyrum, & adipem suillum liquefaciemus: & modica cæra adiecta vt mollius fiat, cæratum imponemus. Si non vehementi impetu irruat influxus, humoréque adhuc altè delitescente, Parotis in tumorem non attollatur, cùm scilicet natura pigra sit, iuuanda est, vt affligens humor in cutem auocetur, pharmaca attractoria aut fomenta assidua adhibendo: eaque si nihil memorabile efficiant, cucurbitulam etiam affigemus. Cauendum enim ne in altum recurrat colluuies: quoniam id haud mediocre periculum sequeretur. Quòd si mitiores sint Parotides ac moderatæ, neq; humorum copia in particulas irruit tanta, vt vehementes dolores excitet, neq; caliditas humori adest, sanare eas poterimus facilè fomentis ex muria, & cataplasmatis ac medicamentis exquisitè discutientibus:

Topica.

cutientibus: quale est quod diachylon vocant, cùm neque ipsæ ad suppurationem festinent, neque vehementem dolorem inducant. Huiusmodi quoq; esset ceratum ex butyro & œsypo paratũ, quod ostrea vsta, ac buccinas, aut purpuras admitteret, vel ex eisdem ostreis vstis, anserinoque adipe veteri insulso, & butyro, ac cera compositum. Si verò non ita mites fuerint Parotides, attractorijs pharmacis ac discussorijs vtendum erit, fomenta assidua adhibendo ex florum chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, & sertulæ Campanæ decocto. Atque si ex crassiori humore excitentur, aut frigidiore, in aqua & vino decoctum ex prædictis paretur: adijciantúrque hyssopus, serpillum, sampsuchus, pulegium, & consimilia. Post fotum verò oleo amygdalino, chamæmelino, aut anethino locum illinemus. Aut cataplasma ex hordeacea farina, & semine lini in iure fœnugræci, aut althææ decoctis adhibebimus. Valde autem frigidis ac crassis humoribus existentibus, oleo irino, aut liliorum alborum, aut sampsuchino, aut rutaceo vtemur: aut cataplasmate ex ervi, seminis lini, & fœnugræci farina, cum ficuum siccarum & chamæmeli iure decoctis. Cucurbitulas quoque affigemus. Si verò Parotides discuti haud possint, ad suppurantia medicamenta transeundum est, nempe ad farinam triticeam cum caricarum decocto, & oleo: item ad medicamentum quod ex polline & fermento constat. Lapathum quoque & axungia porcina in hydrelæo coquantur, & imponantur. Vbi verò in pus transierint, materia mutata (quòd tibi innotescit ex rigore præter rationem & febre, quæ priùs non erant, ac maiori dolore præcedentibus, tempore quo pus conficiebatur, ac demum delitescentibus) tunc aut per sectionem pus elicere oportet, aut sanè per acre medicamentum abscessum rumpere, aut tentare vt ipsum per attractoria & tenuium partium medicamenta discutiamus. Verùm si ipsæ Parotides inueteratæ fuerint, citra omnem molestiam discuties & emollies, si buccinas vstas & ostrea omnia adipi veteri porcino liquata admisceas, ac supra locum affectũ admoueas. Hæc placuere veteribus, quos & nostri imitati sunt: qui talia præscripsere. ℔. farinæ fœnugræci, farinæ hordei ana q.j. coquantur in aqua, & oleo chamæmeli, vel anethi: *Curatio inxta neoterios.*

applicentur cataplasmatis modo. Aliud quod magis discutit. ℔. farinæ fabarum, farinæ hordei ana q.j. mellis communis quantum sufficit. Leuiter coquantur simul, fiat cataplasma. Digerunt reliquias morbi diachylon ireatum, cæroneum, & in fine diapalma. Hęcque in cærati formam commodiùs rediguntur, cùm materia resoluitur aliqua ex parte, remanetque aliquid indigestum, quod dolorem nõ faciat. Si materia vertitur in pus, iuuatur suppurantibus, vt ℔. maluæ m̃.j. radicis bismaluæ q.j. ficus pingues xx. numero, coquantur & pistentur diligenter. adde axungiæ porci ʒ iiij. farinæ frumenti leuiter decoctæ in colatura herbarum ℔. ß. misceantur simul, & reducantur in formam cataplasmatis. fortius fit addita farina, vel mucagine seminis fœnugræci ad quart. ß. Vbi incipit maturari, vt materia trahatur ad circumferentiam, fermentum acre ponitur: vel vnguentum basilicon, quod picem habet, vel galbanum. Si cutis sit tenuis, solo felle porci suprapositò, abscessus rumpitur. Si cutis durior est, ferro candenti, vel ruptorio vocato decliui parte aperitur: deinde vlcus tergendum, implendum, cicatrice ducendum, vt in alijs partibus. Cùm autem pars reliqua ad duritiem inclinauerit, digerentib. miscebimus mollientia, vt tetrapharmacum, vel de althæa, vel diachylon paruum, vel de mucilaginibus, vel resumptiuum. In malè curatis Parotidibus fistulæ quandoque ducuntur, quas docet curare Galenus. Vide & recentiores.

De olfactus lasione. CAP. *XLIIII.*

ENARRATIS oculorum & aurium affectibus, sese offerunt ij qui olfaciendi facultati & narib. accidunt. Tertius enim est odoratus in tenui substantia dignoscenda, ac propterea inter alia quatuor sensoria tanquam medium quoddam constituitur. Quoniam verò offensio eius vel ad priores cerebri ventriculos, & ad eas propagines in quibus est odorandi sensus (processus mammillares vocant) refertur, vel ad impeditum meatum ossis ethmoidis, vel ad narium ipsarum foramina, priori loco de læsione quę à prioribus causis pendet, nec est in meatibus nasi, tractabimus.

Læsio olfactus.

stabimus. Namque odoratorum sensus in anterioribus cerebri sinibus & ventriculis perficitur, elatis scilicet ad ipsos per meatus coliformes dictos vaporibus, cum natura in fabricandis cuiusq; sensus instrumentis similitudinem sensibiliū secuta sit: & propterea vaporis simile quodammodo est odoratus instrumentum ex Galeno. Facultate igitur olfaciendi oblæsa, vel diminuta, vel ablata, seu depraua ta, ad ventriculos cerebri anteriores affectio pertinet, in quibus & vaporosus quidam spiritus continetur, simulque vox cum ea non læsa, sed incolumis perstat. Sin verò vox quoque sit laborioſa, colatorijs ossibus oblæsis affectio ipsa tribuenda est. Ita pars affecta conspicua esse potest: sed eorum affectio pendebit ab intemperie vel sola, vel cum humorum corruptela. Si verò colatorij meatus affecti sint, obstructio eorundem, non sola intemperies causa fuerit. Quanquam igitur perpetuò hæc affectio symptoma sit in genere noxæ functionis sensibilis & propriè olfaciendi, siue diminuta, siue ablata, siue deprauata sit, non vnum tamen genus morbi sequitur. Sed dum colatorij meatus obstructi sunt, morbus est in compositione, & propriè in via. Ipsis verò anterioribus sinib. affectis, in intemperie morbum sequetur. Causa ergo læsionis olfactus intemperies est, vel obstructio. Intemperies autem, vel humorum corruptela, sensum eiúsue spiritum contaminat. Si igitur intemperies est siue sola siue cum materia, innotescet facilè, cùm fiat præsertim his partibus refrigeratis aut humectatis. Nam aër frigidus qui palàm per inspirationes attrahitur, tum nares aliquando perfrigerat, tum vicinas & contiguas partes. Addunt & alij attractionem rerum infrigidantium idem præstare: alij & intemperiem posse conciliari aiunt ab aëre supra modum calido: quarum causarum signa per se nota sunt. Si verò colatorios meatus obstructos sequatur læsio olfactus, ex detentis præter consuetudinem narium excrementis, muco, ac distillatione pręgressis deprehendes. Quanquam etiam ex malis quibusdam redundantibus succis prædicti meatus obstrui possunt, ventriculique oppleri, ac aliena intemperie affici: qui ex proprijs indicijs internoscuntur. Hæc affectio non est despicienda, præsertim vbi anteriores cerebri

Partes affectæ.

Affectus.

Causa.

Signa.

Has causas practicis cōmentis sunt.

Prognostica.

ventriculi, nedum intemperie affecti, sed & humore impleti sint: quoniam præter id quòd spiritus animalis, qui in ventriculis continetur, ac cerebrum ipsum intemperie afficiatur, hæsitandum erit de futuro Caro, morbo Comitiali, aut Apoplexia, humoribus adeò auctis vt pleni ventriculi sint, non anteriores modò, sed medius saltem, aut postremus: quemadmodum euenire solet, si ipsis plenis existentibus, tota nocte supini cubemus. Odorandi functio deprauata magna ex parte periculosa existit: præsertim si in acutis morbis accidat, & odor quispiam putridus ac fœtidus sentiatur. Si est à natiuitate, non curatur. Si à solutione continui, rarò etiam sanatur. In curatione, si ex sola intemperie olfaciendi facultas læsa est, cõtrarijs vtendũ, calidis, si frigida est intẽperies: frigidis, si calida: humidis, si sicca: siccis, si humida. Ex humorum autem copia, siue cerebri ventriculos opplente, siue colatorios meatus obstruente, si odorandi functio læsa est, ea sanguinis missione aut purgatione vacuetur. Deinde ad topica progrediendum. Quoniam verò sæpius redundantes succi frigidi ac crassi sunt, qui ventriculos opplent, vel colatorios meatus obstruunt, à quibus odoratus læditur, ratio victus attenuatoriæ facultatis magna ex parte esse debet. Domus igitur in qua degunt taliter affecti, moderatè calida sit pro temporis anni ratione. In siccioribus locis diuersentur. Gymnasijs pro viribus vtantur, ac moderato somno nocturno. Diurnus enim & diuturnus valdè incommodus illis existit. Dum dormiunt, ceruicalia sublimia habeant, & in latus reclinentur, non tamen secundum partem affectam, præsertim si contingat vnum ex colatorijs meatibus esse obturatum. Ex interuallis quoque acrium rerum esus adhibeatur. Præscripta victus ratione, purgatio instituatur ex hiera, quæ bis vel sæpius repetatur, si res postulabit. Porrò commodissimus vsus est apophlegmatismatum ex staphideagria, mastiche, vua passa. Errhina quoque imperentur. Quare cyclaminum siccam tritam insuffla, aut nigellam tusam ac cribratam, aut oleo vetustissimo probè tritam per nares infunde, & per inspirationem attrahere iube, aquam in ore continendo. Sternutatoria quoque conueniunt primùm simplicia: deinde efficaciora, quale

Curatio.

ra, quale est veratrum album leuissimè tritum. Odoramenta item naribus assiduè adhibeantur; sisymbrium, serpillum odoratum, mentha, polium, thymbra, castoreum aceto dilutum, quod est omnium vtilissimum. Potum etiam castoreum tritum cum aquæ mulsæ cyathis tribus, quod & efficacius redditur aceti scillitici addito cyatho dimidio. Prodest quoque valde acetum scillinum quotidie à ieiunis trium cochlearium mensura acceptum. Si pertinacior est affectio, radendum est caput, & sinapismus ad frontem vsque adhibendus. Quòd si opus est, nedum fronti, sed faciei & naso adhibeatur. Quin & theriaca sæpe assumpta iuuat.

De Ozænè. Cap. XLV.

IAm ad affectus qui meatib. nasi accidunt, transeamus; à quibus etiam olfactus lęditur. Inter eos præcipua sunt vlcera narium, Græcis pariter ac Latinis dicta Ozænæ, nimirum à fœdo odore & graueolentia, quam in eis putrilago inducit. Quare & definiuntur Ozænæ narium vlcera putredinosa plures crustas habentia, nec non olentia grauiter. In ijs quòd nares afficiantur: quippe earum alæ, vel interstitium, vel aliæ partes exulcerentur, ex dolore vel inspectione, vel ægri relatu constat. Notum quoque est, quòd morbus sit in soluta continuitate, cùm in vlcerum genere contineantur. Differunt autem Ozænæ à Polypo, qui est in genere tumorum præter naturam. Et à minus acri materia oritur. Differunt etiam ab alijs vlceribus, quæ fiunt in alis nasi internis, quòd talia sine pure & fœtore fiant. Ozænæ non item, quæ & olfactum lædunt. Nam cùm hæc pars fungosa sit, & in tumorem eleuetur, spirationem ossium ethmoidum impediũt Ozænæ, ob idque recrementa diutiùs retenta putrent: vnde fœtor & graueolentia. Nascuntur Ozænæ ab influxu humorum acrium & putrescibilium à cerebro in nares facto: vt fœtor nariũ sit ex pituita prope ossa ethmoidea putreute, ad partes vicinas suam qualitatem imprimẽte. Accedit & ossium ethmoidum obstructió, quæ liberam pituitę transpirationem præpediens fœtorem auget. Fiunt & à vulnere, ictu,

Ozæna quid.

Pars affecta.

Affectus.

Ozæna differunt ab alijs vlceribus narium.

Causæ.

casu, absessu, vaporibus acribus paulatim rodentibus, do-
Signa. nec vlcera pullulent. Notus morbus est, tum ex his quæ de naribus manant, tum etiam visu. Accedit & dolor, præsertim si cruſtam violentiùs euellant. Tamen narium vlcus neque dolore, neque acrimonia semper conspicuum est: ac proinde sæpe diu latet incomprehensum: dum planè sordescat, exedatq; ossa tenella. At verò cùm recens est, hinc noscitur, quòd sanguinis nõnihil frequentiùs eructet, maximè cùm attingitur, aut irritatur: atque nares hoc sæpe madeant. Si sinitur, cruſtula sicca, eaque nigra obducitur, quæ emunctionis impetu nonnunquã procidit. Vetustius ac iam putridum vlcus verè Ozæna appellatur, è quo cruſtula sordidior, atq; graueolens mucus excidit. Laborans ipse sibi graue olet: tum vicinis tetri spiritus contagione moleſtus est. Sæpe illic vlcera serpunt diuturna, quę vel narium alas, vel earum interstitium vt diximus, vel alia eius loci tenella ossa exedunt, atque putrefaciunt magna deformitate, exesumque palatum nonnunquam perforant: idque maximè, si speciem carcinomatis habent: vel è fœti-
Prognosis. da lue venerea contracta sunt. Humoris acrimonia difficilem admodum Ozænarum curationem reddit. Ob venarum quoque frequentiam, & pituitæ expurgationem ægerrimè curantur. Quædam tamen tentanda sunt. Cibus
Curatio. igitur neque acer, neque valentissimus sit: pariter nec potus. Et si adsit copiæ humorum in toto corpore redundantia, priùs aut sanguinis missione (maximè si calidioris hepatis coniectura fuerit) aut purgatione auferatur. Quare pilulæ sine quibus, aut aliæ similes exhibeantur. Et quia à capite in nares acrium humorum defluxus prouenit, quam primùm caput siccetur ac roboretur. Quemadmodum enim aliàs Topicis, nisi vniuersi corporis purgatione præmissa, vti non licet, ita hîc nonnisi roborato capite remedia naribus tutò admouenda erunt. Qua de re caput ad cutem tondeatur, assidueque vehementer perfricetur: deinde confestim imponantur quæ siccant & firmant sincipiti & toti capiti præraso, vt oleum myrtinum, rosaceum, puluis corallorum, santalorum, rosarum rubrarum, mastiches, mannæ thuris, gallæ acetum.
Topica. Vbi illis validum caput redditum est, tum naribus medendis

dendis ita incumbendum, vt pars affecta permixtæ facultatis pharmaca, tum repellentia, tum discutientia recipiatur. Repellunt tum austera, tum acerba, quæ communem astringentium appellationem habent. Discutiunt verò calida, & sicca facultate prædita. Capiti igitur imposito nouem diebus continuis thuris, myrrhæ, ana ʒj. cochleas integras v. quibus cæram & albumina ouorum addas, admisceásque. Ad Ozænas verò sanandas calaminthæ succum instilla, aut ipsam aridam per fistulam insuffla. Mel quoque cum exiguo modo terebinthinæ conijciatur in narem ipsam; quod specillo lana inuoluto fit: attrahaturque spiritu is succus, donec in ore eius gustus sentiatur. Sub his enim crustæ resoluuntur, quæ tamen per sternutamenta elidi debent. Vbi exciderint, adipe anserino & butyro cum rosaceo curantur. Puris vlceribus vapor aquæ calidus subijciendus est. Deinde adhibendum lycium ex vino dilutum, aut menthæ, aut marrubij succus seu omphacium, sic vt horum cuilibet mel adijciatur: inuoluendumque lana specillum est, & in eo medicamento intingendum, eoque vlcera implenda sunt, rursumque linamentum inuolutum & oblongum eodem medicamento illinendum, dimittendumque in narem est, & ab inferiori parte leniter deligandum, idque per hyemen & ver bis die, per æstatem & autumnum ter die fieri debet. Paratur etiam medicamentum ad narium vlcera ex malorum punicorum succo in æneo vase ad medietatem cocto. Vel malum punicum dulce integrum in vino coctum teritur, & forinsecus imponitur. Poteritque ex ceruſa & argenti spuma simul contritis, eisque dum teruntur, vinum & oleum myrteum adijciendo, donec mellis crassitudinem fecerit, medicamentum fieri, eoque vlcus illiniri. Interim si vetus vlcus fuerit, myrrham, plumbū vstum, aloēm prædicto vnguento permiscebis, atramentum sutorium, sal ammoniacum, simulque cum his mel & acetum. Ea fuit Galeni, Celsi, & aliorum sententia. Recentiores post totius corporis purgationem exactam, & capitis particularem per masticatoria, vtuntur aqua forti diluta oxymelite ad detersionem, & carnis putris exesionem: vel adhibent vnguentum Ægyptiacum dissolutum in aqua hordei. De-

Ex iuniorib. desumpta.

inde præscribunt vnguenta quæ constringant, detergant, & summè siccent, vt vnguentum pompholygos, addito alumine, chalcitide, & cortice mali granati. Vel conficiunt sic: ℞. omphacij ʒ ß. corticis mali granati, balaustiorum ana ʒ iiij. myrrhæ, aluminis, ladani ana ʒ iij. chalciteos, aloës, corticis thuris ana ʒ j. olei rosati & myrtini ana ℥ ij. cæræ rubræ q. s. fiat vnguentum. Parant & suffumigium ex potentissimè resiccantibus, quod partes illas profundas attingit, & siccat: ex auripigmento rubro, vel luteo, & cinnabari: quibus addantur odorata, vt myrrha, thus, mastix, benioin: ex quibus trochisci parantur, aut candelæ ex cæra rubra. fuligo enim talis candelæ plurimum iuuat exiccationem, maximè si contineantur in cubiculo bene clauso & angusto. Alij mitiùs agunt cum eis vlceribus. Vbi prospexerint vniuerso corpori & capiti vt dictum est, naribus curationem adhibent, admouentes ea quæ crustam decidere faciunt, de quorum numero sunt mel, axungia gallinę, butyrum, & sternutationem prouocant paucis interiectis horis. Postquam crusta deciderit, rursum si sordidum vlcus est, melle despumato liniunt. Deinde ellychnium immittunt ex lino aut bombace, cum vnguento de tutia: aut mali punici succum instillant: aut vnguentum de lithargyro adhibent cum puluere gallarum, aut boli armenici: aut puluerem myrrhæ, aluminis vsti, & gallarũ æquis portionibus insufflant. Hæc loco paradeigmatũ esse possunt. Plura ab alijs petenda sunt. Si hæc vlcera sunt à lue venerea, vulgata luis curatione vtendum est.

De Polypo. CAP. *XLVI.*

Polypus vnde dictus.

Polypus quid.

AD nares quoque pertinet Polypus, qui nomenclaturam sumpsit à similitudine ad aliud extra positum. Et est tumor præter naturam in naribus genitus, Polypi carni assimilis, iuxta substantię proprietatem. Polypi enim marini carnem non modò colore & consistentia, sed & reliquis accidentibus refert, quòd multas radices, vt ille pedes, habeat: ac vt ille venãtes vlciscitur, acetabulis suis manus illorum apprehendens: ita & vitium hoc laborantium nares obstruat, vt & difficulter spirent, & ægrè loqui possint.

sint. Color quidem eius varius est, alijs albidus, alijs subflauus, alijs subruber. Substãtia pariter alijs mollis, & quodammodo fluida: alijs durior, magísque contracta. Celsus graphicè Polypũ ita descripsit: Polypus est caruncula modò alba, modò subrubra, quæ narium ossi inhæret, & modò ad labra pendens, narem implet, modò retro per id foramen quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeò increscit, vt post vuam conspici possit, strangulatque hominem maximè Austro aut Euro flante: fereque mollis est, rarò dura. Distat porrè Polypus à reliquis carunculis quæ naribus innascuntur, quoniam illæ similes sunt muliebribus mammis, ac in imis meatibus narium quæ carnosissimæ sunt, inhærent: etsi eiusdem naturæ sint Polypi & carunculæ quæ Sarcomata vocantur, quęque sunt etiam carnis in naribus incrementa, sed informia. Ita Sarcomata à Polypis magnitudine tantùm ac opificio distant. Nares itaque in huiusmodi affectionibus laborant, vt ex prædictis & ipsa inspectione patet. Morbus est in quantitate, cùm ex genere sit tumorum præter naturam. Ex crassis & lentis humoribus generatur Polypus iuxta Galenum. Vel fit hæc caro (iuxta iuniores) sæpius laxior & rarior, cùm cerebrum valde humidum mittit viscidam ac flatulentam quandam materiam, quæ hanc partem inflando, facit vt maior appareat, & potissimùm in coniunctione Lunæ. In declinatione autem contabescit & minuitur. Vt verò alij tradunt, recentib. vlcerib. neglectis caro plærunq; excrescit, quæ σάρκωμα nuncupatur. Ea cùm longitudine ita excreuit, vt iam è nare foras propendeat, aut in fauces relabatur, Polypus est. Nascitur & ex ipsarũ narium nutrimento, à facultate nutritoria & auctrice in carnem mutato. Notis verò quibus dignoscatur eiusmodi tumor, nullis opus habet; cùm sensui pateat, & illæ ex antè dictis facilè elici possint. Nares enim obstruit, & viam spiritui intercludit, cùm præsertim in latus affectum decumbitur: loquelã offendit, & obscurat. Quæ symptomata grauedini sunt similia: nisi quòd admodum diu permanent, nec errhinis soluũtur: quodq; vlceris signa iamdiu antecesserũt. Qui carcinodes est, attingi non debet. Aliud genus ferro sæpius curatur: quanuis interdũ medicamentis inaresc at.

Sarcomata.

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

Signa.

Prognostica.

In eandem sententiam alij sic: Carnes additæ natib. molles, quia pituitosæ facilè curationem admittunt: sed liuidæ difficulter, quia cancri naturam sapiunt. Et Polypus qui fit in naribus durus, niger, & intractabilis; & mollis, putridus, ac fœtidus non sanatur: sed qui elongatur & pendet, habēs radicem gracilem nō nimis profundatam, curatur per in-

Curatio. cisionem. Satius est autē cùm incipit hic tumor fieri, prohibere eius augmentum. factus enim sui ablationem indicat. Itaq; vt prohibeatur, victus ratio sit conueniens, & considerata cuiusque natura sanguis mittatur, si opus erit, nec non medicamentum purgans offeratur. Dein caput radatur, siccetur, ac roboretur appositis medicamētis: quę curatio Polypo & Ozænis communis est. Quare admoueatur capiti emplastrum ex cochleis superiore capite dictum. Pileoli fint bombace intertexti & consperfi puluisculis ex ligno aloës, caryophyllorū, macere, nuce moschata, stœchade, saluia, maiorana, betonica, lauendula, & alijs iam sæpius declaratis. Frictio fiat è spongia à sincipite ad occiput, & latera ducta. Pituita quoque per os educatur a-

Topica. pophlegmatismis antea commemoratis. Topica Polypis conueniunt, quæ partim astringunt, partim secant & attenuant, partim discutiunt & exiccant. In corporibus mollibus & humidis, quæq; nullius pharmaci ferunt adhibitionem, sed ab omnibus irritantur, rosis aridis ac probè tritis vtendum, ex Gal. Idem & maximè commendauit nedum in Polypis, sed & Ozænis quod ex malis punicis cōstat medicamentum, ex tribus videlicet differentijs, austeris, dulcibus, & acidis. Sunt autem ea recentia & matura contundenda, atq; integra diligenter cōstringenda, quò succus ex eis exprimatur, quem vbi modicè decoxeris, si liquidior videatur, stanneo vase depositum seruare oportet. Quod verò ab eo reliquū est solidū & crassum, rursus diligenter cōtundendum, vt à contusione rursus in pila atteri ac læuigari possit: indeq; collyriorū formæ effingi, quæ congruam ad ægri narem proportionem habeant. Et si mollior est Polypus, plus ex austeris malis: si durior, ex acidis cōijcias. Quoniam verò molestū est perpetuò collyrium sustinere, licet aliquando succum antea expressum in nares infundere, atque circa illas partes, iuxta quas nasus ad palatum perforatus

perforatus est, liquidum ipsum expressum succum illinire, vel cum penna, vel cum lana specillo obuoluta: quod duos nucleos seu cuspides habeat. Idem collyrium confert, vbi exaruerit, si probè contundatur, cribretur & læuigetur, indéque exuffletur, aut per spicilli nucleum indatur. Omnia hæc assiduè facere oportet, vt nunquam ab affecta parte pharmacũ absit, cùm facilè ab humiditate eluatur. Paratur & hoc medicamentũ. ℔. spumæ argenti ʒij. ceruſſæ ʒ iij. malicorij ʒ ij. aluminis sciſſilis tantundẽ, quibus tusis, & cribratis, & in mortariũ coniectis, cũ vino odorifero ad mellis crassitudinẽ redigito. Postea oleo myrteo affuso cõquassato in pixide plũbea seruato. In robustis corporibus, ℔. squamæ æris ʒ viij. atramenti sutorii ʒ vj. veratri nigri ʒ ij. misceantur, & naribus insufflentur. Veteribus hæc sunt cõmendata, multoq; plura alia. Recentiores inhibent generationem Polypi circa initia sanguine misso ex cephalica, purgatoque corpore & capite, nec non cucurbitulis sæpe appositis in colli lateribus. Et cùm Polypus recens est, nec multùm se profert, errhinis multùm siccãtibus vtuntur. Vbi multùm auctus est, atterunt aqua sublimata, trochiscis de asphodelo, pulueriб. cathæreticis. Supra partem etiam apponunt fortiter astringentia, vel causticа cum astringentibus, in quem vsum Aquam parant ex vuarum immaturarũ ℔. iij. corticis mali granati, balaustiorum, sumach ana ℔. ij. destillentur omnibus maceratis in aceto. deinde adde aluminis ℔. j. vitreoli ʒ ij. distillentur iterum omnia simul, & aqua illa tangantur internæ partes nariũ. A qua fortis aurifabrorum idem præstat modicè correcta. Additur & auripigmentum prædictis aquis, vt pars vratur, & constringatur. Debent autem ista apponi cùm luna decrescit, & tumor minor est, vt meliùs adhibeantur remedia radici. Cõuenit & vsus Guaiaci cum tenui victu. Quod ad Chirurgiam attinet, si paruus est Polypus, conficitur cannula argentea, per quam demittitur cauterium ignitũ internæ partinarium circa septum. In rusticis & ijs qui parum curant de forma narium, forcipibus scinduntur nares. Demum supra partem cauterium adhibetur; alioquí vritur in vna parte, altera intacta. Si quæ est vstionis expers, inde renascitur nouus Polypus. Cæterùm in his affe-

Recentiorũ & ſurpa-ta remedia.

ctibus narium, remedia resupinato capite alia quidem instillantur, alia corniculo insufflantur, quædam spocilli nucleo capta inseruntur naribus, vel è pixide, cochleari, vola, inspiratu trahuntur vapores è vasis angustioris orificij admoti naribus.

De sanguinis è naribus eruptione. CAP. XLVII.

Hæmorrhagia dicta simpliciter.

HÆMORRHAGIA, quilibet est sanguinis fluor. Sed si per se ponatur, non expressa particula vnde effluit, sanguinis è naribus profluuium intelligitur. Quapropter sanguinis eruptio, quam Græci ῥινῶν αἱμορραγίαν nominant, affectibus narium connumeratur. Est autē Hæmorrhagia, sanguinis è vena vel arteria capitis & narium vacuatio, siue critica, siue ex consuetudine naturali, siue symptomatica, & omnino præter naturam: sed ex arteria exilit tenuior, flauior, & cum saltu, vt id obiter annotetur. Atq; vt quidam iuniores volunt, venæ in nares productæ non ex

Hæmorrhagia quid.

intimis cerebri, sed ex oris palatiq; sedibus excurrunt, satis quidem detectæ & patulę, vt quasi emissarium sint sanguinis superuacui expellendi: quemadmodum hæmorrhoides, & quæ in vteri ceruicem pertinent. Alijs magis placet Hæmorrhagiam, partim fieri per venas quæ à visceribus & corpore interiore per caput posterius in nares desinūt, partim per venas quæ fiunt à meningibus. Atq; hæc ægrè curabilis est: altera facilè curatur. Quòd autem nares affectæ sint, patet. Tametsi non per essentiam afficiantur semper. Affectus verò est in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam. Quod quidē symptoma, vt reliquæ sanguinis eruptiones à sede, vtero, ore, thorace, pulmone, ventriculo, iocinore, intestinis, alijsq; partibus, sequitur multiplex morborum genus, vasorum diuisionē, interdum orificiorum apertionem, quandoq; tunicarum rarefactionem: postremò earundem ῥάβρωσιν, id est exulcerationem, aut erosionem, quæ & ad diuisionem referri potest. Diuiditur enim tunica vulnere, contusione, ruptione, erosione. Anastomosis autem accidit tum propter vasis imbecillitatē, tum sanguinis qui ad os eius impetu ruit, copiam: ad hæc acrem quampiam quæ illi extrinsecus incidat,

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

eidat, qualitatẽ. Diapedesis ex tunica quidem ipsa rarefacta, sanguine verò tenuato oritur: accidere præterea interim potest, & ex gracilium vasorum ore adaperto. Sed tum anastomosis potiùs dicenda videtur. Et diabrosis seu erosio intrinsecus quidem fit à vitioso succo & acri: extrinsecus verò à valentibus medicamentis, aut igne: vix tamen ab externis venis sanguis profluit, nisi vel erodantur, vel rumpãtur venæ ob densitatem in cute externa. Rarum est quod quibusdam contingit peculiari natura, vt aperta è trunco corporis, hypochondrijs, thorace, facie, venæ clausura, sanguinem redundantem depleant. Sic vasis malè affectis Hæmorrhagia adscribitur, cùm scilicet ab aliqua superueniente causa extra vterum sunt vitiata. Nam & à natura malè habent, si vel molliora, vel duriora, seu tenuiora fuerint, & sic omnes causæ sub dictis tribus comprehendi possunt. Aliquando enim occasio particulatim tribuitur sanguini, vel facultati. Sanguis vitiosus erodit vasa, si adeò auctus est, vt à vasis contineri non possit, interdum ea disrumpit, vel eorum ora reserat. Interdum ipsamet facultas ora vasorum aperit, tempore quo excernit ea quæ sibi molesta sunt. Sunt & causæ externæ, vt casus ex alto, ictus, exercitium vehemens, mora in sole, medicamentum calidum, vlcera narium, vulnera. Internæ etiam causæ sunt sanguinis copia & tenuitas. Sed omnes hæ causæ ad tres primas reducuntur. Ad quas etiam pertinet quod accidit interdum, vt propter maximã hepatis imbecillitatem sanguis è naribus magna copia profundatur, propter venosi generis à suo principio imbecillitatem. Interdum & per vrinas sine vllo doloris sensu redditur. Itaque si ratione vasorum affectorum aliquo modo, fiat sanguinis profluuium è naribus, siue externa, siue interna causa fuerit, non aderunt indicia redundantiæ sanguinis. Neque qui profluet sanguis vitiosus apparebit, nec corpus cacochymum erit, aut crisis tempore in acutis morbis is sanguis excernitur. Si ab externa causa affecta sint vasa, ex ægri aut astantium sermone percipies. Sin nulla causa externa præcesserit, internã inquires, nunquid molliora videlicet fuerint: id quod á redundante humiditate dignosces: aut duriora ab ariditate, aut tenuiora ab incdia reddita sint vasa, seu à na-

Signa

tura talia cõstituta fuerint, & proinde eorum ratione fuerint rupta, reserata, seu rarefacta. Si nihil dictorum adsit, vide nunquid adeò auctus fuerit sanguis, vt vasis cõtineri nequeat, & propterea erumpat, & referat: quod ex sanguinis redundantia iudicatur. aut ipsemet sanguis non valde auctus est, sed vitiosus, adeò vt vasa quibus continetur, erodat: quod ex qualitate profluentis sanguinis dignoscitur, & ex reliquis signis cacochymum sanguinem indicantibus, & pro natura cacochymiæ, prout videlicet sanguis pituitosus, aut biliosus, aut melancholicus fuerit. Verùm si neque affectorum vasorum, neque affecti sanguinis indicia adsunt, acutúsque præcessit morbus, vt ardens febris, vel tertiana, vel phrenitis, ipsi facultati vel naturæ ea quæ sibi sunt molesta secernenti, & ora vasorum aperienti acceptum referendum erit: quod fit interdum cum functionis alicuius noxa, interim ipsis viribus haudquaquam læsis, sed robustis existentibus. Et quanuis hoc profluuium toto genere sit præter naturam respectu excretæ substantiæ, dici tamen non debet præter naturam, si in tempore expellatur: hoc est, si id quod molestum est, expurgetur.

Prognosis. Hæmorrhagia critica, vel ex consuetudine, minùs suspecta est, neque supprimi debet, nisi viribus metuitur: multo minùs & tardiùs ætate iuuenili, temperaméto sanguineo, aut vbi aliqua purgatio consueta intermissa est. Tamen ex quacunque causa fit sanguinis profluuium è naribus, non est despiciendum. Nam si longo tempore perseuerabit, timendum erit ne animi deliquium, aut iocinoris imbecillitas, aut infrigidatio, ac demum cachexia, & hydrops superueniat. Et ijs qui decolores mero modo sunt, parum prodest: quibus verò color est rubicundus, non similiter. Et quibus capita sunt quæ facilè tolerant, prodest: quibus secus, non. Ex naribus erumpente sanguine cum exiguis sudoribus perfrigescentia maligna ac praua. Item post sanguinis eruptionem nigrorum trãsitus per aluum, malum. Praua etiam sunt valde rubra. Fluxus sanguinis è naribus in quarto die in febribus pessimum signũ. Multitudinem enim significat in toto corpore, vel in capite, si non aliud quid boni coinciderit. Verùm in quinto die minùs periculosus est: quamuis de stillicidio narium id videtur magis intelli-

intelligendum. Id namque prauum esse signum, præsertim in ardentissimis febribus, maximè si quarto die fiat. Nam tunc absoluta morbi malitia significatur. Nihil enim eorum quæ decretoria existunt, exiguè secerni conuenit. quapropter aut copiam indicabit quæ tolerari à facultate nequit, aut imbecillitatem naturæ, quæ proponit superflua expellere, sed non valet. Propterea in ardentissimis febribus parum stillare, perniciosissimum, sicut familiarissimum existit largum sanguinis profluuium, præsertim in iunioribus & minoribus natu infra trigesimum quintum annum ætatem agentibus, cùm in hac ætate sanguis plurimus sit, facultas valentior, atque etiam calor exuperans. Fluere etiam sanguinem è naribus recto itinere oportet. Sanguinis enim eruptiones ex contrario malæ sunt: velut in splene magno, si ex dextra nare fluit: aut in iocinoris inflammatione, sinistra. Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens, bonum. Interdum sanguis è naribus fertur tanto impetu, vt hominem inanitione exanimet: tum certè color corporis pallidus fit, aut liuidus, aut subuiridis, extrema vehementer refrigescunt, & mortis proximæ nuncia oritur syncope. Quibus sæpe è naribus sanguis fertur, his lien ferè tumet, aut caput dolet, aut caligines oculorum suffusionesque fiunt. Si pueris sanguis è naribus fluxit, deinde profuere procedente ætate desinit, necesse est eos vel graui articulorum exulceratione affici, vel aliquo demum morbo debilitari oportere. Cui fauces sanguine interdiu noctúque replentur, sic vt neque caput neque præcordia doleant, sed nec tussis, vel vomitus, aut febricula antecesserit, huius in naribus, aut in faucibus vlcus est. Vt verò ad curationem pergamus, fluxus sanguinis criticus (vt in ardentibus, tertianis, phrenitide) ea non indiget, notis coctionis præcedentibus, & humore abundanter expulso. Naturæ enim motus non est interturbandus, nisi viribus metuitur: cùm ipsum non potest natura sistere, vt qui per decliuem locum cursum inierunt, retinere sæpe non possunt. itaque tum remedium offerendum est. Si à causa externa accidat, ipsa remouenda est, vt sol aut medicamentum calidum. Si quid reliquerint causæ prædictæ externæ in naribus factum, id deinde curari debet. Vt vlcera na- *Curatio.*

rium curãda sunt, aut vulnera. Cùm verò profluuium non erit criticum, sed symptomaticum, in primis victus ratio sit refrigerans, & astringens vias, per quas fertur sanguis. Tenuis etiam eadem sit, vbi sanguinis copia aderit. Igitur in id aer paretur per acetum, aquam rosaceam, folia vitis, rubi, salicis, nymphææ, & violarum. Cibi sint boni succi & coctu faciles, qui ex omphacio, vino granatorum, aranciorum, limonum condiantur. Et si sanguis bilio sus ac tenuior fuerit, incrassantes sint & glutinosi, vt pedes & capita vituli, veruecis, & aliorum animaliũ, caseus recens, pinguis, opus pistorium, ouа præcipuè dura, quia sanguinem paucum & crassum gignunt, præsertim parte alba: sorbilia autem & tremula largiorem & liquidiorem, præcipuè vitellis. Ob hæc illis vt carnibus, hac præsente causa abstine. Sanguine feruente ac calidiori existente, æger vescatur lactucis, intybo satiuo vtroque, portulaca, pyris, malis, cotoneis, pullis gallinaceis assis, aut cum omphacio elixis. Aqua chalybeata, aut mastichina, sanguinẽ astringit mixta potui, & coctis in ea obsonijs. Vinum non bibat, aut si eo vtatur, crassum & rubrum eligat, album & tenue deuitet, vel bibat decoctum cinnamomi, quamuis à quodam improbetur, quoniam odor cinnamomi in caput ducit sanguinem, vt ille refert. Somnus sit multus, sed interruptus, (vt quidam volunt) ne sanguis declinet ad pulmonẽ, vel ad stomachum. Parum loquatur æger: omnem denique motum corporis, omnesque animi perturbationes, irã præsertim fugiat. Partes capiti subiectas sublimes habeat: situs enim partis ex qua sanguis profluit, in contrarium fluxionis tendere & inclinari debet. Nam hac ratione sanguis in contrariam sui motus partem impellitur, & inter ea quæ sanguinem promanantem sistunt, figura aliò tendens recensetur. Caput igitur deorsum spectet, & partes illi subiectæ sint sublimiores. Quod tamen sententiæ Galeni lib. 5. Methodi contrarium est, & manifestam infert noxam. Talis enim situs non tantùm ad fluxionem sistendam non accommodatur, sed ipsam commouet. Potius igitur caput erectum teneatur, vt cuidam viro docto ex iunioribus visum est. Æger quoq; non inspiciat res rubras. Phantasia enim sanguinem commouet. De victus

Victus ratio.

ratione

ratione hactenus. Quod ad curationem reliquam spectat, de iudicatorio profluuio mentio iam facta est: quòd nulla particulari victus ratione aut curatione indigeat. Sed vbi concitata natura mediocritatem non obtinuit, & immodicè sanguis fluxerit, vt vires imbecilliores reddantur, tum frigida & astringente victus ratione, nec non frigidis & astringentibus medicamentis est vtendum: vt & in non critico fieri solet. Astringentia tamen non sine discrimine, nec omni tempore adhibenda sunt, ac nisi priùs auerteris. Nam in auertentibus præcipua versatur spes curationis. Auertitur sanguis, cùm ad contraria reuertitur, aut ad proxima deriuatur. In quo locus est brachiorum & crurum ligaturis dolorificis, aut validis frictionibus, fotibus ex aqua calẽte, cucurbitulis hypochondrio è naris regione sanguine fluentis adpositis, & interscapulio, ac summa ceruice, sine sacrificatione, vt in debilibus, vel si opus est, cum ipsa in robustis. Phlebotome quoque in id est efficacissima, nisi resolutus sit æger: secetúrque vena basilica, aut cephalica, aut communis lateris eiusdem. Vtraq; etiam vena secatur, si vtrinq; fluit sanguis: & vbi paulatim detraxeris, mox horam vnã intermittens, appositò digito, aut adacta interim ligatura, rursus detrahes pòst, iterum atque iterum, pro laborantis viribus: illis enim interuallis spiritus regeneratur, & vires reficiuntur. Expedit autem nõ ἀθρόως, sed paulatim ac moderatè sanguinem educere. Nam tutius est aliquoties diuersionem repetere: neq; expectanda est animi defectio, quia constat animi deliquio sanguinem non restitisse. Et angusto foramine fiat sectio, vt subtilis sanguis effluat, maneatq; sanguis crassior minùs ad fluendum idoneus. Et sanguisugæ post aures & in sede conueniunt, his maximè quibus suppressæ sunt hæmorrhoides. Timorem quoq; incussisse confert cyathis aquæ frigidæ duobus, tribus, interuallo iniectis in faciem ægri incogitantis. Sic enim calor cum sanguine ac spiritu ad cor reuocatur. Sed videndum est ne sit æger Epilepsiæ obnoxius, vel viribus omnib. iam prostratis. Ac si purgatione egeat, vt pote vitioso existẽte sanguine, ea quoq; instituatur pro ratione vitiosi succi: vt bile redundante, præscribes decoctũ myrobalanorũ citrinorũ, in quo manna, vel rhabarbarũ, vel syrupus

Curatio.

Sanguinis missio.

roſatus ſolutiuus diſſoluatur. Pituita verò peccante, agarici, & myrobalanorum Kebulorum decoctum, & ſyrupum prædictum propinabis. Atra verò bilis ſi redundabit, ſennæ, epithymi, & myrobalanorum indorum decoctũ cum eodem ſyrupo conueniet. His peractis conferunt ſiſtentia & cohibentia ſanguinem ſumta vel admota: eaque vel frigida tantum ſunt, ſanguinem velut glaciantia, & ob id ad fluendum ineptiorem reddẽtia, viasque denſantia & contrahentia per quas ſanguis fluit, vt noſtris in vſu eſt, ſyrupus roſatus, oxalidis, citoniorum, granatorum, præſertim vbi tenuior ſanguis fuerit. Et ſi is inflammatus eſt, ſyrupi omphacij, limonum, acidæ partis citri, cum duplo aquarum plantaginis, roſarum, oxalidis, ſolani. Nec minùs aſſumere conuenit ſaccharum roſaceum, aut ſyrupum myrtinum, ex papauere, nymphæa, quantitate moderata, cum ſcriptulis ij. aut drachma j. trochiſcorum terræ lemniæ, vel trochiſcorum electri, vel de ſpodio, (quæ etiam in nares mitti poſſunt tuſa, & fronti applicari) & præter hæc ſi neceſſitas vrget, hyoſcyamo, opio, vel opiatis recentibus. Proinde datur Athanaſia recens. Philonium à ʒ. ß. ad ʒ j. Hæc ſomnum conciliant, & hoc modo fluorem ſedant. Sed inchoandum ſemper à mitioribus, & impensè frigida capiti frigidæ parti, ſed principi, non adhibeantur: ne ſanguinem & ſpiritum animalem glacient, & extinguant. Mitiora verò ſunt quæ ſequuntur, extrinſecus appoſita fronti iuxta veteres frigida & aſtringentia: nempe ſpongia ex aqua frigida ſeu roſacea madida ſæpius adhibita, aut ſuccus hippureos, aut ipſamet herba trita & impoſita. Similiter folia ſaluiæ trita, aut gypſum oui candido ſubactum. Quibus omnibus addatur parũ aceti; ſeu linteum in aqua frigida aut roſacea cum pauco aceto madefactum, iterum atque iterum imponatur. Cochlearum item carnes cum aceto tritæ, aut cochleæ ipſæ vſtæ & tritæ applicentur. Earundem virium ſunt Anacolemata recentiorum, quæ vocant. Cuiuſmodi eſt: ℔. argillæ, vel farinæ volatilis ʒ ij. boli armeni ʒ ß. acaciæ, hypociſtidos ana ʒ ij. cum oui albumine & modico aceti fiat emplaſtrum: applicetur fronti ac temporibus: vel album oui cum thure, linteolis aut ſtupis madefactis. Sed huiuſmodi Anacollemata monent eſſe inutilia,

inutilia, cùm per venas & interiores arterias sanguis decurrit. Porrò ab vsu tam eiusmodi refrigerãtium & astringentium Anacollematum, quàm eorum quæ naribus induntur, plurimi habuerunt deteriùs, nisi reuulsa in contrarias partes materia, vt prænonuimus: inde scilicet conuulsi, aut oborta spirandi difficultate suffocati. Aliàs sanguis in capite compingeretur, & maiorum malorum causæ forent. Et quæ fronti adhibentur, eadem testiculis adhiberi possunt, si vir est: vel mammis, si mulier. Iocinori etiam epithemata apponuntur. ℞. aquæ stillatitię rosarum, solani, oxalidis ana ʒ iiij. speciorum trium santalorum, diarrhodon Abbatis ana ʒ j. boli armenici ℈ ij. cõmixtis omnibus fiat epithema. Eadem scilicet refrigerantia atque astringẽtia vertici capitis, & collo, & interscapulio, & lumbis, & hypochondrio narem fluentem respicienti applicanda sunt ex bombace, vel linamẽtis in hęc mersis, & modicè expressis. Ad hæc vertici ex alto torrentis modo hæc illidi, vel incidere, est multo efficacius, vti & aquam è stillicidio in verticem illabi. Prædictis addi possunt astringentia magis, quæ vasa siue oribus hiantia, siue tunicis rariora, siue rupta, vel incisa, vel erosa vniunt & contrahunt, vt sunt rosæ, balaustia, galliæ, malicorium. Rhu. Emplastica quoq; & meatus obstruẽtia, vt farina moletrinarum, aloë, oui album, caseus, gypsum, mucagines. Escharotica quoq; quæ vrendo escharam gignunt, quę crusta hiatui vasorum est operculi vice, vt calx viua, fæx vini vsta, aut potiùs chalcitis, & chalcanthum, quæ sunt simul astringentia & vrentia, & ab his eschara valentiùs hæret, quæ ab alijs effecta promte cadit, & aucto hiatu Hæmorrhagiam maiorem & periculosiorem reuocat. Quare hæc escharotica nonnisi vrgente malo, & vbi alia non profecerint, sunt admouenda. Vsurpantur & quæ sistunt sanguinem tota sua substantia, seu proprietate occulta, & incognita ante experientiam, vt succus basilici, porri, vrticæ, vel folia horum trita in nares immissa, (mixto tamen his impensè calidis refrigerante aliquo) vt caphura, stercus asini recens in nares cum bombace immissum: vel ipsius siccati puluis in nares per calamum efflatus. Neque est formidandus vsus stercoris asinini etiam nobilibus, ea cautione ne ægro significe-

Epithemata.

tur. Est enim omnis putrilaginis & fœtoris expers, quòd lentè comedat asinus. Et puluis sanguinis columbæ, vel limacum simul cum testa assatarum similiter efflatus, aut cum oui albo subactus, cerebella gallinarũ, lapis. Galenus ad Hæmorrhagiam etiam arteriæ, aloëm & thus cum oui albo subigit, & pilis mollissimis leporis excipit. Bolus armenius, & sanguis draconis, & oui albumina idem præstant. Reuera aloë foris admota glutinat: licet sumpta venarum ora aperiat. Nihilque sumptum & admotũ eadem vires habet. A recentioribus commendantur & sequentia: stercus porci aceto dissolutum in nares immittitur, sed asinino debilius est. Combustorum asellorum domesticorum cinis inspirãdus est, vel eorum succus instillandus. Lapidis quoque molaris vapor naribus suscipitur. Lanugo arboris quæ folijs insidet, aut quæ veluti nucamenta pendent è specie populi, vel masculæ salicis, medio mẽse Martio colliguntur, macerantur in aceto, siccantur, & vsui asseruantur. Porrò si quid interea sanguinis in ventrem, aut alia corporis loca defluxit, ipsum, si multus ac copiosus fuerit, per medicamenta grumos discutientia & educentia vacuare oportet. (In ventre & intestinis in grumos coactus sanguis incensionẽ facit.) Quare acetum mulsum bibendum offeratur.

De dolore dentium. CAP. XLVIII.

DENTES variè affici possunt, vt scripsere iuniores. Modò enim exerti aut longiores prominent, modò atteruntur mandendo & externarum causarum vi. Stupescunt frigidioris humoris influxu, & acerborum crudorumque fructuum esu. Nigrescunt, & fœdo lentore liuescunt detergendi incuria, dulcium & calidorum vsu, atq; expiratione cruditatis & crapulæ. Vacillant mobilesq; fiunt externa vi concussi, cùm eorum radix multò humore madet laxiorq; fit alueolus, eroduntur & perforantur aut franguntur, & vermibus scatent: de quibus omnibus affectibus hic pertractare superuacaneum esse ducimus. Sed de dolore dentiũ hic particulatim agemus, quoniã is grauissimus est interdum, & maximis tormentis annumeratur. Dolor igitur

dentium

dentium grauis ὀδοντάλγιας nomen à symptomate & parte affecta desumpsit. Pars autem quæ eo afficitur, plerisq; omnibus multiplex esse creditur. Nã aut dentis ipsius corpus conflictatur, cùm haud dubium sit dentes (quanquam ossa) dolere ac sentire: interdum verò neruus, qui ex tertia coniugatione distribuitur omnibus dentibus, & ad eorum radices substernitur. Non ratò gingiuæ ipsę inflammãtur. Viro tamen cuidã perdocto, & qui nostra ætate floruit, visum est solum neruum sensus participem esse, ac proinde dolere. Aitque ille dentem sentire, quoniam ipso patiente neruus compatitur, vt homo videt, non quòd totus videat, sed solus oculus. Ita caro tangit, & pars quæ in ipso est. Sic dens dolet, quoniam eius pars quæ ipsum aliqua ex parte penetrat, doloris causam sentit, nempe neruus. De hac cõtrouersia sic & alij: Dens per se vt non sentit, ita non dolet. Sentire tamen & dolere videtur, quia neruorum gustatoriorum tertię coniugationis partem recipit. Neruus ad radicẽ dentis substratus imponit nobis, vt credamus dentem ipsum dolorem ferre. Non ferre autẽ ipsum ostẽdit, quod exempto dente remaneat doloris portio. Si enim leuatur, id fit quòd neruus liberiùs perspiret, & à dente iam non tendatur & prematur. Et alij sic. Dentes ex mixtione elementorum ac temperie donati sunt, vt facilè cõmunicent iniuriam acceptam neruo substrato, aut ad radicem accedenti: quanquam ipsorum soliditas sit sine sensu. Sed de parte affecta plus satis. Affectus ipse symptoma est, &, vt in reliquis dolotibus, sequitur intemperiem, vel continuitatem solutam, aut vtramque. De causis quidam sic breuiter. Si intemperies calida causa est, inflammatio est: sed gingiuæ potiùs quàm substantiæ ipsius dentis, vel nerui. Si frigida est fluxio, maxima ex parte est vitreæ pituitæ, ex qua dolor est crudelissimus. Calida itaque existente intemperie simplici, & nuda, intensus est dolor, sed minimè grauatiuus, subrubra facies, calidum totius corporis temperamentum, florens ætas, tempus anni, regio, & aëris status, atque anteacta vita consimilis. Ex frigida autem intemperie dolor contrarijs innotescit: ex figuraq; tum capitis, tum reliqui corporis, & ex ea quæ præcessit diæta, ac reliquis. Si ab humiditate excitatus est

ὀδοντάλγια. *Pars affecta.*

Affectus quis. *Causæ.*

dolor, vniuersi corporis temperatura, ac capitis in primis, tibi manifestabitur, quæ ad humidiorem vergit, & si delicatiùs vixerit, domumque habuerit in loco humidiori sitam, tempestasque humida est, & hora verna, à qua laxiores fiunt dentes, vnà cum adhærentibus corporibus, ac necessariò mobiles: vt eorum erosio seu perforatio ex humorum acrium & erodentium influxu efficitur. Quanquam & dentium mobilitas ex humiditate citra doloris sensum accidat. Humiditas etiam per se dolorem non parit, sed ob multitudinem instrumentalium partium morbum faciés dolorem gignit. Si ex sicca intemperie dolor ortus est, is ferè intolerabilis est, totius corporis temperamentum, & maximè caput sicca intemperie affectum, sitis aderit nisi cum siccitate sit frigiditas: sputi minimum ejiciunt sic affecti, præcessitq; autumnalis tempestatis constitutio, & vita ærumnosa, tenuis diæta, regio sicca, ambientis nos aëris status consimilis. Compositam autem intemperiem signa cõposita indicabunt: vt si calida humida fuerit, totius corporis temperamentum sanè calidum & humidum fuerit. Ita de reliquis. Verùm si vnà cum prædictarũ qualitatum excessu & humorum multitudo adfuerit, cognoscendus est affligens humor cùm ex reliquis circa corpus signis, tum ex dolore consequente, vt dolores à causa calida cum punctione & inflammatione sunt, & in toto corpore est sanguinis aut bilis abundantia, aut euacuationis sanguinis est suppressio, qua ratione suppressis menstruis fœminæ frequenter eum dolorem patiuntur. Dolores à calido humore sunt vehementiores, quàm à frigido. Et fluxio siue calida, siue frigida, plurimùm tenuis est, ac ruit destillatio è capitis vertice per tempora in maxillam, aut superiorem, aut inferiorem. Et si dens exesus est in quem via patet, in eum maximè fluxio insilit. Si pituita subest vnà cum frigiditate, sequetur distentio locorum & malarum tumor comes. Si atra bilis abundabit, aderit sensus veluti si corpuscula quædam in profundo confringantur. Vbi verò omnes humores æqualiter aucti sunt, grauitas concomitabitur. Species item humoris ex sapore arguetur. Si enim amaritudinem sensu perceperint ægri, bilem: si salsedinem, pituitam: si acorem, nigram bilem portendit.

Sunt

Sunt qui non modò à capite materiam defluere aiunt, sed & à stomacho quandoque, & à toto, vt in febribus. Cæterùm dentes etiam obnoxij sunt duabus alijs affectionibus contrarijs, indigentiæ videlicet & repletioni eius quod defertur ad eos alimenti. Nam per omnem ætatem ex nutrimento eis delato crescunt, & quantum augescunt, tantum in ciborum morsu deteruntur. Proinde dentes inopia aridiores & macriores fiunt, alimentumque non sentientes, & ob id tenuiores. Vnde in senibus ob defectum attenuantur, mobilesque fiunt, & excidunt. Redundantia autem similem in eis affectionem excitat, qualis est circa carnosas partes inflammatio. Dentium dolor inter maximos dolores locum habet. quare curatio eius minimè despici debet, quoniam in doloris magnitudine vires plurimùm deijciuntur. Dentium tenuitas ob alimenti inopiam non curatur. Cùm laxantur & mouentur compage ipsorum laxiore facta, non solùm ipsi dentes, sed & locelli ipsos continentes sunt attenuati: quæ affectio accidit senibus seriùs aut citiùs, velut etiam magis aut minùs. Difficilis dentitio contingit ex cerebri nimia humiditate & caloris inopia. Stridor etiam dentium fit interdum ex cerebri humiditate. Et si affectio fuerit in gingiua, dolor non remouebitur cum dentis extractione. At si in neruo, exempto dente facilè curatur, quia materia quæ priùs cum dente erat, exitum habet. Non iuuat autem cum materia nimis crassa est, & neruo nimis adhæret. Quæ obiter in hunc locum translata sunt. Ea dentium affectio quæ proportionem ad inflammationem habet, præter id quod iuuenes magis corripit, curationem quoque recipit. Itaque si dolor ex caliditate ortus est, vescantur ptisana, alica, lactucis, cucurbita, & similibus, eisque modicis ac mollibus vtantur, ne mandentium dentes irritent. A vino abstineant, & aqua vtantur, in qua coriandrorum semina vel cinnamomum decocta fuerint. Ab ijs etiam quæ valde calefaciunt, ac infrigidant actu, præseruationis ratione: nec faciant, quod multi faciunt, cibos calidissimos edentes, bibentesque aquam frigidissimam, aut vinum. Id enim magnos concitat dolores, & dentes corrumpit, & ruinam pa-

Prognostica.

Curatio.

rat. Alimenta dulcia vitent, vt mel, saccharum, & pinguia, & lac. Ab his dentes tergere, & vino abluere conuenit. Fugiant quoque acida, & acerba, & vitiosa omnia. Studium & diligentia assidua fit in purificatione dentium, quæ vna res a corruptione dentes tutos reddit. Quæ quanquam sint omnibus intemperiebus communia, tamen hîc dicta sunt, antequam ad reliquam curationem calidæ intemperiei descendamus. Eius autem summa est, vt frigida adhibeantur, non tamen immodicè frigida. Nam ex immodicè frigidis lædi dentes consueuerunt: quippe qui sint partes frigidiores, & penitus exangues. Obseruandum quoque est, quòd vbi gingiuæ affectæ sint, remedia locis affectis nudis adhibenda sunt, quæ sint omnis mordacitatis expertia, aut mediocriter acerba, aut terrei temperamenti. Quapropter acetum, vt acutum & hostilem gladium deuitent. Suo enim acore gingiuas corrodit. Quapropter maximo eis solatio fuerit lac asininum, vbi fortè dolentes & inflammatæ fuerint. Pimpinella quoque herba trita & appositа tumorem gingiuarum emendat. Vbi verò dentes solùm patientur, aut cum eo substratus simul neruus & pelliculæ, cum ipsis curatiuis pharmacis ea quæ tenuium partium in sua substantia existunt, adijciemus, quò vis ipsorum in profundum perferatur, & calida existente affectione ad collutionem oris præparabimus in aceto albo decoctam radicem halicacabi, aizoon minus, portulacam, perdicium, & glycyrrizam. Conducit etiam violas cum vino decoquere, & ore continere. Si est caloris intolerabilis sensus, vtendum est hyoscyami folijs, aut semine papaueris hortensis, & semine lactucæ in aceto albo decoctis. Poterit & in ore detineri oleum rosaceum, seu myrteum, cum pauco vino albo permixtum: & eodem rosaceo caput debet madefieri: item & auribus instillari. Terreni quoque vermes etiam oleo decocti in propinquam aurem instillentur, dictoq; rosaceo, seu myrteo, aut ex nymphæa vel papauere parato oleo, deforis partes dolenti denti vicinæ inungantur. Si ex frigiditate nuda dolor sit dentium, cibi sint ptisana cum pulegio decocta, aut cum ruta, aut ei post cocturam addatur piper. Similiter & alica, & petroselinum. Potus sit vinum, modicum

Curatio doloris dentiũ à causa seu intemperie frigida.

eum tamen. Ad oris collutiones demum deueniendum ex origano, calamintha, hyssopo, dictamno, satureia in aceto seu vino decoctis. Veratri quoque nigri decoctum dolores à frigiditate sedat. Verùm ad eos quorum sensus citiùs afficitur, hæc in posca decoquuntur. Pinguium quoque lignorum veluti tædarum ac picearum decoctum ipsis prodest. Imò ipsas tædas oleo incoquere licet. Caput autem oleo chamæmelino, anethino, irino, seu rutaceo madefacere confert: similiter extrinsecus loca denti dolenti vicina. Itemq; auribus castoreum in oleo decoctum infundatur. Suffitus quoq; ex canis mortui dente commendatur, sic vt fumus ore excipiatur: deinde dens ipse vstus, & modico aceto tritus, calidus in ore retinendus præbetur. A proprietate totius substantiæ senecta serpentis confert in vino aut aceto cocta. Eadem exusta, & trita, ac cum oleo denti dolēti impolita succurrit. Ex humiditate si affecti sint dentes, victus ratio ad siccitatem vergat, ac cum diuturna cibo rum abstinentia. Cibi eis tribuendi sunt sorbiles, alica, panis ex iure madidus, similа, oryza, polenta cum aqua mulsa, milium, lenticula, volucres montanæ, & sicciores: ex oleribus brassica, & similia. In potu aqua mulsa, aut ad aquam modicū vini addatur. Tempore afflictionis locū fouere oportet milio & sale. Collutiones adhibēdæ astringētes, siccātes, aut salsæ, nisi gingiuæ simul affectæ sint. Quare oliuas omphacitides ex aceto acri decoctas, & alumē aceto permixtū exhibebimus. Similiter malicoriū, cytinos, myrti baccas, balaustia, oliuas, rubi folia, cupressi pilulas, rumicis syluestris radicem: & quæcunq; alia acerbam in se qualitatem complectuntur, cum aceto pauco aut vino si decoquas, conducunt, si eis os colluatur. Nec parū confert illitio ex confectione diamoron, maximè si alumen scissile habeat adiunctum, & ex ea quæ ex succo nucū paratur: pentaphylli radix desiccata similiter, & cornuceruinum. Quòd si ob ætatē senilē laxentur, his prodest alumē scissile cū myrrha troglodytica tritum. Si dolor est à siccitate, cibus erit conueniens succus ptisanæ, micæ panis madefactę ex gallinarum iure, cucurbitæ, maluæ, oua sorbilia, & quęcunque ijs prosunt, qui humectatione indigent. Potus sit vinum album, aquosum, aqua dilutum. Medicamenta

Dolorū dētium ab humiditate curatio.

A siccitate

austera & acerba vitent, tanquam maximè contraria. Minimum itaque astringentes & mediocriter humectantes collutiones apparare oportet, vt aquam calidam per se: ex aqua per spongiam vapor admouendus erit. Ex furfuris item decocto, aut radicis dulcis, seu maluæ, collutio parari potest. Similiter ex ptisanæ succo, aut amylo, cum sapa aut aqua calida diluta. Lac etiam per se maximè asininum confert. Hactenus de curatione simplicium intemperierũ: quemadmodum & si mixtæ fuerint, circa morbos mixtos ex eis ortos remedia inuenire erit facile. Per eas verò intemperaturas, quæ vnà cum qualitatum excessu cum substantia etiam quadam subsistunt, seu humorum multitudine, palam est primùm oportere redundantem humorem per purgationem idoneam detrahere, vt fluxio sistatur: dein intemperiem corrigere. Vt si ob humorum multitudinem, sanguinisque redundantiam, dentium dolor prouenit, per venæ sectionem vacuari conuenit, inciderèque oportet humeralem vel mediam. Incidatur autem ea quæ è directo malè affectum locum respicit, & si opus est, vena sub lingua secetur, aut cucurbitulæ scapulis affigantur. Si quid missionem sanguinis prohibeat, modico & tenni victu superfluum humorem detrahito. Euacuato vniuerso corpore dolentibus dentibus adhibenda sunt quæ reprimunt & repellunt, dein ea quæ partim repellunt, partim discutiunt. Paucæ tamen sunt affectiones, quæ repulsorijs tantùm indigeant: & sunt hæ duntaxat, quæ minorem causam habent. Propterea cogimur sæpius in principio discutientia commiscere, aut paulò pòst, ex Galeno. Si verò doleant propter gingiuarum inflammationem, præsentissimum est remedium citra molestiam, & absq; asperitate repellens, discutiensque citra mordacitatem oleum lentiscinum ore retentum. Cauendum autem à vehementer astringentibus, à quibus partes simile quid contusioni perpetiuntur: vt ab acribus simile quid erosioni contingit, consistendumque in moderatis: post oleum lentiscinum, asininum lac, similiter sapam, aut palmularum stillamentum commẽdant. Valet & semperuiui minoris decoctum. Dentibus in propria substantia affectis, aut substrato eis neruo, vehementissimis vtendum medicamẽtis. Colluant igitur

Topica.

igitur dentes aceto in quo galla decocta sit, vel radix halicacabi, vel myrti folia: processúque temporis adhibeantur & discutientia, vt hyssopum, melilotum, fœnugræcum, althæa, pulegium, origanum. Ad stupefacientia nonnisi summa necessitate veniendum, & nonnisi in humorum calidorum defluxu; qui si ex bilis redundantia fit, ex qua eroduntur dentes, vniuersi corporis, tum etiam capitis habenda est ratio, ipsum purgando pharmacis cholagogis, vt suprà comprehensum est. Postea verò per resiccationem vitiati humoris ex localibus factam cura perficietur: quorum sylua iam allata est in curatione doloris dentium ex caliditate orti. Si vero ex frigidorum humorum defluxu dolor excitetur, post eorum à toto corpore aut capite inanitionem (quo casu præstat apophlegmatismis vti, quæ similem vim habent astringendi mediocriter ac validissimè discutiendi medicamenta, ac calida magis adhibenda sunt, quemadmodum ruta, polium, pulegium, origanum, hyssopum, seu capparis radix, si in aceto aut vino decoquantur.) Conducunt etiam quæ dicta sunt pro curatione doloris dentium cùm ex frigida, tum ex humida intemperie. Nec minùs & iam scripta conferunt ad dentium foramina, seu ad eos liuidos factos, cùm id ex influxu patiantur. Si malum non cedat, & dolor perseuerat, dens tollatur, potissimùm si liuidus, aut perforatus, aut vacillans fuerit, idque aut ferro, aut medicamentis. Debet enim dens corrosus eximi. Si verò non corrosus est, neque moueatur, dolorem exhibet tamen, per vstionem resiccatur. Hæc ex Galeno, Paulo & Aëtio iam ab alijs collecta sunt. Sed sequens curatio recentiorum est. Si dolor est ab humoribus sanguini mixtis, misso sanguine, & humore bilioso (si adest) præparato ac purgato, os colluatur aceto, in quo decocta fuerint folia myrti, aut in quo gallæ decoquantur. Extremis doloribus euigilantibus ægrum, theriacæ vel Philonij ʒ j. in vino albo dissoluta ore teneatur versus partem dolentem, aut alterei seminis in aceto calido vaporem per infundibulum recipiant. Emplastra ex pice sola, vel comitissæ, vel ex mastiche & gummi arabico, temporibus &

Curatio doloris à defluxione frigida.

Curatio iuxta recentiores.

partí per quam fluxio fit, admoueantur, vt in Ophthalmia dictum est. Ita curtius humorum intercipietur. Purgato corpore, & capite non pleno, atque in frigida causa masticetur pyrethrum: quod alioqui magis traheret, & dolorem excitaret. Injiciantur in aurem partis affectæ, quæ calfaciunt, vt succus allij, rutæ, matricariæ, vel oleum aliquod calefaciens, vt oleum amygdalarum dulcium, liliorum, sambucinum, in quo lumbrici decocti fuerint, laurinum, costinum. Fumigatio cum re aliqua calida recepta per embotum sedat dolorem, vt ex decocto satureiæ. Si vermes adsunt, admisceantur amara, vt occidantur, & fricentur dentes theriaca. Rarò dolent dentes, nisi corrosi fuerint, & corrosio vsque ad cauitatem internam penetret, ac neruum tangat. Propterea omnium maximè dolent maxillares. In his cauitas aqua forti replenda est. Dentis cauum etiam impletur (ne quid ingrediatur quod partem illam sensilem contingat) mastiche mansa & mollita potiùs, quàm cæra. Postea siccantibus alijs vtendum, ne ea quæ dentes extergunt, eos sua acrimonia erodant. Si fœtor adsit, moschus addatur: si putredo, myrrha, modò ægri non sint obnoxij dolori capitis, aut vertigini, quia odoribus læduntur. Externæ faciei partes illinantur oleo anethino. Expedit enim ad exteriora humores ducere, nullatenus compingere. Cùm enim foras transeunt, breui dolores cessant, partibus faciei inflammatis. In eadem causa frigida, purgato corpore per catapotia, dentes colluimus aceto acerrimo, in quo fructus cupressi & alumen decoquantur. Est & optimum quod ℞. Piperis, pyrethri ana ℈ ß. theriaces ʒ ij. misce in formam paruorum pastillorum, quorum vnum denti dolenti superpones. Linteum calidum sæpè maxillæ dolenti applicandum, aut etiam sacculi ex folijs amaraci, betonicæ, cupressi fiant, qui calidi ex vino albo inspersi admouebuntur. Aqua vitæ etiam ore detinenda est, aut parti dolenti cum cotone adhibenda. Oleum ex caryophyllis extractum per distillationem confert: Quintam essentiam vocant. Item oleum chymicum saluiæ, vel rorismarini. Cùm gingiuæ tument, ficus pinguis diuisa vtiliter adhibetur.

betur. In calidiori fluxione trochisci parari possunt ex semine hyosciami, lacte, mastiche, croco, exceptis conserua rosarum, qui parti dolenti admouentur. Quidam etiam in doloris acerbatione opium addunt. Cataplasmata anodyna in doloris vehementia vsurpantur ex mica panis in lacte cum oleo rosaceo, &c. vel ex pulpa prunorum sub cineribus coctorum, & cum pauca aqua rosata permixta, cui & mucilago seminis vel radicis althææ permisceri poterit. Si caries est dentium, pars denigrata & erosa ad sanam vsque abradenda est, ne sana inficiatur, & dentes proximi. Stuporem dentium curant portulaca, vel oleum quod immaturæ oliuæ fuderunt, vel amurca in æreo vase cocta, donec mellis crassitudinem habeat, si perungatur.

De Aphthis. CAP. *XLIX.*

QVAS Ἀφθὰς Græci, Latini quoque Aphthas communi nomine appellant, Barbari Alcolas. Sunt autem Aphthæ vlcerationes in superficie oris, igneam caliditatem habentes, & non admodum cauæ. Et quanquam hoc nomen propriè de vlceribus oris dicatur: aliquando tamen & in aliarum partium vlceribus vsurpatur, vt testium, pulmonis & ventriculi. Dictæ igitur vlcerationes palatum, gingiuas, linguæ latera, eiusque radicem occupant, quæ partes ore ægrotantis adaperto oculis conspici possunt; imò & tactu iudicari, cùm calidiores quàm conueniat, tumidioréque oris summæ partes sentiantur. Affectus cùm vlceratio sit, visu & tactu (vt pars affecta) dignoscitur. Causas autem plures habet tum in pueris quibus sunt valde familiares, tum in adultis. In pueris quidem, aut quia vitiosum lac est, in quo videlicet multa serositas in corporibus mollibus magnam vim habet detergendi, quam ob mollitiem oris summæ partes sustinere nequeunt: aut quia vel probum lac minimè concoquunt infantes, Aphthæ oriuntur. In adultis verò nedum fiunt propter acredinem & salsedinem eorum quæ bibuntur aut comeduntur, verùm & propter vitiosorum humorum rodentium & vlcerantium ad os defluxum,

Aphtæ quid.

Pars affecta.

Affectus.

Causæ.

Nam sæpius Aphthas efficit halitus calidior è iecore per œsophagum & cæca spiramenta exurgens. Pituita quoque salsa profluens è capite eas generat, etiam graues, quales sæpe mensibus suppressis obseruantur. Ab atra bile tamen scribunt alij grauiores oriri. Prætermitto quas venerea lues & hydrargyri vnctio solet excitare. Aphthas ex ijs quæ bibuntur aut comeduntur contractas, ex sermone ægrotantis vel astantium percipies. Ab acribus vel alijs humoribus ex colore deprehendes. Nam si rubicundiores sint, sanguinem ostendunt prævalere: calidiores seu flauiores, amaram bilem: & in vtriusque est caliditas, quanquam valde maior in flauioribus, & ex bile pendentibus. Si albescentes fuerint, pituitosiores dicendæ sunt: liuescentes & nigrescentes atræ bilis succum testantur, ac crustæ modo nigrescunt. Ex corporum temperatura, ætate, habitu, præcedente victus ratione humorem redundantem conijcies. Omne vlcus superficiei oris velox est ad dilatandum: quòd locus in quo vlcera fiunt, caliditate non deficit, & cutis mollis ac humida facilè vlceratur. Et quia hæc vlcera à gingiuis incipiunt: deinde palatum totumque os occupant, tum ad vuam faucésque descendunt: quibus obsessis non facilè fit vt puer conualescat. Vnde scriptum est periculosissimum huiusmodi vlcus esse pueris, & quod sæpe eos consumit. Alij tamen scripsere Aphthas quæ pueris accidunt, faciles curatu, quia ex mitiori causa fiunt, & ex moderatè adstringentibus sedantur: non in adultis. Itaque illud intelligendum est, quòd ætatis quidem ratione faciliùs pueri consumantur: in alijs non ita facilè Aphthæ sanantur, præsertim quæ ob defluxum ortæ sunt. Nam hæ fiunt cacoëthes. Et quæ diuturnæ fiunt, & putredinosum quid acquirunt, Nomæ appellatæ, ægrè solubiles sunt malo semper vlteriùs serpente, nec medicamentis cedente. Considerandum autem an vlcera serpentia sint, an profunda, an superficie tenus, an crustam habentia. Igitur Aphthæ puerorum ex his quæ moderatè astringunt, curantur, vt diximus, vitioso tamen lacte conuenientibus cibis ac potibus contemperato, aut si probè non coxerint infantes, vt probè concoquant

Signa.

Prognostica.

Noma.

Curatio.

procuran-

procurandum, simulque prospiciendum ipsi nutrici bona coctione. Quare cibis lenibus alenda erit, & his quæ facilè non corrumpuntur. Potio si febricitat puer, aquæ sit; si sine febre, vini diluti. Admiscere conuenit cibis lentem, cotonea mala, & ex pyris quidpiam addere, sorbis, mespilis, ac cornis: & quia gingiuæ natura sunt laxiores & molliores reliquis partibus, minùs siccare conuenit. Quandoque etiam in cibis qui manduntur, aliquid lactucæ, seridis, portulacæ miscere licet, præsertim si Aphtha valde inflammata fuerit. Conuenit quoque lens cum aceto & aqua decocta, ac modico pane commanducata. Ea puero tribuatur, vt mandatur, si quidem mandere possit; sin minùs, nutricem eiusmodi victu vti oportet. Est quoque os infantis pharmacis illinendum. Si rubræ erunt Aphthæ, in principio cum ijs quæ mediocriter astringunt ac refrigerant, curandæ sunt. Quare ijs collutiones ex rubi decocto, succo rosarum purpurearum, plantaginis, solani, oxalidis, aut eorum liquoribus prosunt. Item ex decocto gallarum, balaustiorum, santalorum, rhois, acaciæ, admisto succo medicato è Ribes aut diamoron. Ad temperandum valent gargarismata ex sero lactis, in quo repellentia incocta sint. Eisdem quoque vtitor, si subflauas videris, sed magis refrigerantia eligas. Quo casu solani succo, aut eius decocto vtitor. Si his malum non cedat, adijcienda erunt quæ citra mordacitatem discutiunt, vt mel rosaceum, vinum dulce, in quo prædictorum aliquod dissoluatur, aut decoquatur. Albescentes & pituitosiores simul astringentibus & detergentibus moderatis curantur, vt sunt manna thuris, glycyrrizæ succus, nux cupressi, mastiche. hæc cum foliorum myrti aut oleæ decocto misceantur, & eo Aphthæ illinantur. At liuescentes & nigrescentes ex vua passa exacinata & anisо cum melle rosato illinendæ erunt. Conferet & puluis chamæmeli, melilоti, fœnugræci, qui cum melle rosato illini poterit: & si mitius parare velis medicamentum, puluerem ex aliquo dictorum cum syrupo myrtino, aut ex moris, seu portulaca permiscebis. In maioribus natu eiusdem generis pharmacorum facultati-

Aphthæ rubræ quo modo curandæ.

Aphthæ subflauæ.

Albescentes & pituitosæ.

Liuescentes.

Curatio Aphtharum in adultis.

bus auctis ipsorum viribus vtendum erit. Verùm & corporum naturas considerabis. Molles enim & humidæ sunt eunuchis, mulieribus, ac pueris; duræ & aridæ piscatoribus, nautis, venatoribus, atque agricolis. Robustioribus fortiora pharmaca sunt adhibenda, mollioribus debiliora. De quibus mox, si priùs in victus ratione monuerimus abstinendum ab acribus, salsis, acidis tum edulijs, tum potibus, & omnibus quæ vitiosos succos generant, victuque ægros alendos esse boni succi, facilis concoctionis, cum aliquo ex prædictis oleribus seu fructibus permixto. Si sanguis redundabit, venam (priusquam dictis Topicis vtaris) secabis internam seu humeralem, eaque venæ sectio si res postulabit, iteretur. Sin aliquid eam prohibeat, vt in pueris infra annum decimum quartum, sanguinis missio fiat per cucurbitulas scapulis affixas cum scarificatione, aut per hirudines eodem loco vel cubito admotas. At si hæc non sufficerint, ex venis sub lingua sanguis mittatur. Vena etiam malleoli secetur, si menstrua retenta fuerint. Si vitiosus in corpore erit succus, purgetur medicamento humori peccanti accommodato: vt bilioſis succis redundantibus detur casſia, & electarium de succo rosarum. Pituitosis detur electarium indum. Vacuato corpore admouebuntur medicamenta astringentia à principio: dein discutientia moderatè, quæ supra relata sunt, eaque si non sufficerint, omphacio cum vino austero & subastringente vtaris. Aut rhus, oleæ seu myrti albæ folia cum prædicto vino decoquantur, quo oris collutiones fiant. Nec minùs & gallarum decoctum cum vino confert. Gallas insuper contusas si in aqua decoquas, & parem mensuram mellis, permiscebis, rursusque decoquas, donec ad mellis crassioris spissitudinem reducatur, maximo remedio est, & pueris, & inueterato malo. Prædictis etiam admiscere poteris, si malum eis non cedat, fœnugræcum, melilotum, glycyrrizæ radicem, myrrham, aut anisum, aut etiam sal ipsum, si robustiora corpora fuerint. Mandendæ oliuæ muria conditæ, quæ astringunt & discutiunt: nec minùs portulaca melle tincta, mandenda est. Ex eruì quoque farina & melle Aphthæ extergendæ sunt:

de n

dein galla cum melle illinenda, similiter mysi, aloë, alumen, & rhoë cum melle. In perfectis corporibus & duris mylios vsus cum vino astringente commendatur. Si in putredinem vertentur, ex gallarum decocto & melle fiat illitio. Confert & centaurij minoris cinis illitus cum melle: priuatim cornu ceruinum tritum, atramentum sutorium, ærugo, æris squama: siccum item pharmacum, quod ex floribus rosarum, rhoë, croco, & costo constat. Nomis autem, id est Aphthis serpentibus, confert fœniculi radicis vstæ cinis per se, & cum melle: item amurca in æreo vase ad mellis crassitudinem decocta, & illita Prodest & gallarum aluminis puluis per se, aut cum melle illitus. A recentioribus tradita sunt quæ sequuntur. Si à causa procatarctica ortum habuerint Aphthæ, sufficiunt Topica quæ vim habent abstergendi & insigniter resiccandi, qualia ad Polypum & vlcera narium præscripta sunt. Oris partes colluuntur aqua rosarum, solani, vel acetosæ. Omphacium item dissolutum in aliqua ex istis aquis astringentibus mirum in modum confert. In robustioribus Aphthę tanguntur aqua forti diluta aqua plantaginis, vel aqua in qua sublimatum est decoctum. Linteolum in ea madefactum apponitur. Si vlcera sint à causa interna, appareantque internæ oris partes inflammatæ, celebrata missione sanguinis, gargarismata seu collutiones fiunt ex frigidis vel astringentib. Et si vlcera sordida fuerint, mel rosatū, vel syrupū rosatum solutiuū, vel ex rosis siccis addere oportet, & frequenter os abluere. Vlceribus detersis, ad collutiones oris repellentes aucta facultate resiccandi veniendum: vt alumine dissoluto in aqua ex corticibus granatorum distillata, vel herbæ resiccantes & astringentes in vino sunt decoquendæ, & aqua ferrata. Leuiora vlcera sanat oris ablutio cum succo plantaginis, aut foliorum oliuæ, aut colluimus os aqua plantaginis, aut etiam media parte mellis rosati. Profundiora curat mel rosaceum solum, vel cum puluere aluminis vsti. Aliud: ℔. rosarum, balaustiorum, foliorum myrti ana p. j. aluminis, cumini vsti ana ʒ ß. bulliant in ℔. iij. aquæ ad consumptionem medietatis. colaturæ adde mellis rosati ʒ iiij. Si vlcera crustam habuerint, hæc decidet collutione facta ex

Quæ præscripta sunt ad Aphthas à recentioribus.

decocto fœnugræci. In pueris hordeato vtendum est cum saccharo rosato, loco pulticularum. Os etiam colluatur iuleb rosato, myrtino, addita parte succi granatorum. Vel fiant collutiones ex materia quę leuiter astringit, vt rosis, capreolis vitium, & cæteris aqua coctis. Inde pulueres inspirantur vlceribus. Sæpius vtimur aquis destillatis, quibus miscetur diamoron, diacatyon. Vbi sordida vlcera sunt, & serpunt nimiùm, ad remedia malignorum vlcerum venitur, scilicet vt purges, incarnes, cicatricem ducas.

NICO-

NICOLAI PISONIS MEDICI DE MORBIS COGNOSCENDIS ET CVRANDIS LIBER secundus: ex scriptis classicorum Medicorum, tum veterum, tum vel maximè recentiorum.

De inflammatione columellæ, CAPVT I.

ABSOLVTIS capitis, nec non faciei, oríſque vitijs, ad faucium ac thoracis morbos, & ſymptomata progreſſum faciemus. Atque ab inflammatione columellæ ordiemur. Caruncula quæ à ſummo ore dependet, & tanquam aliquod vocis plectrum exiſtit, Græcis παργαρὼν & κίων dicta eſt, Latinis gurgulio, & columna: à poſterioribus κιονίς, ſeu columella. Hanc natura indidit gutturi pro tegumento, quæ voci ad magnitudinem & pulchritudinem confert: eaque aër ingrediens ſcinditur, & vehementia eius impetus frangitur. Ita nomen columellæ & parti & affectioni videtur attribui. Vuæ autem nomen conuenit affectioni potius quàm parti, cùm videlicet acino vuę ſimile ſummum gurgulionis apparet. Quę affectio rarò circa columellam cõtingit: quemadmodum

παργαρὼν. κίων.

Vua nomen affectionis potius quã partis.

& rarò alia affectio, quam Lorum vocant, circa eandem partem accidit, cùm nimirum ex suffitu ignitus ipse gurgulio gracilescit, & loro similis propendet. Vtrumq; verò nomen à similitudine tractum est. Nam si gurgulio præter naturam auctus est, & longior tenuisque æquabiliter factus, vt columnæ modo plurimùm extendatur, Columella nuncupatur. Si crassior in rotunditatem creuerit, feraturque deorsum, potissimum si post inflammationem ex gangræna nigrescat vel liuescat vuæ modo, Vua dicitur. Et hæ sunt duæ inflammationis gurgulionis differentiæ. Euenit etiam vt citra inflammationem ac dolorem nimiũ humectus gurgulio laxior fiat, & propterea linguæ radici ac faucibus propè incumbat: quemadmodũ in distillationibus continuis contingit. Hanc affectionem Græci γαργαρεῶνος χάλασιν, Latini laxatam columellam, Barbari casum vuulę appellant. Inflammatus ergo gurgulio, si lingua deprimatur, visu dijudicari potest, & quòd sit morbus in compositione, cùm sit inflammatio, notum est. Idq; ex dolore, tumore, ardore, & rubedine eius, cum febre ac deglutiendi difficultate cõfirmatur. Oritur aũt hic affectus fluxione à capite ad gurgulionẽ decumbente, quę fluxio tum sanguinis, tum aliorũ humorũ esse potest. Sed ea sæpius fit ob calidos humores sanguini mixtos. Laxata vel inflamata loca titillatione afficit, metuq; prefocationis solicitat. Crescente inflammatione, ima eius pars grandescit: reliqua tenuis est, neq; alijs notis ad dignotionẽ opus habet. Aucto in tumorem ac inflammato gurgulione, omnibus moliminibus præter Chirurgiam curetur & extenuetur. Nam quoad rubidus magnúsq; fuerit gurgulio, cum periculo secatur & scarificatur, ac talem scarificationẽ seu sectionem sanguinis fluor & inflammatio comitabitur. Chirurgia interdum si vti oportet, cùm videlicet pars gurgulionis summa, maior ac liuida seu orbiculata fuerit, superior verò tenuior, quem affectum Vuam appellari diximus, aluo subducta præstabit manum admoliri, ne æger stranguletur: potissimùm vbi alijs medicamentis malum nõ cedat: neq; ad eius incisionem festinandum est. Quapropter vehemẽs vuæ inflammatio terrere debet. Quibus præfecta est columella, his pulmo facilè lædit ur, fereque eos homines tabes

Lorum.

Columella laxatio.

Pars affecta.

Affectus quũ præter naturam.

Causa.

Signa.

Prognostica.

Curatio.

tabes perdit. Conuenit victus ratio, qualis reliquis inflammationibus, maximè quies, taciturnitas, inediaque. In cœna parum aut nihil comedendum. Cibi sint liquidi & forbiles, vt amygdalatum, hordei cremor, ius pulli cum hordeo elixo, cum lactuca, aut portulaca. Interdicendum est vino, acribus, duris. Potus sit prunorum passorũ decoctum, aut aqua hordei, aut radicis dulcis. Ægri dormiant super latus, capite plus humeris leuato, ventrem mollem seruẽt. Curatio. Frictionibus & vinculis vtantur. Reliqua curandi ratio hæc erit. Si plenitudo corporis adsit, à venæ sectione res ordienda est. Incidenda verò media vel externa in gibbero, prout maior vel minor erit plenitudo: dein quę sub lingua est. Si corpus humorum malitia sit vitiatum, ij purgẽtur, nec sit validum medicamentũ, sed leniendo vacuans. Alnus præterea acribus clysteribus seu glandulis eluatur, vt humorum momentum qui ad affectam partem feruntur, alio transferatur. In quẽ vsum & cucurbitulæ capulis ac natib. affiguntur cum scarificatu. Topica vero eius naturæ esse debent, vt fluxionem reprimant: quemadmodũ in alijs morbis qui ex fluxione contingunt. Si moderatus sit influxus, ea quæ moderatè astringunt, adhibeãtur, qualia sunt quæ austera nuncupantur. Quibus & acerba addantur, quæ vehementiùs astringunt quàm austera. Collutiones itaque moderatæ ex palmulis decoctis parentur, vel aqua sola, aliquando melle modico incocto: vel ex rosarum decocto, pampinorum vitis, rubi, cytinorũ, siliquarum, radicum mori, & malorum austerorum, ac pyrorum, sorborum, & huiusmodi. Fortiores verò sint, si fortior est influxus, myrti & baccarum eius decoctum, & ex acerbis cotoneis malis, aut virgultorum tenerorum ilicis, arbuti, smilacis, & vniuersi generis quercini: similiterq; & glandium, mespilorum, & cornorum decoctum. Generosissimum est decoctum gallarum, rhois culinarij, & coriarij, myricæ fructus, vtriusque mali punici floris & putaminis: horũ vnumquodq; & singulatim, & cum alijs in aqua gargarizandum exhibeatur. Aridis quoq; tritis columellam contingere opus est: ita vt summissè & paulatim ad superiorem regionem efferantur. Ex his moderatæ sunt rosę & flos ipsarum & prædictarum plantarũ germina exiccata,

Topica.

& hypociſtis,& omphacium ſiccũ. Si frigidior erit fluxio, aloë,cyperus,& iunci odorati flos confert. Pariter ſi fortioribus egeas,rhus obſoniorum,balauſtium,cytini,galla, & ſimilia. Vbi gurgulio à nimiùm aſtringentibus compreſſus fuerit,tragacantho,ſarcocolla, & amylo vtendum erit. Vbi verò generatus affectus maiorem cauſam habere videbitur, quòd pars ſit debilis, & corpus plenum, ſolis repulſorijs non curabitur. Ob id etiam in principio, ſæpius autem poſtea cogimur admiſcere quidpiam ex diſcuſſorijs,& ſi dolor vehemens fuerit,etiam mitigatorijs. A mollioribus itaque diſcuſſorijs auſpicandum eſt. Ab acribus namque inflammata exacerbantur. Cuiuſmodi ſunt chamæmeli flores,fœnugræcum, ſertula Campana, anethũ, althæa,radix iridis,vel erui farina thus,myrrha. Et ſi mitigatorijs indigeas,ex contuſa radice dulci,melle,& dulci aqua pari menſura, ſimul coctis medicamentum paratum cum prædictis admiſceas: aut id ſolum gargarizandum præbeas. Procedente verò tempore, vbi iam dictis inflammatio non ceſſerit,diſcuſſoria medicamenta tutò adhiberi poſſunt, niſi ad duritiem vertatur ipſa gurgulionis inflammatio. Tunc enim emollientibus potiùs vtendũ eſt. Verùm ſi ad ſuppurationem inflammatio vergat,mitioribus collutionibus,& gargariſmis, eiſq; concoquentibus vtendum. In quo caſu præſtat decoctum ex carycis ſolùm aut aqua permixtum, ſeu ſapa, aut ptiſanæ ſuccus, in quo vuæ paſſæ ſint incoctæ: radicis inſuper dulcis decoctũ, aut calida lotura furfurum. Ea verò ſuppurata poſt puris eruptionem,extergentibus & ſiccantibus curari debet,nempe aqua hordei cũ melle roſato mixta,aut aqua mulſa. Quòd ſi citra inflammationem humectus gurgulio ſit laxior,& propterea radici linguæ ac faucibus incumbat, eandem poſtulat curationem quam inflammatio exigit pro ratione confluentis ſucci. Venæ ſectio ac purgatio præcipiatur, quibus corpus totum ac caput primum vacuetur. Poſtea collutionibus,gargariſmis,ac reliquis medicamentis vtaris, aſtringentibus ſcilicet & exiccantibus, præſertim vbi ſubalbidus fuerit, & exanguior; ex origani in aqua & aceto decocti ac caricarum cremore admiſto ad gargarizandum, aut loco origani hyſſopo vtitor. Arida quoque medica-

Laxata columella curatio.

medicamenta parabis ex gallæ, aluminis sciſſilis, ac salis ammoniaci partib. æqualibus. Quibus tritis ac simul mixtis expleto cochleari, vuam contingito. Cùm verò nullis cesserit remedijs gurgulionis malum, tam si oblongior præter naturam fuerit, quàm si in rotunditatem creuerit, ne continuo irritatu tussis, vigiliæ interdum & strangulatus subsequatur, excidendus est tandem. Modus verò excidendi eum ab alijs petatur. Sic alij scribunt: Vbi liuescit, præciditur, vel vritur pyroticis, vel scarificatur. Sed videndum est dum præciditur, ne maior pars quàm oportet, auferatur. Sic enim vox perit, & spiritalia nimiùm refrigerãtur. Nonnunquam exulceratur gurgulio: vbi ad curationem vlcerum recurrendum, vt purges, incarnes, cicatricem ducas. Sed in materia quæ hæc efficiat, esculenta aut alimenta medicamentosa, & quæ nihil habeant virulentum, sunt eligenda. quanquam aliquando, vbi ea vlcera putrida sunt, chalcantho, & similibus metallicis vti licet. Sed ne deuorentur, cauendum est. Ad eosdem scopos referunt suam curationem iuniores, qui circa initia huius affectionis vtuntur succo fructuum acidorum vel acerborum, vt succo vuę acerbæ, pomorum, nucum, pyrorum, prunorum, ceraſorum, sorborum, & similium: item herbis plantagine, portulaca, solano, & alijs: vel aquis stillatitijs, ex quibus parantur gargarismata. Cuiusmodi est aqua caprifolij, rosarum, plantaginis, myrti, corticis malorum granatorum. In principio acetum rosaceum additur. Si est digerendum, adduntur fructus digerentes, mel, saccharum, diamoron, dianucum, quæ meliora sunt in incremento. Fructus verò detergentes & digerentes sunt ficus, passulæ, & amygdalæ contritæ. Atque ex suprà dictis fiunt gargarismata. Sed quo tempore vtendum est detergentibus & digerentibus, conueniunt magis eclegmata quæ parantur ex puluere diairis, saccharo cando cum syrupis perfectè coctis, & his aliquando additur aliquid piperis, vel cinnamomi, vel zingiberis. Paradeigmata hæc sunt. In principio, ℥. aquarum rosarũ, plantaginis ana ʒiij. syrupi rosarum siccarum, vel granatorũ, vel myrtĩ, vel citoniorum ana ʒiiij. aceti parum. fiat gargarisma. Pro incremento & statu, ℥. hordei p. j. liquiritiæ rasæ ʒj. pas-

Curatio iuniorum recentiorum.

sularum cum arillis numero paria xx. rosarum rubrarum p.j. fiat decoctio in aqua cisternæ. In libra vna dissolue sapæ, vel mellis rosati, vel diamori ʒ iiij. In declinatione, 2ℒ. glycyrrizæ ʒ ij. foliorum hyssopi, vel origani m. j. passularum mundatarum, ficuum pinguium ana paria xx. anisi ʒ iiij. florum anthos, stœchados ana p.j. fiat decoctio ad ℔.j. In colatura dissolue oxymelitis, vel mellis rosati ʒ iij. sapæ ʒ ij. in partib. extet nis adhibentur cataplasmata deficcantia. Abstinendum verò ab oleis & vnguentis nimis relaxantibus, quæ in Angina vsurpantur. In hoc enim differt columellæ inflammatæ curatio ab Angina, & in repellendo. Nam in columella inflammata initiò repellimus tantùm. In Angina etiam à principio detergemus ob tumorem, & pituitam ibi retentam ab inflammatione. Vbi relaxata est columella (quod fit ab humiditate defluente à cerebro) neoterici curant solo cõtactu piperis longi, quod calfacit, siccat, & leuiter astringit. Caput quoque si est in eo plenitudo, vacuandum est pilulis pituitam ducentib. Pars deinde tangenda prædicto pipere, vel sale, vel gargarismis astringentibus resiccanda & astringenda. Sufficit interdũ oxycratum, vel vinum malorum granatorum, vel aquæ astringentes. Si perseuerauerit in eadẽ magnitudine, etiam si fit sine inflammatione, summitas eius abscindenda est, vt breuior fiat. Nam si longior fuerit, quàm pro sua natura, partem superiorem œsophagi tangit, & nauseam parit, semperque bolus videtur esse in faucibus. Vlcera etiã fiunt circa eam partem, præsertim à morbo Gallico, quæ vt Aphthę curanda sunt. Cùm tabescit hęc pars & veluti lorum efficitur, ea affectio à nimia siccitate, vel atrophia illius partis oritur, & non curatur. Fit nonnunquã vt gargareon & partes proximæ ex valido astringentium vsu exasperentur: ac proinde decocto balaustiorum, rosarum, & myrti admiscemus tragacanthum ac succum radicis dulcis, aut lac, & amylum gargarizandum damus.

Vlcera.

De Antiadibus & Paristhmijs. Cap. II.

Glandvlæ duæ, seu carunculæ exiguæ naturales ex aduerso iacent, in oris termino: fungosæ illæ quidẽ & spongiosæ, paulò supra laryngem sitæ ad radicẽ linguæ, saliuam

faliuam copiosam cõtinentes, qua & aspera arteria, & stomachus, nec non tota ipsa oris amplitudo humectatur. Græcis Ἀντιάδες, vel (vt quibusdam videtur) παρίσθμια (quòd scilicet circa isthmum, & sibi ex opposito sint) dicũtur: Latinis verò glandulæ vel tonsillæ, Barbaris Amygdalæ nominantur. Alij tamen sic distinguunt, vt Antiades sint glandulæ prædictæ, & quòd idem nomen earum tumori ac inflammationi sit commune: Paristhmia verò sint ad isthmum attinentia loca. Isthmus autem est pars quæ gulam & os interiacet, metaphora ducta ab isthmis, qui sunt angusti quidam terræ tranitus inter duo maria siti. Horum quoque locorum inflammationes Paristhmia quoq; dicuntur, seu Tonsillæ. Atque hæ nonnunquam solius tunicæ sunt ventriculo, gulæ, totiq; ori communes, nonnunquam & subiectorum ipsi musculorum. Nos vt minimè confundantur appellationes, hic per Antiadas tumorem dictarum glandularum, vel inflammationẽ intelligemus: per Paristhmia verò tumorem dictorum locorum isthmo attinentium, vel eorundem phlegmonem. Ita à partibus prædictis inflammationes ipsæ nomenclaturã recipient. Partes igitur affectæ sunt aperto ore conspicuæ, siue glandulæ, siue contiguæ his partes perpetiantur. Rarò enim accidit inflammatio in vna parte, quin & alię ob vicinitatem lædantur. Affectio autem quis nam morbus sit, in præcedentibus iam sæpius dictum est, cùm de tumoribus atque inflammationibus ageretur. Causæ harum inflammationum similes sunt ijs, quæ gurgulionis inflammationem efficiunt: præcipuè distillatio frigida, si tumor est tantùm, at citra inflammationem: sanguis verò, aut alij humores, si tumor cum inflammatione. Priuatim verò in modò dictis partibus inflammatio excitatur infantibus adhuc lactantibus ex hausta lactis, & pueris, quòd multo cibo se expleant: reliquis à nimia meri potione, ac à multa auidioriq́ue deuoratione ciborum, maximè acrium & asperorum. Tumor tactu visuq́ue animaduertitur, hicq́ue seu frustulum quoddam faucibus inhærescens mole sua premit, obstatq́ue ne cibus & potus permeet, idq́ue sine siti & ardore. Apparent autem glandularum maiores tumores, citra quidem inflammationem earum,

Ἀντιάδες. παρίσθμια

Isthmus

Partes affectæ.

Affectus.

Causæ.

Signa.

ſubſtantia concolores, quæ alioqui ſi inflammatæ fuerint, rubicundæ ardentéſque ſunt, ac dolorem inferunt. Sin verò inflammantur partes eis proximæ, accidit ita affectis deglutiendi potionem ac ſaliuam difficultas, nec non dolor, & aliquando febris: veluti etiam glandulis ipſis inflammatis nedum deglutitionis, ſed & ſpirationis difficultas aderit, & ſitis. Frequentiſſimè accidũt Patiſthmia ſeu Tonſillæ, quòd partes calidæ & humidæ inflammationem facilè incurrant. Eadem affectione magis corripiuntur qui plurimo ſanguine abundant, nec nõ infantes & pueri, qui tenera miſtura præditi ſunt. Tonſillarum tumor deglutitionis moleſtia plus terroris, quàm periculi exhibet. Facta rupraque ſuppuratione, materia in os & fauces fertur, oriturque vlcus ſordidum, cuius putri nidore ipſe quoque ſpiritus fœtet. Oritur etiam eiuſmodi vlcus frequenter citra phlegmonem ex humore ſalſo, vel acri, qui molles, humidas, calidaſq; tonſillas prorſus exedit nonnunquam, & ex contagionis labe incipienti lui venereæ familiare eſt.

Prognoſtica.

Vlcus earundẽ partium.

Victus ratio.

Igitur incipiente inflammatione cibus ſubtrahendus eſt, & quæ offerentur edulia, modica ſint, liquida, ſorbilia, ac ventri commoda, quæque facilè deglutiantur. Cuiuſmodi erunt ius pulli, vitelli ouorum tremuli, & alij cibi lenes, & qui minimè exaſperent. Verùm vbi tanta ſit inflammatio, vt ſpiritum impediat, à cibo abſtinendum: neque quicquam præter aquam calidam aſſumendum. Exhibendus ergo aquæ potus, febre ſcilicet irruente, ſeu aqua hordei, ſeu aqua in qua coriandrorum ſemina fuerint decocta, aut etiam cinnamomi exiguum. Si febris non adeſt, potus ſit decoctum fœniculi & aniſi, aut radicis dulcis. Qua ratione victus præſcripta, ſi leuis eſt inflammatio, circa initia fiant gargariſmi aſtringentes & reprimentes, velut eſt roſarum aut palmarum decoctum, mixarum, aut lenticulæ ac furfuris; quæ in principio fluxionis gurgulionis aſſumuntur. Cauendum tamen ne mel in principio ad gargariſmos adijciamus, ne per acrimoniam malum irritemus. Remittente verò & decreſcente inflammatione mel in gargariſmos admiſcere expedit: quo etiam tempore gargariſmi calidiores proſunt. Quandoq; etiam circa initia medicamenta actu plurimùm tepida

Medicamẽtorum ratio.

exhibenda

exhibenda sunt. Frigus enim non tolerant inflammata, sicut nec plurimum calorem. Vbi vehemens erit inflammatio, adeo vt periculum suffocationis suspectum sit, priusquam adhibeantur astringentia, vena cubiti incidatur externa vel media, prout maior vel minor plenitudo extiterit. Si venter probè non egerat, clyster aut glans immittatur. Si cum sanguine calidi ac vitiosi succi redúdarint, præsertim si febris adsit, medicamento vtendum quod purget leniendo. Post euacuationem vtendum est reprimentibus medicamentis, vt in leui inflammatione dictum est. deinde succum ptisanæ, in quo decoctæ sint vuæ passæ, gargarizent, aut calidam furfurum decoctionem, aut sapam tepefactam, aut decoctum radicis dulcis, aut ficuum, & hyssopi. Extrinsecus autem leuiter fouere conuenit spongijs expressis ac madidis in aqua, in qua flores, chamæmeli, meliloti, althææ, maluarum folia, fœnugræcum, & fertula Campana sint decocta. Cataplasmata quoq; imponenda sunt ex farina hordei, vel seminis lini & fœnugræci, aut his simul mistis. Ac si ex vsu acriorum collutionum ac gargarismatum inflammatio exasperetur, ac mordacitas accidat, leuiores gargarismi colluendi sunt, qualis est succus ptisanæ tepidus, aut lac etiam tepidum. Permanente verò ac immorante diutiùs inflammatione, atque vbi Tonsillæ rubri coloris fuerint, neque meliùs à prædictorum remediorum admotione habuerint, Tonsillę abscedunt. (Id autem dignoscitur, quòd inflammationis signa augescãt, exacerbationes ad vesperam sint fortiores cum horrore & inæqualitate, aliquãdo etiam cum febre) Quare hoc tempore coadiuuare oportet, vt quàm citissimè suppuratio fiat, exhibeanturq; gargarismi calidiores, velut aqua mulsa calida, decoctum caricarum ac hyssopi cum radice dulci. Foris autem imponatur emplastrum ex caricis, farina seminis lini, & melle, aut farina fœnugræci cum decocto caricarum, radicis althææ & melle. Confecto pure dolores minuuntur, & inflammationis tumor mollior redditus digito cedit. quare tunc acres collutiones adhibendæ sunt, vt abscessus rumpatur. Eiusmodi sunt pulegium, hyssopus, thymbra, calamintha, in sapa aut aqua mulsa decocta, & gargarizata. Si pure substante non rumpuntur hi

Tonsillarũ abscessus.

tumores, incidēdi sunt. Deinde ex mulso calido per se gargarizandum: postea admisto lenticulæ vel rosarū decocto. Idque faciendum, donec in totum soluantur, & ad cicatricem ducantur. At si in prædictis partibus crustosa, pestilentia, & serpentia vlcera oboriantur, ex præcedente influxu seu inflammatione, vel præcedentibus Aphthis, vt in pueris & virginibus circa ætatis vigorem mensium purgationum appetētibus, præmissa corporis purgatione ac diuersione, exhiberi debet medicamentum diamoron, ex aqua calida vel aqua mulsa, quæ rosarum inspersum pulueremobtineat, vel costum, vel rhus siccum seu decoctum. Fiunt & gargarismi ex lenticulæ, myxarum, palmarum, furfuris decocto cum melle, & ptisanæ succo. Et post principium hydromeliti iridem, costum, aristolochiam infarciendam iubent: vel siccum pharmacum ex rhoe, flore rosarum, croco, & costo adhibendum. Similiter partes duæ gallæ omphacitidis sumantur, aluminis vna, salis ammoniaci tantundem, & aridum ex eis medicamentum approximetur. Si ab acribus irritantibúsve medicamentis ægri dolorem sentiunt, cum decocto radicis dulcis, amylo, seu tragacantho lenire oportet. Et vbi depastio vlcerum constiterit, lac gargarizandum: Mirabiliter crustas aufert stercus caninum cum melle illitum, quod erit optimum si canes antea per biduum fuerint nutriti ossibus. Hæc omnia ex vetustiorum placitis petita sunt. Quibus & consentiunt posteriores: iuxta quos circa initia fiunt gargarismata ex medicamento diamoron & diacaryon cum aqua plantaginis stillatitia, aut succo. Aut fit decoctum ex rosis, palmulis, dactylis, myxis, quæ tepida gargarizantur. Emplastrum item exterius admouendum, quod farinam hordei, seminis lini, fœnugræci, & oleum chamæmelinum recipit. Scribunt enim loca hæc non admittere repellentia, sed quæ extra ducant. Superponendus quoque rosarum puluis, aut myrti foliorum. Et partes hæ leuiter tangendæ, neque comprimendæ, vt quidam faciunt, donec exprimant totam pituitam; ne inflammatio ac dolor concitetur. Inclinante verò morbo iubent gargarismata parari ex oxymelite cum origano dissoluto, aqua mulsa, & sale. Cùm indurantur, succi mali punici dulcis expressi

Vlcerū quæ in dictis partibus oriuntur curatio.

expressi cum corticibus vnciæ duæ, & mellis totidem lento igne coquantur. Deinde Tonsillæ liniantur. Aliud: Recipe mellis despumati, succi radicis dulcis ana sescunciam, aluminis vsti drachmam dimidiam. Ad suppurationē imponitur emplastrū ex caricis, farina seminis lini, & melle, vt dictum est, ex præscripto vetustiorū. Facta suppuratione lingua aperto ore instrumento ad id accōmodato deprimitur, & ferro tumor secatur, nisi sponte erumpat. Modico autem tumore existente furfurum cremori ad gargarizandum parum mellis addendum est. In vlceribus suprà dictis ex recentioribus etiam obseruādum, quòd cùm omnia vlcera oris interna serpentia sint, idque ob partium mollitiem & laxitatem, (quod non accidit in partibus externis) vehementioribus exiccantibus & astringentibus gaudent, quàm externa vlcera, tū ne ampliùs serpant, tum quia semper à saliua fiunt humidiora. Vnde & medicamētorum vis refringitur. Si induratæ sint dictæ glandulæ, curantur vt scrophulæ. Posteriores etiam experimento docent cessare Tonsillas, perfrictione paulò supra brachiale facta in externa brachij parte: quod reuulsionis ratione prodesse potest. Confirmant & quod Galenus dixit de lino cocco tincto, quo vipera illaqueata fuerit, si collo & tonsillis alligetur, prodesse videlicet earum partium malis.

De Angina. CAP. III.

ORATIONIS verò series postulat, vt de Angina pertractemus. fieri enim consueuit non procul à commemoratis partibus, & fauces id est summas gulæ gutturisque partes præcludit. Ea igitur plures apud Græcos habet nomenclaturas, prout eius multæ sunt differentiæ loco distinctæ. κυνάγχλη enim vocant, internis gutturis seu laryngis musculis inflammationem patientibus. Externis verò affectis, Paracynanchen appellant. Pari modo interiorib. faucium seu pharyngis musculis laborantibus, Synanche dicitur: externis verò Parasynanche nominatur. Quæ omnes appellationes, ἀπὸ τῆ ἄγχω quod est suffocare, deductæ sunt, ab eo quòd morbus strangulat & suffocat. Porrò Angina est inflammatio musculorum

Angina & eius nomenclatura & differentiæ.

Angina vnde dicta.

Angina quid.

gutturis vel faucium, vt per guttur eam aſperæ arterię partem intelligamus, quæ eſt velut caput eius: per fauces verò locum oris internum, quo ſimul gulæ & gutturis partes conueniunt. Seu Angina eſt morbus acutus in gutture conſiſtens, cum anguſtiæ ſenſu & ſpirandi difficultate. Id enim propriè ſignificare videtur τῆς κυνάγχης nomẽ apud Hippocratem, cùm videlicet (etiamſi nullus tumor in gutture appareat) ſola eſt ſpirandi difficultas, nullo exiſtente in pectore vel pulmone vitio, & ſenſus eſt anguſtiæ in gutture. Sic igitur & quid ſit Angina, & quæ in ea partes afficiãtur, dictum ſit: muſculi videlicet laryngis, & faucium, tam interni, quàm externi. Quanquam & muſculi exteriores ceruicis nonnunquam in Angina afficiantur. Ac quæcunque partium prædictarum affecta ſit, erit affectus in compoſitione primò, & præſertim in magnitudine: cùm ſit inflammatio. Eius verò cauſa & ortus eſt ex fluxione præſertim à capite, quæ magna ex parte bilioſa eſt vel ſanguinea, quæque è venarum iugularium ramis eò pertinentibus in has ſedes influens, vel phlegmonem, vel eryſipelas parit, prout calida, acrisq; ac tenuis humoris eſt influxio. Quanquam & ex frigida ac glutinoſa materia prouenit interdum. Sed gutturis partes ex calidioribus ac tenuioribus magis, fauces verò ex frigidioribus inflammantur. Vel, vt alij tradunt, ex affluenti ſanguine fit Angina, eoque ſolo, aut alteri humori calido vel frigido, craſſo vel tenui, mixto. Cauſis Anginæ præter ardorem ac frigiditatem annumerant plagas & ex piſcibus oſſicula ad tonſillas impacta, & potum aquæ frigidæ, ac ebrietatem & ſatietatem, & quę alia ex reſpiratione trahuntur mala. Addunt alij, aliquando non eſſe vniuerſi corporis plenitudinem, ſed humorem in partibus gutturi vicinis tantùm redundare. Quandoq; etiam cauſam in quoſdam cibos reijciũt. Ad cauſas Anginæ præterea referuntur, quæ neruos ad muſculos laryngis pertinentes reſoluunt. Et hæc quidem hactenus de vera Angina dicta ſint. Notham enim quandam ſtatuunt iuniores, cùm pituitoſa diſtillatio in fauces ceruicisq; muſculos decumbit, de cuius ſignis paulò pòſt agetur. Huicque finitima eſt quæ nullo ſit fauciũ proprio affectu, ſed cùm ceruicis vertebræ intrò luxatæ, fauces ac gulæ gutturisq;

Partes affectæ.
Affectus qui.
Cauſa.
Angina notha.

introitus

introitus premunt, & arctiùs coanguſtant. Anginæ communia indicia ſunt hæc: inflammatio cum tumore, rubore, dolore, tranſglutiendi tum cibi, tum potus, nec non ſpiritus ſeu ſpirationis difficultate, idque nullo exiſtēte, vel in thorace, vel in pulmone vitio, vt ſuprà dictum eſt. Quo pacto verò pars quæ afficitur, vna ab altera diſcerni poterit, ſic iudicandum, quod vbi interni muſculi affecti fuerint, nihil coloris, vel caloris, vel molis conſpicuum erit, nec in ceruice, nec in faucibus: adeoque ſpirationis difficultas augetur, vt nonniſi recta ceruice trahatur aër. Præterea ſenſus eſt anguſtiæ, ac dolor plurimus in gutture, difficultas deglutiendi tanta, vt potum quandoque ad nares verterant. Ac febris conſentiente corde adeſt, & aëris frigidi cupida attractio. Vox quoque ſimul cum ſpiratione læditur. Externis verò muſculis inflammationem patientibus, prædicta omnia erunt remiſſa, & minùs vehementia. Ac ſi dolor ferè prædictis ſimilis, caloréque, & rubor, & moles fauces offendant, quæ omnia aperiendo os & linguam comprimendo oculis cerni poſſunt, nec admodum difficulter ſpirent, fauces affectas eſſe iudicabis. Interdum & lingua ipſa ſimiliter cum faucibus coafficitur, quemadmodum vbi non ſolùm fauces, ſed ceruicem quoque rubor occupauerit, & fortè pectus comprehenderit, nec ægri dolore vehemēti affligántur, nec ferè difficulter ſpirent, & extrinſecus partes circa fauces inflammatæ cuilibet apparebūt, exteriores earum partes affectas eſſe non dubitabis. Verùm & quis ſuccus exuperat, alijs notis dignoſcitur. Si ex ſanguine copioſo confluente Angina oritur, ſpirandi ac deglutiendi difficultas maxima erit, maxima anguſtia & grauitas, ac febris non exigua. Corpus totum ac caput plenum ſanguine videbitur. Temperamentum, habitus, ætas, anni tempus, regio, aëris conſtitutio, præcedens victus ratio, ſanguinis redundantiam teſtabuntur. Bilioſa verò exiſtente Angina, nec ſpirationis difficultas, nec anguſtia tanta, citra ferè grauitatem plurimum dolorem ac intolerabile incendium circa guttur ſentient ægri, morſum, acrimoniam, ſitim, oris amaritudinem, ſimulque acuta febris aderit magis, & temperamentum, ac reliqua prædicta redundantem bilem manifeſtabunt, minorque moles

Signa.

aderit, maior calor, ac rubor ad flauũ inclinans. Et si mixtæ fuerit fluxio ex vtrisque, permista quoque erunt indicia, prout magis vel minùs alter reliquum superabit. At si frigidus crassus sanguis ad prædictas partes confluat, præsertimque fauces occupet, vt diximus, paucus aderit dolor, tumor ferè citra ruborem, aut cum exiguo & obscuro rubore, laxioráq; quodammodo apparebit, & interdum crassiori humore existente durus consistet, febris nulla aderit, aut fortè exigua & lenta. Corpus totum ac præsertim caput pituitoso sanguine refertum erit. Temperamentum, ætas, ac reliqua saguinis frigidi pituitosiq; copiam ostendent. In Angina notha quæ frigidum humorum sequitur, nec acutorum numero accensetur, adest tumor aliquis ac dolor, sed sine febre, ardore, ac rubore. In ea autem specie Anginæ quæ fit luxatis ad anteriores partes vertebris, cervicis apparet locus cauus, & cùm extrà attingitur, dolore afficitur. In qua etiam lingua ex proprijs locis excedit, à luxata vertebra iuxta radicem suam impulsa, infestatque magis difficultas circa respirationem: vnde coguntur semper aperto ore hiare atque aërem attrahere, & citra periculum laborantes difficulter deglutiunt, atque dolore afficiuntur, idque propriè cùm potus eis per nares resilit.

Aetij locus de Angina explicatus.

Quæ est quarta Anginæ species Aëtio. Vnam enim posuit differentiam circa fauces ortam, & quartam statuit quæ ad anteriores partes cervicis luxatis vertebris oritur. Et vbi dixit partes circa fauces inflammatas, tam intus quàm extra intelligit. Ex his enim alij duas statunt differentias. Angina affectus est acutissimus, & qui statim mortem inducit. Quare citò curandus est, præsens discrimen, strangulatu infert propter viam spiritus ac deglutitionis à tumore interceptam, & post quartum diem aut suppurat, aut enecat. Inter Anginæ species grauissima est & celerrima, quæ nec in cervice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit. Hæc eadem die, & secunda, & tertia, & quarta strangulat. Nam cùm in neutro prædictorum aliquid appareat præter naturam, existimandum est intra gutturis corpora laceßere inflammationem, ex qua strangulantur. Vnde Hippocrates, si febrem habenti suffocatio repente superuenerit, nullo tumore in faucibus existente,

Prognostica.

existente, lethale. Quæcunque dolorem similem prædictæ Anginæ infert, attollitur verò ac ruborem efficit in faucibus, admodum exitiosa est, sed paulò longior quàm prædicta. Quibus fauces rubent ac ceruix, hæc diuturnior est, maximè verò ex ea seruantur, si ceruix aut pectus ruborem traxerit, neque ad interna reuertatur erysipelas, gutture nequaquam patiente, sed fluxione aut in ceruicem, aut in hæc vtraque decumbente. Et securissima inflammatio est, si rubor quam maximè foras vertatur. Vnde & Hippocratres: Ab Angina habito si tumor fiat in collo, bonum. extra enim vertitur morbus. Si in pulmonem conuersio fiat, dementiam parit, fiuntque ex ea magna ex parte purulenti: iuxta id, Quibuscunque ex Angina in pulmonem fit mali conuersio, ij intra septem dies pereunt. Si verò hos superauerint, purulenti euadunt. At quæ ad cutem transmutantur, aut à principio deferuntur fluxiones, quòd ijs quæ in profundum decubuerunt, multò salubriores existant, constat omnibus. Pueris ratò talis affectus oboritur, nisi cum ceruicis vertebræ affectæ loco excidunt. Verùm ijs seu curationem non recipientibus manum admoliri non oportet. Iuuenibus autem ferè accidit hic affectus. Superiora ex Hippocrate, Galeno, Paulo, & Aëtio desumpta, iuniores quidam feliciter exposuere. Leuissimum (inquiunt) malum est, vbi tumor tantummodo & rubor in sola ceruice eiusque musculis insunt: cætera non sequuntur. Eo grauius est, tum in hisce locis, tum in faucibus interioribus, tumorem, calorem, ruborem, dolorémque versari. Penè grauissimum est foris nihil horum esse, omnemque morbum intus consistere, ibique validè depressa lingua, speciem ruboris tumorisque esse: semper autem vehementissimum dolorem ac summum strangulatus metum accedere. Porrò mortifera atque omnium horrendissima Angina citissimè occidit, quæ neque in ceruice, neque in faucibus quicquam conspicui vel tumoris vel ruboris exhibet, simulque summi doloris tormentum, & vehementem febrem, atque tantùm non præsentem suffocationem infert. Tum profecto oculi vertuntur, & rubent, & veluti his qui strangulantur, prominent. Vox impedita nihil significat, &

qualis catulorum est, tenuis editur, os apertum hiat, ex eōque spumans saliua mouetur, lingua exeritur, crebroque vt in anhelis propter laboris impetum equis agitatur. Potui datus liquor per nares remeat, labra liuescunt, ceruices rigidæ contractæque sunt, ipse æger totus inquietus est, crebrò è cubili exilit, molestè suprà dorsum, cōmodiùs recto collo atque capite cubat, videt, auditque obtusè, & præ suffocatione non intelligit quid audiat, quid dicat, aut gerat. Tandem verò strangulatu atque syncope oppressus perit, id quod horis à cœpto morbo octodecim integra mente atque sensu accidisse obseruatum est. Semper tamen sub hoc casu mors vel primo die, vel secundo, vel ad summum quarto occupat. Vtilia & hæc sunt, quæ adiunxerunt recentiores. Salutis in Angina signum est facilis spiritus, facilisque saliuæ ac potionis deglutitio, febris non vehemens, quies, somnus, leuamentum doloris, cæteraq; ijs contraria, quæ superiùs comprehensa sunt. Æquè bonum signum est ruborem, tumoremque foris in collo & pectore consistere. Tum namque extrà ferri morbum sciendum est. Perniciosissimum est autem tumores sine bonis signis, sine manifesta causa desijsse, itemq; hypochondrij dolorem sine iudicatione sub infirmis viribus atque corporis torpore coortum esse, siquidē tum latenter mors adoritur, tametsi perquam rectè habere se æger existimet. Suppuratio autem pectoris ex prægressa Angina ita noscitur. Fauciū dolor sine certa ratione subitò desijt, febrisque multum remissa est, insolita grauitas pectori iuxta septum transuersum accessit, vehemens etiam tussis, ac ferè per omnia sine sputo sicca est. Aliud genus febris oritur, inordinatum, languidum, atque hecticum. Iam cùm in Angina repentè euanescit rubor, idque die non iudicali, ac neque tumor extrà vertitur, neque pus tussi excitatur: æger autem quietus, ac sine dolore esse cernitur: scire licet, aut mortem instare, aut reuersurum ruborem esse. Periculosum etiam est non citò concocta excreari, sputumque violenter educi, idque viscosum, crassum, vel valde album esse. Æquè malum est subaridum, multámque tussim ac lateris dolorem mouens: & quod inter potandum per tussim subemergit. Angina omnis per iudicationem alterius morbi

lethalis

lethalis est. Angina notha vt longior, ita tutior est. Cæterùm in Cynanche victus ratio præscribatur, quę phlegmonem augeri prohibeat: sitque tenuis ac refrigerans. Proinde aër frigidus eligatur, oportetque statim initio collocare ægros loco satis amplo, nec frigido, vt liberè aerem ducant, nec constringatur meatus iam obsessus. In prima specie diæta vnius diei vel bidui conuenit, si vires ferant. Aut toto triduo aqua mulsa loco cibi vtantur, vel eius vice aqua hordei per se, vel cum saccharo: inde ptisanæ cremore, vel amylo aqua hordei soluto. Postea vbi inflammatio remiserit, & in alijs speciebus, & eùm æger iam melius deglutire potest, sumat ouorum lutea perliquida, non multa tamen, aut eorum loco ptisana cum iure pulli confecta vititor, aut optimo pane in partes tenues redacto, ac eodem pulli seu gallinæ iure decocto, vel eo gallinarum seu pullorum contusorum iure, quod vulgus Consumtum appellat. Gelatina etiam vulgo dicta vtilis est. In summa cibi ægri viribus respondeant. Potus verò sit aqua hordei per se, vel cum saccharo, iulep rosatum, vinum granatorum. Vini tamen & ouorum abstinentia sit, quòd hæc sanguinem augeant & calfaciant. Abstineant deniq; omnibus quæ fluxiones excitant, quale est vinum, & vaporosa & calida propè omnia. Somnus quoque (vt in cæteris inflammationibus) maximè fugiendus. Nam in somno sanguis intrò repit, atque adeò humorum defluxum ad locum patientem auget. Vtantur crurum frictione, ligaturis brachiorum & crurum reuulsionis ratione, & mollibus clysteribus, nisi ob aliorum maiorum remediorum defectum ægro non ferente eadem, opus fuerit acrioribus vti. Protinus verò Angina infestatis sanguinis impetus ad laryngem profluentis inhibeatur, in idque in primis phlebotomia instituatur ex media vena si corpus est plethoricum: aut humerali è directo, si non sit plethoricũ. Neq; angustior debet esse incisio, ne sanguis velut percoletur, & crassior pars remaneat: potissimùm si crassior sanguis huius affectionis causa est. Sæpius etiam repetatur sanguinis missio pro magnitudine inflammationis, si opus erit. Partiri enim cã satius est. Cumulata namq; & confertim facta vacuatione animo citò linquuntur, atque inde suffocationis periculum superue-

Victus ratio.

Curatio per medicamẽta.

nit, & aliàs ex refrigerationibus & animi defectione materia è faucibus ad pulmonem defertur, & periculum infert. Verendum quoque est ne materia tota in locum affectum collectim prorumpat: quare interpositis diebus sanguinem detrahere satius est. Sit etiam parua venæ diductio, ne vires dissipentur. Vena diutiùs non perfricetur, ne animo linquantur. In mulieribus, vbi retentis mensibus in hanc affectionem incidunt, tali seu malleoli vena aperienda est, moderatéque sanguis educendus. Eadem etiam in viris tundenda, si ipsos sanguinem per venas in ano existentes vacuare solitos didiceris. In grauidis quoque sanguinem detrahes nullo metu ad tres quatuórve vncias, plus minus. Quòd si suprà dicta haud proficiunt, venæ sub lingua eadem die aut saltem sequenti secentur. Ambas dico, & à principio. Si priores enim eas secueris, materiam attrahes, & phlegmonem augebis, sed intelligendum secandas esse initio, si fluxio videbitur constitisse. Purgatio verò exhibeatur, si non à synceriori sanguine sit Angina, sed eo etiam alijs humoribus permisto. Nequaquam autem valentibus medicamentis humores agitandi sunt, præsertim circa initia, ne ad affectum locũ largiùs fluant. Detur itaque decoctum prunorum, tamarindorum, cassia fistula, manna, syrupus rosaceus, violaceus, & si ex crassis succis orta sit, catholicon, agarici decoctum, & huiusmodi: non expectata coctione propter periculum quod ex breuitate temporis impendet. Magis autem conueniunt dissoluta liquoribus, non coacta in pilulas pharmaca, propter difficultatem deglutiendi. Conuenit & clysteribus vti, isque ob febrem acutam clementioribus, quæ si mitior est, vt in Cynanche pituitosa, valentioribus reuellendum. Clysteribus etiam acrioribus vtendum, vbi in periculosa Angina nullus locus est purgationi propter viam impeditam. Cucurbitulæ cum scarificatione mento adhibendæ, si fauces morbus vexauerit. Si solum guttur, ceruici affigentur. Si lingua inflammatur ac prominet, ipsa quoque scarificanda. Iuuant & cucurbitulæ affixæ humeris & brachijs, priùs imis, deinde summis. Similiter pedes aqua calida foueantur. Hæc alij sic explicant euidentiùs: Vbi malum protelabitur post prædictas vacuationes, cùm iam

materia

materia influere desierit, cucurbitulam cum scarificatione apponere sub mento oportet, si tumor circa fauces & maxillas persistet. Si nullus extrinsecus tumor appareat, veluti in ea quæ occulta appellatur, in qua gutturis partes internæ afficiuntur, circa ceruicem cucurbitula admouenda erit iuxta primam aut secundam vertebram, aut hirudines applicandæ. Quod attinet ad topica, ratione temporum habita, aliàs repellentia, aliàs discutientia vsurpantur. In principio quidem repellentia, in statu potiori ex parte discutientia, in declinatione quæ valentiùs discutiunt. Et qui astringentibus duntaxat aut discutientibus Anginam curare tentarunt, in grauiora pericula ægros deduxerunt, vel suffocationem acutissimam, vel inflammationem inducentes. Paruæ enim sunt & affectionis nomine vix dignæ, quæ vno duntaxat medicamentorum genere indigeant, siue discussorium sit, siue repulsorium. Facultati quoque remediorum aduertere oportet, ita vt imbecilliora corporibus imbecillioribus sint adhibēda, vt pueris, mulieribus & eunuchis. Repellentia (inquam) materiam ad musculos laryngis fluentem, prohibent Cynanchem augeri, frigida scilicet & astringentia leuiter gargarizata, aut potiùs donec incaluerint, relicta in vltimis faucibus, quæ partem roborent & vias contrahant, per quas affluit materia. Vt iuxta veteres, si initium est cum multa inflammatione, ea quæ leuiter astringunt, conueniunt: quale est rosarum, lentium, myxarum, palmarum decoctum, flos rosarū ex hydromelite, rhus cum hydromelite decoctus. Iis per initia gargarizandum, vel diamoro, vel diacaryo, & huiusmodi, quæ ad Vuas & Paristhmia, reliquáque inflammationes conferunt. Foris item repellentia non sunt adhibenda, quia materiam intrò ad partem inflammatā protruderent, sed post principium. Clementer digerunt oleum chamæmeli, oleū amygdalarum dulcium. Collum item lanis succidis & oleo imbutis contegendum est. Medicamentis præterea quæ ad exteriorem superficiē reuellere possunt, ac attractoria facultate pollent, ab extra vtendum: quæ etiam tum concoquere, tum discutere valeant. Admoue igitur spongias quæ in oleum calidum demittantur. Oleum item anethinum, liliaceum,

Topica.

irinum proderit, si materia frigida fuerit: aut ex cassia fistula & oleo amygdalino cataplasma fiat, seu seminis althææ, maluarum, lini cremor assumatur, & cum fœnugræci & hordei farina, decocto chamæmeli, meliloti, & caricarum cataplasma adhibeatur. Atq; inter ea quæ resoluũt, numeratur & stercus canium, quod primum locum habet inter ea quæ à proprietate valent: si cani sola ossa duobus diebus edenda exhibeas. Id enim aridum contusumq; & cribratum cum melle, quàm penitissimè illitum, vt deglutire possint, est præstantissimum. Iuuat enim siue assumitur, siue admouetur. Similiter vstarum hirundinum cinis, pariter & cochlearum in hortis repertarum citra testas, aut cancrorum vstorum cinis cum melle confert. Valet ad idem stercus pueri lupinis nutriti. De linis marina purpura tinctis collo viperæ iniectis, præcedenti capite dictum est. Quæ omnia in declinatione vsurpanda sunt.

Curatio iuxta ventriculos.

Consimiliter curant Anginam iuniores, & circa initia vtuntur plantaginis, rosarum, nucum viridium, mororum, gallarum succo potiùs, quàm aqua ex his destillata, vel syrupo granatorum, rosarum, oxalidis, omphacij, diacodio, aceto cum aqua simplici, vel rosacea: & his omnibus actu frigidis. Postea etiam, imò vel ipso initio gargarisinatis astringentibus aliquid admiscent detergens, quemadmodum in cæteris internarum partium phlegmonis: videlicet vt quæ ab his tenuis sanies resudat, tergeatur. Et morbo increscente, vigente, ac consistente, ad discutientia transeunt. Huiusmodi sunt caricarum, furfurum, glycyrrizę decoctum, hyssopum, thymum, pulegium decocta in aqua mulsa, vel hordei. additur & mel rosatum, & oxymel. Paradeigmata hæc sunt, ℞. aquarum solani, plantaginis, caprifolij, ana ℔b. ß. aceti ʒ ß. diamoron ʒ iij. Aliud quod repellit, deterget, ac discutit. ℞. summitatum rubi, vel myrti, vel lentisci m̃ j. rosarum rubrarum, corticis mali granati ana m̃. ß. glycyrrizæ, passularum mundatarum, ficuum, iuiubarum ana numero xx. hordei integri p. j. hyssopi, vel origani, vel calamenti p. j. fiat decoctio. In libręs vnius colatura, misce mellis rosati ʒ ij. dianucum ʒ ß. oxymelitis simplicis ʒ iij. fiat gargarisma. Hæc videntur potiùs ore continenda quàm gargarizanda, quia musculi laryn-

gis

gis non sunt exercendi. Initio etiam sensim tenendum in ore medicamentum in rotulis: ℞. diacodij ʒ iij. pulueris hirundinum ℈j. seminis coriandri ʒ j. sacchari dissoluti in aqua rosarum q.s. Procedente tempore, præsertim si frigida fuerit fluxio, adde antidoti diamoschi, aut pliris arcotici ℈ij. Eodem tempore sæpius vtendum ex cochleari, syrupo rosaceo, iuiubino, de papauere, violaceo, idq; calida existente fluxione; in frigida verò, syrupo de liquiritia & hyssopo. Conueniunt & loboc in principio, ex diatragacantho & papauere. Postea adduntur diairis, & diasalomouis, & alia digerentia. Ad resolutionem similibus medicamentis vtuntur, & œsypum vel dialthæam illinunt. Similia quoq; cataplasmata parant. Filum præterea cum cinerib. aut lixiuio coquunt, & collo vt calet circundant. Cynanche si non resoluitur suprà dictis, curatur suppurantibus; emplastro videlicet ex farina seminis lini & fœnugræci. dein abscessus rūpendus est manso & deglutito duriore crusto panis, vel immisso altiùs digito, vel (si cerni potest) scalpello: tumq; inclinato capite ne in pulmones ruat pus, effluere permittēdum. vlcus tergetur melle rosato, & aqua hordei. Postremò glutinatur bolo armenio, sanguine draconis, & thure. Via resolutionis magis optanda est; quia verendum ne pus in parte collectum viam ad pulmones affectet, atq; inde strangulatio sequatur. Angina quæ fit à resolutione musculorum pertinentium ad laryngem, & ab humiditate, curatur vt Paralysis.

De Tussi. Cap. *IIII.*

QVAM Græci βῆχα nominãt, Tussim Latini appellant. Est aũt Tussis efflatio vehemẽs, qua quicquid spirandi instrumentis molestum est, natura expellere conatur. Itaque motus est deprauatus actionis animalis motricis, vt sternutamentum, & singultus, ex eorum symptomatũ genere, in quibus aliqua causa prꝑter naturam ad tales actiones partes ipsas extimulat. Peccat enim contentione actio, atque ea ratione læsa est, si quidem est expiratio contentiosa ad mouendum, & iusto vehementior. Quanquam verò Tussis est motus potentiæ motricis deprauatus, acci- *Tussis quid.* *Affectus.* *quis.*

Tussis accidens naturale.

dens tamen est naturale. Nam vt alias multas natura hominibus salutis gratia ingenitas indidit passiones, ad eundem modum Tussim, vt ea quæ molesta sunt, propelleret. Modus autem expellendi in Tussi ab alijs diuersus est. Cùm enim reliquæ partes sui contractione expellere nitantur: asperæ autem arteriæ duriores sint quàm vt contrahi constringique possint circa id quod intra se continent, natura spiritum concitato impetu foras excludit, quò ipse plurimus celerrimèque foras actus, vnà quicquid est molestum propellat: & motus hic per eadem instrumenta omnino fit, per quæ magnæ & vehementes spiritus expulsiones seu efflationes fiunt. Atque vt in sternutatione cerebrum, in singultu ventriculus, quod noxium est, concitato quodà naturæ impetu expellere conantur, ita in Tussi partes thoracis simul insurgunt concutiuntúrque, præsertim musculi intercostales, vt quæ vel carni suæ molesta sunt, in pulmonum arterias extrudant, vel quæ in aspera arteria præter naturam continentur, foras ejiciant, non secus ac si quis ea quæ in fistulæ cauitate hærent, efflatione vehementi expurgare velit, vel vt alij volunt, initium motionis in Tussi a facultate pulmonum est potissimum, à qua pectoris etiam musculi excitantur, thoracemque validè comprimunt. Ea ratione id quod in vijs spirituum continetur, melius expellitur, cum sic spiritus feratur vehementius, qua vehementia secum rapit excrementa in itinere existentia, hunc motum vt pulmo producat, dilatatur primò, & dein constringitur, concurritque motus diaphragmatis tanquam auxiliator. Symptoma verò hoc morbum in via sequitur, seu obstructionem viarum spiritus. Itaque viæ spiritus afficiuntur, vt pulmo, aspera arteria, & quandoque fauces laborant. Et si est spiritus interceptio ab humore à capite defluente, aspera arteria affecta erit. Pulmo verò alias per se, alias per consensum alterius partis, pectoris nimirum aut diaphragmatis, aut iecoris læditur. Pulmo enim sentiens prædictarum partium læsionem, hoc motu quoq; mouetur, vt quod noxium est expellat. Et hæc de primo Tussis genere intelligenda sunt: quæ scilicet est vehemens ad exteriora motio, & quæ humida est. Est enim aliud genus Tussis, quæ neq;

Partes affectæ.

Duo Tussis genera.

violenta

violenta est, neq; coacta, sed adeò exigua, vt & supprimi, & ne eueniat cohiberi possit, idq; vel in totum, vel magna ex parte: præterquã quòd nihil in ea inter tussiendũ expuitur, vt sicca Tussis dici possit. Hæc aũt est ex eodẽ cum concutientibus rigoribus horroribúsq; genere. Differt autẽ eo, quod celerior eius sit sensus. Nã respirationis organa, quæ nunquã quiescũt, hîc affecta sunt: præsertim musculi thoracis, qui irritati ab intemperie, ad expellendũ id quod cõtristat festinãt, se contrahẽtes ac cõstringentes: vt in rigoribus ac horroribus vniuersæ partes simul ad expellendũ mouentur, atq; eo tempore totũ corpus concussione quassationeq; vexatur. Symptoma est huiusmodi Tussis functionũ naturaliũ, excretricis videlicet. Namq; vt expellant quæ molesta sunt, concutiuntur, ac tussim excitant, & non vehemẽter pulmonibus incumbunt, quò multũ simul & celerem efflatum moueant: totúsq; hic motus ad naturalem facultatem referendus est: etsi quodammodo causa præter naturam concurrat, irritans & cogens vt violẽter moueatur. Hæc autem sequitur inæqualem intemperiem organorum spiritus, & non viatum obstructionem, vt aliud Tussis genus. Namque huius Tussis ab intemperie, causa sæpius est intemperies frigida: tametsi & ab alijs intemperantijs fieri etiam posse non negatur. Aër enim frigidus inspiratus, interdum faucium asperæque arteriæ locos exasperat atque refrigerat: nonnunquam & toti pulmoni pectoriq; intemperiem affert. Quocirca ob nares quidam pannículum ponentes ita inspirant, exacerbari tussim experti; cùm scilicet aër externus frigidus multus subitò membris priùs refrigeratis atq; exasperatis obuius fit. Hæc parua Tussis similis est κέρχνῳ, qui exiguus est ad tussiendum impetus, vt nausea vomitionem præcedit. Nec minùs ob vehementem æstum, immodicamq; ariditatem à circunfuso aëre generatur Tussis hæc, intemperatis instrumentis ac iam dictis paruis exasperatis, vt sæpenumero in febribus accidit: & in hac Tussi aërem frigidum respirare desiderant, eoq; iuuantur, faciesq; rubicunda apparet, ac siti molestantur ægri. Ab humida verò intemperie nuda, Tussis oriri non videtur. Nec enim adeò mordax est, vt motũ hunc excitare possit, & inæqualẽ in-

Causa Tussis sicula ab intemperie.

temperiem efficere. A ficca tamen fieri potest: quanquam vix citra caliditatem aut frigiditatem. Ex causa igitur calida frigidáve interim solis existentibus, interdum cum siccitate permixtis, exigua Tussicula oritur: de qua iam diximus. Sed ad Tussim violentam reuertamur, quam diximus esse symptoma quod sequitur obstructionem viarum spiritus. Eius enim causæ sunt humores præter naturam illapsi, ijq; vel crassi, aut lenti, aut tenues, & aquosi, qui ab ipso spiritu comprehendi nequeunt. Adhæc humores grauantes, vt in Pulmonia, aut mordentes guttur, asperam arteriam, membranas, vt in Phthisi, Pleuritide: vel à capite defluentes, vt in Catarrho. Cibus etiam & potus in asperam arteriam deerrans. Tussis quoque fit à nimia siccitate, vt in febribus hecticis, & in his quibus exesa est columella. Ad Tussim autem aridam, ac leuiter irritantem, & in qua nihil expuitur, referenda est, quæ ex puluere, fumo alimentis, potionibusque exasperantibus generatur. Similiter & in his qui stomachi morsum sentiunt. Consentiunt enim morsui & repletioni instrumenta respirationis compressa, aut condolentia, & commorsa. Nec minus & iocinore, seu liene, aut diaphragmate affectis, à quib. septum transuersum comprimitur, eáque tusses per consensum dicuntur. A serosa etiam humiditate fit tussis, quæ in spatium resudauit, sicut in hydrope, vel pleuritide, quando materia resudat in arteriam. Quod attinet ad notas, quanam parte affectus hæreat, tussiendi ratio ac motus ostendet. Si est ex illapsu humoris ex capite in asperam arteriam pulmonemque fluentis, sentitur in ipsis faucibus quædam titillatio, & sæpe molestus ardor. fit & difficilis spiritus. Si tenuis humor est, nihil aut minimum eliditur tussi. vnde falluntur qui eam tussim ab intemperie sicca esse putant. Et si ex arteria educitur quod molestum est, tussicula est: si è pulmonibus, valida tussis. Sic & tenax humor atque crassus siccam tussim facit, qua nihil reijcitur: spiritus difficulter trahitur: idque cum quodam stertore ac sibilo, qualis in ipsa anhelatione, seu Asthmate. Cuius naturę fuerit humor vias spiritus obstruens, ex qualitate præcedentis destillationis, simulque ex substantia, aut diuersa qualitate eius quod per tussim propellitur, cognosces. Acris fluxio dignoscitur ex oculorum

Causa Tussis violentę.

Tusses per consensum.

Signa.

oculorum & faciei rubore, titillatione, aut etiam mordicatione oris interioris, sapore, vrinis multùm coloratis, tum etiam antecedentibus causis. Hæc tussis etiam initiò leuis, tabem denuntiat. In ea tussi nihil ferè excernitur. Et quod excernitur, tenue erit circa initia. Si est tussis ab intemperie frigida, ex ijs quæ dicta sunt in causis, & ex capite de Catarrho innotescit, quemadmodum & si ex alijs morbis qui præcesserunt, vel per consensum cum alijs partibus, vt iecore, liene, ventriculo dependeat, ex earum affectionum indicijs, nec non partium dignotione percipies. Deterrimum tussis genus est, quod virium sequitur infirmitatem. Permota enim intus materia, nec educta, nihil mirum hominem sub imbecillis viribus labefactatum mori. *Prognostica.* Contingit vires infirmas laboribus tantis tandem opprimi, cum materiam intus continuò quasi expellere conetur, vt spiritibus via ad cor pateat, nihilq; tandem longioribus etiam laboribus proficiat. Quæcunq; tussis modico fit conatu, celeriq; ac facili materiæ eductione cùm multo leuamento & sine dolore, sine oculorum rubedine, optima esse censetur: quæ contrà fit, pessima. Si cùm priùs humida tussis fuit, nunc subitò sicca redditur, sic vt pectus graue maneat, scire licet febris vel putridæ, vel hecticæ, aut pulmoni exulcerationis periculum instare. Omnis tussis mala est, qua somnus aufertur. Inutilis etiam quæ longo tempore frequens grauisque hominem exercet: idq; cum distillatione. Hinc enim sanguinis sputum tabésque sequi consueuerunt. Ferè vbi vitiosus pulmo, aut vetus intra pectus obstructio est, continua exercet tussis, nullis intermittens temporibus. Quæ à distillatione est, ea quibusdam interuallis, prout humor irruit, bis térue per annum molesta est. Si est tussis à tumore hepatis aut aliarum partium comprimentium, tangenda sunt hypochondria, si dura tensaque sunt. In hydropicis tusses lethales, si ratione hydropis oriantur. Quæcunque tusses ex destillante humore à capite oriuntur, siue ex alicuius spiritalium viscerum vlcere, aut ex aliquo in ijsdem orto abscessu, siue ob ea quæ vocantur Empyemata, quæ ferinæ appellãtur; omnes malignæ sunt, maleficæ, & contumaces, & propterea periculosæ, nec parui faciendæ. Reliquæ ab his exiguæ, & quę po-

riculum non minantur, sunt que curatu faciles. Grauidis vehementior tussis superueniens obortū facit. Tussis cum vlcere pulmonis coniuncta, periculosa. Pulmonibus veteri obstructione laborantibus aut etiam corruptis continua ferè Tussis excitatur. Nequaquam autē à distillatione hoc fit. Nam distillatione subsistente, Tussis etiā deficit. Tusses in Aquilonia cōstitutione ac hyeme generari magis aptæ sunt. Tussis cùm symptoma est, nullam curationē exigit, ex accidenti tamen curationem immutat, vt quando grauioris mali causa est vigiliarum, febris, grauitatis capitis, venarum ruptionis, suffocationis. In tussi curatio variatur: prout diuersum generationis modum, ac causas varias obtinet. Si enim est à causa externa, ea prius ablata, dispositio respiratorijs partib. ab ea impressa, est abigenda. Si est per consensum partium spiritalium cum alijs primariò affectis, vt ventriculo, hepate, liene, præsertim quę ab illis motis mouentur, & si gurgulio & caput distillet, primùm est his succurrendum. Deinde si qua dispositio respiratorijs partibus inhæsit, tollenda. Si à Pleuritide, aut Peripneumonia est tussis, per harum phleginonarum curationem pòst dicendam prospicitur. Item si ab empyemate, tabe, dyspnœa, asthmate, catarrho, si à rupta in pulmone vena ac sputo sanguinis, horum affectuū quilibet tibi antè curandus est. Quòd si tussis ob alium partium spiritalium proprium affectū est, intemperies siue sola siue cum materia omnis per cōtrarium corrigatur. Vt si ex inæquali intemperie frigida ortū ducat, per calefacientia curatur sumpta & admota Hæc; tussis spiritus cohibitione curatur, pulmone per retentam expirandam materiam fuliginosam calfacto, & spiritu cohibito in omnes arctos meatus penetrante. Taliter affecti vitent frigidam inspirationem, frigidum cibum, ac potum: quinimò in calidis locis versentur. Vitent & salsa, acria, & quæcunque arteriam exasperare valent. Vtantur diamoscho dulci, amaro, & alijs calidis: ouo sorbili, & vino dulci, ac calido, reliquaq; victus ratione calida. Ceruix lanis calidis vestiatur. Pedum etiam calor ac capitis, remedio esse possunt. Partes item pectorales linteis calentibus muniendæ sunt: vnganturque oleo chamæmelino, anethino, amygdalarum dulcium,

Curatio.

butyro,

butyro, anseris seu gallinæ pinguedine, & thoracis partes calidæ seruentur. Si ex calida intemperie arida & exigua tussis proritetur, contraria tum victus tum medicamentorum ratione vtantur. Si à siccitate est tussis, guttur & asperam arteriam lenire ac humectare conuenit tragacantho madefacto in decocto capilli veneris aut amygdalarum dulcium, oleo cum saccharo, aut succo radicis dulcis, penidijs, butyro vaccino, cæpe cocto cum saccharo. Idem iudicium de alijs intemperaturis. Nam quæ ab asperitate tusses fiunt, per lenientia & mordacitatem arcentia sanantur, qualia sunt Arteriaca veterib. dicta & vsurpata, ac quæ raucedini conuenire aliàs diximus. Hîc verò magis insistendum putamus circa curationem tussis, quæ ex distillante humore à capite originem ducit, in qua (in primis) instituatur proba & legitima victus ratio. Et si humor acris tenuisq; fuerit, alimenta sint refrigerantia, boni succi. Potus aqua hordei, prunorum decoctum. Speciatim verò vtilis est in omni ferè tussi peregrinatio, nauigatio longa, loca maritimâ, cæteraq; huiusmodi, quæ desiccant. In acri fluxione lac tepidum à Galeno commendatur. Eademque fluxio per medicamenta quæ vim habent refrigerandi, spissandi, acrimoniamque obtundendi sanatur, ne materia tussientis conatum difficiliendo eludat. Ita tamen his vtendum, frigidis scilicet & incrassantibus, & lenientibus, vt non affigant materiam pulmonibus & inculcent. Materia itaque inspissari debet, postea detergi sine attenuatione vel incisione, vt addendo syrupum de glycyrriza. Igitur iuxta recentiores refrigerantia & incrassantia sunt syrupus violatus & ziziphorum, syrupus papaueris, nymphææ (si vigiliæ adsint, vt sæpe fit) cum duplo aquæ violarum, vel decocti hordei, prunorum, tamarindorum, myxorum, ziziphorum, & semiuum frigidorum communium. Conuenit & antidotum de papauere, diatragacanthæ, diapenidion, bechicæ, mucago seminis psyllij, citoniorum, decoctum papaueris adiecta sapa. Mellitissimis abstinendum est, cùm fluxio tenuis est. Mel enim attenuat. Sed loco mellis vtendum est melle passulato, ficato, succo glycyrrizæ, prunorum. Si tussis est à materia salsa, detergentia leuiter conueniunt cum refrigerantibus

Arteriaca medicamenta.

Curatio tussis ex destillatione acri & tenui.

A recentioribus vsurpata.

& humectantibus, vt syrupus violarum cum decocto hordei mundati. Vbi maior fluxio est, secta cephalica diuertenda erit. Venæ sectio ad ventilandum hepar (huius fluxionis principium) valde confert, quæ in fluxione frigida locum non habet, nisi suffocationis sit periculum. Hinc etiam purgatio imperanda è cassia fistula, manna, electario de succo rosarum, diapruno scammoniato, pilulis aureis, sine quibus, polychrestis. In purgatione tamen cauendum, ne vsu medicamentorum elateriorum fluxionem augeamus. Et quanuis Auicenna à medicamentis purgantibus hic abstineat, eo quod via communis nulla sit qua pulmones expurgemus, tamen purgantia plurium adiumenti attulerint, eo quod caput purgent, vnde materia fluens, originem habet. Denique expurgata infima corporis sentina, caput se exonerabit facilius à superfluis: neque ita replebitur inferioribus partibus bene constitutis. Eclegmata quoque ægrotus habeat sæpe in ore, supinúsque iaceat. Eo enim corporis positu aspera arteria aperitur, gula verò clauditur. Itaque sumpta ad pulmonem meliùs transmittuntur. Recipe penidiarum vncias duas, electarij diatragacanthi frigidi ʒj ß. vuarum passarum ʒ ß. seminis maluæ, seminis gossipij ana ʒj. cum syrupo adianthi, fiat lohot. Assumant oleum amygdalarum dulcium tepidum, & eodem, & violaceo, aut ambobus simul mistis thoracem inungant. Nimis vrgente malo, ad emplastra quæ ex alto trahunt veniendum, quæ capiti raso admouentur, vel ad cauteria pone aures, & in brachijs quà decurrit cephalica. Cauterijs etiam vtendum est cùm in sincipite, tum in cernice, & scapulis. Si verò crassus & frigidus est affligens humor, per ea quæ extenuant & discindunt, medebimur, qualia multa veteres tradiderunt. Inter quæ iuniores deligunt decoctum glycyrrizæ, hyssopi, cui parum mellis adijciatur: aut si crassior est pituita, marrubij, scabiosæ, radicis iridis, seu enulæ campanæ decocto vtuntur. Et ex compositis syrupus ex glycyrriza, hyssopo, adiantho, mel rosatum, oxymel simplex vel scillinum conueniunt. Hic verò neque phlebotomia, neque purgatione vtendum est, nisi corpus admodum plenum sit, tumq; detur cassia, addita terebinthina, vel purgentur agarico, diaphœnico, pilulis formatis

cum

cum rhabarbaro, puluere hieræ simplicis, vel pilulis coccijs, mastichinis, & similibus. Si adhuc crassior ac tenacior fuerit pituitosus succus, vtantur decocto radicis iridis, helenij, marrubij, atq; fœniculi, cùm sit abundè tergendum, incidendum, siccandum. Cauendum tamen à nimiùm siccantibus & calfacientibus, qualia sunt acria, diuretica, inimicissima expuitionibus è thorace. Vtendumque potiùs hoc loco liquidioribus quàm crassis & solidis, vbi repurgandi consilium est: contrà verò solidis, vbi coquendum, vt croco, thure, myrrha. Deficcant aromata, sed nonnisi aliquo liquore diluta danda sunt. Si ob crassitudinem pituitæ educi nil potest, ab humectantibus plus emolumenti sentiunt, maximè si extenuatoria participant facultate. Quare ouum sorbile assumatur, pauco adiecto sulphure, aut eclegma sanum & expertum, & de pino, diapenidion cum speciebus, diatragacantha calida, diahyssopū. vel Recipe electarij de pino, eclegmatis sani & experti ana drachmas tres, penidiarum vnciam vnam, puluveris iridis florentiæ drachmas duas, puluveris hyssopi drachmam vnam, seminis bombacis ʒj ß. cum syrupo de glycyrriza fiat lohot. vtatur sensim lambendo cum baculo liquiritiæ. Laudant & per interualla theriacam aut mithridatium ad magnitudinem auellanæ ex vino albo. Cerebro quoq; tanquam parti transmittenti robur additur puluueribus sincipiti insperfis, & capitis operimenta suffiuntur. Errhina item conueniunt purgato corpore. In declinatione humorum defluxus sistitur. Suffumigia enim initiò minimè conueniūt, nisi immodica fluxio est, & cùm non adest capitis plenitudo. In fine verò roborando capiti & thoraci conferūt. Narcoticis (vt pilulis de cynoglossa) vtimur, vbi tussis molestiòr est, & perpetuæ vigiliæ: & narcoticorū vsus tutior est, iam purgato corpore, & thorace non ita pleno. Vbi exasperata est arteria, prosunt viscosa sine mordicatione, quale tragacanthum, gummi arabicum, oui luteum, mel, saccharum, oleum amygdalarum dulcium, butyrum. Suffitus quoque fiunt ex terebinthina, styrace, sandaracha, suffimen item castorei in carbonibus excitatum, & per inspirationem attractum, frigidos & humidos pulmonis, thoracis, cerebríque affectus iuuat. Cætera ex capite de Catarrho repetenda sunt.

De Dyſpnœa, Aſthmate, & Orthopnœa.
CAPVT V.

DYSPNOEA quid ſit, nomen ipſum indicat. Notat enim ſpirandi difficultatem, ſeu læſionem quæ reſpirationi euenit. Et in genere quidem cunctas læſiones reſpirationis comprehendit, propter quas videlicet imbecillior, aut deprauata ipſa redditur. Sicque ab Apnœa diſtinguitur, in qua tota reſpiratio aboletur. Ita etiam communis eſt orthopnoicis, pleuriticis, peripneumonicis, cynanchicis, & alijs pleriſq; malè affectis, ab eaque ægri dyſpnoici appellantur. Speciatim verò ac propriè Dyſpnœa ea ſpecies difficilis reſpirationis intelligitur, in qua denſus creberque fit ſpiritus, modica videlicet, neque ex toto ſtrangulans ſpirandi difficultas: abſque febre, vel abſceſſu: & ſpeciatim dyſpnoici appellati ſunt, quibus bronchia pulmonis craſſis & viſcoſis humorib. ſunt obſtructa. Aſthma verò dicitur ἀπὸ τῦ ἀσθμαίνειν, quod eſt anhelare: vnde Aſthma anhelatio vel ſuſpirium vertitur. Et Aſthmatici dicuntur anheloſi vel ſuſpirioſi, quemadmodum qui celeri curſu aut vehementibus exercitijs agitati fuere. Quare Aſthma definitur crebra ſiue denſa reſpiratio ſine febre, qualis eorum qui violenter cucurrerunt. Quòd ſi id quoq; acceſſit, vt nonniſi recta ceruice ſpiritus trahatur, Orthopnœa nominatur. Quanquam & recta ceruice reſpirare in Angina accidit, in Pulmonia, Empyemate, & Aſthmate. Tria ergo illa prædicta magnitudine tãtùm diſtinguũtur, & à ſymptomatis quæ ſuperueniunt appellationẽ adepta ſunt. Igitur de Dyſpnœa propriè ac per ſe dicta hic nobis erit ſermo, non de ea quæ communis eſt, & fit per conſenſum: de qua tamen hoc admonemus, quòd quidam ex recentioribus accuratiùs eam diuiſerunt, in Dyſpnœam ſcilicet quæ eſt à toto, vel quæ à parte. A toto, vt in febribus, & hydrope: vel à parte, vt occipite, ſpiritibus ad thoracis muſculos tranſire non valentibus: à neruis motum diaphragmatis impedientibus: à colli vertebris & pectoris, quum extra ſedem diuertuntur: à pectore, vt ab eius anguſtia, abſceſſu, paruitate, vlcere: à diaphragmate, hepate, ſplene, ob eorũ abſceſſus

Dyſpnœa propriè dicta quid.

Aſthma.

Orthopnœa.

abscessus & vlcera. Interdum etiam ob exiccationem pulmonis. Sed vt ad Dyspnœam propriè dictam redeamus, quæ prædictis tribus differentijs comprehenditur, pars quæ afficitur trachea arteria est, quæ vtique nimia angustia laborat. Seu vt alij tradunt clarius, Propagines asperæ arteriæ in pulmonum substantiam disseminatæ hic sunt affectæ, quia strictiores in hoc malo sunt. Non enim facultas ipsa, neque vsus per se afficiuntur, sed instrumenta, & inter ea præsertim aspera arteria ac eius propagines (quæ in pulmones distribuuntur) quæ sæpius obstruuntur ac constringuntur. Quanquam enim thorax maximè dilatatur, quantitas inspirati aëris magnitudini distensionis haudquaquam respondet: vnde crebrò & celeriter spirare coguntur. Duæ verò sunt ex Galeno magnæ respirationis differentiæ: vna penes magnitudinem distensionis seu dilatationis à thorace prouenientis attenditur: reliqua, penes copiam eius substantiæ quæ inspiratur, aëris videlicet. Quantitas spiritus distensionibus thoracis similis est, cùm eiusdem spiritus organa secundum naturam se habent: aliquando verò plurimùm thorax distenditur, sed parum aëris externi inspiratur ob angustiam seu coarctationem instrumentorum spiritalium præter naturam, quam ægri ipsi nõ obscuro sensu perceptant. Quemplam enim difficulter spirare contingit, præsertim vbi in ea spiratione omnes musculi thoracis mouentur, aut virium imbecillitate, aut vehementi in corde & pulmone calore, aut viarum spiritus angustia. Si ob virium imbecillitatem, licet omnes musculi & phrenes moueantur, id tamen sensim efficiunt, sed neque frequens, neque rara omnino erit eorum actio, thoracisq; dilatatio haudquaquam magna erit, nulla ab ore fit efflatio, & spiritus ex solis naribus emitti solet: & si per inspirationem pinnæ manifestè contrahi videantur, id prostrati roboris efficax indicium erit. Aucto verò in corde & pulmone calore, omnibus quidem thoracis musculis agit animal, sed velox, frequens, & vehemẽs est eorum actio, ac propterea vbi ob plurimum calorem spiratio difficilis est, præter magnitudinem, frequentiam, & celeritatem hoc quoque accedit, quòd calidus frequénsque, exufflando producitur spiritus.

Pars affecta.

Dyspnœa ob spiritalium instrumentorum angustiam.

Sic quoque in pleuritide & ſinanche fit denſa atque crebra reſpiratio. Sed de his difficultatibus ſpirandi hic non eſt ſermo, quemadmodum neq; de ea quæ fit ob ſplenis maguam molem, aut ob aquarum copiam in ventre contentam. ab his poſterioribus caulis diaphragma comprimitur. At qui ob ſpiritalium inſtrumentorum anguſtiam difficulter ſpirant, totus quidem thorax magna ex parte eis & celeriter & frequenter dilatatur, ſed exufflare omnino nõ conſueuerunt, neque calidum ſpiritum emittere: id enim aucti caloris eſt indicium. Ita difficilis ſpiratio ob ſpiritalium inſtrumentorum anguſtiam à reliquis diſtinguitur.

Dyſpnœa quæ affectus præter naturam. Cauſa.

Et cùm tres ſint eius differentiæ, inter ſymptomata dinumerantur functionis voluntariæ, reſpirationis inquam oblæſæ, non ablatè vt in Apnœa, ſed debiliter, aut depravatè, vt in Orthopnœa, licet rarò. Ad morbum verò ſuccedunt ſymptomata illa, quòd viæ per quas aër inſpiratur, conſtringantur ac coarctentur, quandoque etiam obſtruantur: quod tribus dictis differentijs commune eſt. Cauſæ harum affectionum procatarcticæ ſunt caliditas vel frigiditas aëris, caſus, percuſſio, nimius corporis motus, fumus argenti viui, odor rerum pectus conſtringentium. Antecedentes verò per ſe, vt mala intemperies frigida coarctans, vel obſtruës materia, pituitoſa, craſſa, lenta, multa in bronchijs pulmonum congeſta, ſiue ab alijs partibus à capite præſertim tranſmiſſa: ab eaque ſæpius Aſthma fit. Quanuis & à flatu in pulmone incluſo & contento, vel ſeptum tranſuerſum diſtendente interdum fieri alij exiſtimant. Spirandi inſtrumenta ſui mali principium habent, cum ſcilicet multæ ſuperfluitates in ipſis generantur, quæ aliquando tempore vi caloris in grandinem atque calculos degenerant. Præterea à reſiccatione pulmonis, vt in aurificibus, chymiſtis, fabris ferrarijs, & ſimilibus. Quibus addi poſſunt inunctiones, & remedia morbo Gallico præſcripta. Eſt & Aſthmatis cauſa tuberculum in cauitatibus aſperæ arteriæ, vel in ſpina ſponte natum, vel à cauſa externa profectum. Addunt alij anguſtiam pectoris, ac malam conformationem & pulmonum compreſſionem. Quo loco notandum eſt, quòd licet in multis Aſthmatis cauſa præſens ſemper adſit, commota tamen materia grauius

ſpirare

ſpirare ſolent. Habet enim hic morbus ſuas acceſſiones: quæ videntur fieri, cùm pituita quæ occupabat exiles aſperæ arteriæ venas & carnem pulmonis, feruet, extumeſcit, ipſamque arteriam aſperam occupat. Ex ijs quæ initiò diximus, ſigna prædictarum affectionum ſatis patēt. In Dyſpnœa ſpiritus denſus eſt citra ſonum & anhelationem. In Aſthmate præter denſitatem maiorem, cum ſono & anhelatione ſpirat æger. Orthopnœa affecti nonniſi recta ceruice ſpiritum trahere valent, & cùm decumbunt ſeu iacent, ſuffocari & ſtrangulari videntur. Cùm enim aſpera arteria à gutture in pulmonem porrecta, ibi ſcindatur in multas propagines, per quas ſpiritus diffluit, ſi thorax cum collo curuetur, meatus comprimi neceſſe eſt, ac ſpiritum magis intercipi: vnde capite & thorace ſubleuato ſtare coguntur. In anhelatione præterea pectus ipſum graue eſt, crebra inquam & velox, ſed ſine febre reſpiratio, quæ adeò moleſta eſt, maximeque inter laborem corporis, vt homo ac ſi curſu agitatus eſſet, ob anguſtiam pectoris, propè ſuffocetur: eiúſque rei metu toto ſubinde recto corpore, rectaq; ceruice nitatur ad trahendum ſpiritum. Quinetiam ſpiritus quando anguſtis itineribus fertur, quendam velut ſibilum tenuem mouet. Præter hoc dolor aliquis in pectore, & in præcordijs verſatur, interdum & in ſcapulis, iſque modò intermittit, modò reuertitur. Eadem ferè ſigna dilucidè ſic explicantur ab Aretæo. Morbi incipientis notæ ſunt grauitas pectoris, tarditas ad opus ſolitum, in curſu aut accliui itinere difficilis & ægra ſpiratio, rauceſcunt, ac tuſſiunt. flatus in præcordijs atque eructationes excitantur præter naturam, vigilant noctu, parum & obſcurè incaleſcunt. Nares acutas, & ad ſpirationem paratas habent. Si malum in peius ruat, malæ rubent, oculi prominēt, ſtertunt dum vigilant, multo magis dum dormiunt: multum & frigidum aërem cupiunt. Aſſidua & aſpera tuſſis infeſtat, reijciuntur pauca tenuia, frigida, veluti quædam ſpuma efflorescentia. Si à cauſis procatarcticis originem traxit, ab ægris aut aſſidentibus percipietur. Si ab intemperie, ea ſignis ſuis ſæpius dictis dignoſcitur. Si verò ſtertendo ſtrepitum fecerit reſpiratio, lentorum craſſorumq; humorum pertinaciter impactorum multitudinem, pulmonis bron-

Signa

chia molestare indicium est, cùm & ipsa spirandi instrumenta non rarò proprium sui algoris initium habeant, & propterea in ipsis multæ crassæ superfluitates generentur. Si aspera arteria multa distillatione repleta est, & illico ab angustiæ sensu difficulter sic spirauerit æger, fluxionē vel à cerebro, vel à vicinis partibus in pulmonem irruentem portendit: idque sæpe ex manifesta causa repentè accidit, proprijs distillationis signis existentibus. Pingui enim & frigido phlegmate pulmonibus adhærente, cauernæ vel meatus quibus naturaliter spiritus redditur & accipitur, concluduntur, & ex hoc impedimento suspirium, vel molestissimus spiritus nascitur, vt sedendo magis quàm iacendo respirent. Si à flatibus Asthma est, non erit difficile internoscere. Si à crudo tuberculo, per præterita accidentia discernere licebit. Namq; si quis per bonam valetudinem cùm solitas actiones facere potest, sic difficulter spirare incipiat, augeaturque symptoma, neq; inter spirandum stertere videatur, adhæc nihil expuit, crudi tuberculi ortum suspicari oportet. Quandoque verò iuxta læues pulmonis arterias coarctans spirandi difficultatem efficit. Si verò tumor abscessui similis in pulmone fiat, necessariò febris cōsequitur, neq; ita diu per inflammationem, pus cum tussi reijcitur, vt si prædictæ affectiones ab Angina, Pleuritide, & alijs inflammationibus oriantur, ex proprijs notis interstinguendæ sunt. Hîc enim agimus de ijs quæ sine febre sunt, & in quibus nihil purulentum ægri deijciunt. Asthma enim est sine febre. Cùm autem humores qui morbum faciunt, putrescere cœperint, febrem efficiunt, atque tunc Asthma passionem appellamus. Morbus verò abscessus speciem seruat. Quod ad prognosticon, Dyspnœa quidem diutiùs trahi potest. Asthma & Orthopnœa acutæ sunt, & ob vehementissimas accessiones ægrum strangulare possunt: quod Dyspnœa propriè dicta efficere non valet, cùm in ea modica sit spirandi difficultas. Asthma, vt alij morbi à frigidis humoribus orti, comitatur ad mortem, si in valde senibus exciretur. Quibus gibbi ex Asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur. Asthma ex dislocatione spondilium, vix aut nunquam curatur nisi reducātur spondilia. Anhelatio & Orthopnœa etsi longæ sunt,

Prognosti-ca.

graues

graues tamen esse possunt, sæpeque vbi inueterauerunt, subito strangulatu hominē tollere. Accessiones quas quibusdam temporis interuallis graues habent, magis cœlo fieri humido ac frigido, maximeque inter multam crapulam solent. Quòd si noua inter hæc quoq; destillatio irruit, ferè hominem præfocatione occidit: ex quo ipsa præfocās quoque appellata est. Semper meliori vtuntur valetudine, qui anhelationem patiuntur, per quietem corporis, per ieiunium, & cœlo sereno. Anhelationi magis expositi sunt, quibus frequens destillatio ac tussis est: præcipuè si senes sunt, & angustos pulmones habent. Plerisque etiam alijs hic morbus accidit, qui vel natura, vel otio, vel victus intēperantia redditi sunt obesiores. Anhelatio magna ex parte senes tollit: in alijs difficillimè sanescit. Periculosa tremula spiratio, & spiritus inæqualis, inordinatus, intermittens, deficiens: & quidē quo grauius malum est, eo magis fit languidus & tardus. Pessima inter hæc syncope est. Ad extrema ventum esse testatur spiritus paruus, tardus, frigidus, itemque pulsus ex tardo factus nimis creber & languidus. Alijs dicitur periculosa tremula spiratio, eo magis si scapulæ nec non omoplatæ cum musculis intercostalibus vna cum inspiratione & expiratione deprimuntur & attolluntur, præsertim viribus existentibus debilibus. Quandoque anhelatio in pulmonis inflammationem transit. Afficiuntur hac passione magis viri, quàm mulieres: quorum plus ætatis mediæ & iuuenes, quàm pueri atq; senes. Scribunt tamen alij mulieres hoc vitio magis opportunas esse, quādoquidē frigidæ & humidæ sint. Pueri faciliùs quàm hæ liberantur. Nam ipsorum natura in incremento est, quę valentissimè calefacere potest. Viri nō facilè hoc morbo capiuntur: citiùs tamē capti pereunt. Differtur interitus, quibuscunq; opere cōficiendo aut lanis elaborādis pulmo incalescit & accenditur: quemadmodū calcis opificibus, ærarijs, aut ferrarijs fabris, aut ignis in balneis excitatorib. Sequitur vt ad curationē pergamus: primumq; idoneā victus rationē, calidā videlicet ac siccā præscribamus. Quapropter aër frigidus, nebulosus, valdeq; humidus vitetur. Hyeme vbi è lecto surrexerint, domo non exeant ante tertiam horā. Somno vtantur moderato præcipuè nocturno,

Destillatio præfocans.

Victus ratio.

caputque sublime in lecto habeant. Aluus ducatur præsertim clysteribus, vbi ea humecta non sit. Prodest quoq; deambulatio lenta penè vsq; ad lassitudinem. Frictio pariter conuenit infernarũ partiũ, præcipuè in sole, vel ad ignem, & per se ipsum, & per alios vsq; ad sudorẽ, idq; ante cibũ: vt omne exercitiũ statim à cibo vitandũ est, quòd plures hac ratione extincti sint. Animi perturbationes oës fugiendæ sunt, ira præsertim ac mœror. Cibis verò leuibus & sorbitiunculis vtendum, quales sunt ius pulli cum cicerib. elixi, & amygdalatum, vitelli ouorum, & interdum carnes elixæ cum pauco hyssopo, oreoselino, thymo, fœniculo, calamintha, & reliquis artenuantibus. Assæ minus conueniũt, quia sputum retinent. Carnes etiam neruosæ aut pingues vitandæ, eliganturque coctu faciles, vt gallinarum, pullorum, phasianorum, perdicum, caponum, paruarumq; auicularum. Eædem etiam optimè apparantur cum melle. Sinapi quoque conuenit cum carnibus. Fugiant pisces, fructus, legumina, cæteraque quæ crassos & lentos humores procreant. Exhibenda verò pro potu aqua mulsa, in qua parum hyssopi seu prasij, vel cõtrita capparis radix, aut quo suauior fiat, glycyrrizæ radix decoquatur, eaque largiter vtantur. Multus enim potus videtur conuenire, quia humectatione multa opus habent, quò facilè efferatur per tussim id quod in bronchijs continetur. Alijs tamen placet vt potus in pastu quidem parcus sit, post pastus autem nullus: & si vehementer sitiat ob cordis calorẽ minùs quàm exigit refrigeratum. Potus enim tunc ventriculo distento diaphragma premit, & respirandi auget difficultatem. Possunt tamen bibere, vbi cibus prior iam ventriculum egressus est. Os etiam possunt priùs lauare & gargarizare, & liquoris sputum promouentis aliquid in asperas arterias inspiratu trahere. Omnino præstat parum potus & sæpius anhelis offerre. Vinum præterea conceditur, idque tenuis substantiæ. Si necessitas vrgeat, nihilque prohibeat, ante omnia vena incidenda erit, præsertim vbi sanguis redundauerit. Auxilium namque est in sanguinis detractione, & præcipuè in Orthopnœa sicca sine sputis, vel tussi citra puris collectionem: præsertim si suppressi menses vel hæmorrhoides fuerint. Et si præfocatio coëgerit, & vires permiserint

Curatio per medicamenta.

miserint ægrotantis,& vbi hepatis calidioris Catarrhum fouentis coniectura aliqua fuerit, adhibenda phlebotomia est. Contingit etiam hæc affectio aliquando medijs ætatibus adhuc calidis,quos phlebotomo liberari necesse est.Itaque incidatur media,aut interna in cubito vena: nec multa sanguinis copia detrahatur, sed quantum vires patientur. Si quid impediat venæ sectionem (vt rarò sanguinis missionem è re esse inuenies,quia vitium in pituita crassa & lenta obstruente positum est)inedia aut parcissima vita aliquot diebus imperanda est. Deinde ea tribuenda sunt medicamenta,quæ vim habeant attenuandi, incidendi,ac detergendi humorum crassitudinem ac lentorem,qui in pulmone vel partibus alijs transmittentibus colliguntur.Postea ij repurgandi sunt per ea quæ sputa ducunt,& materia repurgata desiccantibus vtendum, ac roborandæ partes. Neque verò calidis multùm initiò vtendum,quia tenui resoluto,crassum expuitioni inoptum relinquunt.Et in hoc affectu chronico ijsdem non est continenter vtendum: quia ab assuetis non fit passio.Præterea quæ qualitatibus manifestis cõueniunt, diuersam habent proprietatem occultam: qua hæc illis corporibus, illa alijs magis conueniunt & conferunt. Sunt enim medicamentis cum corporibus totius substantiæ proprietates & familiares,& repugnantes, quæ sola experientia noscuntur. Conueniunt igitur syrupi glycyrrizæ, hyssopi, prasij, de duabus vel quinque radicibus,oxymeli simplex compositum, & valentius scilliticum,cum duplo aquarum fœniculi, hyssopi,decocti radicis helenij, vuarum passarum, dactylorum, adianthorum, & cæterorum thoracicorum. Quoniam verò pharmaca attenuantia & incidentia tusses mouent (quanquam & bechica sunt etiam in calidis & tenuium partium substantijs contenta,quæ extenuandi vim habent: quo ab alijs bechicis discriminantur, quæ tussim sedant, quorum natura est incrassandi, & propterea in frigidis & crassarum partium essentijs insunt) cùm necessariò tusses moueant (inquam) quæ huiusmodi affectiones exigunt, nec facilè per sputum reijciatur quod absterſum est propter crassitudinem, non immeritò multa humectatione opus habent,quò facilè efferantur horum

excrementa. Idcirco non ipſis per ſe vtendum, quæ incidunt & extenuant, ſed mixtis melicrato, ptiſanæ, oxymeliti, aut dulcium vinorum cuipiam. Adhæc pharmaca eligi debent quæ citra vehementem calefactionem attenuent atq; incidant: craſſi enim & tenaces humores à vehementi calore tenaciores & viſcoſiores redduntur, vt difficulter auelli poſſint. Etiam quæ valde refrigerant vitanda ſunt, quoniam craſſefaciunt, cogunt, ac coaugent humores. Aſtringentia quoque his affectionibus maximè ſunt contraria. Ob id valde iuuat acetum ſcillinum, acetum mulſum, ſcilla aſſa cum melle trita, & delincta. Materia verò ſi multa eſt in corpore, purgantib. vacuetur (alioqui ſi pauca eſt in pulmone & aſperis arterijs, per ſputa excernitur) vtpote agarico trochiſcato, coccijs pilulis, electario diaphœnico, indo. Vt autem à pulmonibus attrahant, purgatoria in pilulis videntur efficaciora. Adde pilulas aromaticas, de hiera ſimplici, vel compoſita cum agarico. Ac ſæpe repetenda eſt purgatio ob morbi longitudinem (vt materia quæ è capite defluit vacuetur) modò ne purges, dum velut in pulmone feruet & exudat ſurſum materia per quoſdam paroxyſmos, ſæpe certis periodis recurrentes. Acceſſionis enim tempore medicamento purgante materia non debet agitari (vt nec in plenilunio) ne largiùs in pulmones fluat, & ſuffocet. (Extra paroxyſmum rarius quoque purgantibus vtimur, eo quod viſcida & craſſa eſt materia quæ obſtruit. Purgantia autem medicamenta ad pulmonem vix pertingunt. Diligenter autem præparanda eſt materia, antequam purgantibus educatur.) Sed blandè promouentibus ſputum euacuandi, ſunt humores in meatibus carneq; ſpongioſa pulmonum cõcluſi, potius quàm purgantibus aut vomitum concitantibus medicamentis. hæc enim inſtrumenta locũ habebunt potius cum humores erunt plurimi in toto corpore, à quib. cauſa coniuncta incrementum poteſt ſumere. Ac per cucurbitulas paulò ſupra renum ſitum affixas, & recto corpore reuellenda eſt materia ad aſperæ arteriæ truncum confortim ruens, & ſuffocationis periculum afferens: quanuis & materia quoque extra paroxyſmum reuellitur. Quanquam & in periculo ſuffocationis ac nimis oppreſſo ſpiritu cucurbitulæ etiam

De agendis tempore acceſſionis, ex placitis recentiorum.

etiam scapulis admouetur. Continetur & in ore aquæ hordei ad vncias quatuor, cũ sacchari vncia vna, & croci granis iiij. Conueniunt quoque frictiones atque vincula, & in paroxysmo dantur quædam expuitionem iuuantia. Vt in materia tenui datur distragacantha, penidiæ, syrupus violatus. Alioqui datur & ℈ ß. ammoniaci cum vncijs duab. oxymelitis scillitici, & aquæ hyssopi. Atque hæc obiter de agendis in paroxysmo. Præter purgationem dictam debet aluus elui clysteribus actioribus. Ad auertendum prosunt quoq; errhina, apophlegmatismi, caustica, & cętera antè in Catarrho & Tussi descripta. Quanquam alij nec gargarismis, nec apophlegmatismis vtẽdũ putẽt, sed errhinis magis. Imò nec errhina quibusdã placent in ipso paroxysmo. Iam bene purgato corpore, reuulsáq; aliò materia, thorax particulatim repurgãdus est lenientibus, incidentibus, tergentibus, postremò etiã siccantib. Leniunt passulæ, ficus, myxa, zizipha. Incidunt heleniũ, hyssopũ, adianthum, scabiosa, semen vrticæ, bombacis. Eadem etiã detergent. Hîc quoq; vsus ligni Guaiaci conuenit. His adde cætera dulcia, nitrosa, salsa, amara, acria, vel cõposita ex his: vt est eclegma ex brassica, ex pulmone vulpis, vti pulueris ericij drachmæ duæ sæpe sumptę. Radix ari prodest cruda, vel potiùs elixa, aut sub cinerib. assa, trita & syrupis thoracicis mixta. Laudatur & ius galli decrepiti cũ polypodio, semine carthami, anisо, hyssopo, satureia, thymo, & alijs. Vulpinũ quoq; iecur, vbi siccũ & aridũ factũ est, commendatur. Confert & castorei puluis. A tota substantia iuuat etiam Asthmaticos pulmo vulpis resiccatus, cuius ʒ j. cũ aqua mulsa datur. Fotis thorax linitur oleo amygdalarũ dulciũ, butyro recenti, cũ pauco croco: & linteis asperis fricatur, vt reseratis meatibus vis medicamentorum ad profundam cutem penetret: & aliquid materiæ exhalet. Extrinsecus etiam admouentur cataplasmata ex ficubus, hordeacea farina, magis verò ex loliacea, habente resinam, mel, & ceram admixta. Oleum irinum, anethinum, rutaceum vsupatur, aliáq; olea, & vnguenta calfacientia. Vtricis quoque pectus cæditur, aut scilla excorticata: dein oleo lenitur calido, donec ruborem traxerit. Vtendum est & alijs medicamentis, quæ vlcerare cutẽ, & saniem serososq; humores extrahere

possunt, qualia sunt rubefacientia dicta. Conueniunt & dropaces, & sinapismi. Prosunt & frictiones pectoris ex pumice, nitro, fæce vini vsta. Inueterato malo ad vstionem confugiendum; quod est crudelius: vt quando cauterium in medio pectore admouetur. Nec cerebri cura in hoc affectu negligenda venit, si quid ab eo defluit in pulmones. Postremò siccantia & dissipantia materiæ reliquias adhibentur, vt suffitus cum thure, sulphure purgato, & arsenico. Quanquam hoc postremum tanquam deleterium plærisque vitandum videatur, aut non vtendum, nisi castigetur. Exiccant etiam ante dicta mithridatium, theriaca, diamoschus dulcis & amarus, plitis arcoticon & similia. Confert & aquarum naturalium vsus. Quòd si morbus abscessus rationem habuerit, & putrescentes humores ex pulmone excernantur, curantur theriaca, athanasia, & alijs exiccantibus, & bonis odoribus, vt moscho, ambra, styrace. Exiccantia valde supprimunt putredinem. Odorata animalem & vitalem spiritum reficiunt, qui à putridis fumis extinguitur. Augenda autem vis medicamentorum, si materia non in bronchijs pulmonum, sed in spacio thoracis & membrana succingente hæret. Tuberculum verò durum, si fieri possit, suppurari debet, & vti suspirium ex abscessu curari. Quòd si suppurari nequeat, remedijs ad id accommodatis, vt carycis cum aqua mulsa vtemur. Et similis victus ratio esse debet ei quæ ad suspirioſos ex crassis lentis humoribus scripta est. Asthma interdum fit à materia tenui & aquosa quadantenus frigida, decumbente in pectus: vnde flatus in cauitate & ventriculo excitantur: cuius parozysmus eructatione & vaporum missione curatur. Hæc promiscuè allata, partim ex vetustis, partim ex recentioribus petita sunt.

De cruenta sputione. CAP. VI.

QVAM Græci αἱμοπτόην καὶ αἱμόπτυσιν, ἢ αἵματος πτύσιν appellant, Latini sanguinis expuitionē & reiectationē, seu cruentam spuitionē, seu sputum sanguinis vocitant. Et qui sanguinē ex infernis partib. sublatū per os reijciūt, ἀναφορικοὶ καὶ αἱμοπτοϊκοὶ, quasi ἄνω φέροντες dicūtur.

Obseruan-

Obseruandum num sanguis antea è naribus fluere consueuerit. Illinc enim sæpe in ventriculum fauces, interdum & in pulmones ruere contingit: sed plerunque concrescit & in grumum transit. Si itaque sanguis spuatur, neque fluxus sanguinis narium præcessit, è parte aliqua subiecta prouenit. Cruenta igitur spuitio est ex ore quælibet sanguinis excretio: si quidem per os à variis partibus sanguis excerni potest. Aut enim è capite, aut è gula & ventriculo, aut ex partibus spiritalibus, thorace videlicet, pulmone, seu aspera arteria, ex faucibus, gurgulione, seu ex ipso proprio ore, ac gingiuis expellitur. Suus autem proprius est cuique parti reiectationis modus, de quo postea in notis describendis. Quæ ab ore & gingiuis simplici expuitione efferuntur, hæ omnes hæmorrhagiæ: Quæ vomitione à ventriculo, aut gula, aut ex ipsis à partibus thoracis, pulmonis, & asperæ arteriæ, ἀναγωγαὶ appellantur Aretæo. Quo loco notandum est quoque, sputum sanguinis à fluore differre. Sputum dicitur, cùm pituitæ permiscetur, modicumque excernitur, aut congestum. Fluor verò cùm sub qualitate multa sanguis expuitur, rutilans, non congestus: paruam enim materiam sanguinis ex gingiuis, aut vua, aut faucibus emissam, sputum magis quam fluorem rectè nuncupamus. Affectus ipse symptoma est, à quocunque loco & quouis modo excernatur, in genere excretorum præter naturam tota substantia: quamuis interdum cum noxa functionũ, interdum citra noxã earundem reijcitur: quemadmodũ si ab aliqua parte in ventriculũ fuerit deriuatus, isq; demum vomitione sit reiectus. Distingues verò ex eo quod expurgatur, nunquid tanquam molestum excernatur, seu in tempore, vel non. Cùm enim robusta est facultas, id citra noxam functionum fieri dicitur, vt suprà capite de profluuio sanguinis è naribus dictum est. Quo etiam loco declaratum est manare sanguinem à venis, aut ruptis, aut apertis, aut exesis. Hîc enim manat sanguis ex pectore, vicinisq; locis, vt aliàs: venis quidem ruptis à causa externa seu manifesta, vt cùm quis ex alto, vel in ludo, vel certamine ceciderit, aut cùm alter super alterum cadit, vel ex inanimatis corporibus aliquod graue, vt lapis, vel lignum, hominem offenderit. Quod alij fieri dicunt

Cruenta spuitio quid.

Partes affecta varia.

Ἀναγωγαί.

Sputũ sanguinis & fluor in quo differunt.

Quis affectus præter naturam.

Causæ.

quandoq; ex percussione, vel alicuius grauioris ponderis subleuatione. Vel præcessit ira cum vociferatione multa, vt in citharœdis & tragœdis certantibus, acuta, vehementi voce, non præmissa pulmonum lenitione per præcedentes exclamationes. Adde etiam frigus immodicum quod constringit arterias pulmonis: has deinde disrumpi cogit thoracis distensio. Quæ enim dura sunt, si distenduntur, rumpuntur. Adde & vsum rerum calidarum. Ab interna quoq; causa, vt à plenitudine & sanguinis copia cũ flatuoso spiritu distendente pulmonis vasa. Deniq; à conatu, valida tussi, & similibus causis vena aliqua pulmonis rumpitur. Vtriusq: communis est sanguinis effusio repentè & aceruatim facta. Reseratis verò seu apertis vasis sanguis profluit, si plenitudo etiam & victus humidior calidiorq;, & balnei immoderati vsus, & calidi loci inhabitatio antecesserint, aut si adsit tenuitas & serositas sanguinis. Exesis deniq; venis, vbi acris à capite destillatio, mordax & salsa præcesserit, vel conferta in ore saliuæ salsæ collectio, & huiusmodi: seu si partem aliquam distillatio diutiùs molestauerit. Præterea si intra venas acres succi contineantur. Notis autem

Signa.

suis hæ causę distinguũtur. Apertis enim osculis venarum, sanguis serosus manat: ruptis venis, multus & purus: ab erosione quidem paucus, sed processu temporis aliquando fit, vt subitò multus erumpat: sed hi interim pus expuũt, interim verò sanguinem. Notis etiam proprijs & exquisitis,

Sanguinis resectio à capite.

à quibus partibus sanguis emanet, dijudicari potest. Nam si à capite descendit sanguis per foramina palati & fauces in asperã arteriam, titillatio est in palato, frequensq; screatus, tussiẽdi cupiditas, ipso cruore ad guttur illapso, iterúmque screatu per os reiecto, qui sese in linguam protinus infert rotundus, subniger, ac satis multus, itemq; leuis cum pure & pituita mistus: cuius subinde pars per nares emungitur, muco delibuta. Magna autem ex parte capitis dolor ac grauitas destillãtem inde cruorem antecessit, leuatio secuta est, aurium sonitus etiam præcessit: venæ frontis sunt

Ex stomacho seu œsophago.

elatæ, in ore quidam sensus est, caloris, sanguinisque. Si ex stomacho eductio fiat, cũ nausea & vomitu sanguis effertur, & in deglutiendo mordacitas percipitur, maximè si acria aut astringẽtia deglutiantur. Et si ex ventre educatur,

nauseæ

nauseæ fiunt plurimæ. Vomitu redditur ex ventriculo, siue è cerebro defluxerit, siue ibi concreuerit, aut casu, vel percussione, vel erosione cumulatus fuerit. Cum vomitu deiectio est simul, vel paulò pòst cruoris concreti nigricantis, grauitas in vētriculo percepta fuit. Ac vt ex gula si est, non multus vomitur, cùm eius sint exiguæ venæ: sic abundantior qui ex iecore aut liene deductus est in ventriculum, tumq; spumare etiam, si horum aliquod viscerum inflammatione obsidetur, consueuit. Quod indicāt intermissiones. Adde quòd iecur aut lien grauatus, leuior redditur: tumque sanguis crassus, globosus, grumosus & niger erit: præsertim si è liene prodierit. Ex faucibus & gurgulione si sanguis fertur, is screatu pellitur: tuncq; sanguinei est coloris, eiusq; pauci expuitio, idq; sine tussi, continuique solutio, hic sæpe manifesta est; qui ex ipso ore & gingiuis, simplici expuitione; qui ex gutture, tussicula; qui ex pulmone & thorace, valida tussi. E pulmone verò sanguinem ferri sciendum est, si sanguis spumans, tenuis ac floridus ex interuallo per tussim frequentem sine dolore educitur, quia neruus à sexta coniugatione distribuitur non in pulmonis carnem, sed eius tunicam tantùm. Quare tunica læsa sentitur dolor remissior ab inspiratione frigida, vel mordaci, vt fumi, aeris, rerum acrium. Quòd si factum fuit à vena disrupta præsertim grandiori, vbertim sanguis quasi vomitu quodam prorumpit, adeò vt interdum pelues impleße visus fit. Vbi ab erosione contractum est vitium, eius causa dicta est, acris scilicet distillatio, cui comes est febris, sputum purulentum, aut aquæ persimile, in qua caro animantium recèns mactatarum abluta est. His accedit, quòd ipsius etiam putrefacta particula subinde tussi redditur. Ipse sanguis paulatim sputo miscetur: isque exiguus est pulmonis exesis carnibus; vberior, erosa eius vena; quæ si grandis est, vt paulò ante dictum est, cruor abundantissimus sequi solet. Eodem tempore quod expuitur, id praui coloris & odoris est. Si purulentus est sanguis, magis certo in pulmonib. aliquid exulceratum esse significabitur. Magnam verò erosionem sic licet animaduertere. Superioribus temporibus sanguis particulatim modicis interuallis extussitur. Sequentibus hinc diebus aucta

Ex ventriculo.

Ex iecore, liene.

Ex faucib.

Ex pulmone, thorace.

erosione cumulatior venit, vt neque casus aliquis, neque cursus, aut quid aliud externæ accessit iniuriæ. Si pars quædam bronchij, aut arteriæ, aut venæ tunica, aut etiam pulmonis carũcula quædam eijcitur, à pulmone facta est excretio. Si verò recluſa est pulmonis vena, is certè initio paucus reijcitur, (quod disrupta non fit) idémque spissior est ac magis rubens, quàm qui à pulmonis vulnerata substantia vel exesa proficiscitur. Siquidem hic tenuis, subflauus, floridus, spumosus, & qui arterijs ineſt similimus. Ferè autem sic incidit, vt patefactam venam repletio corporis & grauitas antecesserit, nullus comitetur dolor, agilitas effuso cruore consequatur. Quæ vacuatio sæpe fœminis quæ compressis mẽstruis ægrotabant, leuamen auxiliúmque mali attulit, sine vllo vel vlceris vel tabis metu. Sanguis quem pulmo fuderit, omnis spumam, vt proximè dictum est, habet (nisi ex vasis eius prodierit) multa aut mediocri tussi, nullo dolore effertur. Qui ab aspera arteria educitur, etsi interdum spumat, dolore non vacat, idemque exiguus est ob vasorum quæ in ea sunt paruitatem, & parua tussi maiorique screatu pellitur. Si quod ramentum eijciatur, maius erit, quàm quod affecto pulmone reijcitur: dolor percipietur non inspirando tantùm frigida, sed deglutiendo, præsertim si ad laryngem est vlcus, contactúq; augebitur. Multa ac vehemens tussis est, si è locis thoracis profundioribus & pectoris trahitur, vt in lateris & pulmonis inflammatione: minor autẽ, si à superis. Iam qui à substantia pectoris sanguis venit, subniger est, crassus, grumosus, fœtidus, cum paucula spuma, isque non abundanter, at sensim vehementi solicitatus tussi prodit, & locus qui afficitur, dolorem habet, qui dolor etiam per somnum increscit. Cùm è thorace reijcitur, primùm ad pulmonem trahitur, inde per asperam arteriam deturbatur. Quandoque serosus sanguis spuitur à partibus capitis & palati, vbi sanguisuga potu deuorata colatorio aut internis naribus inhæserit, cui screationi tussis quoque accedit, sanguine in guttur delapso. Sanguisuga quoque ventriculo hærens aliquando sanguinem expui vomitione fecit. Summa cura propositus affectus curandus est, cùm magna pericula adferat: vel enim nimia exanimate profusione homine po-

Prognostica.

test,

test, vel vbi intus cohibetur, etiam præfocare, nimiaque mole cor opprimens, inducta syncopa subitò occidere. Vt quàm maximè hæc absint, vitáque maneat, grauissima tamen vlcera, nisi maturè succurritur, & insanabilia in pulmone facit. Quanquam etiam recens ruptio non posse sanescere videatur, compertum est tamen fuisse seruatos nõ paucos, quibus primo triduo curatio adhibita est. Verùm vbi vetus malum est, medicina inanis est. Cruor à pectore redditus minus habet periculi, quàm qui à pulmone redditus est. Expeditior enim sanatio est: quæ si non sit, vlcus inde non æquè malignum nascitur. Quod ipsum si in pulmone est, & tabem, & hecticam febrem, & marcorem, & mortem affert. Vbi vena intus sauciata est, probéque coaluit, sæpe iterum ijsdem de causis rumpitur, quibus rupta priùs fuit. Quod vbi incidit, protinus cruor prodit, isque affatim sæpe veluti quodam vomitu profusus hominem repentè strangulat, aut certè in pus crassum atque multum pùtrefactione versus, tandem tabe occidit. Nullus medicinæ locus est, si sputum cruentum ab eroso pulmone esse cœpit. A venæ autem ruptione, siquidem inter principia occursum est, dum recens vulnus & inflammatione & pure caret, obseruatum est secundam sæpe valetudinem contigisse: neque enim simplex venæ ruptio tabem excitare potest, modò reliquus pulmo sit integer. Is enim propter dimanantem ex rupta vena in se sanguinem (vbi tabem facit) afficitur. Semper autem sanguinis sputum, si diu tenet, in tabem transit. A sanguinis sputo, puris sputum malum est. Eiusmodi sputum malignum est, quia ex pulmonum erosione. Sanguinem suprà ferri, qualiscunq; sit, malum. Per suprà ferri, eum sanguinem qui per os excernitur, intelligere oportet. Quicunq; sanguinem euomunt, si sine febre, curari possunt: si verò cum febre, malũ. Nam febre vacantibus liquet nullam adesse inflammationem in loco. Soluitur sanguinis vomitio à mensibus erumpentibus. Sanguis ex ore & gingiuis profluens, cæteris minùs periculosus. Quemadmodum si ex faucibus interioribúsque partibus processerit, & metus maior, & cura maior adhibenda est. Ex capite veniens fluor generaliter curatione facilimus est. Ex stomacho, ventre, faucibus curabi-

les sunt fluores. Vlceratione facti difficiles curatione, ab ijs qui è ruptione fuerint effecti, iudicantur. Omniũ verò difficilis atque grauior curatione ex pulmone fluens sanguis accipitur, ob iuge spirationis officium. Sed de signis plus satis. In curandi ratione, quia victus ratio primum locum obtinet, ea omni cruentæ expuitioni (præsertim ex disruptione & apertione vasorum) communis esse debet, vtpote refrigerans, incrassans, siccans, & astringens. Cuiusmodi sit aër paratus inspersis humi herbis, aqua rosarum, aceto, rosis, santalis, caphura, ijsdemq; odoratis. Calidum & humidum aërem fugiant, ac præsertim Austrinos flatus, nec non solares radios & lucentem focum vitent. Si valentiores sint ægri, omne ferè nutrimentum circumcidendum: sin aliter, sorbitionis quod satis est exhibendum, potissimùm vbi pulmonis vas fuerit disruptum. Quę exhibentur alijs, sint mediocriter obturantia ac leuiter astringentia alimenta, temperata omnia, & ad frigidum magis declinantia, idque actu potius, quàm calida, neq; nimis humida. Detur itaque ptisana & eius cremor, alica, lac coctum cum amylo, aut farina hordei, inspersis malorum punicorum granis, aut incocto pomo cotoneo, aut pyro, aut pomo austero, aut succus alicuius eorum semper adijciatur, nedum in prædictis sorbitionibus, sed in cunctis alijs eorum cibis, qui in aqua pluuia decoquantur. In qua etiam micæ panis pro cibo imbutæ conueniunt. Similiter ex oleribus assumant ægri lactucam, intybum, portulacam, cucurbitam, lentes quoq;, lac acidum, milium, panicum, oryzam, quatenus siccant & astringant. Vtendum & panibus azymis, piscibus glutinosis, partibus animalium neruosis, cartilaginosis, pinguibus, caseo recenti, quæ incrassant sanguinem & ora vasorum obturant, & si vires postulent, vescantur carnibus gallinarum, pullorum, phasianorum, perdicum, columbarum syluestrium, capreolorum, turdorum, ac reliquarum auium id genus: quę cum omphace seu succo vuæ acerbæ, & rhoë obsoniorum coquantur. Ouorum etiam lutea commendantur, & vbi sanguis expui desierit, pedes suum & saxatiles pisces aceto inter coquendum adiecto offerantur: vice quorum tum hœdi, tum etiam castrati pedibus vtantur. Quòd si febris absit,

Victus ratio.

sit, lac caprillum tribuas, potissimùm ijs qui per sanitatem eo vti consueuerunt. Ex fructibus fugacibus qui modicè astringunt, offerantur, vt mala decocta recenti mulso, pyra, sorba, mespila. Rarò pini fructus & vuas passas assumãt: à ficubus, pistacijs, maximeq; amygdalis abstineant. Potus verò febre carentium sit vinum aquosum, modicum, pluuiali aqua dilutum; aut (vt placet alijs) rubrum, austerum, & maximè si vires sint infirmæ. Alioqui vino abstinendũ. Si febris adsit, aqua pluuialis pro potu offeratur: aut eadem aqua, in qua chalybs ignitus sit extinctus, seu coriandrorum semina fuerint decocta, eaque tosta, aut palmulæ, aut vitis pampini, seu arnoglossi folia: aut detur aqua cum iulep rosato permixta, vel syrupo granatorum, vel rosarum siccarum. Somno vtantur modico, præsertim nocturno: fugiántq; diurnum: (somnus omnes fluxiones compescit: quia tamẽ sanguinem intrò trahit, ob id parcior sit & tardior) caput cubantiũ sublime sit, præcipuè si ex spiritalib. sanguis profluxerit. Nec conclaue sit calidũ, & inclusum, vel mobile. Alui excrementa deponant quotidie, natura aut arte, aut clysteribus leuibus adiuti. Vitent motum, exercitium, frequentem ac magnam respirationem, locutionem: imò sensim respirent, lemperq; silentium agant. Animi affectus immodicos, iram præsertim fugiant, pariter ac venerem. Cæterum color rubens hæmoptoicis nocet.

Medicamẽtorum ratio.

Curandi autem ratio per medicamenta, hæc præcipua habet capita diligenter obseruanda. In primis quòd reiectatio sanguinis quæ ex apertione osculi vasis contingit, per ea quæ dilatatum os obturant, curari debet. Obturant autem oſculum dilatatum, quæ vim habent astringendi medicamenta. Eius verò quæ ex vasis ruptura fit, curatio per eiusdem glutinationem perficitur. Sicut eius quæ ex erosione fit, per vasorum renutritionem. Atqui conglutinatur ruptum per eadem medicamenta astringentia, & quæcunque ipsis in compositione miscentur, citra mordicationem resiccantia, & glutinosum quiddam habentia, quæ idcirco quòd ex lenta crassáque substantia consistant, meatus obstruunt: & Græci ἐμπλαστικὰ vocãt. Præterea in vtrisq; attendendũ, nunquid causa ruptionẽ vel apertionẽ efficiẽs desierit, vel adhuc maneat. Namq; si de-

fierit, primùm sanguinem sistere, deinde sanare ruptum vas aut reseratum oportet, eo conglutinato vel obstructo. Si autem adhuc permaneat efficiens causa, vtpote abundantia, ea quidem primo loco vacuanda erit. Etenim manente ea vas etiam plus rumpitur, aut reseratur. Ab hinc sanguis supprimendus, moxque vlcus ipsum vasis, vel eius apertio curanda. Desinente itaq; effectrice causa, primùm sanguinē sistere expediet: pòst vlcus sanare, obturato quidē quod perruptū est, auerso aūt atq; aliorsum translato quod per id ferebatur, quādo si id eo quo inter initia impetu cōfluat, osculumque vasis pari modo pateat, citiùs planè moriatur animans quod profluuio laborat, quàm sanguis cesset effluere. Sistitur portò qui è vasis profluit sanguis, aut propterea quòd ampliùs non confluit, aut quòd occlusa diuisio sit, seu conniuent id quod reseratum est, aut propter vtrumque. Hæc quidem ex varijs Galeni locis ab alijs collecta sunt, & fusiùs explicata, quæ meritò & nobis hoc loco describenda fuere. Quibus & addi debet, quod commune est omnium internarum partium affectarum, vt ea eligantur quæ animalis naturæ maximè sunt familiaria, siue cibi sint, siue medicamenta, fugianturque ac respuantur huic contraria. Quibus curandi indicationibus annumerari potest & quæ à partibus indicatio sumitur in singulis affectibus. Iuxta quam rationem contingit curationem variare, atque interdū cum prædictis contraria medicamenta miscere. Proinde pro varijs reiectationis causis à quauis parte prouenientis, curatio instituenda venit.

Curatio reiectationis sanguinis ex gingiuis. Ex ore.

Si itaque ex gingiuis reijcitur, portulacam manducasse sat est; (quod de crudis eius folijs in ore retentis & commansis quidam exposuere.) Si ex ore, continuisse eo merum vinum, & si id parum proficit, acetum. Aut si sanguis multus est in capite vel toto corpore, sanguinis missione ex humerali, aut media auertendus est: aut in muliere cui menses suppressi sunt, vena tali secta. Si inter hæc quoque grauiter erumpit sanguis, cucurbitula occipitio admouenda est. Conducit & oris collutio ex plantaginis, polygoni, ac portulacæ decocto in aqua pluuia, pauco addito aceto, vel vino rubro astringente: vel succi prædictarum herbarum portio cum aqua rosarum, vel myrtina adijciatur cū pauco aceto

aceto ad colluendum. Et sanguine ab ore, quemadmodum à faucibus, palato, gurgulione manante, conuenient collutiones oris ex decocto balaustiorum, aut rosarum, aut succo plantaginis. Validius est decoctum rhois. Fronti autē admouenda sunt quę ex naribus sanguinem fundentibus accommodantur. A calidis & rarefacientibus collutionibus plus sanguinis erumpit. Huc quoq; transferenda sunt quæ capite de Angina & Gurgulionis inflammatione scripta sunt. Si à capite sanguis feratur, multusque sit qui defertur, aut toto corpore redundauerit, nariū emunctione procurandum vt educatur, aut per venæ externæ cubiti incisionem. Sic ad propinqua deriuabitur, aut ad longinqua diuertetur, ne per negligentiam cōsuetudo fiat in hos locos dilabendi. Sin verò plurimus fuerit fluoris lapsus, acacia ex aceto frontis atque temporum partes illinendæ sunt. Succus item plantaginis gargarizandus, aut in ore tenendus. Et si opus fuerit, succus plantaginis sorbeatur per nares, vt deinde per os excernatur. Si pus simul cum sanguine exeat, aqua mulsa sorbenda per nares, & ablutione præcedente atque emundatione, succo plantaginis vtantur. At si ob distillationē sanguinem reiecerint, ad quamcunque partem feratur, aut quocunque modo, his venam incidere protinus in principio debes. Secato autem humoralem aut mediam, nisi vehementer acris humor destillauerit: cuius curatio patebit, cum de erosione loquemur. Si enim acris humor destillat, sanguinis detractio caueri debet, ac purgatione vtendum, quæ & hîc quoque propinatur ex infuso rhabarbaro aut decocto myrobalanorum, aut electario de succo rosarum. Cohibeatur distillatio, vt capite de Catarrho dictum est, nempe decocto foliorum myrti, & rosarum. Cucurbitula etiam occipitio defigatur. Acres clysteres adhibeantur. Fiant frictiones artuum, non capitis. vinculis etiam artus ligentur. Postea raso capiti medicamentum syluestrium columbarū imponatur, (cui exiccandi & discutiendi facultas ineſt) idq; post horas tres tollatur, & calido pileo caput tegatur, vel candenti ferro vstio in capite fiat. Dormituro etiam theriaca potui exhibeatur, nec recens valde, nec antiqua, sed mensiū quatuor. Quam sententiam de medicamento metasyncritico ad-

Ex fauci-bus, palato, gurgulione.

Ex capite.

Ex distillatione non ex-cre.

mouendo etiam in acri fluxione, licet damnet Alexander, est tamen ea vtilis. Nam calida foras trahentia fluxionem in pulmonem sistunt. proficiuntque ex accidenti. Frigida verò per se calidum Catarrhum attemperant, & incrassatione retinent. Ad finem repurgandus est pulmo, melle despumato lincto, aut aqua mulsa. Sanguinem quoque vomentibus vena pariter incidenda est in cubito superior, etiamsi ex hepate in ipsum ventrem deferatur. Si a splene, incidatur quæ inter paruum & angularem digitum in sinistra manu est. Parcè autem detrahatur sanguis, idque repetitis vicibus. Cibi his offerãtur astringentes vt alijs, non tamen vehementer, neq; vehementer actu frigidi. Et vbi exiguum vas est perruptum aut apertũ, (ex quo non multus profluit sanguis) vtilia sunt: medicamenta, quæ ex aloë, manna thuris, sigillo leminio, lapide hæmatite parantur; idq; ex vino nigro, aut aqua pluuia, vel chalybeata. Fructus etiam mespilorum ibi decoquantur. Sin vas magnum est diruptũ, vtiq; magis astringentibus opus est, vt balaustio, hypocistide, rhoë, omphacio, acacia, gallis immaturis. Optimè conducunt acetum, portulaca, portulacæ succus bibitus, aut plantaginis sanguinariæ decoctum, radicis symphyti, centaurij, equiseti, & similium. Sanguine in ventriculo grumi instar cõcreto, coagulum maximè leporinum potandum est, vel hœdinum, vel ceruinum: cuius dosis est ciceris magnitudo ex oxymelite, vel posca, si grumi dissoluendi sunt: alioqui ex aqua ferrata, vel plantaginis. Dissoluunt & pix, mummia, adiectis cietibus spurum, vt saccharo, melle, syrupo de liquiritia, hyssopo. Arabũ familiæ coagulum refrigerare & reprimere scribunt, aut elementari qualitate, aut proprietate quadam. quanquam videatur esse natura acri, detergente, & exiccante. Sanguinis etiam concretionem non modò corrigunt oxycratum potabile, oxymel simplex, sed & compositum, scilliticum. Possunt quoque profluenti, nempe ventriculo, tocinori, spleni, admoueri tum astringentia, tum citra astrictionem frigida. Verùm nec omnino, nec sine discrimine, nec omni tempore loca quæ citra particulam vnde sanguis profluit sunt posita, refrigeranda sunt: & nisi multæ auersiones præcesserint. Alioqui manifestè læderent, cùm sanguinem intrò compel-

Curatio resectationis sanguinis ex Ventriculo, vel hepate, vel splene per Vomitum.

Coagulum.

compellant, ac venas quæ in alto sunt, impleant. Acetum verò misebis, vt ad interna vis medicamentorum penetret. Vẽtriculus ergo inungatur oleo rosato, melino, myrtino. Et quæ admouentur, crebriùs immutentur, ne si calfiant, rursus ab ijs sanguinis commotio atq; irritatio oriatur. In id fiant epithemata ex succo plantaginis, portulacæ, sanguinariæ, aut omphacij, & aqua plantaginis & rosatũ, ac aceto: quæ etiam conferunt, si supra iocinoris & lienis partes apponantur, vbi ex his sanguinis profluuium ortum ducat. Non enim ad ipsas, sed circa eas vnde influit, aut fluxurus est sanguis, frigido vti aportet. Si ex refrigeratis spiritus instrumentis, ac proinde ruptis vasis sanguinem reiecerint, his venã secare iubet Galenus è vestigio, ac bis eodem die, & deinde rursus postridie bis, nisi vires prohibeant. Tunc enim paulatim euacuatio facienda est, vt ad contrarium diuersio fiat. Ac post frequentes artuum frictiones & ligationes, toti pectori adhibet Galenus cæratum quod ex thapsia conficitur: nempe post alteram sanguinis detractionem, & secundo die videlicet; mox vesperi, ne supra modum calfaciat, auferendum, ac rursum tertio die ad tres horas imponendum præcipit. Cùm verò delegatæ partes spiritui in naturale temperamentum redactæ sunt, & totum corpus vacuatum diaspermaton ad vesperam exhibet: quod somnum conciliat, dolorem leuat, exiccandi vim habet. Postremò Tabias ægrum mittit. Vasis autem spiritus alijs de causis disruptis, aut eorum osculis patefactis, statim incidatur vena cubiti interna, ex qua paulatim sanguis diuertendi gratia detrahendus. Non enim euacuatione indigent tales ab ipsa affectione iam euacuati. Vena tali etiã commodè secatur in mulieribus, quibus menses suppressi sunt: & in viris, quibus venæ cubiti non sunt conspicuæ. maior enim diuersio fit. Artus etiam fricandi vinciendiq;. postea posca potui offerenda. Quòd si quis in viscere thrombus, id est cruor concretus, latitet, resolutus expuatur: atq; hoc nihil vetat bis terve, ternis horis facere. Poteris autem vncias duas vel tres poscæ exhibere. Alijs verò medicamentum aliquod eorum quæ emplasticam vim habent, & astringunt, exhibendum, ac ex posca diluta, aut ex malorum myrtorumque decocto.

Curatio resectationis ex refrigeratis partibus spiritalibus.

Curatio resectationis ex disruptis aut apertis vasis spiritus ab alijs causis.

Inter omnia verò puluis radicis symphyti, althææ, equiseti, terra lemnia, bolus armena, lapis hæmatites, cum alicuius decocto ex prædictis astringentibus magnopere conducunt. Illud perpetuò obseruandum est in his qui ex pulmone, aut thorace, aut aspera arteria sanguinem reiectant, vt misceantur calida tenuium partium, gratia scilicet distributionis ipsorum medicamentorum, (quamuis rupturæ vasorum aut reserationi sint infestissima) cuiusmodi sunt spica, cinnamomum, santali, doronicum, & similia. Etenim astringẽtia & viscosa fluxionis vias præcludunt. Quare opus habent facultate ipsius vias struente ac præparante. Quare omnibus thoracicis mel addatur. In hunc vsum post venæ sectionem & poscæ assumptionem, pulueris ex rhabarbaro sine spica ʒ j. vel ℈ iiij. assumentes, mummiæ grana quinque vel sex, rubeæ tinctorum grana iij. vel iiij. cum astringenti vino rubro, aut aqua plantaginis, exiguo aceto iniecto exhibemus. Ex compositis sunt trochisci de spodio, de terra lemnia seu succino: similiter syrupus myrtinus, è portulaca, rosaceus, saccharum rosaceum, ex hisque fiant eclegmata, quæ paulatim in asperã arteriam defluant, dum æger supinus cubat. quale est hoc: ℔. syrupi myrtini & è portulaca ana ʒ ij. sacchari rosati ʒ j. pulueris radicis symphyti, terræ lemniæ, boli armeni, lapidis hæmatitis ana ℈ ij. fiat in modum eclegmatis, vel in forma solida fiant tabellæ. ℔. diacodij ʒ ij. boli armenicæ, coralli rubri, lapidis hæmatitis ana ℈ j. pulueris radicis symphyti, & terræ lemniæ, vtriusque ℈ ß. tragacanthi, amyli, & gummi arabici ana ʒ ß. syrupi myrtini, aut de portulaca, & sacchari rosacei ana ʒ iij. cum saccharo dissoluto in aqua rosacea, aut myrtillorum quantum satis est: fiat medicamentum in tabellis. Bolus armenius, terra sigillata, sanguis draconis, & similia suo lentore glutinant, & oris hiatum opplent. Rursum vbi malum dictis remedijs non cesserit, licet narcotica infesta sint, tamen hæc quoque admiscentur medicamentis ad hæmoptoicos, vt sistant sanguinem qui ad affectum vas defertur. In quẽ vsum ℈ ij. vel ʒ j. Philonij Romani, aut Persici cum astringente vino, aut aqua plantaginis exhibere consueuimus, idque bis & ter vrgente sanguinis profluuio, vbi vires imbecilliores non fuerint.

Narcotica.

rint. Forinsecus autem adhibenda pectori irrigatio ex vino astringente, cum oleo rosato aut myrteo. Aut supra id quod dolet, imponenda extrinsecus spongia ex tepente posca, & à septimo die irrigatio fiat cum rosaceo, myrteo, lentiscino: cui interdum vinum austerum sit additum: interdum acetum, potissimùm vbi multa fiat sanguinis eruptio. Admouenda tamen thoraci non quæ vehementer astringunt aut refrigerant. Eorum enim vis non penetrat, & sanguis exterior intrò reprimitur. Vnde augetur reiectio sanguinis, atque inde tardatur respiratio. Vbi tamen restitit sanguis, & consolidandum vlcus est, aut vbi iam consolidatum est, miscere licet quæ astringendo roborent. Alij foris suppresso scilicet sputo & corpore bene purgato illinendum censent thoracem oleo chamæmelino vel amygdalarum dulcium potiùs quàm rosaceo aut myrtino, idque cum aqua scabiosæ potiùs quàm solani vel portulacæ. Cæterùm hæc topica iam vacuata materia, sedatoque motu magis conueniunt. Hic quoque vsus est eorum quæ foras attrahunt, vt dropacum, sinapismorum: præcipuè si malum est ex perfrictionibus, vt ante dictum est. Fiunt & cataplasmata ex hordei farina cum palmulis & citonijs in vino rubro decoctis, vel melino rosaceóve pectus madefiat, si æstas est: sin hyems, vnguento nardino illinatur. Quidam statim curati sunt, dum adhuc cruentum vlcus esset: priusquam phlegmonem excitaret. Nam si ea semel inuaserit, exigua spes est eius postea glutinandi. In longius enim trahere tempus potest, potissimùm vasis disruptis. Quòd si sanguinis reiectionem fieri vase exeso contingat, ex quibuscunque partibus id fiat, per renutritionem vasorum curatur. Renutriuntur autem rosa per cibos boni succi, & pharmaca sarcotica Græcis nominata. Eadem de re non ampliùs medicamentis, aut cibis astringentibus, aut acidis: sed potiùs ijs qui contemperare, mutare, & alleuare humoris acrimoniam qui erosionē excitarit, possunt, vti oportet, nisi profusior hæmorrhagia fuerit. Nam tunc ijs quæ vehementissimè astringunt, vtendum est medicamentis, quoad vehemens eius impetus frangatur. Quamobrem ptisana alantur, aut alica, seu reliquis cibis, quibus nihil adsit salsum, aut acidum:

Curatio rejectionis ab erosione, seu deστillatione acri.

Victus ratio.

imò nulla alia tenuis qualitas, sed è contrario quæ magis implentem, obturantemq; ipsam reddere queant, velut est amylum frumentaceum, ex oleribus intybum, cichorium, bugloſſum, lactuca. Procedente verò tempore offerre cõuenit carnes gallinarum, pullorum, caponum, perdicum, phasianorum. Interdum hœdorum seu castratorum, aut suum pedes cum ptisana decoctos assumant. A caseo potissimùm veteri abstineant, licet molli atque recenti caseo præsertim caprillo & bubulo commodè possint vti. Pro potu aqua vrantur cum semine coriandri, pauco cinnamomi, aut glycyrrizæ radice: vino quoque aquoso, aut rubro subastringente. Destillante acri humore præsertim ad pulmonem aut pectus, toti corpori consulendum erit, quò sistatur erosio. Vbi validi fuerint ægri, multique sanguinis, ijs statim à principio sanguis detrahendus erit. Quòd si parum sanguinis habeant, ij proba victus ratione reduci debent. Deinde sanguinem detrahere poteris, & si res suaserit, denuò sanguinem mittere, potissimùm quibus velut limus & crassus sanguis fuerit. Sed omnino paucus sanguis detrahendus, vbi paucus est, isque vitiosus. Magna enim ex parte corpus eorum qui ex erosione sanguinẽ reddunt, gracile ac perficcum est. Sanguine detracto tum reficiendi sunt, tum purgandi, potissimùm vbi salsulaginem sputum suum sentire referunt, quamuis longo tempore opus sit, quo succi huiusmodi corrigatur vitium. At vbi congestus fuerit eiusmodi vitiosus succus, & si etiamnum sanguinem reijciant, vt ab eo præseruentur, quæ acres humores purgare possunt, propinanda sunt, priùs ipsis temperatis & alteratis ex syrupo violarum, rosarum, è nymphæa, ex papauere, myrtino, exhibitione hordei, bugloſſi, & similium, de quibus dictum est cap. de Catarrho & Tussi. Leuia autem & magis familiaria semper sunt deligenda: (vitanda autem acriora, calidiora, ac sicciora) quæ bis ac sæpius præbeas, cùm longo tempore opus sit, vt corrigatur vitium, vt dictũ est, potissimùm si ex eo in pulmonem erosio facta fuerit. Quapropter qui planè deplorati sunt, per hæc tria seruantur, per missionem sanguinis, purgationem, & ea quæ caput ipsum roborant. Neque à paruis auxilijs in huiusmodi affectibus est incipiendum. Sed statim

Curatio per medicamẽta.

à missione

à missione sanguinis & purgatione dentur pilulæ de cynoglosso aut similes, loco medicaminis quod diaspermaton appellatur. Ex cærati quoque vsu, quod fit ex thapsia, capiti prouidebitur. Aut huius loco, circa suturam coronalẽ sinapismis, aut ignito cauterio vtendum: aut inurendus locus inter primam & secundam vertebram ceruicis. Quòd verò acria eiusmodi etiam conueniant, antea demonstratũ est, nempe quæ foras trahunt, & per cutem vacuant. Prouidendum est enim ne tussiant ægri, néve ex capite in pulmonem defluat humor. Nam si fluat, & tussiãt, necesse est, vt affectæ partes extendantur, atque ita omninò insanabiles fiãt: præsertim si pulmo affectus fuerit. Prædicti quoque sunt qui maximè lac requirunt, & quo neglecto vix sanari possunt, præcipuè vbi aliquid ex capite in pulmonẽ defluat. Neq; aliud medicamentum, aut cibus adeò commodus est atque vtilis, vt lac. Et qui per initium longiori tempore vsi sunt, omnes in totum conſanuerunt. Assumant autem à balneo aquæ dulcis ad vnguem temperatè calidæ, vtpote quæ iucundissima cùm sit, non modò acres contemperat humores, verùm etiam naturam ad explicandam se, atque ad dulcedinem quam præstat quoquouersus extendendam prouocat, contraria ratione ijs quæ sunt iniucunda. Ab ijs enim recedit, fugitque in profundum. Inducta igitur capra in ipsam in qua æger decumbit domum, expedit vt quàm minimo tempore extractum ab vberibus lac in aere ambiente moretur: propterea quòd celerrimè mutari sit aptum, ita vt calens adhuc ex mamillis in ægri ventriculum quàm ocyssimè transferatur; eique mellis pauxillum tepidum miscendum erit, potissimùm si cui cogi in ventriculo solet: eritque mel velut instrumentum digestionis ipsius lactis, ac celeris transitus velut vehiculum, cum eo quòd nec vlceri nocebit. Sit autem lactis quãtitas ab vncijs tribus vsq; ad sex, pro diuersa corporum natura, ætate, consuetudine. Mellis autem, vel rosacei mellis quarta pars, vel medietas vnciæ vnius. Si profusior ex erosione hæmorrhagia accidat, ijs quæ vehementissimè astringunt vtendũ: reliquo tempore ijs quæ celerrimè erosionẽ lenire possunt, modicè siccantibus, & ad cicatricem ducentibus vti licet. Inter quæ principatum obtinet lapis

Balneum aquæ dulcis.

Lactis vsus.

hæmatites cum succo polygoni, aut etiam ex aqua sola tepida, pauco vino, aut lacte exhibeatur. Datur autem eius lapidis in tenuissimum puluerem detriti ℈j. vel duo, paulò amplius minúsve, non semel duntaxat, sed sæpius. In eundem vsum conferunt bolus armenicus, & terra lemnia, si simili modo præbeantur. Vbi malum prædictis non cedat, & phlegmone superuenerit, sunt alia medicamenta quæ siccam & acrem qualitatem sustinent, quæ tametsi opitulari non possint vt prædicta, erosionem tamen adhuc latiùs serpere non permittunt. Ea faciunt ne exulceratio vltrà progrediatur ac maior fiat, sed siccata, ac veluti callo durata longiore vita hominem frui sinat, quamuis omnino insanabilis sit. Hactenus commemorata partim veterum, partim recentiorum scriptis suffragantur.

De Pleuritide. CAP. *VII.*

Pleuritidis etymologia.

PLEVRITIDIS nomen ἀπὸ τῆς πλευρᾶς deductũ est. πλευρὰ autem Græcis & latus & costã significat. Proinde cùm costæ in hoc vitio non afficiantur impropriè costalis morbus dicitur, sed potiùs lateralis. Latini enim has partes latera nuncupant. Nomen igitur à parte affecta desumtum est. Quoniam verò omnem lateris dolorẽ comprehendit, nos de eo duntaxat qui acutus est & Pleuritis appellatur, agere instituimus.

Pleuritis exquisita.

Pleuritis ergo exquisita & propriè dicta, inflammatio est membranæ intrinsecus costas & latera succingentis. De qua etiam sic meminit Aret. Sub costis, dorso & internis pectoris ad iugula vsque tenuis membrana, robustaque ossibus inhærens subtrata est, cui nomen succingentis inditum est. Quanquam & non modò dictæ membranæ, sed intercostalium musculorum internorũ præsertim partes ei consentiant. Quemadmodum & ipsis primò affectis contingit interdũ membranam similiter eis consentire. Cúmq; inflammationem dicimus, humidam intelligimus, non siccam, à quouis sanguine ortam, vt paulò post in causis describendis docebimus. Inflammatio enim hîc non est ardor tantùm, sed etiam tumor.

Pars affecta.

Pars igitur affecta in exquisito morbo laterali, est membrana modò dicta, aut saltem musculi intercostales

costales interni. Alia est enim Pleuritis spuria seu notha in musculis externis, cùm scilicet externi costarum musculi afficiuntur, tam μεσοπλεύρους dicti, quàm qui ab humeris ad partes thoracis superiores deriuantur: vt etiam notha dicitur, quæ ipsum occupat diaphragma. Situ itaq; distant prædicti laterum dolores. Distant & materia. Alius enim à phlegmone, alius à destillatione, alius à flatu suscitatur. Atque hæc frequens est ex ratione vitæ, quæ crassa & viscida gignit: multúsque huiusmodi humor in corpore cumulatur, qui in vacuum spatium thoracis & pulmonem impactus, nec non lateri membranísque hærens, dolorem pleuritico similem affert. Affectus verò hic seu Pleuritis cùm phlegmone sit, morbus est in magnitudine, intemperie, ac soluta continuitate: habetq; symptomata tumorem præter naturam, ruborem, ac dolorem. Tumor verò ac rubor cùm nunc sub sermonem non cadant, solus dolor relinquitur, qui acutus est ac vehementer pungēs. Causam habet hæc phlegmone fluxionem sanguinis calidi & copiosi, quæ scilicet phlegmone simpliciter dicitur. Alia verò non simpliciter, quę œdematodes, vel erysipelatodes, vel scirrhodes cognominatur: prout sanguini pituita, aut bilis flaua, seu atra permiscetur. Non tamen vt phlegmone, sic etiam ab humoris specie Pleuritis vera, aut non vera dicitur: vera enim ab affecta parte denominata est, vt suprà dictum est. De causa & generatione Pleuritidis ita quidam ex recentioribus. Membranæ propter densitatem, neque pituitam lentam, neque melancholicum succum recipiunt, quanuis pituita & melancholicus succus in partibus thoracis carnosis putrescentes, Pleuritidem quidem efficiant, quatenus biliosam aut sanguineam fluxionem quæ in membranam impingitur, excitant. Vnde pro motu bilis exacerbationem habent tertio quoque die Pleuritides. Et vena azygos ex caua cordi assidente sursum in costas producta per ramorum suorum oscula sanguinem in vtrumque latus effundit, qui collectus & accensus inter membranam & costas phlegmonem hanc creat: vt euenit magna ex parte. Interdum effunditur ab intercostali aut thoracica propter repletionem, aut subitum rigorem. Antecedens verò causa, seu quæ sanguinis fluxionem impe-

Pleuritis notha.

Pleuritidis differentia

distinguuntur situ, vel materia.

Pleuritis quis affectus præter naturam.

Causa.

tumque mouet, aut est sanguinis immoderata copia, aut tenuitas, aut efferuescentia, aut exagitatio ab æstu, à balneis, ab exercitatione, excandescentia, ictu, casu, subita refrigeratione & aquilonia, multo magis si præcessit Auster, ac de repente succedit frigus: à potione frigida post exercitationem, quæ concalfactum agitatumque sanguinem variè depellit ac disijcit. Ad has causas accedit lateris imbecillitas, qua fluxio non quidem allicitur, sed promptiùs excipitur. Venena etiam interdum, vt leporis marini vsus, & concussio externa, huic malo occasio esse consueuerunt. Interrogandúsque est æger, num suppressa sit aliqua solemnis purgatio, vt in mulieribus menses, in viris hæmorrhoides, aut anniuersarium profluuiũ, aut alioqui statum certis interuallis, vt ex aluo, naribus, vlceribus. Ex his enim contrahi potest vitium lateri, præcipuè quibus ea pars infirma est: quæ etiam hyeme faciliùs patitur, cùm frigus sit thoraci inimicissimum. Veri autem & exquisiti morbi lateralis notæ sunt, dolor punctorius, difficilis spiratio, febris continua, tussis, pulsus serratilis. Dolor sanè excitatur ab inflammatione, quæ vera phlegmone est atq; morbus lateralis, eaq; est morbi essentia: seu dolor est, quia substantia partis affectę est membranosa, & humor acris qui eam cõuulnerat. Loci etiam naturam sequitur: quoniam enim membranæ patiuntur, quæ sunt valde sentientes & neruosæ: proinde sequitur, vt is dolor extendatur, cùm superiores aut inferiores partes eidem consentiant. Vnde pro situ morbi dolor modò ad clauiculam, modò ad præcordia pertinet. Doloris autem pungentis species est, si quidem partis affectæ substantia ad costam firmatur: & membrana ipsa vbi costis vicina est inflammatio, necessariò ab ijs comprimitur. Membranæ quoque thoracem distinguentes, si inflammantur, par negotium faciunt, atq; verus lateris dolor. Præterea difficilis spiratio lateralem morbum sequitur, vt alios qui partes ad thoracem attinentes molestant: sed in laterali volentes magnitudinem inspirationis cohibemus, quoniam per magnas inspirationes fit, vt cõprimatur pars laborans, & vehementiùs doleat. Sic thorax liberè dilatari non potest, præterquam quòd aucto respirationis vsu, respiratio naturalis votis ægri satisfacere non

Signa.

potest.

poteſt. Frequens ergo erit & exigua reſpiratio. Continua febris omnibus acutis morbis qui propriè tales ſunt, communis eſt: huic verò ob loci propinquitatem conſentiente corde, ſeu propter ſocietatem naturæ, quæ eſt inter tunicam ſuccingentem coſtas & pericardium. Febris autem acuta eſt, ob humoris acrimoniam & periculi magnitudinem. Et quia inſignis eſt inflammatio, meritò toti corpori impertit calorem. Quanquam exquiſitam Pleuritidem poſſe eſſe ſine febre volunt quidam, cum in Anaxione ſoluta fuerit febris vigeſimo die: Pleuritis autem trigeſimo quarto die. Pulſus ſerratus, durus, & in vno ictu inæqualis fit ob duritiem, renitente duritie ſcilicet. Hinc ſequitur, vt in pluribus locis confracta arteria ſerræ ſpeciem faciat. Vel pulſus eſt durus propter inflammationem tunicæ arteriæ, quæ eſt membranoſa, eſtque eiuſdem generis cum ſuccingente membrana. Nam à dura meninge membranæ omnes oriuntur. Quin & ab ea tunica ſuccingente, arteria externam tunicam accipit. Tuſſis eſt inſeparabilis, tenui aut craſſa ſanie quadam vt ab inflammationibus exudante, & pulmone ſuo motu per ramorum arteriæ aſperæ oſcula eam arripiente. Sputum tum non excluditur ſemper, natura crudam materiam per denſitatem membranæ aut non excernente, aut ipſa materia, ſi tenuis eſt, raritatem pulmonis eludente. Accedit ergo tuſſis initiò quidem ſicca, qua nil expectoratur. Sed mox ferè humida ea fit, ex loco{que} affecto aliquid ducere incipit. Id primò flauè coloratum, poſtea rubrum ac cruentum: deinde maturata inflammatione purulentum. Supra dicta ſigna ſunt pathognomonica: quemadmodum inter aſſidentia recenſetur, quòd dolor ad clauiculam, vel ad hypochondria pertineat. Ad idem genus ſignorum aſſidentiũ pertinet, quòd æger faciliùs in latus patiens, quàm in alterum decumbat. Nam cùm duplex ſit ſuccingens membrana, ſi pars eius exterior circa oſſa valetiùs phlegmone infeſtetur, faciliùs in oppoſitum declinant ægri. Opprimuntur enim, ſi ſuper affecta parte cubent. Quòd ſi pars altera quæ intus eſt (quod magna ex parte accidit) in oppoſitum magis decumbentes dolebunt. At affectis ambabus ſuccingentis membranę partibus, ſuper latere vtroq; ſimiliter

decumbunt. De quo alij sic statuunt: Ferè supinus est decubitus. Nam in latus sanum conuersis tumor suspenditur, atque ita distenditur membrana quæ patitur: ideoq; asperatur dolor, vbi ęgri lateri incumbunt, ex eo quòd subiecto stragulis & culcitris corpore supprimitur, ampliatur doloris sensus, fusa latius materia, tumque pulmo lateri affecto innititur. hic tamen decubitus altero tolerabilior est. Ex dictis autem signis magnitudo seu paruitas morbi lateralis desumitur. Nam si ingens fuerit dolor, isq; punctorius, maxima anhelitus difficultas, valida febris, ac ingens quoque tussis, ascenderitque simul dolor ad iugulum, ac ad hypochondrium pertineat, decumbant super vtroque latere difficulter, nilq; cum tussi expuant, maximam esse inflammationem indicabunt. Quod si exigua fuerint prædicta omnia, dolor videlicet, febris, anhelitus difficultas ac tussis cũ qua aliquid expuant coloratũ, ac promptè statim, ad neutramque partem dolor efferatur, ac non ęgrè sub vtroque latere decumbant, exiguam Pleuritidem manifestabunt. Species enim morbi ex proprijs accidentibus dignoscitur. Magnitudo verò ex eorundem quantitate. Sunt & alij dolores lateris cum febre à Pleuritide sine sputo, nihil ferè dissimiles, in quibus nulla omnino tussis est, aut exigua. In Pleuritide verò sine sputo ægri sicca tussi valde molestantur. Præterea neque pulsus durus est, neque tensus: neque acuta febri laborant, neque adeò difficulter spirant, pressoque nonnullis eorum extrinsecus loco inflammato, dolere sese fatentur. Atque per sputum non purgantur, quia ab initio nihil eius succi qui inflammationem excitauit, ad thoracis spatium peruenire solet: verùm concocta inflammatione nisi pus priùs discutiatur, ad cutem vsque attollitur, & ad exteriora post sectionem prorumpit.

Alij dolores laterales à pleuritide diuersi.

Pleuritis notha. Hæc enim est Pleuritis notha, cùm in intercostalibus musculis, & non in succingenti membrana ac musculis internis illi continuis fiat. Quemadmodum & alia est Pleuritis non vera, quæ ex cruditatibus, cibis crassis ac pituitosis, vt ex bulbis & fungis oritur: quæque ratione causæ & materiæ non vera dicitur, vt præcedens notha est ratione situs. Exquisitæ autem Pleuritidis signa, quæ causam ipsam distinguunt, hæc sunt. Vbi sanguis optimus ac mediocrem

Pleuritis notha alia.

crassitudi-

crassitudinem habens in succingentẽ membranam fluxerit, rubrum sputum est: flauum autem aut pallidum, si sanguis biliosus spumans; & candidum si pituitosus; nigrum aut liuidum, si melancholicus. Quanquam à melancholico rarissimè fit; & si fiat, vix curatur. Ex corporis item temperatura, ætate, habitu, consuetudine, præcedente victus ratione, nec non anni tempore, regione, aëris constitutione simul cum prædictis sputis, iudicabis qualis fuerit redundans sanguis. Sed magna ex parte in membranas non penetrat, nisi tenuis sanguis biliosus, vel purus. Supereſt vt quibus indicijs lateralis morbus ab inflammatione hepatis differat, adijciamus. Nam in notharum costarum loco dolor est, vt pleuriticus esse videatur: intentis internis vinculis, quibus nonnullorum iecur costis alligatur. Nonnullis etiam à natura datum est, vt hepar fibris quibusdam costis inferioribus copuletur: sic vt dolor ad succingentem membranam perueniat. Sed in iecoris inflammatione punctorius nõ aderit dolor, nec pulsus adeò durus, qui serræ modo tactum secet: & in affectu iecorario erunt alui excrementa similia aquæ, in qua nuper mactata caro abluta fuerit: & exigua tussi irritantur, eaque sicca. Lingua, facies, vniuersi corporis color alteratur iecore affecto, ac pallidi fiunt, decoremque amittunt: aderit dolor ad nothas costas in dextro latere grauatiuus magis, vt interim ægri iugulum ad infernas partes detrahi sentiant. Cognoscens autem dolorem à flatu fieri, quando distendit, sed nõ grauat, & tussi nil exernitur, febris non adiungitur, nisi ob aliam causam adfuerit, calidis ac siccis fomentis adiuuantur. Quod ad prognosim attinet, si circa initia sputum appareat, morbum abbreuiat: si post appareat, producit. Nam crudissimus est morbus, in quo nihil expuitur. Secundum locum obtinet, in quo tenuis sanies; tertium, in quo crassior; quartum, in quo perfectam habet coctionẽ. Et si circa tertium vel quartum diem sputum appareat, nõ contingit morbum transcendere septimum: quanuis sæpius terminum suæ iudicationis habeat decimum quartum: si non hunc, saltem vigesimum. Alijs in principio malum statuitur, dum nihil excreatur de latere affecto: sed tenuis pituita è pulmone, vel crassum quid, & tenax, & ro-

In quibus differt Pleuritis ab hepatide.

Prognosis.

tundum, idque cum difficilima tussi fertur. Increméntum verò, vbi maiore copia, & faciliùs, & flauum educitur, & ex liquido magis crassescit, & ex cruento magis album fit. Status ex plurimo sputo cognoscitur, albo, læui, & æquabili, quòd promptè reijciatur, & maximè dolorem leuet. Declinatio, deficiente dolore, sputo, & febri, similibúsque alijs animaduertitur. Alij tempora eadē sic distinguunt. Cùm morbus hic inter initia est, tussi nihil excernitur, aut id paucum & crudum, tenue, aquosum: dein parum coctum: in summo vigore probè coctum: in declinatione coctum quidem, sed quātitate minus. In Pleuritide pulsus magnopere durus, paruus etiam atque crebertimus, indicium erit lethale. Nam si serratus pulsus remissus sit, mollem & probè maturandam indicat inflammationem; si intensus, difficilem, & admodum crudam. Si cum imbecilla facultate coniunctus fuerit, periculum. Si cum firma, aut tardè coquetur, aut ad suppurationem deflectet, aut ad marcorem. Notæ rursum coctionis (de quib. paulò antè dictum est) ac proinde salutis & mortis, ab ipso sputo sumuntur. Si enim primis tribus diebus morbi sine labore aut tussi sputum coctum reijciatur, saluberrimus morbus est. (Est autem coctum quod flauum valde commixtum sputo habet, & quod album est, non glutinosum, nec globosum, nec valde spumosum. Nam hæc mala sunt, veluti & nigrum, & liuidum, vel viride, vel syncerum, vel colore variegatum, & quod tarde spuitur, & magnā tussim infert.) Est enim de numero morborum acutorum, qui decimo quarto die finiuntur. Ac decet in eo notas coctionis apparere breui, nempe quarto, aut septimo, aut vndecimo. Qui enim decimo quarto non purgantur, in suppurationem vertuntur. Sputum igitur quod ita meracum est, vt etiam nigrum sit, præcipueque si vnà etiam fœtidum, hocipsum omnium pessimum est. Omnia mala spura sunt, quæ dolorem non sedant. Optima quæ sedant. De sputo sic alij memminerunt: Sputum nigrum indicat morbū contumacem: rubrum, breuiorem & securiorem: flauum & spumosum, mediocrem: & quando nil omnino expuitur, grauissimus est morbus. Facilè quoque spirare, parum dolere, ac sine febre esse, dormire, constare mente, bene se habere ad

oblationes,

oblationes, bonus accubitus, bona sunt. Et in omni lateris inflammatione dolores interdiu, quàm noctu leuiores sunt. Eundem morbum in Tetanon vel Spasmum conuerti pestiferum est, æquè vt in Peripneumoniam. Ad cerebrum etiam aspirare materiam, ibique delirium amentiamq; facere, mortiferum est. Delirant enim, & nonnunquam Comate occupantur, atque in soporem grauem inclinantes, mentis alienationem patiuntur. Nonnunquam omnium in pulmonem transitus est. Trahit enim in seipsum pulmo rarus & calidus: tunc que morbi transpositione homo repentè strãgulatur. Lateris inflammatio omnibus senibus, & fœminis vtero gerentibus perniciosa est, itemque ijs quibus secundo tertióue recurrit. Occidit hic morbus aut magnis symptomatis, aut præfocatione, aut materiæ translatione ad alium locum, vnde inflammatio pulmonis, tabes, syncope, insania dicta. Atque in his casibus certum exitium est. In sequentibus graue periculum vertitur. Nam si sputum multum intus in pectore strepit, & tristior vultus est, oculi colore auriginis imbuti, ingens esse vitæ discrimen significat. Periculosum quoque nihil expui, vt dictum est, neq; quidquam ex pulmone extundi: sed plenum feruere in gutture. Æquè malum est ante probè spuisse, aut deinde spuere desijsse ex toto, sic vt subinde neque grauitas in pectore, neque dolor cessent. Metum quoque non leuem facit pectus vehementer calidum extremis multùm frigentibus, itemque increscens dolor, cùm in latus vel infirmum vel sanum cubatur, sic vt supinum esse ægrum necesse sit: ad hæc longè post morbi principia, infirmis iam viribus fusa aluus. Æquè graue discrimen est, si morbus dolores supernè exhibet, aut in posteriorẽ corporis partem. In sinistro latere plus periculi quàm in dextro habet. Verũ in sinistro citiùs maturescit, & soluitur. Quòd si morbus is ad suppurationẽ tendit, febris maior quàm antè fiet, & rigor accedet, & p dolore põdus. Sed de Empyemate deinceps. Nam hîc de Pleuritide vera, quæ resolui & sputis perpurgari apta est, dictum sit. Pestilentialis Pleuritis est, quæ vagans & pernicioſa, si quidem pestis est Epidemia perniciosa. Qui acidum ructant, non valde pleuritici sunt. A morbo laterali vel Pulmonia

habito, alui profluuium malum. Intellige de fluxu symptomatico, & qui à natura non regitur. Nam qui à virtute regitur, etiam in principio, bonus: nisi aliud accidens fuerit, quod virtutem prosternat. Fluxus alui, quia materiam auertit à parte inflammata, in principio conferre potest, quæ tum fortè fluit ab hepate. Nam materia coniuncta per fluxum alui non purgatur. Non tantùm à naribus, sed & ab hæmorrhoidibus, & vtero proueniens sanguis in Pleuritide laudatur. Qui habent ventrem natura humidum, minimè morbo laterali, atq; alijs morborum generibus corripiuntur, quia humores per aluum excernuntur. Soluitur nonnunquam Pleuritis fluxu vrinæ per venam cauam, quæ consensum habet cum renibus. Soluitur & aliquando suppuratione, quæ si parte interna fit, periculosa est, quia suffocatur æger, aut fit Empyema. Si ad extra materia erumpit, aperta curatur. Et maximè ad suppurationem veniunt Pleuritides, quæ ob ictum vel casum excitatę fuerunt. Cùm autem morbus iudicetur vel excretione, vel coctione, vel abscessu, nisi soluatur celeriter in sanguinea, missione sanguinis: in biliosa, vel eodem modo, vel sæpius sudore, aut hæmorrhagia è naribus: saltem intra septimũ diem in Peripneumoniam degenerat, aut post decimumquartum in Empyema. Peripneumonicus est æger, si dolor punctorius imminutus, febris, & spiritus difficultas aucta, sputum spumosum, rubentes genæ, mórsque ferè semper in propinquo. Et in hac quæ degenerat in Peripneumoniã, dolor sit aliquando, non ratione pulmonis, sed mediastini & membranarum. Quòd si non repurgetur materia, cocta in pus vertitur, fitque Empyema, sanie quæ per sputum educi debet, in spacio thoracis collecta. Hyeme Pleuritides grassantur & autumno, minùs vere, omnium minimè æstate. Qui trigesimum quintum annum excesserunt, Pleuritidi maximè sunt obnoxij. Et iuuenes eo morbo corripiuntur, pueri rarissimè. In curatione primum locum habet victus ratio, quæ tenuis esse debet, vsque ad quartum diem, si vires ferre possunt: præterea refrigerans & humectans. Quare detur ptisana seu hordeatũ curiosè coctum cum amygdalis. Deinde ad septimum vsque offeratur panis lotus (sic enim salis & fermenti calor tollitur) cum portione

Victus ratio.

tione butyri & sacchari exigua. Post septimum sumat lac amygdalarum, si humor ægrè educatur, aut panis puri micas, aut hordeum ex iure gallorum: & si vires imbecilliores fuerint, & pleniori victu opus est, aut morbus prolixior existit, vtatur pullorum, vel carnium contuso cum mica panis, vel expresso, vel consummato, quod vocant, seu consumpto, & gelatina dicta. Alimentorum enim qualitas & quantitas variantur pro morbi vehementia & tempore. Ex amygdalis & saccharo panes dulciarij conficiuntur, qui pro cibis offeruntur. Olera autem vitanda sunt, nisi lingua scabra siticulosaque & febris ingens appareat. Tunc maluæ aut intybi decoctum exhibeatur. Dulcia mala decocta dentur omnibus pleuriticis. Nihil enim dandum quod fauces exasperet. Potus sit decoctum hordei, vel aqua saccharata, vel aqua in qua radix, glycyrrizæ, vel paucum cinnamomum incoquatur. In Pleuritide pituitosa aqua mulsa conuenit. In declinatione vinum conceditur, vt alimenta pleniora. Sit autem vinum imbecillum, dulce, aut aqua saccharata dilutum, nisi in hepate aut liene sit phlegmone, aut saltem obstructio, quam dulcia omnia excitant & geminant. Aqua frigida suspecta est. Æger locetur capite mediocriter sublimi. Dormiat in partem affectam, vt maiori calore sic quæsito, phlegmones materia resoluatur, & indolentior sit decubitus. Somno vtatur longiori, quàm vigilia. Somnus tamen in omnibus partium internarum inflammationibus circa initia noxius est, quia sanguis per somnum intrò repit, vt alibi ostensum est. Iram, metum, mœrorem, aliásq; animi perturbationes molestas fugiat. Omnino à motu abstineat, & quiescat: leuibus tamen frictionibus vtatur, & ab initio valentioribus. Aluus assiduè subducatur clysteribus. Aër sit temperatus, parum tamen ad calidum declinans, quia frigidus inspiratus lædit manifestè, & dolorem insuppurabilem facit: cæteraque phlegmonem augentia vitentur. Victus ratione instituta, proximum est transire ad auertentia materiam incrementum phlegmones facturam. Pleuritis enim curatur more aliarum phlegmonum, humorum qui in latus dolens influit reuellendo, & eum qui influxit & iam impactus est, digerendo. Sed priùs à medico diligenter considerandum,

Medicamentorũ ratio.

nunquid perpetuò insigni vacuatione per missionem sanguinis aut pharmacum purgans morbus lateralis curari debeat, an potiùs calorificis medicamentis dolor mitigari ac dissolui debeat. Nempe fomenta calida cutem ipsam ad perspirationes rariorem efficiunt, phlegmonésque sanguinem tum tenuant, tum per halitum digerunt. At si corpus plethoricum fuerit, vel malo succo redundet, curatio per ea quæ sic calent, minimè adhibenda est. Fluxionē enim ad partem affectam cient. Quapropter fomentorū calidorum, vt pote quæ dolorem soluere non possunt, nullus vsus esse eo tempore debet, sed totum corpus venæ sectione præuacuandum erit. Et curatio à missione sanguinis ordienda, vbi sanguinis abundantia in corpore fuerit: ita vt adhuc humor decumbat in partem: aut si decursus timeatur ex calidorum admotione. Fomentis ergo calidis ex Hippocrate dolor dissoluitur, nisi hic curationis modus impediatur. Tum enim insigni auxilio vtendum, nempe venæ sectione, aut purgatione, aut vtrisque. Deinde si quid inflammationis relictum sit, eisdem fomentis curandum. Cùm igitur dolor ad clauiculam pertigerit, interdum venam secari iussit Hippocrates: si verò eas quæ sub septo transuersō sunt partes dolor infestauerit, per inferiorem ventrem purgare præcipit. Quod perpetuò seruandū est, duobus priùs consideratis. Quorum primum est, quòd laborantes videlicet validissimis febribus correpti non fuerint. Nam ijs medicamenta purgatoria dare non oporter, donec remiserit febris. Secundum est ipsius laborantis natura: quàm nisi exactè cognoueris, quomodo in medicamentis se gerat, metus erit ne medicamento exhibito plus iusto vacues, vel nullo pacto vacuationem moueas: aut si moueris, non tamen sufficienter vacues. Quæ omnia magnas in morbis acutis pariunt offensas. Verùm quoniā sæpissimè Pleuritim vehementissima febris sequitur, etiam si dolor ad inferiores partes finiatur, & laborantium natura magna ex parte est incognita (siue dolores ascendant, siue descendant) tutius est semper mittere sanguinē, quàm per purgationem vacuare: etiamsi ad hypochondriū dolor peruenerit, cùm alij difficulter natura purgentur, alij assumpto medicamēto purgentur copiosè. Et cùm dolor, ardor,

Sanguinis missio.

ardor, & debilitas partis attrahant, phlegmone interim exasperatur, si sanguis protinus non mittatur, statim vero missus sanguis complementũ morbi remoratur. Quare etiã media nocte mittitur, ita occasione dictante. Secetur igitur cubiti interna vena recto à latere dolente tramite, quæ sanguinẽ ab affecta parte & magis & velocius tum reuellere, tum vacuare potest: eritq; sanguinis vacuandi terminus coloris mutatio, donec rubidior multo, vel pro puro rubidoque liuidus appareat. Nam alius est qui in phlegmone continetur sanguis, quàm qui secundũ naturam, vt pote plus calfactus. Et si antea crudior erat, rubrior modò & flauior efficietur. Sin eiusmodi prius fuerit, liuidior erit, aut ad atredinem verget pro maiori minorisue aduſtione. Coloris igitur mutatio, sanguinis ex parte inflammata translationẽ sufficienter cõmonstrat. Debet autem excipi sanguis plurib. vasis ad mutationẽ intelligendã. Sic enim exceptus palam ostendit humorẽ proximum educi, aut eũ etiam qui in venis inflammatę partis continebatur: aut indicium erit eundẽ in latiores venas recurrere. Non apparente autẽ interna vena dicta, secetur media. Quòd si nec apparuerit, humeralis incidatur: & partitio magna ex parte fit, ac sanguis bis tẽrue mittitur pro affectus magnitudine ac virium robore. Non est autem semper obseruandum, vt vacuatio fiat ad coloris mutationẽ, vbi vires infirmæ tantam vacuationẽ fieri prohibent: aut ob phlegmones prauitatem. Namq; interdũ nihil ab ea emittitur, sed inibi sanguis fortiter constrictus est. Neque etiam perpetuum est venam è directo laborantis lateris secandam esse. Nam vbi vehementer irruat fluxio, aut in corpore toto humorum adsit redundantia cum debilitate virium, tum ad partes quæ maximè longinquæ sunt, diuertere oportet, atq; magis in aduersum trahere, seruata rectitudine, quæ secundũ vnam differentiã oppositionis fiat. Tunc non ad partem ipsam per hanc venæ sectionẽ fluxio magis proritatur, quemadmodũ si ex eodẽ latere venæ sectio fiat. Est præterea cùm de repente fit noua fluxio, vt inde omnia recrudescant: sputa quoq; vel cruda sint, vel retineantur, tumque & sexto die, & octauo, vt in Anaxione, & etiam tardius sanguinem mittimus, hocque remedium

secundo ac tertio reuocamus, si quidem non repugnant vires. In quo tamen cautio esse debet. Nam aliquando, vbi antea omnia signa salutem prænuntiauerint, crisis tempore, quæ ferè fit ad septimum aut alium diem criticum, vehementer Pleuritis exacerbatur, symptomata omnia increscunt, tum nihil mouendū est, sed omnia naturæ committenda. Desperatis rebus nihil quoque mouendum est. In pueris etiam bimis, senibus octogenarijs, mulieribus grauidis, vel menses patientibus, remedium hoc temperari debet, non omnino prohiberi, vt quibusdam visum est. Addunt alij post quartum diem sanguinē non mitti, quòd eo tempore plerunque sputum multiplicari incipiat, quod sanguinis missio impediret, nisi magna admodum plenitudo foret. Verùm vbi corpus vitiosis scatet humoribus alijs à sanguine, aut circa imas partes dolor excruciat, vel dolor à sectione venæ haud conquieuerit, aluus nedū clysteribus, verùm etiam medicamentis purgantibus est subducenda. Eligenda autem sunt quæ leuiter soluunt, præsertim in quibus humorem alium à sanguine abundare intelligimus. Atque (vt volunt quidam) solutiuum in hoc affectu minimè conuenit, nisi vbi materia iam fluxit (quod die quarto vel septimo plerunque factum est) quoniam humores mouet. Quanquam aliorum iudicio tempestiua est purgatio turgente materia, prima die, aut non vltra secundam. Materia enim tenuis & bilios à qua ferè fit Pleuritis, quia sæpius turget, mox vacuanda. Et quia pleuritici iuuantur phlebotomia locis perflatis ab Aquilonibus, lædunturverò regionibus quæ obuersantur Austris, hîc certè temperanda sanguinis detractio, vel purgatione vtendum. Eligenda itaque sunt quæ leniendo purgant, aut per tussim repurgationi opitulantur, aut saltem nō aduersantur, vt cassia, manna, diaprunum simplex. Vitanda enim sunt scammoniata, helleborata, & alia valentia medicamenta, ne ab his humores cōmoti, maiori impetu in partem affectam ruant, & ne ab illis victus debilitetur. Vitandæ sunt & myrobalani citreæ, licet sint cholagogæ, quia immoderatiùs astringunt. Quanquam eadem ratione damnat hîc quidam rhabarbarum, sed tamen dari potest tutò, vt experientia comprobatum est. Sin pituitosus erit

sanguis,

sanguis, diacatholicon cum agarico trochiscato conuenit. Pariter si atra bilis adest, vtendum decocto senæ, & epithymi. Priùs autem materia apparetur thoracicis: vt calida syrupo iuiubino, violaceo, cum duplo aquæ hordei, vel saccharatæ: vel vtendum decocto violarum, ziziphorum post tertium aut quartum diem. Idem iudicium de alijs. Atque in humorum præparatione obseruandum syrupos acetatos thoraci nocere. Præter purgationem quæ auertit, cucurbitulæ etiam interscapulio, natibus, inguinibus affixæ & hypochondrijs auertunt. Harum etiam vsus est, si eo non sint ægri robore, vt sectioni venæ pares esse possint. Auertunt quoque frictiones, ligaturæ, fotus calidi artuum, balani, clysteres clementes. Acres enim vitandi, quòd Pleuritidi fluor alui sæpe superueniat, idemq; periculosus. Postea contendimus, vt breui sputum procedat, & ad statum morbus producatur cum facili sputo, ne morbus transacto decimo quarto suppuretur, ac sequatur Empyema, vel Phthisis. Ergo exhibenda quæ sputum materiæ Pleuritidē committentis, & in pulmonem exundantis, facile & fluidum reddunt: diuersa tamen sint, prout diuersitas humoris gignentis inflammationem postulat: quæ etiam pro varijs eius phlegmones temporibus immutentur. Proinde iubēt alij lingi medicamenta quæ sputum expulsioni parent, & aduertere oportet an crassum, an viscidum, an tenue sputum sit. Omni enim modo ad mediocritatem reduci debet. Crasso sputo syrupus capilli veneris conuenit, aut de radice dulci, de prasio, de calamento, aut aqua mulsa. Incidendi viscidum sputum vim habet oxymel non valde acidum, aut mixtum cum syrupo capilli veneris prædicto. Incrassant syrupus violatus, de ziziphis, de papauere. Crassum sputum cedit impulsioni, viscidum hæret tenaciùs, tenue circumfluit circiter flatum. Itaq; si sanguis aut bilis fuerit, syrupus violatus, aut iuiubinus conuenit ad quartū diem, aut circiter. Deinde misceantur syrupus ex adiantho, & ex glycyrriza, semper magis augendo, quo propior est status: violato interim proportione diminuto, cum duplo aquæ saccharatæ, aut decocto hordei: aut ex glycyrriza, seu hyssopo, si morbus lateralis ex crassioribus fuerit ortus. Eclegmata etiam vsurpantur, vt de pino, & consimilia. Si vehe-

mens est febris, à calidioribus abstinendum est. Ore etiam retenta sputum promouent, vt saccharum album, saccharum candum, & violatum, iulep violatum, pilulæ albæ hypoglottides, diatragacanthum per se, aut iulep violato exceptum, diabuglossatum. Reliqua materia digeratur admotis fotibus, sacculis, linimentis, vnguentis, cataplasmatis, emplastris. Fotus quidem fiunt per spongiam ex decocto chamæmeli, meliloti, furfuris, vel per vesicam eodem decocto, vel aqua calida ad dimidiũ plenam, vel per vtrem, seu lagenam, aut aliud vasculum, si inclementia aëris repugnet propter frigus, aut frixo cum pauco vino milio, & sale. Alioqui coton vel lana mollis infusa in aqua tepida & expressa subinde apponatur lateri. Hi siquidem humidi fotus inflammationibus quæ à bilioso succo factæ sunt, conueniunt, veluti ficci ijs quæ à tenui aquoso; sanguine ortæ sunt. Et vbi dolor non est sedatus, diutiùs nõ est vtendum, vbi redundantia in toto corpore subest, si particulis applicentur. Itidem sacculi molles & laxi immerguntur in aqua & vino, exprimuntur, & calidi applicantur. Sed plures sacculos esse oportet, vt cùm vnus refrixerit, alter substituatur, donec dolor quiescat. Vt omnia quæ admouentur lateri, debent esse mollia, leuia, calida: videndumq; ne quæ calida admota sunt, refrigescant, & calor linteis, aut alia arte fouendus est. Similes fotus fiunt alij ex decocto radicis althææ, florum chamæmeli, meliloti, fœnugræci, seminis lini: & ex eisdem fiunt faccelli, qui etiam calidi veluti fotus extrinsecus adhibentur. hic ab astringentibus cauendum: & eorum loco digerentibus & relaxantib. vtendum. Aliud genus fomenti (de quo paulò ante) ex milio saleque frictis, torrefactis, atque in sacculis conclusis, beneuolum est, leue, atque iucundum. Vel faccelli ex chamæmeli floribus, furfure ac milio, vel ex milio, sale, semine lini ac fœnugræci, modò ficci semper applicentur. Quòd si phlegmone est à crassis viscosisque humoribus, fit fotus ex hordeo, & eruo, ipsis prius concisis, & ex aceto & aqua decoctis. Fiunt & in hunc vsum faccelli ex hordeo, furfure, hyssopo, pulegio, similiter madefactis ex diluto aceto. In humore melancholico fit fomentum ex furfuribus in iure chamæmeli, quod etiam ad omnem dolorem facit.

Fotus humidi.

Fotus sicci.

Perpetuò

Perpetuò autem incipiendum ab eo fotu, qui omni periculo vacat. Is autem est qui minimè mordet. Post fotus foeris quoque ad quartum diem illinitur cæratum ex cæra, oleo violaceo, & amygdalino dulci: postea ex amygdalino solo, vel chamęmelino, vel anethino, & butyro, vel anseris, seu gallinæ pinguedine, (Repellentia enim omnino vitanda sunt.) potissimùm ex frigidiori succo orta phlegmone. Et in eum vsum addatur hordei, fœnugræci, seminis lini farina, dialthæa: Aut ex foliis & radicibus maluarum & althææ contusis, & in aqua decoctis, & adiectis oleis prædictis, & seminis lini ac fœnugræci farina, fiat cataplasma. Quod vt calidum permaneat, oleo calido vesica semiplena frequenter cataplasmati admoueatur. A quibusdã pipiones, vel cati viui loco dolenti circumponuntur. Post septimum diem, si eodem modo dolor persistat, cucurbita lateri affigenda est, & cutis scarificanda. Manifestissima enim est vtilitas ex cucurbitæ appositione. De qua sic alij: Sedata omni fluxione, ad materiæ inflammationem committentis vacuationem, & doloris sedationem, plurimùm laudatur cucurbitula parti dolenti admota, quod remediũ ante diem quartum decimum suspectum est Paulo. Celsus vbi leuior aut vetustior dolor est, ad cucurbitulam confugiendum esse præcipit, antè summa cute incisa. Sed tutius est hac vti curatione, in quibus patua copia est vacuanda. Per eam enim quod in affecta parte continetur, ex alto extrahitur. Vt in Pleuritide notha, etiam materia trahitur foras cucurbitula, & phœnigmo: quæ præterea debet rumpi, coqui, tergeri, glutinari. Superiori curationi veteribus iuxtà ac recentioribus communi addunt recentiores initio suppriměndæ fluxionis vtendum suffitu cum stupis, & diatragacanthum frigidum in ore tenendum. Coquendo verò quod influxit, vti iubent lacte amygdalino, & butyro: item eclegmatis initio quidem cum multo diatragacantho paratis, postea verò cum multo diaireos. Et in remedijs pleuriticis lenientia, detergentia, incidentia, repurgantia commiscent, & alia quæ partũ à scriptis veterum recedunt. Accedente statu præscribunt condita ad reparationem virium, & circa statum dant potiones somniferas propter vigilias, si materia calida est. Sin frigida,

Cucurbitula loco admota.

potiùs admouent frontalia & inunctiones frigidas, ne ex potionibus sputa detineantur. Tentatis omnibus remedijs, siquidem desperatio est & vires tolerare possunt, cauterium actuale aut potentiale quod vocant lateri imponunt: seu tentant lateris apertionẽ in spatio mesopleurio, vitatis venis & arterijs quæ costæ subiacent. Sequentia creduntur vim occultam habere: radix lappæ siccæ, ad ʒ ij. aqua stillatitia cardui benedicti ad ʒ iiij. Item puluis florum papaueris rubri: Aqua bipinnellæ: Dens apri: Cinis priapi tauri. Is exiccando quod defluxũ est, curat. Rasura pudendi ceruini cum aqua scabiosæ. Vulgares vtuntur cortice auellanæ in puluerem redacto & assumpto.

De Pneumonia seu Peripneumonia.

CAPVT VIII.

Pneumonia quid.

PNEVMONI'A (sine præpositione) seu περιπνευμονίη, vel (vt Celsus ait) περιπνευμονικὴ, pro eodem affectu vsurpantur, suntq; à læsa particula desumpta nomina: Latinis Pulmonia, vel Pulmonaria quibusdã dicitur. Est autem inflammatio pulmonis cũ febre acuta, difficultate spirãdi, grauitate, ac distensione thoracis citra dolorem, nisi ipsius pulmonis membranæ quæ thoraci secundum longitudinem cõnectuntur, inflammatæ fuerint. Dolor enim tunc percipitur, vt iã suprà diximus. In summa, Pneumonia pulmonis & membranarum ipsius est inflammatio. Inflammatio, inquã, nedũ ex sanguine optimo & laudabili mediocrẽ crassitudinẽ habente: verùm ex eodem bilioso, vel pituitoso, vel melancholico existẽte. Est enim pulmo raræ ac laxæ substantię, ideoq; ad omnes humores susciipiendos promptus est. Sed, vt quidã censent, pulmo propter laxitatem & raritatẽ bilioſos humores nõ retinet. Et ex pituitoso sanguine magis inflammari videtur, vt ex bilioso succingens magis. Ab vtroq; tamẽ inflammari nõ est negandũ, vt vtræq; partes ab vtrisq; inflammari possunt. Ita duplex Pneumonia statuitur: vera, quæ fit à sanguine, & vera phlegmone est. Alia quæ est erysipelatodes, & huiusmodi. Illegitima enim quædã est, & nõ vera, ab his diuersa, à tenui & acri distillatione in pulmones, de qua paulò pòst. Pars igi-

Pars affecta.

tur affe-

tur affecta pulmo est, vt ex spirandi difficultate cõstat quę comitatur (cùm instrumentũ spiritus pulmo sit) & ex tussi quæ necessariò accidit, & alijs signis ipsi quoq; affectioni communib. Morbus verò cùm sit inflãmatio, est in quantitate primò, in intemperiè secundò, & communis, scilicet continui solutio. Hæc quidem modò oritur per se, vt dictũ est, modò Anginæ, vel Pleuritidi succedit, dum à faucibus, aut latere humor repentè fertur in pulmones, per ora venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ. Succedit & Asthmati, longæ distillationi à cerebro in pulmonem irruenti, aliísve quibusdam morbis. Sed quæ ex se ducit originem, à pituitoso sanguine magis fit, vt dictum est. Quanquam inter recentiores quidam scribat à tenui biliosóque sanguine sæpius fieri, è dextro cordis sinu per venam arterialem in pulmones vehementiùs & abundantiùs excusso, qui non modò pulmonis venas & arterias, verùm etiam totum ipsius corpus implet ac distendit, coarctatur ac putrescit, inflammationemq́; non aliarum more collectam, sed toto viscere effusam accendit. Sic humor decurrit per venas & arterias, non per asperam arteriam, cùm fluxio à capite est. nam tum Catarrhus solus esset. Nec tamen decurrit à capite semper. nam is sanguis aliquando est causa qui adfertur à corde, & tum bilioſior est. Rara admodum est vera pulmonia. Fit & à suppressis hæmorrhoidibus, mensibus, aut solenni aliqua vacuatione. Sic enim sanguis redundans in hepate & primis venis, reijcitur in thoracem & pulmones. At verò tenuis & acris, multaq́e destillatio è cerebro cõfertim in pulmones illapsa, interdum ardore præter naturam incenditur, æstum ac febrem inferens: & plærique eam affectionem Peripneumoniæ nomine designant: in qua & tussi, & spirandi difficultate, & lenta febri, sensim conficitur æger sine vlcere, sine expuitione cruenta. Hæc spuria Peripneumonia dicetur, ab exquisita profectò plurimùm tum causa, tum symptomatum magnitudine dissidens. Porrò his notis Peripneumonia deprehenditur. Febris continua atque acuta est, magna & immodica spirandi difficultas atque angustia, adeò vt suffocari laborantes videantur, ac recti sedere conentur, quia alioqui si supini iacerent, thorax in ipsum inflam-

Affectus quis.
Causa.
Peripneumonia spuria.
Signa.

matum pulmonem procumberet. Spiritus etiam frequēs est & calidus, maximè si erysipelatis specie fuerit inflammatio. Itemque tussis, & præcordiorum ac pectoris grauitas atque distensio, idq; sæpissimè sine dolore. Quanquam sæpenumero grauitatis cuiusdā thoraci incumbentis sensum percipiant, ac dolorem ex imo ad ipsum peruenire dicant, & ad spinam. Ibi enim membranæ ipsum ambientes suspenduntur. Ac si intolerabile incendium, angustiæ verò grauitatisque sensus minor, erysipelas esse contendum est. Præterea malæ cum tumore rubent, ob sanguinem pulmonis tenuem regurgitantem in partes superiores, vel in quas subinde velut igneus quidā feruor aspirat à toto corpore. Nares in summo sunt, venæ temporum grandescunt, oculi eminent, lingua sicca est, priùs ex flauo subrubescens: dein succedente morbo crassa nigraque redditur, tandem etiam finditur. Aliquis etiam dolor medio spatio scapularum versatur. Ingens cibi fastidium, frigidique tum fontis, tum aeris hauriendi cupiditas: sed ab hoc magis quàm ab illo recreantur, quòd aerem frigidū summoperè spirare cupiunt, quia spiritus calidus exufflando mittitur, vt dictum est. Pulsus vndosus est, mollis, magnus, celer, rarò bipulsans, sæpe intermittens & intercurrens. Si quid tussi reijcitur, spumosum id est, ac modò cruentum, modò flauum. Æger lubenter supinus cubat. Nam in latus reclinatus, quasi suffocari videtur. Vbi grauius malum est, continua oritur vigilia, simulque soporosi, sed tamen breues somni tenent. Sputum admodum cruentum ac floridum sequitur, incipiunt frigere extrema, vngues liuidi curuique fieri. Nonnulla quoque alia symptomata Peripneumoniam comitantur: anxietas, impotentia, iactatio, delirium. Simili modo ex quo humore ortum duxerit Pneumonia, ex sputi colore diuersò percipitur. Nam si rubrum fuerit, sanguinem: si flauum, rufum, aut pallidum, bilioſum sanguinem: si spumosum aut candidum, pituitosum: si nigrum aut liuidum, melancholicum inflammationis causam esse significabit. Si nil expuant, ex alijs conijcere oportet, ex maiori vel minori calore seu incendio thoracis: item ex maiore vel minore angustia, respirationis difficultate, grauitatis sensu, temperamento, ætate, habitu,

habitu,regione, aeris constitutione,anni tempore,præcedēte victus ratione,ac consimilibus. Illegitimæ Peripneumoniæ signa sunt distillatio præcedens, febris remissior, spuitio non cruenta,sed alba & symptomata alia multo remissiora. Hic autem affectus (seu Peripneumonia vera) iudicatur breuissimus in septē aut quatuordecim diebus: longissimus in duobus de viginti. Si vigesimū diem transgressus fuerit, non ampliùs moritur, sed pus spuit, pectus dolet,& tussit. Nam ex hoc morbo fiunt suppurationes,si non in iudicatorijs diebus pulmo fuerit purgatus. Si sereatio flaua non multo permista sanguine, inter initia excernatur,salutaris:si septimo pigriúsve, minùs secura est. Interdum quarto die, aut ad summum septimo, certa mors venit. Erectum sedere ægrum cupere,atque decubitum odisse,vt in acutis morbis malum,sic pessimum in lateris & pulmonis inflammatione. Ferè autem quæ in lateris,eadem & in pulmonis inflāmatione, & mitiora & grauiora esse solent. Morbus tamē pulmonis plus periculi quàm doloris habet, vtq; alias semper, sic tum potissimùm lethalis est,cùm insaniam mouit. Idem si natus ex Angina est,ferè intra diem septimū occidit,aut transit in Tabē. Quæ Peripneumonia cum virtutis imbecillitate fit, pernicioſa est. Namq; vna salus Pleuriticis,tū Peripneumonicis,adde etiam Cynanchicis,ipsum viriū robur. Harum enim partium inflammationes,veluti ventriculi,& iocinoris,non ijs tantùm qui sunt imbecillis virib.sed & ijs qui valentiores sunt, mortiferæ esse solent. A pulmonis inflāmatione Phrenitis, malum. Sputū cohibetur ad initia præsertim. Quòd si etiā procedente morbo post quartum diem non appareat,& id viride,liuidū, aut nigrū, aut biliosum, syncerū, aut spumosum:extrema frigeant,liueant, vngues curuentur, vigiliæ accedāt,& quandoq; syncope,hęc omnia lethalia sunt. Sed fit quandoq;, vt magna aliqua superueniente vacuatione à natura liberentur:vt si sanguinis eruptio ex naribus abundans sequatur, aut alui turbatio multis exeuntibus biliosis & spumosis humoribus: imò & inflāmatione in pus commutata, per ventrē aut vrinā pus excernitur. Et quoniā dixit Galenus peripneumoniā & lethargū nō solui fluxu sanguinis de pituitosa peripneumonia intellexit. Sæpius verò

Prognostica.

accidit, vt disrupto abscessu, pus in pectoris cadat spatium, indeque totum quadraginta diebus expurgatur. Hæc depurgatio nisi fit, exulcerato pulmone Tabes occupat: aut pure aceruatim in spiritus instrumenta irruente, protinus homo suffocatur. Quod vbi incidit, semper æger difficiliùs spirat, tractoque spiritu stertit. Tandem obturatur sputo, & moritur. Quòd si abscessus ne multo quidē tempore disrumpi possit, siue sponte, siue ope medica, consumitur profecto æger vehementibus doloribus, nutritionis defectu, tussi, & febri debilitatus. In eodem morbo, si abscessus pone aures oritur, & ad suppurationem maturitatemque peruenit, aut si idem inferioribus locis corporis enascitur, & in fistulam abit, spes esse multa vitæ debet. Erysipelas citissimè ferè ac semper hominem tollit. Euadere aliquis potest, si desertis interioribus, foras versum erysipelas est. Peripneumonia periculosissima in his, in quibus nil expuitur. Periculosa iuuenibus, & ætate floreatibus. Tamen vt alijs videtur, celerius pueri & senes inde moriuntur, quod infirma habent latera, fuliginis maiorem vim, angustiam meatus, & materiam crassiorem. Atq; ab omni alia inflammatione morte periclitātur magis iuniores, symptomatum vehementia & febre. Periculosa quoq; orta ex Pleuritide, à qua iam vires fractæ sunt. Eandem in Pleuritidem verti bonum. Bonum quoque si cum forti Peripneumonia abscessus ad crura descenderit. Supradicta confirmant qui docent quod quinque modis peripneumonia finitur, strangulatu ac morte per suppressionem sputi, coctione qui modus est tutissimus, suppuratione ex qua Empyema aut suffocatio, aut tabes, crisi aut deriuatione & expurgatione humoris per vesicam vel alnum, abscessu pone aures, aut in cruribus. Quantum ad curationem attinet, atque in primis ad victus rationem: aër qui inspiratur, frigidus sit, non valde tamen, ne impediatur humorum in asperas arterias transfusio. Cibi pleuriticis instituti, conueniunt & peripneumonicis, nisi quòd magis attenuantes esse debent: neque salsis vti opus est, neque acribus, neque amaris, nec aluum astringentibus, sed leuioribus. Primis itaque diebus detur sorbitio ex ptisanæ cremore, & ipsa etiam ptisana cum melle. Rectè quoq; sumitur

Victus ratio.

mitur butyrum recens, vel ipsum etiam cum ptisana. Aut chondrus ex aqua mulsa offeratur cum origano & hyssopo. Detur & amygdalatũ, ex amygdalis dulcibus & amaris: inclinante morbo ius pulli pingue præbẽdum est. Aut maceretur panis in eo, aut amygdalatum cum melle, aut amylum, aut nuclei pinei, saccharo conditi, potissimùm vbi ex crassioribus succis inflammatio orta sit. Exhibeantur oua sorbilia. Potus sit exiguus. (humiditas enim est noxia pulmoni.) Sit autem aqua hordei excorticati: vel aqua in qua radix glycyrrizæ fuerit decocta, aut vua passa vinaceis detractis; vel aqua mulsa in qua parum hyssopi decoctum sit: item ficuum decoctum cum pauco hyssopo, & sæpius aqua mulsa per se, aut cum nucleis pineis. Omnino à vino abstinendum, & alijs multùm nutrientibus. Si tamen ex frigidiori sanguine ortum habeat Peripneumonia, ac laborãtes admodum elegantes delicioſiq́ue fuerint, bibant vinum dulce, album & aquosum. Frictionibus quoque vtantur, & leuibus clysteribus. Reliqua curatio à sanguinis missione auspicanda erit. Etsi enim nulla vena quæ secari solet communis est cum venis pulmonum, tamen experientia docuit phlebotomiam iuuare peripneumonicos, siue quia febrem extinguit, siue quia materiam inclusam pulmonibus euacuat. Quare sanguis mittatur ex interna vtriusque brachij, si ambæ pulmonis partes inflammatæ fuerint, & si vires valeant, à quacunque causa, aut quouis modo genita sit, præterquam in ijs qui ex alijs morbis in hunc decidunt. Tum enim sanguinis detractio vitãda est, si diu in hoc statu fuerint, vel si per initia sanguinem emiserint: vtpote in quibus vires imbecilliores esse solent. Tũc eius loco cucurbitulæ prægrandes pectori & lateribus cute incisa admouentur. Et si primis statim diebus ex laterali vel Angina non missus est sanguis, conuenit eadem missio sanguinis. In eandem ferè sententiam alij sic: Si verò sanis Peripneumonia superueniat, curationem à venæ sectione cubiti dextri incipiemus: deinde ea quę est in sinistro, tundetur, ferentibus viribus; non tamẽ ad animi deliquium, ne æger stranguletur, & vt ad repetendam detractionem aliquid asseruetur. Si quid venæ sectionem prohibuerit, cucurbitulas thoraci admouere oportet, & lateribus defi-

Curatio rei liquæ.

quibus adde cremoris seminis lini, althææ, fœnugræci ana ʒij. iridis & hyssopi ana ʒj. butyri & oëypi ana ʒj. ß. olei chamæmelini & anethini ana ʒj. cui cataplasmati inspergere oportet seminis lini aut fœnugræci tenuissimũ pollinem. Topica non solùm anteriori parti sunt admouenda, sed etiam posteriori, in quibus debet maior esse vis penetrandi, quam in Pleuritide, non ea tantùm ratione quæ dicta est, sed & quia in penitiori loco affectio collocata est. Et topica potiùs sint discutientia, quam maturãtia. Si quarto aut sexto die incipiet æger sudare, optimũ est supra partem affectam vesicas aqua calida plenas apponere. Solet enim hic affectus solui sudoribus, vt in iuuenib. fluxu sanguinis narium, larga & frequenti expuitione. Quare ex aliorum præscripto, lingendo accipiant syrupũ de calamento, vel mel despumatum cum puluere iridis, aut diatragacanthum in tabellis: & inclinante morbo medicamentum diairis itidem in tabellis paratum assumant, & huiusmodi.

De Empyemate seu Suppuratione.

CAP. IX.

EMΠΥΗΜΑ Græcis, Empyema, Suppuratio, vel Purulentia Latinis appellatur: Et ἐμπυικοὶ καὶ ἔμπυοι, Suppurati vel Purulenti dicuntur. Est autem Empyema proprièdictum, puris collectio seu effusio inter thoracem & pulmonem, in cuius illuuie totus pulmo immergitur: vnde suppurati sunt, qui in capacitate thoracis collectam multitudinem puris habent. alioqui Empyema dicitur in quacunque parte corporis facta puris collectio, siue illud in inflammata parte adhuc contineatur, siue abscessus ruptus sit. Alij non omnem in quauis parte pueris collectionem, sed transmutationem inflammationum thoracis vel pulmonis ad pus, seu eam quæ in internis visceribus facta sit, ita nominandã censent. De his igitur hîc pertractabimus, qui pus habent in medio spatio thoracis: siue in pulmone, siue in cauitatibus thoracis inter membranas & pulmonem effusum sit. De alijs enim affectibus thoracis, qui in pus verti solent, iam egimus. Afficitur præcipuè in verè purulentis thorax, præsertim secundum cauitatem, hoc

Empyema quid proprè.

Pars affecta.

est inter mediam regionem quæ est inter thoracem & pulmonem: vt colligere est ex angustia quam sentiunt laborantes, loci illius pure repleta media regione, accidit́q; his spirandi difficultas: & in imo thoracis quædam grauitas sentitur: interdum in vno duntaxat latere consistit pus propter mediastinum; interdum in vtroque. Suppuratio autem morbus est in numero toto genere præter naturam, ac in excessu. Sed si pro conuersione inflammationis lateris vel pulmonis ad pus sumitur, tum morbus in magnitudine dici potest, cùm sit de genere absessuum: numerus autē & magnitudo sub categoria quantitatis comprehenduntur. Causas habet Empyema varias. Interdum namque ex Angina oritur, (quibuscunque enim ex Angina in pulmonem fit mali conuersio, ij intra septem dies moriuntur. Si verò hos superauerint purulentieuadunt) vel ex Peripneumonia, ac pulmonis inflammatione, quæ nisi facilè sputo excernatur, suppurabitur: vel ex laterali morbo, in quo suppurationes fiunt, cùm is non expurgatur in quatuordecim diebus. Iuxta illud, qui ex pleuritide Empyici fiunt, si à ruptione Empyematis intra dies 40. repurgentur, liberantur: alioqui transeunt in tabem. In prædictis enim affectibus non bene expurgatis absessus fit, è quo tandem rupto sæpe pus vniuersum in thoracis capacitatem influit, eoque tamdiu postea è sordido vlcere stillat, dum tandem ingens ac pene suffocans copia cumuletur. Oritur quoque ex hæmoptysi diutiùs perseuerante, vlcere scilicet ad cicatricem non perducto, vt suprà abundè declaratū est. Post distillationes item acres à capite notum est sequi suppurationes in pulmone, & nōnunquam in cauitates thoracis erumpere: siue, vt alij volunt, ex confluxu à capite in thoracem manante, qui inibi alteratur, in púsque vertitur. Puris enim generatio fit ab alteratione, quæ media est inter eam quæ est secundum naturam, & eam quæ præter naturam existit. Nonnunquam à seroso ac pituitoso humore ex reliquo corpore in vacuū thoracis delapso, aut etiam qui ex abdominis capacitate, (quod sæpe in hydropicis animaduersum est) per cæcos meatus eò penetrauit. Id enim suppurationi affine est malum: quanquam impropriè pituitosus humor suppurari dicitur, quod est euinci,

Quæ affectus præter naturam.

Causa.

Notha suppuratio.

est euinci, concoqui, & non verè in pus conuerti. Pus verè efficitur ex partium spiritalium vlceribus. vlcerum enim excrementum tenuius, sanies; crassius verò, sordes siue pus dicitur. Et pus est crudo humori colore ac crassitie simile. Differt tamen odoris grauitate & lentore: nam iniectum carbonibus malè olet, idemq; aquæ calidæ permistum ad imum descēdit. De pure sic alij: Pus propriè fit carne contusa, vel ex præcedenti phlegmone non discussa, vel tuberculo in pus transmutato. Ac vt redeamus ad rem, sæpe manifestè pulmonis bronchia oppleta sunt eo quod defluxit à capite, quod iam concoctum puri simile est: sed spumosum minimè, siue per sedem excernitur, siue tussi reijcitur. Tametsi ex confluxu à capite ad thoracis partes decumbente phlegmonem priùs generari posse inficias non iuerim, & ex ea suppurationē per eiusdē phlegmones transmutationē ad pus. Sicq; distillatio mediata causa erit suppurationis. Nam & hi possunt esse sine febre, (cùm tamen verè suppurati indesinenter febricitent hectica febre) vt ex notis Empyematis colligitur. De quibus iam tēpestiuum est proloqui. Sed priùs ostendemus, quibus signis inflammationis trāsmutatio ad pus dignoscitur: (Nam id quoq; obiter hîc animaduerti potest.) nempe cùm adhibitis opportunis auxilijs ac proba victus ratione instituta, dolor nō desinit, adhuc rigor laborantē prehendit propter putis acrimoniam & mordacitatem, quod quidē adiuncta corpora erodit: talemq; rigorem febris comitabitur vehemētior, quàm ea quæ præcessit, euenietque ægrotis cuiusdam ponderis sensus. Verùm licet confecto pure, & dolor & febris mitiores fiant, tamen instante tempore disruptionis ipsius, vehementiùs cum horrore iterum febricitant, ac in sermonis proprietate conturbātur, offenduntur q; spiritu, adeo vt difficiliùs spirēt, quàm antea. Rupto autē abscessu ac effuso pure in thoracē aut pulmonē vehementes febres quiescunt, & magna ex parte dolor quoq;, licet indesinenter febricitent habituali quadam febre. Grauitatis autem sensus remanet intus in portundo thoracis: simulq; transfluere aliquid apparet iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maximè cùm ab vno latere in alterum decumbunt: tunc sanè multitudo puris manifestatur, & flu-

Puris à cruodo humore distinctio.

Signa.

ctuationis cuiusdam sonitus sæpe sensibiliter in reclinationibus ipsorum auditur, totusq; thorax ijsdem attollitur. Etsi neq; calidus sit ipsorum spiritus, nec etiam exufflando emittatur, nisi adurēs febris accesserit, potissimùm vbi magna puris quantitas collecta sit. Si in pulmone pus contineatur, & in vtraq; parte potiùs, quàm in altera, dextra scilicet ac sinistra pus colligitur, (vt in Empyemate quod ferè à Peripneumonia originem duxit, aut Angina) in vtrisque veluti incidens quoddam onus persentiscit æger; & æquè calidiores ambæ partes sentiuntur, neq; ægrius aut promtiùs in vno quàm alio latere cubabit. Si suppuratio in altero latere fuerit, (vt in Empyemate: quod à Pleuritide ortum duxit) calidius erit id latus quàm reliquū, & in eo dolorem seu grauitatem sentiet æger, & eo in incolume latus cubante, veluti onus desuper aliquod illi pendere videtur: quod & angustia vehementer premit, & tussim exasperat. Educitur quoq; pus nunc purum, nunc fæculentum. Quibusdam ad superiora transmittitur sputo, quibusdam descendit ad ventrem & intestinum; alijs ad renes & vesicam per vasa quædam ad eas partes trāsmissione facta. Hippocrates in Prognosticis purulentos his signis nosci ait: In principio febris non dimittit, sed interdiu leuior, noctu vehementior est. Copia sudoris elicitur. Tussiendi cupiditas adest, quanuis ne quidquam commentatione dignum expuant. Oculi concaui redduntur. Genæ rubent, vngues curuantur, digiti potissimùm summi calescunt: atque in pedibus tumores consistunt. Procedente verò tempore, neque cibum appetunt, ac pustulæ circa corpus erumpunt. Quorum omnium rationem reddit Galenus in commentarijs. Pulsus incipiente suppuratione inæqualis est, ac fine certo ordine, & per omnia hecticus. Confecto pure, fit paulo æqualior: rupta suppuratione, latior, tardior, rarior, languidior. De suppuratione ab Angina, Pleuritide, & alijs, iam dictum est. Sed si à capite pituita distillarit, & initia huic valetudini præbuit, primùm quidem ea ferè in pulmonem latenter delata est tenui cum tussi, & sputo liquidiore, præter moremq; salsiore. Leuis interdū iungitur calor. Interposito tēpore exasperatur pulmo, & ab inhærente ac putrescente pituita exulceratur, simulq;

mulq; grauitas adest in pectore, doloréque antè ac retro. Iamque magis corpus incalescit, totumque corpus impotens fieri ac extenuari incipit. Spiritus etiam quasi cum sibilo per arundinem trahitur. Et quidem quo magis inueterascit morbus, eo pus syncerius excreatur, magisque febris inualescit, & tussis sitisque vehementior est. Interdum ingens cibi auiditas, interdum vini meraci est. Aluus infernè turbatur, sputum retinetur, atq; homo moritur. Sub eo casu expectanda bona valetudo est, si priùs pituita, quàm ad pus ventum sit, expuitur, aut si intra vigesimum diem, vt ferè fit, intus maturata tum quoq; sputo eliditur. Nisi enim hæc contingunt, vel tabes exulcerato pulmone sequi solet, si acris est humor: vel certè Asthma, si ignauus atque expers mordacitatis est. Suppuratorum hi potissimùm supersunt, quos febris eadem die dimiserit post eruptionem, ac cibum citiùs appetunt, & siti liberati sunt, & venter exigua ac consistentia deijcit, & pus album, læue, concoloréq; est, ac vacans pituita: & absq; labore ac valida tussi expurgatur. Itaq; optimè quidem sic ac celerrimè iudicantur: sin minùs, qui ad hæc proximè accedunt. Moriuntur verò ij quos febris non deserit, aut cùm videatur deserere, denuò recalescens innotescit & sitiunt, nec cibum appetunt: aluus humida est, pus viride liuidumque spuunt, vel pituitosum, spumosumq;. At horum quibus alia aduenium, alia non, ij partim intereunt, partim incolumes euadunt, in multo tẽpore. Conuersa inflammatione lateris aut pulmonis in suppurationẽ, si rumpitur sursum versus, periculosior est, quia si non quàm citissimè pus per sputum reijciatur, tabidi fiunt. Quæ ad inferna tendunt ac rumpuntur suppurationes, non adeò periculosæ sunt, quia in aluum, aut intestina, aut in vesicam transfunduntur, vt suprà dictum est, & per vterum in mulieribus, licet rarissimè. A puris sputo Tabes & fusa aluus mortifera sunt. Ferè autem qui reliqua parte anni traxerunt, eos autumnus tollit. Suppuratio multis modis alijs terminatur præter iam dictos. Aut enim statim sua multitudine suffocat, aut à colluuie pulmo putrefit, vnde Phthisis: qui modi praui reputantur: aut per tumorẽ in cute pectoris enatũ & ruptũ educitur. Qui modus cum alijs priùs dictis bonus censetur. Qui puruleti

Prognostica.

Victus ratio.

vruntur, vel secãtur, si pus vniuersum effluxerit, omnes intereunt. Si fluxerit candidum & sine fœtore, seruantur. Si suberuentum, cœnosúmve, pereunt. Suppurati aërem ficum inhabitent, & in calido & frigido temperatum, aut ad calidum vergentem. In quiete diligenter custodiantur. A motu & exercitio caueant, præterquam si pus ad renes se conuertat: tunc enim leuis deambulatio puris expurgationem adiuuat. Somno vtantur moderato. Et si ruptura instabit, super latus sanum decumbant. Immodicas animi affectiones vitent, præsertim metum mœstitiamque. Aluus quotidie leniatur, vt exonerata natura vacet absessui maturando, rumpendo, expurgando. Nutriantur ptisanæ succo, vel si vires infirmæ sint, iure gallinarum, seu pullorum gallinaceorum, perdicum, phasianorum, quorum etiam carnes edant, & turdos, aliasque montanas aues, & gallorum testes: qui cibi facilè coquuntur, & bonum succum præstant. Et quia iura magis detergent vlcera, ventremque humidiorem efficiunt, vtantur dictarũ carnium iure adiectis ciceribus, vel fœniculo, asparago, brassica, vel malua, vbi corpus bilioſum fuerit, aut salsum quid expuãr, & febris valida sit. Interim quoque vtantur amygdalis, pistacijs, vua passa, nucleis pineis. Sed non copioſiùs ex eis assumant, quamuis abstergere possint, quia ægrè coquuntur, & propter oleosam partem alios cibos corrumpũt. Potus sit aqua mulsa, quæ non vniuersim, sed paulatim exhibenda est, quia omnis potus modicus esse debet ijs qui aliquem absessum habent. Conuenit & aqua hordei, & radicis dulcis decoctum, & vinum album tenuis substantiæ, bene dilutum, paucum, & ad dulcedinem declinans. Ab aceto & omni alio vinoso genere, & aqua frigida abstineãt.

Medicamẽtorum ratio.

Cæterùm cùm suppuratio fieri incipit, adiuuetur. Est enim vnum ex naturalib. operibus, cùm coctio quædã sit. Quare quod ad mouendũ pus adhibetur medicamentũ, tale esse debet, qualis in tẽperatis est calor natiuus, modicè humectans & calefaciens, & quoad fieri poterit temperato similimũ: itidẽ & emplasticum, quò tenaciter poris inhæreat. Quapropter dum fit suppuratio, primùm vtendũ fomentis per spongias. Et perfusio aquæ calidæ conuenit, cui additum sit oleum quod hydrelæum vocant, & ex ijs quæ irrigan-

irrigantur, oleum temperatum. Farina quoq; triticea pura, aut panis purus modicè coctus cum hydrelæo confert. Insuper & adeps suillus, vitulinus, gallinaceus, anserinus, cũ maluæ radice permistus. Vel cataplasma ex caricis decoctis, hordeacea farina, althææ radice, columbino stercore, & resina terebinthina. Cæratum quoq; conficere poteris ex butyro, iride, ruta, baccis lauri, cui radicem maluæ aut althææ, farinam hordeaceam vel triticeam, oleũ commune vel amygdalarum dulcium addere poteris. Et si vires imbecilliores fuerint pro puris generatione, etiã conducit assumere ius ex cõtusis carnibus gallinarum, vel perdicum, & similium, etiam cum ptisana permistum. Quo pure genito, (primum enim in curatione diximus procurandum, vt pus collectum perficiatur) secundum est vt pus erumpat, seu ruptio fiat, idq; data mulsæ sorbitione, vel ptisanæ cremore cum melle, vel exhibito decocto thymi & hyssopi cum melle pariter. Item salsa commedant, & dormituri deuorent catapotia ex hiera picra vel diacolocynthidos, si valde robusta sint corpora: (præstat enim alioqui ab his abstinere) aut syrupus de hyssopo, aut marrubio crebriùs prębeantur. Ab extrà vtile est cataplasma ex stercore caprino, præsertim vbi ruptura tardauerit. Cùm enim cætera vix ad partẽ affectam perueniant, medicamenta metasyncritica apponuntur, quæ foras trahunt. Posteà ferro vel cauterio pars aperitur, vt materia expurgetur, non intrò rumpatur, quia ruptio interna periculosa est propter suffocationis periculum, vel tabis. Latus ergo aperiatur, priusquam tabescant. Apertio non fit, nisi alijs tentatis remedijs & constantibus viribus, modò etiam nulla alicui mẽbro nobili, vel pulmoni, vel diaphragmati, insignis noxa impressa sit. Dubia præterea spes salutis est pronuntianda. Fit verò apertio à paucis hodie, quia à paucis pus cognoscitur collectũ: & si cognoscitur, medici sunt timidi, vel assidentes, vel ægri. Fieri autẽ punctura debet (aiunt quidam) inter secundam & tertiam costam, à nothis costis computando. Et si purulentia sit in vtroque latere, necessaria est vtriusq; lateris sectio. In sectione autem cauẽda est vniuersa vacuatio: ex Hipp. Apud alios suppuratis extremum remedium est vstio multis in locis non penetrãs thoracem.

Nam ſectio aut vſtio penetrans, quæ ſit inter quintam & ſextam coſtam membrana ſecta ad pus vſque, mortem affert, ex Paulo. Ruptione verò ſponte facta, quò pus prorepat, diligenter animaduertendum eſt. Pus enim in thorace collectum tribus modis vacuari poteſt. Primus modus cùm pus remeat per azygon in venam cauam, aut per azygon rectà fertur in emulgentem, & hinc per vrinas expurgatur. Secundus, cùm pus per medium hepar in inteſtina deſcēdit. Tertius, vt materia paulatim in pulmonem exudet, ab eoq; per arteriā aſperam tuſſi reijciatur. Qui modus licet ſit frequentiſſimus, minùs tamen tutus eſt, quia natura excludendo ſputo ſæpe deficit, tum propter virium imbecillitatem, tum propter materiæ contumaciam: quia difficilius eſt graue aliquid aſcendere quàm deſcendere: & quia pus acre mordax & fœtidū pulmonē vlcerat, Ithiſimq; accerſit. Si itaque ad aluum repit, magis emollientia ſint quæ offeruntur, venter molliatur cum aqua mulſa iniecta per clyſterem, cui caſſiam fiſtulā addemus. Si ad veſicam ſerpat, ea quæ vrinam cient adhibenda: vt ſyrupus de quinq; radicibus ſine aceto, cum decocto apij. Si verò per tuſſim expurgatio fiat, vt frequentiùs contingit, nihil conuenientius ptiſana optimo melli permiſta. Item hyſſopi, iridis, aut dulcis radicis decoctum, radicis quoq; dulcis ſuccus commanducatus confert. Et ſi quod expuitur, fœdi odoris ac ſordidum fuerit, fœnugræci cremor cum palmulis decoctus datur, & mel roſatum, & ſyrupus ex adiantho, glycyrriza, hyſſopo, marrubio. Alliorum etiam comeſtio ad puris expurgationem conceditur in robuſtis. Terebinthina mūda deuorata cum puluere liquiritiæ, lota in aqua hordei, confert ad detergendum & maturandum. Porrò vndecunque puris excretio contingat, quæ vrinam cient cibis cōmodè miſcentur, modò ea non ęquè calida & ficca ſeu aeria ſint, qualia quæ verè diuretica dicuntur: quanquā & ea cibis humectantibus admiſcentur, vt ptiſanæ, & iuribus prænominatis, à quibus obtunditur caliditas & ſiccitas. Si diuturnior eſt hic affectus, imbecillæ vires ac febrilis calor moderatior, neq; thorax multum puris continet, lac detur aſininum, præcipuè ſi pus ſordidū ac fœdi odoris expurgatione indiget, vel lac equinū, quod aſinino eſt perſimile.

simile. Quæ lactis genera si ægri auersentur, bubulum aut caprillum offeratur: quanquam plus nutriant, quàm purgent. Idq; lac incoquatur, vel calculi fluuiatiles, aut ferramenta ignita in id injciantur. Sic.n. serosa pars aufertur, & venter magis retinetur: de quo sequenti capite fusiùs. Tota curatio dicta ferè communis est veteribus ac neotericis.

De Phthisi seu Tabe. CAP. X.

Φθίσις, ἀπὸ τῆ φθίνειν dicta est Græcis, quia Phthisici consumũtur. Eadem Athenientibus potissimùm φθόη dicebatur. Latini quoque Phthisim, vel Tabem appellant, quasi consumtionem, vel corruptionem. Quanquam vox ipsa non satis morbum explicat, vt notant iuniores. Significat enim propriè φθίσις, vlcus pulmonis cum febre, quando homines ad ipsum breui contabescunt. Impropriè ergo pro qualibet corporis consumptione sumitur. Huius tres sunt species Celso, Phthisis (quam vlcus pulmonis esse diximus.) Atrophia, in qua corpus non alitur, cùm naturaliter aliqua semper decedant, nulla verò in eorum locum subeant: & Cachexia, in qua omnia alimenta corrumpuntur. Vnde alij, Phthisis dicitur omnis tabes & macies quæ accidit ob Atrophiã, seu Cachexiam, vt Elephanticis & Hydropicis. Quamquam Cachexia maximè differt ab Atrophia, quòd in hac sensim extenuatum corpus cõtabescat, in illa amplioré molem sortiatur propter vitiosam nutritionem quæ in phthisi, & marasmo nulla est. De phthisi exquisita, hîc nobis sermo erit. Rursum hæc non vno modo intelligitur. Phthisici enim dicuntur etiam interdum qui natura proni sunt in hũc morbum, vtpote angusto & stricto thorace existẽtes, oblongo collo, πτερυγώδες, id est prominentibus à tergo scapulis, seu alati, & quibus à capite infirmo frequentes sunt distillationes. His pulmones facilè patiuntur, & difficulter propter infirma latera expurgantur. Sed Phthisici maximè dicũtur, quibus pulmo iam exulceratus est. Apud Hippocratẽ verò tres legũtur Tabis species: quarum prima fit à pituita è capite ad pulmonem defluente: secunda à labore, quam Renalem vocant. Tertia à spinali seu dorsali medulla, quæ corripit recẽtes sponsos, & veneri

Phthisis quid proprie.

Tabis differentia plures.

deditos, ob seminis consumtionem, eamque Dorsalem nominant. (Ob extremã etiam senectam Tabes seu macies fieri dicitur interdum.) Sed alij scripserunt apud Hippocratem quatuor Tabis species reperiri, Renalem, Dorsalem, eam extenuationem quæ sine vlcere pulmonis fit ab intemperie calida & sicca, aut febre hectica, & omnium maximè propriè dictam Phthisim ab vlcere pulmonis. Particularis etiam Tabes quædam nascitur è coxendice, Ischiadica Tabes appellata, quod corrupto partis alimẽto, & propria eiusdem temperie alienata articulatio & crus alligatum contabescit, quomodo renes quibusdam, vel à defluxione è capite per spinalem medullam. Igitur in Phthisi pulmo afficitur. Aliæ tamen partes quandoque videntur affici. Author enim libri definitionum medicarum per Tabem propriè dictam, nedum pulmonis vlcerationem, verum etiam thoracis, vel faucium, vel asperæ arteriæ intelligit: quia in harum partium exulceratione tussicula & febres consequuntur, & tabescit in his totum corpus, propterea quòd cor ipsum in eis similiter siccatur; nec fieri potest, vt animal in toto patiatur absque principis partis passione. Cor verò & iecur minùs quàm aliæ partes attenuantur. Nam is humor qui per tabem in singulis partibus & præcipuè in corde primo demolitur, humor est in eisdem insitus, aut per loca media similarium partium dispersus. Cùm verò ad carnosum genus consumptio pertranfit, aut ad fibrosam, seu membranosam substantiam, omnimoda facta consumptione ob ebullitionem dicti humoris insiti, exquisitus tunc marcor existit. Nam licet perpetuò exulceratio præcedat, siue in pulmone, siue in thorace, & tracheia arteria, inde sequitur extenuatio, exiccato duntaxat humore dispersò per loca media partium similarium, cordis præcipuè ac totius corporis, quam adhuc tabem esse dicimus, (quamuis impropriè & non exquisitè) non tamen ex ea confestim carnosarum partium aut fibrosarum consumptio sequitur: sed tantùm dictus humor consumitur. Quod obiter hoc loco dictum sit. Partes igitur affectæ in Phthisi variæ dicentur, quales iam nominatæ sunt. Sed in genere ex tussi & difficultate anhelitus aliquam dictarũ partium affectam conijcies.

Partes affectæ.

ijcies. Et ea quænam sit, ex signis infrà dicendis compre hendes. Affectus autem cùm exulceratio sit, morbus est in soluta continuitate: nempe cum sanie & sorde, vt cæte ra vlcera sunt. Oritur autem id mali ferè ab acri & ero dente distillatione à capite. Quæ enim capitis distillatio nes tussim primùm concitant hominibus & raucedinem, neque tandem consistunt, rabem generant. Cuiusmodi fiunt à pituita salsa, vel ab Empyemate. Contrahitur etiam Phthisis à bilioso & acri sanguine per venam arteriosam transmisso ad pulmones: vnde aura quædam venenata in cor erumpit, quæ spiritus & caloris natiui robur frangit & debilitat, à quibus languentibus & qui est in singulis partibus calor debilitetur necesse est, sicque Atrophia vlceris pulmonis perpetuò comes est. neque enim sanguis laudabilis generatur, vbi spiritus & calor tetro illo vapore infecti sunt. Is humor acer autumno maximè cumulatur. Sequitur & Phthisis Pleuritidem, Anginam & Peripneumoniam, quæ in suppurationem versæ fuerint, & ijquibus vomica rupta intra 40 dies repurgari non potuit. Eadem ab ipsius pulmonis malis proficiscitur, omninoq; postquam sanguis expuitur, potissimùm vase rupto. Phthisis enim fit à sanguinis sputo, cùm sanguis remanet intra pulmonem, & illic putrefactus acquirit acrimoniam, qua erodit substantiam pulmonum. Idem est quod alij obseruarunt ad sanguinis spuitiones sequi exulcerationem pulmonis, cùm eruptione sanguinis suppressa vlcus nõ fuerit glutinatum, neque cicatrix inducta. Causa etiam est fluxio quædam in pulmonem non è capite, sed ab alijs partibus, vt cùm suppressis hæmorrhoidibus vel mensibus recurrit humor in pulmonem, quemadmodum & superuenientibus hęmorrhoidibus Tabes quandoq; sanari dicitur. Vitiosa quoq; constitutio pulmonis, causa est Tabis hereditariæ. Vitiosam appello constitutionem, mollem, tenellam, ac corruptioni paratam pulmonis substantiam. Sic plæriq; ab ipso ortu & parentibus latente pulmonum vitio tenentur, quo tandem contabescunt, etsi nulla aut minima distillatio è cerebro, aut aliunde procumbat, fit & ex lienteria Tabes. Causis adde etiam quæ à cæca proprietate id præstant, vt est lepus marinus. Adde & contagia. Qui verò hoc morbo

Quis affectus præter naturam.

Causæ.

Signa.

Tussis Vulpina.

laborant, his notis cognoscuntur. Vbi Phthisis incipit, frequens est tussis, eaque parua, quam vulpinam appellant. Est & sputum sine dolore cruentum: idemque post sordidum, ac mox verè purulentum: punctura quædam toto thorace, titillatio ad fauces. Comitatur & hunc affectum corporis extenuatio colliquatis carnibus, & solidis partibus reficcatis: tum ob delectiones humidiores, & crebros sudores, qui inde consequuntur. Febris, vt quidam testantur, exigua, lenta, putris, ac symptomatica, è genere febris continuæ, quotidianæ, noctuque magis affligit. Quæ tandem hectica facta, aliarum more mox à cibo inualescit. Alij scribunt febrem hanc lentam esse, quæ cùm quieuit, tamen repetit, & quę omnino oritur à putredine humoris, aut propriæ substantiæ pulmonis. Vnde calor ob viciniam communicatur. Proprium item est vlcerationis indicium vocatum ramentum, seu crustula quædam eius particulæ à qua excernitur, ἐφελκὶς dicta. Discernunt autem plurimi purulentum liquorem, phlegmata carbonibus imponentes, quò exusta probentur. Nam tetri odoris esse necesse est, omnę quod à natura fuerit mutatũ, velut ex defluxione carnis veniens. Mittuntur etiam in aquam ægrotantium sputamina. Etenim naturalia facilè soluuntur. Vitiata atque mutata perseuerant, quadam tenuitate coacta: & subsidunt, siquidem sint grauia, & contra naturam, ex defluxu carnis venientia. Præterea non modò sputa iniecta carbonibus fœtent, sed & halitus grauis est. Et cùm confirmata Tabes fuerit, præter carnium consumptionẽ, genæ liuescũt, vngues curuantur exhausta digitorum carne, exalbidi vel pallidi apparent, capilli defluunt siccitate partis exhausto alimento, pedes tumescunt, vrinæ aliquando naturales, interdum oleagineæ, vel furfureæ, ob humidi consumptionem: aluique profluuium superuenit naturali facultate labefactata, præcordia sursum conuelluntur, sitis ipsos magis conficit, cibi fastidium vrget. Tabidorum pulsus languidus est ac paruus, propter facultatis imbecillitatem. Habent & pulsum hecticum, id est vndequaq; sibi similem: vel qui sic appellatur à febre hectica, qua laborant. Signa verò partes affectas distinguentia hæc sunt. Pulmo si affectus fuerit, plurimum erit quod per sputũ reijcitur,

dolor

dolor non aderit, siquidē vlcera pulmonis dolor nō comitatur Si in eius parenchymate exulceratio est, ex eiusdem pulmonis essentiæ proprietate cognoscēs, cùm ipsius caruncula per tussim reijciatur. Vt si bronchij pars quædam reijciatur tussiendo, secundum asperam arteriam pulmonem exulceratū esse constat: quin potiùs totū bronchium reijci necesse est. Similiter si arteria aut vena exulcerata fuerit, ipsarum portionem tussiendo expui oportet: præsertim vbi frustum vasis haud paruū fuerit. Orto verò in ipsa arteria aspera vlcere, præter hoc quod sputum est purulentum, dolorem quoq; in loco affecto laborans sentit, & exigua sunt quæ screantur, cùm ab vlceribus pulmonis plurimum reijciatur. Ita corpusculū eijcitur ex epiglottide per exulcerationem, cùm pars ipsa afficitur: in quo loco etiam dolor sentitur. At si nullus in prædictis partibus dolor sentiatur, nec aliquod iam dictorum signorum adsit, verùm cum purulento sputo in thoracis parte aliqua manifestè doloris sensus adsit, thoracem affectum esse censendū est.

Quod ad prognosticum, vlcera pulmonum licet creberrimè fiant, difficillimè tamen sanantur. Neq; enim citra tussim expurgari possunt. Tussiendo verò vlcus disrumpitur ac dilaceratur, malumq; quasi circuitu quodā reuertitur. Præterea quæ idonea vlceribus sunt, vlcus contingere nō valent, & per medium interuallum vim suā amittunt. Mouentur quoq; respirando, cum tamen vlcera sananda quietem requirant, vt consolidentur. Et cùm in pulmone vas ruptum est, insanabile manet. Quòd si curetur, relinquitur in ipso res aliqua callosa, quæ tractu tēporis à leui occasione expelli solet. Quanuis si exanthemata quędā in pulmone sint orta propter vlcerū siccitatē sanari possint, præsertim vbi aspera vel scabiosa fuerint Quemadmodum & omnino insanabiles sunt qui ex succi erosione vlcus habent in pulmone, cum longo tempore opus sit, vt succi corrigatur vitium. Insanabile est etiam omne vlcus quod productum est, & cui phlegmone adiuncta est. Quę verò in thorace fiunt vlcera, non omnino curationi resistunt, etiamsi diuturna fuerint. Nam quæ fiunt in pectore, triplex compendiū præ ijs quæ ex pulmone vacuantur, habent. Vasa enim multo minora sunt, & sanies in spaciū interius influit.

Prognostica.

Denique magis carnosum est pectus, quam pulmo. Vlcera verò quæ in asperæ arteriæ interiore sunt tunica, & potissimum in summa eius parte, hoc est laryngæ, hæc etiam curationem recipiunt. Et quidam sanati sunt, quibus interna asperæ arteriæ tunica exulcerata fuit. namque ea sanatu facilima: nisi à putredine aliqua magna ipsius portio quædam corrosa, cartilaginem nudam penitus destituerit. Verùm si cartilagines exulceratæ sint, aut insanabiles, aut sanatu quam difficilimæ erunt. Nam cartilaginum affectus sunt difficilimi. Priusquam igitur ad cartilaginem peruaserit malum, asperæ arteriæ exulceratio protinus etiam vt sanetur laborandum est. Phthisis porrò longum est malum, & certam ægrotis perniciem affert, eique opportuna est ætas quæ à decimo octauo ad trigesimum quintum intercedit: ob intemperantiam seu intemperatum victum magis, quam ob ætatis imbecillitatem. Corpora citiùs afficiuntur gracilia, pressi pectoris, colli longioris, magisque si scapulæ macræ prominent, si intortæ tibiæ sint, si frequentes distillationes. Pueri etiam faciliùs cæteris liberantur. Ex alijs minùs conualescunt & virgines, & hæ fœminæ, quibus principium morbi retenta menstrua dedere. In pueris vires naturales ad coctionem dissolutionemque praui excrementi maximè valent, simul & constitutio corporis mollis ac fluida ad expurgationem est paratissima. Vt ante ablactationem propter humidi copiam calor innatus etiam multus parum potest. Sic post pubertatem minor iam quodammodo elanguescit. Ita fit vt in pueris grauissimi morbi ab eo tempore quo ablactantur, ad pubertatem vsque sanentur. Quibuscunque Tabe laborantibus capilli è capite defluunt, hi alui profluuio superueniente moriuntur. Sed vt aliquando sputa grauiùs olent, quia pituita grauis defluit à cerebro: sic fit & interdum capillorum defluuiũ, humorum vitio, & capitis cachexia. Alui item profluuium aliâs fit conuersa distillatione in stomachum: quæ omnia mortem non portendunt. A puris sputo, Phthisis, & fluxus. Cùm verò sputum retinetur, moriuntur. Nam eo vsque extenuati viuunt, donec per ea quæ expuuntur, possunt pulmonem expurgare. Cùm verò intus manent, obserantur quidem viæ spiritus, patientes

entes verò strangulantur. Ferinus & hic affectus appellatur, quia malignus: aut quia in Phthisicis vngues incuruãtur, vt in feris. Porrò autumnus tabidis malus. Iisdem & ver infestum, humores fundendo: quum scilicet folia fici arboris, cornicis pedem cœperint imitari, seu prima germinatione arborum. Quo loco omnes magnæ conuersiones anni significantur his contrariæ, quales vere & autumno, seu folijs decidentibus ac renascentibus. Qui probè liberari volunt Tabe, facilè sputum per tussim reijciant oportet: & id sit album, & æquale, & eiusdem coloris, & ab omni inflammatione alienum. Quod verò à capite defluxit, ad nares conuerti debet. Rursum optatissimum est febrem non inuadere, aut tantulam, vt nec cibum impediat, neque crebram sitim faciat. Bonum est itidem coactã indies deiectionem esse, atque ijs quæ assumpta sunt, mole respondere: vt pestifera cita aluus est. Itemque vomitus frequens, & cruentus. Atque vt in omnibus morbis, sic in Tabe tumida hypochondria vehementer horrenda sunt. Et post lubricam aluum corpus prurigine affici, malũ. Iam etiam malum, sputum mistum, purulentum, idemque fœtidum: quod halitus contagione imprudentes alios labefactat. Æquè pestiferum est pus aquæ, præsertim marinæ, non innatare, sed protinus ad imum sidere, aut id antea expui solitum, nunc ex toto spui desijsse. Tunc errare mens incipit, ac primo abhinc ferè quatriduo mors occupat, peritque æger à cita aluo, ipso loquente atque res omnes intelligente. Quare satis præceps fallaxque in hoc morbo nouissimus vitæ articulus est. Idem malum magna ex parte à parentibus ad liberos transijt, sic vt integras etiam familias veluti iure quodam hæreditario oppugnet. In his alij priùs cruentum expuunt, deinde pus: alij humorem diu liquidum & subflauum, ac tandem sanguinem cum pure excreant: alij latenter sine sanguinis sputo, sine signis momentaneæ distillationis prægressis contabescunt. Omninò huic malo inter initia occurrendum est. neq; enim cum inueterauerit, facilè euincitur. Si igitur vlcera cruẽta sunt, qualia à sputo sanguinis oriuntur in pulmone, nec non alijs partibus respirationi deseruientibus, eorũ curatio iam tradita est. Quemadmodum & si malum ex defluxu hu- *Curatio.*

moris acris à capite oriatur, ex distillationis amolitione curatio inchoanda est. Aut si humor acris & erodens est, in pulmonibus apparant & vacuari is debet. Et si quæ alia permanserit causa, eius curationem ex dictis repetas. Nos hic aliorum vlcerum in quibus iam sputum est sordidum & purulentum, curationem docere instituimus. Atq; à victus ratione exordiemur. Aër deligatur ad siccum vergens (ab vlcere enim tanquam mali fonte sumitur indicatio, quæ magnarum est virium) in frigore & calore temperatus. Alioqui si febrem præpollentem & emaciationem spectabis, frigidus & humectans, id est minùs siccus esse debebit. Proinde sol & frigus vitentur. Longa nauigatio confert, si vires ferent, ac cœli mutatio: modò petatur cœlũ densius, quam id ex quo ægri discedunt, vt si ex Italia Alexandriam petãt. Somno moderato, eoq; nocturno indulgeãt. Exercitia prosunt moderata, vt gestatio mollis, vel ambulatio, si febris non adsit, vel leues frictiones ante cibum. Aluus sit lenis, non tamen immodicè cienda. Abstineant ab ira, tristitia, aliisq; immodicis animi affectibus, tum à negotijs, & omnibus quæ animum solicitare possunt, vt etiã à venere. Cruditatem quoq; vitent. Cibi sint coctu faciles, quod calor natiuus Phthisico sit debilis. Sint boni, & multi, ac diuturni alimenti, vt corpus emaciatum instaurent. Præterea liquidi & tenues, vt vias Phthisicorum ob siccitatem cõtractas faciliùs subeant & penetrent. Ob febrim quoq; refrigerent nonnihil, & ab vlcere sanies detergeant, atque ob solutionem continui glutinent. Quare exhibeantur sorbitiones ex ptisana, alica, amylo, oryza, lacte adiecto. Vel parentur eiusmodi sorbitiones cum lacte amygdalarum, gallinarum seu pullorum iure, caponum, perdicum, phasianorum; aut simul cum pedibus vitulorum, hœdorum, & castratorum decoquantur. Sint & carnes eorum assæ, nisi coctionis languorem patiantur. Eædẽ etiam carnes contusæ concedentur, aut earum succus, quem consummatũ ius appellant: adiecta ptisana, aut eius cremore exiguo. Amygdalæ item amaræ cum ptisana decoquuntur. Sorbenda etiam sunt iura multum succulenta ex carnibus prædictis. Conferunt limaces seu cochleæ terrestres, testudines nemorales, & ex limacibus aqua capitelli distillata. Conferunt

Victus ratio.

ferunt & cancri fluuiatiles crudi, triti, cum lacte potati, aut cocti in cibo sumpti: assiduè iure eorum insuper absorpto. Cancrorum carnes & cinis laudantur ob exiccationem, & similitudinem quam habent cum pulmonibus. Verùm licet qui ita se habent, non pauco indigeant nutrimento, quoniam inualidę sunt partes tum ad trahendũ, tum etiam ad coquendum, vt nequeant vel quod mediocre est concoquere, ea de re paulatim & sæpius hos cibare oportet: ita vt si semel aut bis eos cibasse non sit satis, ter etiam eos cibare conueniat: quoad gracilima sunt corpora: sitque alimentum quod sine negotio trahatur, ac promptiùs partibus alendis assimiletur. Nam nõ aliud est quod nutrimentum desiderat, & quod conficitur. Sed quod nutriendũ est, ipsum sibi & nutrimentum attrahit, & mutat, concoquit, adiungit, assimilat. Ob id lacte nil præstantius videtur. facilè enim coquitur ac distribuitur, & omniũ quæ alimenti gratia sumimus, optimi est succi atque alimenti. Imò & medicamenti rationem habet, nec non ijs qui quauis ex causa Tabe laborant, aut vlcus habent in pulmone, conuenit. Habet enim omnes dotes quas paulò antè diximus in cibis requiri: quia butyro & caseo multùm nutrit: sero casei & butyri liquidum est, subfrigidum: terget sapore dulci butyrosæ substantiæ, & acrimonia seti: glutinat caseo, & eodem ac butyro est emplasticum. Lac asininum & caprinum frigidum magis est & tergens, quia serosius: omnium vaccinum pleniùs nutrit, & valentius glutinat, quia butyrosius & caseosius. Muliebre ad omnia est præstantissimum: præterquam quòd nobis est cognatum & accommodatum. Quòd si muliebre assumere recusent, asininum sumant, quippe cùm tenuissimum sit ac serosum valde, ac minimè coaguletur, & quoquo versus citissimè in corpus digeratur. Caprinum inter lactis genera moderatè se habet, & cùm non admodum pingue vel crassum sit, medium esse censetur. In singulis lactis differentijs dictis potes singulas eius facultates augere aut minuere idonea victus ratione ipsius animalis. Vt lactuca, portulaca, cichorio nutritum, refrigerans magis lac habet: fœniculo, hyssopo, adiantho, hordeo educatum, tergens magis: rubi, lentisci, salicis, vitiũ foliis si vescatur, glutinans

Lac.

potentiùs. Sumitur lac manè à ieiunis, tribus vel quatuor horis ante cibum. Dantur vnciæ quatuor primùm: quas si rectè confecerit æger, postridie sumat vncias sex, & sic diebus consequentibus augeatur, si bene concoquit, vsque ad libram vnam. Sumat ex mamilla, aut minimùm extra propria conceptacula moratum: (antequam scilicet refrigeretur, aut ab ambiente aëre corrumpatur.) Sumat (inquam) per se, aut cum melle, si cogi in ventriculo solet, aut cum saccharo rosato, vel violato. Rosato quidē magis, vbi iam vlcus repurgatum est. Additur & sal, vel saccharum, ne in ventriculo acescat. A lacte hausto nec dormiat, nec alium cibum, potissimùm vinum sumat, ne ipsum in ventriculo corrumpatur, aut ad caput euaporet. Nec motu aut frictione corpus exerceat æger, ne crudum lac in corpus trahatur. Cauendus tamen vsus lactis, vbi valida febre rabidi corripiuntur: cùm eis duntaxat conueniat, qui non valdè febricitant. Quo casu ptisana, eiúsq; cremore vtatur, modo priùs expolito paratis. Lactis quoque vsus cauetur, si est alui profluuium, si est βορβορυγμὸς, si ructus acidus vel nidorulentus, aut si distillationem à capite patiūtur, aut ventrem tumidum habent: aut inflammata hypochondria, aut scirrho affecta, aut obstructa: vel si adsit Cephalalgia. Inter fructus, vuæ passæ, ficus, pineæ, amygdalæ, pistacia, ac palmulæ edantur. Ex nucleis pini & amygdalis cū saccharo cōmodè placentæ fieri solent: quas Marcipanes vocant. Huc etiā referēda sunt cætera, quę parua mole multū nutriunt. Potus sit aqua cœlestis, aut mulsa inde cōfecta, & mulsa cū amylo, & iride, & radice dulci in ea decoctis: aut aqua hordei ex hordeo non decorticato ac tosto solo, aut decocta simul glycyrrizæ radice. In ea etiā cancri fluuiatiles decoquuntur: aut saltē eos cū ptisana decoctos, aut cum lacte tribuas, vt suprà dictum est. Interdum quoque vino vtantur pro potu: quod sit leuiter astringens, tenue, non vaporosum, mediocri mensura sumptum, scilicet vbi vires indicabunt, & febris remissa fuerit. vinum (inquam) album, defæcatum, cibus est, potus, ac medicina. Nutrit enim, sedat sitim, abstergit, celeriter in calorem naturalem & spiritus conuertitur. Quidam solius lactis potu persanati sunt: quod erit præstantius, si chalybs, aut ferrū candens

dens in eo fuerit extinctum. De aqua mulsa controuersia est, quæ tametsi vertatur in bilem, & siccriores acrioresque febres reddat, conuenit tamen vbi præcipuus morbus est vlcus: licet etiam febris hectica & marcor sequantur. Mel enim præterquam quòd detergẽdi vim habet, instrumentum est digestionis aliorum medicamentorum in corpus, ac celeris transitus velut vehiculum. Itaque maius affert commodum, quàm incommodum, præsertim vbi dilutior mulsa fuerit; quanquam marcori & hecticæ febri (qui secundarij eorum affectus sunt) aduersetur. Sed vt ad curationem reliquam veniamus, in tabe percuranda, vnum consilium pertinet ad auertendam & sistendam fluxionẽ quæ in pulmones irruit, vlcúsque fouet erodendo, & tussim excitando. Alterum, vt exulcerato pulmoni consulatur. De fluxione auertenda sæpius dictum est, nempe vt auertatur blandis medicamentis vitando scammoniata propter alui fluxum qui metuitur: venæ sectione, si febris adest, vel sanguis tussi expellitur, cucurbitulis ceruici admotis, errhinis (non apophlegmatismis) frictionibus, vinculis, sacculis humores in capite siccantibus, suffitibus, sinapismis cauterio, setone, remedijs Catarrhum sistentibus. Vlcus verò in primis siccari & abstergi debet, & quæ facilè efficiunt, vt pus sursum efferatur, exhibenda sunt. Quare præter mulsam conuenit decoctum iridis, hyssopi, caricarum, adianthi, & absterso vlcere, ea quæ glutinare possunt danda sunt, vt bolus armenus, sanguis draconis, succinum, corallium, semen portulacæ. Pro vlceris etiam exiccatione valida non existente febre, per interualla exhibeantur mithridatium, aut theriaca, nec non Ambrosia, & Athanasia. Extrinsecus verò admoueantur emplastra ex semine lini, fœnugræci, & alijs capite de Empyemate & Asthmate commemoratis, vel quę sunt modicè laxantia & humectantia, sed minùs digerunt quàm in Pleuritide, vt butyrũ recens, oleum amygdalarum dulcium, vnguentũ resumptiuum. Aut cataplasmata ex althææ foliis, semine lini, ac tenuissimo polline, quæ cum decocto fœnugræci & althææ, oleo ac melle admisceantur. Dein ad cærata transeundum est, ex butyro, oleo laurino, ac cæra apparata. Ac tempore repurgationis epithemate vtendum ex terebinthina, oleo *Topica.*

ficcantibus vtamur. Alioqui ficcantia lenientibus commiſcebimus, aut multo liquore diluemus. Dant etiam antidotum Mithridatis, vel Theriacam, veteres imitati. Qua via tabidi id ſaltem lucri faciunt, vt vlcus nec vltra progrediatur, nec maius fiat, ſed ficcatum ſeu callo duratum longiore vita eos frui ſinat, ſi omnia præſidia ritè adminiſtrata fuerint. Ita mulieri fornacariæ Phthiſicæ contigit, cui ab aëre ſicco furni vlcus occalluit. Si enim Phthiſis inſanabilis eſt, aut non eſt tractanda, vel blandè & per ſiccantia callus excitandus eſt. Sunt præterea quæ Phthiſi tanquam à proprietate totius ſubſtantiæ conferant, vt pulmo vulpis & ericij ſiccatus & pulueratus, deinde exhibitus. Perſeuerante malo ac inueterato, cauteria admouere oportet, pectore in orbem inuſto, vt in ſuſpirioſorum curatione dictum eſt. Interim dum fient quæ ſuprà diximus omnia, corporis extenuatio inſtauranda eſt lacte, & alijs ferè iam dictis in ratione victus: nempe cibis euchymis, maſſa panis ex pineolis & cæteris, quibus addunt carnem perdicis vel capi. Eò pertinet & ſyrupus reſumptiuus, qui conſtat teſtudinibus bene præparatis, coctis in decocto thoracico. Hordeata, amygdalata eodem pertinent. Gelatina ad eundem ſcopum paratur. Deſtillatum, Tortiua iura eodem ſpectant: quæ parantur ex carnibus contuſis coctis ac per mantile expreſſis. Ad eundem vſum pertinent carnes contuſæ prælo compreſſæ. In his caro non perfectè coquitur, vt plus iuris extrahatur. Emaciationem quoq; corrigunt aqua carnium, & iuſcula ſuprà dicta. Si tuſſis grauiter affligat, dentur hypoglottides pilulæ, & cætera medicamenta: & cubanti ſcilicet ægro iubendum, vt in ore contineat, paulatimque permittat in aſperam arteriam influere. Si alui fluor ſuperueniat ob concoctricis & retentricis imbecillitatem, roborentur pulueré diarhodon Abbatis. Succurritur & magis aſtringentibus ad extra, & infuſis per ſedem. Quia ſi per os ſumuntur, difficultatem anhelitus pariunt. Si pariter alui aſtrictio, cibi faſtidium, febris, vigiliæ vrgẽt, ijs conſulendum: vt proprijs locis oſtenditur.

De Palpitatione cordis. CAP. XI.

ΠΑΛΜΟ῾Σ καρδίας Græcis, Palpitatio cordis Latinis, à symptomate & parte affecta nomen sumpsit. Tremor perperam à quibusdam ea palpitatio dicta est: vt etiam falsò καρδιακὴ, καρδιαλγία, καρδιωγμὸς, cùm sint hi affectus ventriculi potiùs, quàm cordis, de quibus suo loco. Apud Galenum tamen καρδιωγμὸς quandoque significat cordis ipsius motionem palpitationi similem, quæ ab inflammatione & feruore cordis est. Priusquam verò à nobis παλμὸς καρδίας definiatur, sciendum quid vox hęc παλμὸς seu palpitatio significet ἁπλῶς, quoque pacto huic visceri conueniat, nec non quomodo à Tremore differat. παλμὸς itaque seu palpitatio, est partium eleuatio quædam præter naturam atque depressio, partium (inquam) naturaliter mollium: ita vt dilatationem sui tolerare, tum rursus in se sidere possint. Cuiusmodi sunt cutis & subiecti musculi: sed præsertim ventriculus, vesica, intestina, iecur, lien, septũ transuersum: adhæc cor, arteriæ ipsæ, in quibus palpitationis longè diuersus à pulsu motus manifestè apparet: cùm palpitatio solius morbi opus sit, seu affectio, pulsus verò actio naturalis. Et alius est affectus in quo pulsus cordis redditur tantum celerior vel tardior moderato: alius per quẽ viscus tremulè concutitur. Imò nec est voluntariæ virtutis propria palpitatio, vel instrumentorum ad hanc spectãtium, sed indifferenter cunctarum partium, quæ distendi dilatariq; possunt: idq; præter naturam, vtrium nec nõ follium fabrorum ritu. Impletæ namq; partes dilatantur: & cùm dilatantur, sese implent. Adest aërea substantia & halituosa, quæ si corpus cauitatem habet, hanc implet: si nõ, inter duo corpora cõgesta sibi ventrem acquisititium molitur, & vnum ab altero distans redditur. Quare palpitationes accidunt perfrigerata particula, ita vt quod sub naturali statu ab ea attenuatum est, id nunc vbi propter frigus reddita est imbecilla, & halituosius, & crassarũ partiũ efficitur, vt neq; facilè sicut priùs perspiret, atq; interim angustia quoq; viarũ accedente, & propria crassitie transitu caret. Addendum verò & de Tremore nonnihil. Tremor inuoluntarius motus est sursum ac deorsum motarũ partium

Palpitatio quid.

Palpitatio à pulsu discrimen.

Tremor.

tium ab inuicem. neq; idem est sursum ferri, quod eleuari; neq; deorsum ferri, quod deprimi: quia quæ sursum feruntur aut deorsum, cum alio priorem locum mutant. Eleuata autem & depressa antiquam sedem seruant, & ambientis nunc aliquid assumunt, nunc deperdunt. Inuoluntariè ergo moueri præterquam quòd vtriq; commune est, palpitationis est maiorem ac minorem locum occupare, non relicto primo. Tremor autem adeò loca commutat, vt ne in eadem sede maneat. Præterea tremor motus est mixtus ex causa præter naturam, & animali virtute. Etenim nemo tremit, qui non decreuerit mouere membra. Sed hîc fit pugna virtutis, & ponderis. Et quanquam huiusmodi symptomatis generatio cum conatu fit mouendi, est tamen cum virtutis imbecillitate: ita inuicem vincente victaque potentia mutuò succedẽtibus motibus, Tremor efficitur. Tremor ergo mouentis est virtutis affectus, non instrumentorum. Sed in palpitatione facultas nõ læditur, verùm instrumenta, seu partes ipsæ quæcunq; præter naturam dilatari possunt; & propterea partibus alioquin immotis accidit. Sed quorsum hæc? vt intelligatur motum cordis de quo hîc agimus, palpitationem verè ac propriè dici posse, & errasse eos qui palpitationẽ cum tremore confuderunt. Vt igitur eò vnde digressi sumus, redeamus, Cordis palpitatio dicetur à nobis eleuatio quædam atq; depressio præter naturam eius partis. Id verò de palpitatione propria fit dictum, cùm dilatatur cor & inflatur præter naturã à substantia halituosa & copiosa quæ perspirare non possit: subsidit autem, vbi foras extrusa fuerit. Quidam verò Cordis palpitationem ita dictam censent, quòd habeat similitudinem cum palpitatione propriè dicta: estque illis motus inordinatus, velox, creber, & veluti quidam saltus: symptoma motus pulsatiui, dum natura ad eius quod grauat expulsionem excitatur, vel dum eadem maiori motu impeditos pulsus resarcit. Alijs dicitur palpitatio Cordis, immoderata quædam eius concussio, vehementi diastole ac systole molesta. Sunt & qui volunt, vt omnibus partibus vis quædam natura insita sit, qua quod offendit, quoad fieri potest, à se propellant: licet diuersa ratione: (Nam in Epilepsia, sternutatione, vomitu, contractione id ef-

Varia sententia de palpitatione.

ficitur: in tussi, efflatione) sic in Cordis palpitatione fieri existimant, & cor putant concuti, ac veluti quodam motu tremulo affici ob causam noxiam, tanquam ingressum repentè hostem reformidans: aut superaturum, aut præ imbecillitate langueſcentem sibi cessurũ. Propterea Palmon veteres quidam formidinem appellarunt. Id autem fieri aiunt, cùm vaporem aliunde irruentem, vel in se genitum præ imbecillitate dissoluere, aut arcere nequeat, modò dilatatur, modò contrahitur in seſe: quia stimulatur, & palpitatione nititur excutere quod nocet, donec liberum habeat motum, vel omnino deficiat: vnde sæpe Syncope & mors repentina consequitur, præsertim si causam in se præsentem semper habeat. Quæ sententiæ etsi variæ sint, omnes tamen aliqua probabilitate fulciuntur. Quid igitur sit Cordis palpitatio, abundè explicatum est. Constat & quòd sit symptoma in genere deprauati motus toto genere præter naturam. Cuius causa est vt aliarum palpitationum (si propriè Cordis palpitatio accipiatur: nempe crassus, nebulosus, flatuosusue spiritus, quem accumularunt frigidiores temperaturæ, ætates, regiones, anni tempora, otiosa vita, temulentiæ, cibi frigidi & flatuosi.) Atque hæc affectio cordi euenit cum suspicione, quòd cor in humore moueatur: qui contentus in pericardio tunica, impediat quò minùs attollatur. Oriri etiam potest ex aliquo tumore præter naturam in eadē ambiente cor tunica duro, aut humorem in se continente, qualem pustulæ quas hydatidas vocant, emittere solent. Neq; ab intemperie calida iuxta Galeni doctrinam oriri potest, si palpitatio vera dicenda est. Nam reuera multo frequentius fit à flatibus in pericardio contētis. Argumento est, quòd omnes ferè melancholici hoc symptomate afficiuntur: & qui cachexia laborant, vt puellæ, & qui aquam inter cutem incidunt Recentiores verò vt hunc motum cordis, aliud genus motus esse posse statuunt, ita huius motus causam afferunt, quicquid vitalē facultatē quantitate, vel substātia, vel vtraq; grauat. Palpitat cor, cùm eius vētriculis sanguinis vel corrupti, vel etiam laudabilis maior copia continetur, vel in ijsdem, aut eorum ventriculorum valuulis, substantia aliqua omnino aliena hæret. Sic enim & propter magnæ arteriæ iuxta cor dilatationem,

Palpitatio Cordis quis affectus præter naturã. Causa.

dilatationem,& propter gypseam & lapideam quandam substantiam in ventriculis cordis hærentem, & propter aquæ magnã copiam in thorace & pericardio contentam, cordis palpitationes fieri visæ sunt, dissectis post repentinã mortem cadaueribus. Alij Cordis palpitationem fieri aiũt ab intemperie calida,& sanguinis feruore (qui sæpe conspicitur in sanis tum adolescentibus, tum adultis : cuius singulare remedium est sanguinis missio, cum victu & medicamentis extenuantibus)à vermibus cor vellicantibus, subita vacuatione, imprægnatione, inflammatione, abscessu, aqua tunica inclusa & humore putri ac malè olente plena, lapillis, venenosa qualitate, spirituoso halitu, siue ab externis, siue ab internis, siue in ventriculis cordis, siue in substantia, siue in pericardio, siue in arterijs causa subsistat, siue accidat extrinsecus, siue ab alijs partibus, vt vtero, hepate, liene, ventriculo. Neq; enim palpitatio semper causam habet in corde, sed pars aliqua affecta est, cum qua mutuum habet consensum. Sic Galenus à balneo & vitiosis lignis succensis mulierem solitam animo deficere scribit: alteram ab vteri affectu idem pati. Suprà dicta pluribus historijs cõfirmarunt iuniores. Huius causam aiunt & quidam referri in retorridam bilem, quæ aliâs sponte vacuari consueuerat, in arterias cordi vicinas effusam. Et eadem de causa in hunc affectum propensi sunt, qui Melancholia hypochondriaca laborant. Alij consentaneè his quæ dicta sunt, palpitationis Cordis causas externas statuunt aërem pestilentem, morsum feratum, hausturn veneni, esum fungorum, spem, & timorem. Internas verò vocauerunt proprium cordis affectum, nempe intemperiem quamuis simplicem, aut compositam cum materia, ex qua cor infirmum & imbecillum redditur: quibus aliæ causæ commemoratæ accensendę sunt. Iam vt ad signa indicantia veniatur, Cordis palpitatio dignoscitur ex ægri relatu, qui cor ipsum præter pulsum palpitare sentit. Manu etiam adhibita supra thoracem loco quo cor sentitur, à quouis pulsationis motus percipitur. Is motus cordis visus est aliquando sic vehemens, vt costas de sua sede depelleret, & aneurysma propè iugulum pugni magnitudine excitaret. Nam totius corporis arteriæ potissimum quæ iuxta iugu- *Signa*

lum sunt, valide pulsant. In aliquibus tantus est tremor cordis, vt etiam panni qui pectus ab iniurijs externis muniunt, videantur ab astantibus ad motum cordis eleuati atque deprimi: subinde quoque sonitum audire solent astantes satis manifestum. Spiratio rara est & exigua: & seruat omnes inæqualitatis differentias. Cor enim si laborat inæquali intemperie, pulsus vniuersos varie inæquales efficit. Macies præcedit, vel consociatur. Si à flatuolo est spiritu (vt ferè fit) & frigida intemperie, aut si à calida, cognosces ex cordis temperamento, totiúsque corporis, antecedente victus ratione, aliísque signis coniectura artificiosa eliciendis. Particulatim si à flatu est, repentina est accessio, asthma, motus tremulus in genis, aut aliâ parte, dolor subitò accedens & desinens, obtenebratio in oculis, sibilus aurium. Si est à causa calida, vel fumis & vaporibus ad cor per arterias delatis, & per consensum aliarum partium, affectus earundem partium tibi indicabunt. In calida etiam febris adest. In frigida, febre vacant. Cordis intemperaturæ cæteris partibus communicantur, earumque comes est imbecillitas. Rursum agnoscitur calida intemperies palpitationem efficiens ex pulsus magnitudine, celeritate, & crebritate, ex calore thoracis, ex frequenti & magna respiratione, & quod aërem exufflando mittunt, & aëre frigido gaudent. In frigida pulsus rarus fit, paruus, ac tardus, sic etiam respiratio: calido aëre gaudent, & siti carent. Si præter hæc grauitas accesserit, copia significatur humorum, ad quam significandã accedit pulsus inæqualitas. Inde corde patiente oritur illa inæqualis & intempestiua cordis dilatatio ac palpitatio, quæ velut ipsius saltus est. Huncq; fieri cõtingit vulgò ob humorẽ in pericardio contentũ, cùm modũ excesserit. Nam paucus secundũ naturam ibi cõtinetur: & in hoc morbo apparet ac si cor in humore moueretur. De hac re alij in hanc sententiam: Aquæ magna copia sæpe in pericardio cumulatur, quę cor ipsum ne moueatur impediens, palpitationem mouet, siue à serosis humoribus aqua illa colligatur, siue à calore colliquante, & in aquam vertente quod pingue est. Non negligenda est palpitationis Cordis curatio circa initia. Nam si augeatur, aut diutiùs perduraverit, ad Syncopen permutatur,

Prognostica.

mutatur, & demum ad mortem, eamque repentinam, ob consequentem virtutis vitalis imbecillitatem. Palpitatio licet tum adolescentibus, tum adultis euenire possit, magna ex parte tamen ijs accidit, qui ætatem agunt quinquaginta annis inferiorem, sed quæ quadraginta annos excedat: & quanuis sanguinis missione, & victu extenuante curati sint non nulli, nihilominus omnes ante senectutem morte præuenti sunt, & alij per acutas febres, alij cùm sani degerent, affatim Syncope correpti interierunt. Hic affectus frequenter ac præcipuè per quietem corporis intermittit; ac superfluis laboribus, meraciori vino, balneis, atque ira recrudescit. Horrenda est palpitatio si crebrò incidit, idq; post solutos morbos cum multa nauséa & bilis vomitu, qui vomitus neque nauseam, neq; palpitationem finit. Hoc vitium ijs familiare est quos Melancholia flatuosa fatigat, vt iam dictum est, & quibus atra bile ipse lien tumet. Syncopen palpitatio Cordis & antecedere, & in eam verti solet. In curatione palpitationis, si est à causa frigida, tanquam frequentiori, aer (cuius præcipuè habenda est ratio, vt qui inspiratu mox penetret, citoque vel iuuet, vel noceat) eligatur ad caliditatem & siccitatem declinãs, qualis est alteratus rore marino, maiorana, origano, ambra, moscho, & similiter calidis odoramentis. Debet enim aer suauiter olere: quia omnia odorata cordi sunt familiaria, vt fœtida aduersa & inimica. Quemadmodum si est à causa calida, aer alterandus est frigidis odoribus, oxycrato, rosis, aqua rosarum, caphura, & huiusmodi, somnus sit moderatus. Vitentur vigiliæ immoderatæ. Motu & exercitio vtantur temperato: nec non frictionibus. Aluus seruetur lenis natura, aut arte suppleatur. Immodicas animi perturbationes, iram, mœstitiam, metumque ac lætitiam deuitent: vt in vniuersum quicquid spiritum vitalem resoluit, ac conturbat. Victus ratio reliqua in causa frigida instituatur attenuans. Propterea deligantur cibi modicæ humiditatis ac flatus expertes, sintq; boni nutrimenti, & facilis coctionis. Quapropter edant carnes pullorum gallinaceorum, gallinarum, phasianorum, perdicum, merularum, turdorum, aliarumque paruarum auium montanarum, & interdum vitulorum, hœdorum, leporum, capreo-

Victus ratio.

lorum. Eis vtantur assis, interdum elixis, hyssopo, serpillo, satureia, melissophyllo, sampsucho, pulegio, borragine, pimpinella adiectis, & in prædictarum carnium iure piper, cinnamomum, macer, aut caryophylli in puluerē redacti injiciantur. In calida verò cibi refrigerentur hordeo, lactuca, borragine, oxalide, omphacio, acero, succo atáciorum, citrorum & limonum. In frigida causa potus sit vinū dulce, substantia tenui, colore flauum seu fuluum, mediæ ætatis, dilutum aqua in qua borrago, melissophyllum, pimpinella decocta fuerint. Atq; in eadem causa meracius bibatur. In calida intemperie vinum sit aquosum, tenue, dilutum aqua hordei: aut bibat decoctum coriandri præparati, cum iulep violato, aut rosato. Decoctum etiam radicis bugloſſi conuenit. Vitetur vinum præsertim generosum & vaporosum, cuiusmodi vinum non tolerāt, qui cor languidum habēt, ob subitum quem scilicet facit occursum.

Sanguinis missio.

Præscripto viuendi modo, quoniam omnes iuuat missio sanguinis ex Galeni decreto, incidatur vena interna cubiti dextri, si plenitudo adsit, aut sinistri ea non existente. (Sanguis siue quantitate, siue qualitate, siue vtraq; cor grauarit, commodissimè venæ sectione tollitur.) Aut si est à vapore spirituoso largiore in ventriculo cordis sinistro, idq; ad reuellendum magis, quàm curandū. Cor enim cùm sit princeps viscus, tametsi intemperatū ad frigidum, saltē reuulsionis gratia hîc venæ sectio confert: quia prohibet ne excrementa ad ipsum confluant, tum quòd imbecillum sit, tum etiam ne propter hunc palpitationis motum excrementa trahat. Itē si aqua concepta in panniculo, si inflammatio adest, aperienda est basilica dextra. Sic Auicēnas & Arabes dextram fundunt, si sanguis est in causa: si vapor, sinistram aperiunt. Sinistra quoque aperiri potest, si materia non in ventriculis cordis, sed in corpore ipsius continetur. Sanguis antē pro ratione redundantiæ vacuādus est, summè cauētibus animi deliquiū, manu interim pulsui admota. Et missio sanguinis potiùs repetēda est quàm cōfertim facienda: quia quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto reuulsionē efficies efficaciorē. At si malum ab inferioribus inuehatur, aut insignis est plenitudo, venæ crurum secari debent. Vt autem victus attenuans

nuans confert, quia multus sanguis in bene valentibus & crassus est, vel sua copia obstructionem facit coarctatoriã: ita etiam imperamus medicamenta quæ extenuant, dissipant, discutiunt palpitationis causam, hoc est spiritum flatuosum, eumq; adimunt, intemperaturã cordis frigidam corrigunt, simulq; ipsum roborant: præterquam quòd verisimile est humorem aquosum in pericardio contentum palpitationis causam esse. Itaq; in frigidiori intemperiè à iunioribus vsurpantur electarium diambræ, diamoschi, de gemmis, confectio de cinnamomo, de xiloaloë, & Conciliatoris, de hyacintho, diacalamentum, dianisum, aromaticum rosatum, theriaca, mithridatium, daturq; pro qualibet vice ʒj. cum vncijs duabus vini boni, & vncijs tribus aquæ melissophylli, borraginis, florum citrangulorum. In causa calida conuenit diamargariton frigidum, diarhodon abbatis, saccharum rosatum, vel violaceũ, electarium trium santalorum, trochisci de caphura. Composita sunt cõdita mollia in causa frigida: quale est quod Recipit corticis citri conditi ʒij. conseruæ radicis cirsij, ʒj ß. pulueris diambræ, pulueris diamoschi dulcis, pulueris lætitiæ Galeni ana ʒj ß. compositionis de hyacintho ʒij. seminis citri ʒj. corall. rubr. ℈ iiij. myrobalanum emblliticam vnã conditam: cum syrupo conseruationis corticis citri, fiat electarium molle. Aut si quis electario magis solido delectetur: ℥. diamoschi dulcis, pulueris diambræ, pulueris de gemmis ana ʒj ß. corticis citri conditi ʒiij. cum saccharo in stillatitijs liquoribus melissophylli, & bugloss æ dissoluto, fiat electarium. Sumatur Tessella vna manè & altera vesperi, duabus aut tribus horis ante pastũ, & superbibat parũ vini meri. Exterius vero imponũtur epithemata: cuiusmodi est, ℥. aquarũ melissę, florũ citrãgulorũ, borraginis ʒiiij. macetis, caryophyll. ana ʒj. cinnamomi, ligni aloës, corticis citri, seminis ozymi ana ʒiij. ambræ, moschi ana gr. v. Vel ℥. liquorũ stillatitiorũ bugloss & melissophylli ana ℔ ß. vini aromatici, aut aruisij ʒij. pulueris electarij de gemmis, caryophyllorũ ana ʒj pulueris diambrę ℈ iiij. seminis citri, ben albi & rubri ana ℈ ij croci ℈ j. misceantur. fiatq; cordi epithema calidè manè & vesperi ante pastum. Fiunt quoq; vnguenta. vt ℥. olei nardini, costini, amygda-

Electarium molle, seu conditum.

Electarium solidum seu Tabella.

Epithema.

Vnguentũ.

lini, & rosacei ana ʒ ij. pulueris galliæ moschatæ, caryo-
Sacculus. phyllorum, ligni aloës ana ℈ j. cæræ parum. Sacculorum quoque vsus est. ℥. florum borraginis, rorismarini, citran-gulorũ, sampsuchi ana ʒ ij. cinnamomi, caryophyllorum, seminis ozymi ana ℈ ij. rosarum rubrarum ʒ ij. os de cor-de cerui numero vnum. Adde si vis moschi, vel ambræ gr. aliquot: fiantque sacculi ex panno conchyliato consuti & calfacti medio thoraci applicandi. Item fiunt cataplasma-ta ex conseruis bugloss, borraginis, rosarum, violarum,
Electarium molle. adiunctis pulueribus. In causa calida electariũ molle fit sic: ℥. conseruæ violarũ, conseruæ rosarũ, cõseruę radicis cirsij ana ʒ j. pulueris diarhodon abbatis, triũ santalorũ, pulueris diamargariti ana ʒ ij. coralli rubri ʒ j ß. margaritarũ, fra-gmentorũ pretiosorũ communiũ ana ℈ ij. compositionis diamoschi dulcis ʒ ß. excipiãtur syrupo de acetositate citri.
Electarium solidum. Vel fit electariũ solidũ. ℥. pulueris diamargaritonfrigidi, pulueris trium santalorum, pulueris diarhodon abb. ana ʒ j ß. trochiscorum de caphura ℈ ij. pulueris diambræ ʒ ß. conseruæ rosarum, conseruæ radicis cirsij ana ʒ iij. cum saccharo in stillatitio liquore rosarum dissoluto fiat e-lectarium. Epithema verò sic fit: ℥. stillatitiorũ liquorum
Epithema. rosarum, oxalidis, bugloss ana ʒ iij. vtriusque coralli, o-mnium santalorum ana ʒ j ß. camphoræ grana ij. pulue-ris diamargaritonʒ j. croci ℈ j. aceti parũ. fiat epithema cordi manè & vesperi ante pastum tepidè applicandum.
Vnguentũ. Fit quoque sic vnguentum: ℥. olei rosati violati, nymphęæ ana ʒ ij. coralli, santalorum purpureorum, rosarum ana ℈ j. caphuræ gr. ij. cæræ albæ q. s. Aut fit sacculus: ℥. ros-arum rubrarum siccarum, florum bugloss & cirsij sicci, o-mnium santalorum, coralli rubri, ana ʒ ß. fiat puluis, qui
Sacculus. in sacculo insuatur. Vel sacculus paratur ex floribus viola-rum, rosarum, santalorum, corallorum. Dantur opiatæ, & condita siccioribus naturis. Humidioribus verò trochisci, & arida. Propinantur & cardiacę potiones ex aquis cardia-cis, in quibus aliquid mithridatij aut theriaces dissoluitur, cum conserua cardiaca. Vel adduntur pulueres vnicornu, ambræ grisęæ, margaritarum, cæterorumq; lapidum pre-tiosorum, eboris, cornu ceruini. Pulueres ipsi etiam per se sumuntur ex opiatis cum distillato restauratiuo, vel cum

aquis

aquis cardiacis ex cochleari. Extrinsecus etiam admouentur cataplasmata, quæ mithridatium recipiunt, vel theriacam, & conseruas. Sed si cum frigida intemperie præsens sit materia frigida seu pituitosa, ea apparetur melle rosato, oxymelite simplici, vel scillitico, syrupo de hyssopo, de corticibus citri, de duabus radicibus, cum decocto betonicę, sampsuchi, pulegij, origani, melissophylli: deinde purgetur is succus diaphœnico, electario indo, myrobalanis cepulis, agarico. Materia verò melancholica paretur syrupo de epithymo, de thymo, de pomis, de fumaria, de scolopendria. Purgeturque confectione hamech, pilulis de lapide lazuli, de lapide cyaneo, pilulis indis: & dum propinantur medicamenta, addantur quæ corroborant. Materia verò calida & biliosa coquatur syrupo de succo acetosæ, syrupo endiuiæ, syrupo acetato, syr. acetosit. citri, syr. de ribes. Purgetur autem rhabarbaro, myrobalanis citreis, manna, cassia, syrup. ros. solut. Sunt qui addunt scammonium, quo vti non oportet, nisi in summa necessitate, ne cordi noxa inferatur. quare & cordialia addēda sunt. Clysterum vsus præfertur in paroxysmo. Celerius enim vapores euocant. Quo tempore valēt etiam quæ sequuntur. Frictio è linteis, quæ receperint odorē pulueris violacei: fortis inspiratio, vt gementium, contentis in ore cordialibus antidotis, quo magis penetret qualitas: illitus arteriarum, vbi magis pulsant: & affrictio per medicamenta cordialia: vaporatio. Vitētur vincula extra accessionem, astrictio à vestibus in ventre, thorace, iugulo, alis, inguinibus, & vbicunq; insignia vasa, præsertim arteriæ. Si in febrem acutam incidant, corripiuntur Syncope, vel alio genere morbi. Atq; in vacuationib. & balneis imperandis maxima cautio esse debet: ob idq; interrogādus æger, nunquid per sanitatem soleat exolui aut palpitare cor. Sæpe enim dum sanguis mittitur, vel purgantur, vel alia fiunt ex ratione morbi, Syncope intercepti moriuntur. Quæ obiter à nobis dicta sunt. Vt verò vnde digressi sumus, eò reuertamur, post purgationem detur theriaca. Multùm valet & confectio de hyacintho, alkermes, ex quibus simul cum conseruis fiunt opiatæ, vt iam ostendimus. Si à serosis humoribus auctis fiat palpitatio, danda est opera, vt vacuen-

Scammonium.

Agenda in paroxysmo.

tur vsu seri caprini, vel succo brassicæ marinæ, folliculis sennæ, carthamo. Qui enim in pericardio continentur, si nihil amplius resudabit è venis, calore cordis resoluentur. qui in venis continentur, vacuandi sunt, ne resudẽt in cor. Postea danda quæ corpus desiccant, & serosum illum humorem exhauriunt, vt decoctum chynæ, zarzæ parillæ, Guaiaci, vbi ægri naturæ non repugnent. Vt vbi corpora calidiora euaserunt, Guaiaci vsus minimè cõuenit. Et quia à flatibus frequens est hæc affectio, prima ventriculi concoctio perfecta procurari debet: vt flatus qui in ventriculo & intestinis sunt, discutiantur.

De Syncope. CAP. XII.

Syncope quid. Eclysis, Leipothymia, Leipopsychia.

Συγκοπὴ Græcis appellata, Latinis animi concisionem significare potest: quòd spiritus & vires in ea intercidantur. Est enim præceps omnium virium lapsus: vt paulò pòst explicabitur. Differt ab Eclysi, Leipothymia, & Leipopsychia: quæ tria sæpius pro eadem re vsurpantur: vt & Latini animi vel animæ deliquium exponunt. Quibusdam tamen Eclysis leue animi deliquium dicitur. Leipothymia verò, vel Leipopsychia, animæ defectio grauior, nondum tamen ad sudorem vsque. is enim est terminus qui Leipopsychiam à Syncope diuidit; quia quæ prætergressæ fuerint, & ad sudorem vsq; peruenerint, Syncopæ dicuntur. Imò verò earũ discrimen pro modo sudoris est. In quibus. n. multus sudor est, plus est periculi quàm quib. exiguus, quòd maior virium lapsus cõtingat. Et maiorem causam requirit Syncope, quàm Leipothymia: quanquam ab eadem oriri possunt. Atque his consentanea est Aëtij sententia, qui animo linquentes subitò in eum affectũ dicit incidere, sensu & motu priuatos, sine sudore. Syncope verò dormientes aut vigilantes corripit cũ sudoribus syncopticis. Quare & alij deliquium animi, facultatis animalis pathema esse inquiunt: Syncopen verò vitalis, quæ aliarum facultatum fundamentum existit. Ac quoniam Syncope præceps omniũ virium lapsus dicta est, (si enim sensim paulatimq; fieret, non vtiq; Syncope diceretur) subitáque ruina nulli morbo acumine & periculo cedens, animaduer-

maduertendum est virium essentiam in spiritu ac temperamento solidarum partium consistere, prouidendumque vt hæc integra seruentur, & naturaliter sese habeant in qualitate vel quantitate, & præsertim solidæ partes, ante omnia quidem omnium principiorum, mox verò & reliquarum partium, cuiusmodi est ventriculi os, propter exquisitum eius sensum. Igitur cùm vires concidunt, spiritus vel solidas partes offendi necesse est. Par est enim per Syncopen nihil horum manere integrum, sed cuncta collabi & dissipari, cum spiritu quidē calorem natiuum, (qui nunquam ab inuicem separentur) cum solidarum partium temperamento, tum eum ipsum calorem singulis à natura partibus insitum, tum humidum illud primigenium & radicale, quo vno velut glutino quodam robur earum continetur: neq; potest seruari earū temperamentū, nisi eo calore atq; humido incolumi. Cùm aūt vires quę animal gubernant, tres sint diuersi generis, animalem quidem afficit constat, cùm sensus & motus offendātur: neq; tamen eam duntaxat ac primò oblæsam esse dicimus: quinimò omnes offensas esse asserimus: sed primò ac præcipuè vitalem, etsi in generatione Syncopes non semper ea facultas vel cor ipsum primò lædentur, sed quia nonnisi facultate vitali læsa primò aut corde affecto, (quemadmodum & in ipsis febrib.) Syncope fit, quo offenso & reliquas offendi oportet. Seruatur enim caloris Symmetria in singulis partibus etiā principibus ab ipso corde caloris innati fonte, medijs arterijs: aliarum verò partium deperdita temperie, non oportet cordis simul actionem perire: Nisi inquā cor afficiatur, progigni Syncope non potest: cùm ex affectu iecoris, ventriculi, aut alterius partis de repente & affatim vires simul collabi non possint, neque animal perit, nisi cor afficiatur, cùm mors semper ad immodicas cordis intemperies consequatur. His consentaneum est quod alij docent: omnes corporis partes peculiari cordis tēperie actiones suas perficere: vnde si huius vires infringantur, reliquarum etiam sequi iacturā atq; detrimentū actionum; priuationē. Cor igitur in omni Syncope dicetur pars affecta, vt etiā ex pul *Pars affecta.*
suū imbecillitate, uō ipsa artuū refrigeratione confirmari
potest. Affect⁹ aūt ipse symptoma est in genere functionū

Quis affectus præter naturam. Causa.

omnium, sed præcipuè vitalium, lædunturque vires non modò diminutè, sed quasi ablatè, saltem quoad sensum. Sequitur id symptoma, (vt placuit veteribus) aut fortem duntaxat cordis intemperiem nudam, vel cum vitiosa seu venenoso humore; aut erysipelas, aut inflammationem, aut alium quempiam ipsius tumorem. Sed antequam huiusmodi affectus augeantur, animal corrumpitur. Non sic si ob simplicem cordis intemperiem Syncope excitetur; siue æqualis sit, siue inæqualis. Et si per proprias partium similarium intemperantias fiat Syncope, ea mortem subitam non inducit, quemadmodum ea quę ad instrumentales partes pertinet, quæ subitò enecare potest: priùs tamen præcedentibus quibusdam signis: quale hoc est, Qui sæpè & frequenter exoluuntur, de repente moriuntur. Quoniã verò aliæ plures possunt esse causæ Syncopes, omnes à recentioribus doctissimè in duo genera sunt relatæ. Cùm enim virium essentia, vt iam dictũ est, consistat in spirituum ac solidarum partium temperamento, idcirco virium infirmitas ac lapsus ille, non nisi ex illorum substantiæ resolutione, aut temperamenti alteratione euenire potest, si rectum sui & obliqui index est & regula. Spiritus autem vitalis cùm sit in corde, duplicemque motum habeat, vel intus foras, vel foris introrsùm: deficit quidem, quia non generatur, vel corrumpitur, vel alteratur, vel non mouetur, vel dissipatur. Non generatur, vel corrumpitur à proprio conceptaculo, propter fortem cordis intemperiem, vel defectu alimenti. Corrumpitur vel alteratur à venenata qualitate, siue interna sit ab aliquo membro, siue externa, vt ab ambiente aere. Non mouetur ad externa, sed intrò cogitur & suffocatur, vel ab affectibus animi vehementioribus, vt ingenti tristitia, anxietate, mœrore, dolore, cura, vnde sæpe Syncope, & interitus: (Huiusmodi subita ad cor præfocans reuocatio, vt in metu potiùs quàm mœstitia, causa est vt inter mittendum sanguinem plærique deficiant, vix vncia detracta.) vel à corpore, vt respiratione prohibita, multitudine, & crassitie humorum exiguos meatus obstruentium: aut si non obstruant, neq; onerent, Leipopsychia oritur. Huc referri possunt tumor aliquis præter naturam in corde, vel pericardio, vermes, & similia quæ aliquando

quando obstruunt, aliquando aura venenosa spiritus inficiunt, ineptosque ad actiones obeundas reddunt, & convellicant, sicuti & humor è ventriculo, aut hepate, aut cerebro, aut etiam pulmone. Motu è corde affatim & repentè aliquando foras dissipatur & euanescit, eodem modo quo intrò cogitur: vel ab affectu animi vehementiore, vt in gaudio, voluptate, ira, vigilijs, risu: vel causa in corpore contenta, vt insigni vacuatione sanguinis, purgatione per medicamenta, resolutione spirituum concurrentium ad aliquam partem dolore affectam vehementi: aut erosam, vt os ventriculi valde sensibile, suppuratione aut ruptione apostematis, vel tuberculi, siue introrsum facta, vt in ventriculum, siue extrorsum, vt in aqua in hydropicis educenda. Simul enim exhauritur spiritus, & vnà cum ruptione euanescit. Dissipatur & spiritus pluribus motibus, tenuitate, raritate corporum ipsos continentium, tenui humore & calido, sudore nimio. Atque hæc quidem de læsione spirituum, qui si suam affectionem communicent partibus solidis, ita vt incipiant resolui, (quod sudore cognoscitur) erit Syncope periculosa valde. Solidarum verò partium temperamentum multis quoque modis labefactatur, ob defectum alimenti, ob consumtionem proprij humidi, refrigerationem calidi innati in longissimis morbis ex atrophia, in febribus acutis à colliquatione, & similibus.

Hinc efficitur duo propria esse & perpetua in Syncope, frigus totius corporis à calore exoluto, & sudorem diaphoreticum siue syncopticum, à dissolutione solidæ substantiæ. Sudor euenit quia cùm in Sycope magnopere vires oblæsæ sint, confugit calor innatus ad cor tanquam ad arcem, derelinquens partes externas, & quod in partibus præsertim solidis continetur humidum retineri non valet, quinimò tanquam destitutum ab innato calido, facultateque retentrice haudquaquam continere potente, ad externas partes confluit: ac sudor propterea gignitur non ex excrementitia, sed propria etiam solidarum partium humiditate. Tales verò sudores frigidi sunt, quoniam ea quæ solida regit corpora, natura, quæ Hippocrati est calor naturalis, vel omnino extinguitur, vel proxima est extinctioni. Quare quicquid ex eis profluit, frigidum sit oportet.

Sudor diaphoreticus seu syncopticus.

Propterea qui profluunt sudores in Syncope, necessariò frigidi sunt. In Leipothymia non sudor, sed frigus tantùm extremarum partium apparet. Præsens Syncope seipsam prodit. In ea pulsus est paruus, rarus, formicans, faciei color qualis est hominis mortui, fœdus, pallens: vis sentiendi mouendique deficit, extremarum partium frigiditas adest: sudor gelidus circa caput, tempora, ceruicem ac pectus: adhæc accedũt desperatio, animi angor, & corporis iactatio. Spectra noua malo inuadente visui offeruntur, impotentia sequitur ad loquendum, & penè respirandi facultas intercipitur, palpebræ concidunt. Dignosces autem an cor proprio affectu laboret, vbi scilicet valde intemperatũ est, an per consensum laboret, ex proprijs aliarum partium affectibus ac symptomatis, vt in stomachica videre est. Ea cùm fiat affecto ore ventriculi, vomitus, nausea, dolor eius partis, seu morsus quidam præcedit. Verùm si nullum præcesserit signũ alterius affectæ partis, sed verbi gratia præcesserit animi excandescentia seu alia affectio, cor primariò affectum esse iudicabis. Itaque reliquas causas partim ex astantibus, partim ex te ipso cognosces. Quoniam verò quædam obscuriores sunt, qualis est stomachica, cuius paulò antè meminimus, & quæ ab hac vel illa causa pendere potest, eius signa hic adscribemus, cùm magni momenti esse soleat. Qui igitur propter humorum crudorum in ventriculo redundantium copiam in Syncopen incidũt, vnà cum oris ventris offensione, his hypochondria sunt inflata, & totũ corpus ampliori mole quàm pro naturæ modo est. Tum color ijs ad albidius quam pro naturali habitu est mutatus, & aqua inter cutem laborantium magis similis est. Nonnullis etiam ad nigrius & liuidius tendens, quos quidem plumbei coloris appellamus. Pulsus præterea obscuri sunt, omninóque inæquales. In hac syncope humores crudi, crassi vias spirituum ita obstruunt, vt à motu intercipiãtur, haud secus atq; fit in respiratione prohibita. Qui verò propter acrium & bilioſorum humorum, redundantiam quæ os ventriculi infestet, Syncope corripiuntur, ij assiduè in ore ventriculi vellicationes, & mordicationes, anxietates, ac dolores sentiunt. At demum qui adeò prætenues succos ac spiritus habeant, vt ciussimè exhalent, adeóque

Signa.

Syncope stomachica.

eóque imbecillam habent per vniuersam corporis molem retentricem facultatem, expultricem verò immoderatiùs concitatam, vt propterea in Syncopen incidant, (accedente nimia humorum tenuitate, & corporis raritate) in ijs affectibus celeritet mortifera illa apparet facies, nasus videlicet acutus, oculi concaui, & reliqua, quamuis aluus non multùm excreuerit, neque vigilauerint, aut tristes fuerint, aut fame affecti ægri ipsi. Ex his namque minus malum est, quàm si absque his emaciati fuerint. In quam sententiam dictum est ab alijs, quòd qui Syncope ab humorum tenuitate & spiritus prompta exhalatione capiuntur, facilè ob inediam, vigilias, fluxum ventris, nimiam exercitationem, dolorem, mœrorem, & iram hoc symptomate corripiuntur. Syncope si valida fuerit, medicinæ non est locus. Sed si tantillum vires adhuc constant, aliquando recuperantur, & ad sanitatem recursus est. Vbi cor proprio affectu laborauerit in Syncope, valido existente animę robore, quibusuis animi affectibus ipsa excitetur, æger nunquam succumbet. Si verò propter eius intemperiem sæpe eueniat, (vt in ijs qui subinde sine manifesta causa exoluũtur) pernicioſior erit quàm ex cerebri intemperie: quemadmodum hæc periculosior quàm si iecur primò afficiatur: quamuis non ita subitò enecare possint Syncopæ, quæ ex cordis intẽperie oriuntur, quàm illæ quæ instrumẽtales eius morbos sectantur, vt suprà monitum est. Pestifera est Syncope illa quæ extenuato spiritu ac sanguine originem trahit: potissimùm vbi imbecillitas adsit retentricis facultatis totius corporis, atque expultrix immoderatiùs concitata. Protsus exitiosa est Syncope, si corpore crudis succis referto generatur. Copia enim eorum succorum vires premuntur, & propter multitudinem, vel crassitiem exigui meatus obstruuntur. Et quoniam generatur etiam redundante flaua bile os ventriculi infestante, siue extenuatis succis, vbi iecur vel ventriculum phlegmone obsederit, exitiosa est etiam. Insanabiles enim existimandi sunt, si viribus iam languentibus aliquod eorum viscus phlegmone infestatur, quoniam nutrire eos assiduè non possumus, nec seruare, si non nutriuntur. Verùm si circa phlegmonem stomachi Syncopę fiant, ventriculi ore affecto primò, ac consentiente corde, curationem magna ex

Prognostica.

parte admittunt. Nam minùs periculosæ sunt, quàm si ex aliquo trium principiorum excitatæ fuerint. Syncope quę sine causis manifestis, sine stomachi vitio, sed & crebra cũ palpitatione cordis accedit, graue periculum minatur, & ipsi cordi penitus inhæresci. Hæc senibus, & conualescentibus, & quacunque de causa vehementer debilitatis familiarior est, soletque mortem si frequenter incidit inferre. In eo morbo præsentis nota exitij est facies liuida, viridis, nigra, vel si naribus acre inditum medicamentum, nullam mouet sternutationem. Adhæc si spiratio, atque arteriarum pulsus abolentur, simulque caput in humeros & pectus dilabatur. Vt cordis palpitatio si Syncopen infert, mortifera est: sic multo magis Syncope, si Cordis palpitationem secuta est. Tandem vt curationem instituamus, ea multiplex est pro varietate causarum. In vno tamen omnes communicant. Quòd si deprehensus Syncope cubans est, omnis solicitudo medentis ad symptoma vertatur. Si verò nedum ea premitur, vtriusque curam habebit, & vt symptoma non incidat, & vt morbus paulatim discutiatur. Præterea siue per essentiam orta fuerit Syncope, siue per consensum, semper ipsi cordi prospiciendum est tanquam viscerì principalissimo, saltem quoad vitam, & propterea robur eius semper seruandum est. Iam quod attinet ad particulares Syncopas vel animi defectus, si ex ambientis malitia Syncope fiat, ad optimam temperiem mutetur, atque odoratus fiat. Si ex venenatis facultatibus, aut ex animalium quæ virus reiectant venenis, Alexiteria adhibeantur. Si propter ingentem dolorem Syncope fit, diligenter de causa inquirere oportet. Si enim extrinseca fuerit, facilè eius amotione dolor sedabitur, atque Syncope curabitur. Si à nulla extrinseca occasione dolor concitatus fuerit, internam aliquam esse causam quæ dolorem efficit, existimare oportet. Si enim plenitudo distendens dolorem excitauerit, protinus si vires patiuntur, sanguis mittendus est è vena quæ parti dolenti vicina fuerit. Sin vires imbecillæ sint, reuellendum duntaxat, aut sursum aut deorsum deriuandum, aut vtrinque, aut frictionibus vtendum. Aliorũ similis est hæc sententia: Si calor natiuus oppressus est à multitudine humorum in toto corpore, vena

Curatio.

cubiti

cubiti dextri interna secetur. Si ob partium internarum inflammationem sanguis ad interiores partes fluens. Syncopen suffocato spiritu & calore natiuo excitauerit, vena quoque è directo secanda erit, si vires ferant. Suppressæ assuetæ vacuationes (vt hæmorrhoides, menses) si Syncopen excitarint, irritandæ sunt. Vbi verò à vitiosis humoribus dolor oritur, purgare magis oportet. Si vtraque coëant, plethora & cacochymia videlicet, ambobus remedijs vtendum, sanguine priùs misso. Dein si noxius humor in parte infixus & impactus est, curationē per discutientia medicamenta moliri oportet. Sed particularium dolorum curationes ex proprijs capitibus petendæ sunt. Si ex crebris & inordinatis motibus est Syncope, quies iniungatur. Si ex prohibita respiratione, respiratio procuranda, sublata causa, quæ ipsam prohibebat. Si ex animi affectibus, vt ob mœrorem, timorem, & alias perturbationes, statim ab eo affectu sunt reuocandi, & suorum contrariorum admotione curandi. Nec in mœrentibus prætereunda sunt odorifera, & alia quæ intra corpus sumpta, spiritus recreare possunt. Si ex aliqua trium principiorum intemperie fuerit excitata, per contrariam intemperiem, moderatè tamē vindicatam curabitur. Sic si ob vehementis febris malignitatem Syncope generetur, propria curatione febris curanda est: tempore quo Syncope deprehensi cubantes non sunt. Si post purgatorium medicamentum Syncope irruat, Recipe theriacę nouæ ℈ iiij. aut si antiqua sit, addantur gr. ij opij. vini generosi ʒ iij. Sæpius autem accidit, vt ex immodica quapiam vacuatione nedum animi defectus, sed Syncope eueniat: & similiter ferè succurrendum erit cuilibet repentè ingruenti Syncopæ. Propterea curationem eius cùm iam inuaserit, tractabimus, relicta curatione, si ea ægri non laborent. Quoniam pro diuersitate affectuum ad quos consequitur immodica vacuatio, curari eo tempore debet, quemadmodū & reliquę omnes, ex quibusuis causis ortæ fuerint. Cùm igitur Syncope adest, spirituum in partibus externis paucorū resolutio prohibeatur, frigida aut rosacea cum aceto faciei, nec non alijs partibus nudis ab alto insperſa, (vt simul sopiti spiritus excitentur) nisi Syncope sit à causa frigida, vel ab alui fluo- *Agenda in paroxysmo.*

re, quem frigida materias intrò comprimens augeret. Præsente etiam Syncope nares & os comprimantur, vt inspiratus aër interiora petens & paulò mox egredi volens, calfactus ad cor redeat, ipsumq; calfaciat, spiritusq; reficiat & excitet. Conducit & os ventriculi confricare, & iubere vt euomant, stomachum irritando digitis vel pennæ immissione. Diducendum & os cuneo, vel re simili. Spiritus præterea intrò conculcati foras auocandi sunt, partes extremas vinciendo, vt linteis modicè asperis fricando, & vellendo nasum, auriculas, pilos. Sternutamentis quoq; vtendum, ac cucurbitulis, coxis, & spatulis appositis. Et quando manus vel pedes illigantur, oportet nexus fieri plures: & frictiones simul circa manus, quando videlicet per inferiores partes fiũt vacuationes: vt si per hæmorrhoidas sanguis profluit: aut ventris, vel mensium adest profluuium. Contrà fit in fluxibus per nares, atq; vomitibus, in quibus crura vincienda sunt, vel fricanda. Trahere enim oportet in vniuersum ad communia membris patientibus in aduersum, aut ad ea in quibus est euacuationis origo. Cucurbitulæ quoque aliæ læues pro partium è quibus vacuatio procedit, aut sanguis erumpit, diuersitate affigendæ. Ideo eas quæ ex veteris fiunt immodicè vacuationes, mammis appositæ sedant. Quæ ex naribus, hepati & spleni secundũ narem patientem: aut si ex vtriusq; naribus sanguis fluat, vtriq; viscera sunt inijciendæ. Cæterùm à frictionibus & vinculis abstinendum, vbi Syncopes causa fuerit immodica ventris inanitio, aut fames, aut immoderata aliqua vacuatio, ne pauci illi spiritus qui supersunt, seque ad cor receperunt, dissoluantur. Sed qui ob hanc causam corripiuntur, hausto vino & odoribus admotis, cæteris remedijs omissis, quieti permittantur. Vinum enim conuenit, crassum quidem, sed aqua dilutum, in Syncope à spirituum resolutione quæ famem & immodicas vacuationes sequi solet. Ab alijs verò causis, tenui sit colore, & substantia. Detur & panis frustulum vino immersum. Non modò autem vino spiritus reficiuntur, sed & ouis sorbilibus, carnibus bonis, & ex his aqua & iure intritis, contusis, concretis, analepticis. Odoribus etiam instaurantur ijdem, qui nõ solùm naribus admouentur, sed & inflando naribus immittuntur.

In

In causa frigida, moschus, styrax, ladanum conuenit: in calida santali, rosæ, caphura, & alia odorifera. Quę tamen vitanda sunt, si est à præfocatione ex vtero. Tum enim grauiter olentia, naribus quidem iniucunda, sed ori ventriculi grata adhibenda, vt eorum odore matrix subsidat. Suauiter autem olentia vuluæ admouentur. Si ob sudoris multitudinem animi defectus vel Syncope excitetur, neque vino nisi frigido, diluto, neque frictionibus vtendum, vel vinculis, quę omnia sudores mouent magis, neque cogendi sunt ad vomitum, aut vllo modo mouendi. Ea verò quæ astringunt & cutem refrigerant, vsurpanda sunt. Quare aër domus alteratur eis quæ astringendi & frigidâ qualitate participant, vt myrtorum foliis, rosis, pampinis vitis pauimentum consternatur, frigidiq; ventorum flatus ventilabris inducantur. (Verùm nihil horum, vbi ad ventrem fluxiones fiant, confert. Nam quò cutem magis densaueris, tantò ipsæ magis augentur. Eis balneæ optimæ sunt.) Conducit & immodico sudore diffluentibus partibus, illinire myrtinum, rosaceum, & citoniorũ oleum. Quod ad somnum attinet, si dum vigilat æger, facies color anhelitusq; magis constent, à somno interpellabitur. Si eadẽ accidẽtia melius se habeant tẽpore somni, vt dormiat, potius cõsulemus. Ita quomodo vindicandi sunt ægri à quauis præsenti particulari Syncope colligi potest, præsertim ex Galeno, alijsq;. Quoniã verò Syncope ea quæ fit à crudorũ succorũ copia cum oris ventris offensione, vel quæ à biliosis & acribus succis idem os infestantibus, vel quæ à succorũ tenuitate nimia atq; exhalatione oritur, magna solertia ac methodo curantur, earum curationes ad superiora nos quoq; annectemus, & Galenũ tanquam bonũ ducẽ sequemur. Itaq; qui crudis succis grauãtur, ij neq; sanguinis missione, neq; purgatione sustinẽt, vtpote quos sine his Syncope subitò adoritur: qui tamen si iustã vacuationẽ ferre possent, statim sanarẽtur. Alimẽta verò eosdẽ opprimunt; quæ tamen offerre necessum est. Igitur tales degãt in aëre non humido & lucido, æstate quidem frigido, hyeme verò calido. Aduersissimus est enim vel nimiùm calẽs, vel nimiùm frigidus. A calido crudi humores diffunduntur per totum

Syncopes à crudis succis orta curatio.

corpus, vt liquati metuendum sit ne defluant in pulmones, & cor: aliquando etiam, ne cerebrum subeant, cùm præstet vt circa iecur & venas primas subsistant. Qua ratione balnea his aduersissima iudicantur. Ab aere verò & domibus frigidis immodicè, succi qui crudi sunt & inepti ad coquendum, obturationes augent hepatis si paruæ fuerint, aut generant si non adfuerint propter crassitiem impacti & detenti. Tempus somno & frictioni impartiendum. Sed somnus vberior crudos succos digeri non sinit, & viscera grauiora reddit, & si quis alius affectus moderatum somnum & vigilias desiderat, hic maximè postulat, quia somnus cõcoquit, vigiliæ digerunt. Pari ratione motus vitandus est. Cæterùm nec cibum, nec sorbitionem, vel aquam exhibeas, vel omnino liberaliter bibere sinas, nisi mulsa tribus primis diebus vrantur, in qua hyssopum decoctum sit. (Nam pauciſſimo egent cibo) siquidem crudi humores coctione alere possunt. Imò vsque ad septimum, nisi imbecillioribus manè & vesperi aquam mulsam præbebimus. In meridie verò ius pulli elixi cum carnibus, aut micam panis in eodem madefactam, aut vitellos ouorum tremulos cum melle. Et si non febricitent, ijs aquosum vinum erit idoneum, statim ab initio, & in eo diluto, panem quoque exhibere conuenit: modò in aliquo viscere phlegmone non adsit. Quæ in potu præbentur, æstate parum frigida sint, vt aqua mulsa, acetum mulsum; hyeme verò calida. Præstat quoque in hunc vsum syrupus de radicibus cum aceto, & aqua mulsa ex decocto calamenti & hyssopi. Et si non solùm crudi succi sint, sed eò etiam corruptionis peruenerint, vt concoqui ad perfectionem nequeant, ægro mulsam fastidiente, vel aluo fluente, ad ptisanæ cremorem est transeundum, & sicubi crudos affatim succos esse animaduerteris, oxymel pro mulsa exhibere assiduè debebis. Quod ad medicamentorum rationem attinet, quoniam præludia vacuantia non ferunt præter eam vacuationem quæ ex frictione paratur, incipere oportet frictionem à cruribus cum linteis paulo asperioribus supernè deorsum; dein ad brachia perueniemus, incipientes ab humeris ad manus. Ita succi calefient, ac digerentur, & hæ frictiones conferent ad somnum allicicndum. Verùm ne

incidant

incidant in lassitudinem ex multa frictione veluti contusa carne, membra prædicta vngantur oleo relaxante, vt antiquo, vel anethino. Postea oleum detergere oportet, atq; ad spinam dorsi transire, hancq; totam fricare primũ sicca frictione, postea oleo, ac rursus ad crura te conferre: ab his ad brachia: exinde denuò ad spinam: ita totum agendo diem. Interim si aluus non deijcit, & pulsus constet, audacter per inferius aliquid infundetur. Cataplasmatis autem & perfusionibus minimè vtendum, priusquam magna ex parte vacuata, partim concocta sint superuacua. Si enim assiduè his præcordia vexentur, phlegmone facilè in eiusmodi affectibus excitatur. Licet verò eis vti tempore quo diximus, non tamen solis relaxantibus vti, sed eos plurimùm fouere oportet oleo, in quo absinthium bullierit, vel emplastrum adhibere ventriculo quod fit ex palmulis, vino, farina hordei, croco, mastiche, & aloë, ac madefacere mastichino, seu nardino. Postea hyssopum in melicrato decoctum, diatrium pipereon, diospoliticon exhibere non inconuenit. Et ad eundem modum medicamenta quæcunque offerenda sunt attenuantia, calefacientia, saltem quæ sumere febricitans possit, si febricitauerit. Clysteribus quoque vti licet ex decocto mercurialis, melle ac sale, aut ex aqua mulsa cum hiera, aut decocto calaminthæ, pulegij, & similium. Quòd si febricitent, nimiùm calida medicamenta vitanda sunt, & si qui laborant, senes sint, post quamque cibationem vinum aquosum præbendum erit. Qui sanè ex eiusmodi succis laborant, hos quotidie accessiones exercent, præcipueque ad vesperam & noctu, non manè, nec vsque ad meridiem. Si verò syncope eos premit, & loca prędicta phlegmone vacent, panem exhibebis non multo vino fuluo madefactum, quod celerem in corpus distributionem adiuuet, statimque ad frictiones venies, quas pro tradito iam modo administrabis. Vt si æstas est, & regio naturaliter calens & æstuans, aut status cœli vehementer calidus, cum frigida vinum dabis. Si nihil eiusmodi sit, cum calida. Nec parum cõducit exhibere aliquid diamoschi, aut confectionis diambræ. Odoramentis quoque animum recreare: ℔. aquæ rosarũ, florum citrangulorum ana ʒij. corticis citri, ligni aloës ana ʒ ß. moschi,

ambræ ana gr.iij.aceti ʒj.Neq; cor negligendum:sed epithematibus,vel sacculis roborandum est. Epithema erit: ℞.aquæ melissæ,florum citrangulorũ, & rorismarini ana ℔ß.ligni aloës,corticis citri ana ʒij. cinnamomi, caryophyllorum ana ʒ ß.croci gr.v.ossis de corde cerui ñ.ij.moschi,ambræ ana gr.iij.vini fului odoriferi ʒ iij. fiat epithema. Sacculus autem parabitur ex floribus melissæ,rorismarini,citrangulorum, sampsuchi cum cinnamomo, croco, caryophyllis,cortice citri,rosis siccis,& similibus.Hæc non tantùm in accessione,sed citra ipsam fieri possunt.Nam odores quamuis nec sanguinem nec carnẽ reficiant, subitò tamen reparant vires recreato animali ac vitali spiritu, & sæpe imminens accessio Syncopes bonis odoribus naribus admotis propulsata est. Fotus ventri & hypochondrijs est admouendus ex oleo absinthij,laurino, anethino cum lana calente.Manus vino odorato abluantur, atq; facies. Et si quid in ore ventriculi supernatauerit, & nauseam induxerit,tepido aceto mulso bibito,& penna oleo intincta ori immissa vomatur: idq; extra accessionem procurandum.

Syncopes à bile os Ventriculi infestante curatio.

Si verò tenuis,biliosus,& acris humor vẽtriculi os infestat, fit vt compatiente corde,spiritus vitalis dissoluatur, & extenuatus transpiret,& hominem Syncope arripiat. Tempore ergo quo ea non premitur, contraria curatio adhibenda est.In aere ad frigidum vergente collocentur ægri, in quo aspergantur rosæ,myrtus,cannarum folia,& violæ. Summa enim cutis densanda est. Somno longiori vtantur, ac cibis & potionibus frigidioribus: vt cremore ptisanæ, panecq; modico ex vino aquoso frigido diluto, mica panis in succo mali punici, aut succo mali cotonei, aut in iure gallinæ elixæ cum malis cotoneis. Aut vitelli ouorum sorbiles cum succo arantij,aut mali punici, alæ quoq; auium conuenient.Ab aqua mulsa abstinebunt. Procedente malo,sed non adeò affligente, nec inflammato viscere quopiam,carnes pullorum & nouellarum perdicum eis offerentur,& poma odorata,aut malum cotoneũ post cibum, aut diacitonitem quod vocant. Bibant vinum albũ, aquosum,modicè austerum.In summa sint alimenta succi constantis, & quæ non facilè in ambientem aerem transpirent: sed astringendi quoque vires habeant. Procuretur

quies,

quies, & animi tranquillitas. Hæc itaque extra acceſſionem facienda, & confeſtim tentandum, vt bilis quæ ſua mordicatione os ventriculi infeſtat, expurgetur per vomitum immiſſis digitis aut penna, & aquæ calidæ potu, vel tantillum aceti aquæ calidæ imponas, aut ſyrupi acetoſi ſimplicis. Quòd ſi neque ſic euomere poſſunt, aluus cienda eſt ex tamarindorum decocto aut manna, adijciendo rhabarbarum. Neque hi immodicè ſemel ſunt vacuandi, cùm exquiſitas vacuationes non ferant. Ad hunc etiam vſum clyſteribus leuibus vti cõuenit, quales ex aqua hordei, & oleo violaceo, & ſaccharo inijciuntur. Præterea cutis conſtipanda inunctione corporis ex oleo roſaceo, aut myrtino. Et vacuata iam parte materiæ roborare oportet ventriculum oxyſacchara ſimplici, ſyrupo granatorum acidorum, aut ex acetoſitate citri, è pomis, de corticibus citri, & à purgatione decoctum abſinthij conuenit. Si in Syncopen inciderint ægri, his exhibendus eſt frigidus potus. Sit tamen tunc vinum quod diductionem in corpus promoueat, & natura calidum ſit. Id verò ſeruandum omnibus quos Syncope malè habet. diſtribui namque cibum per corpus, non manere volumus. Propterea ex vinis deligenda, quæ & flaua ſint colore, & ſubſtantia tenui, & ætate vetera, ac boni odoris: & commodiſſima ſunt, quæ cùm naturaliter auſtera ſint, ſenſilem iam aſtringendi vim propter vetuſtatem non exhibent: calorem tamen admodum habent, & ea tum coctionem, tum digeſtionem in corpus promouent, & ſucci vitium mitigant, & corporis habitum excalfaciunt, & ſtomachũ firmant. Si præſens medicus fuerit acceſſioni, frigidam inſperget faciei, vel roſaceam Roſas inſperſas naribus admouebit, ius pulli inſtillabit in os cũ ſucco vuæ acerbæ vel citonij, aut offam panis in vino valentiore; nares aſtringendæ, & partes extremæ. Eiſdem exhibendum diamargaritou frigidi exiguum quidpiam cum pauco vino, vel ſyrupo de pomis, odoramentumque naribus adhibendum. Recipe aquæ roſarum, myrtillorum, ſantalorum, corallorum rubrorũ ana ʒj ß. ambræ, moſchi grana ij. aceti ʒj. Cordi item epithemata imponentur, quale eſt: ℞. aquæ roſarũ, acetoſæ, meliſſæ, ana ʒij. ſantalorum,

corallorum ana ʒ ß. corticis citri, ligni aloes ana ʒ ß. croci grana iij. moschi gr. ij. os de corde cerui ñ. j. vini fului odoriferi vncias tres. Saccelli etiam serici componentur ex floribus violarum, borraginis, nymphææ, melissæ, ac rosarũ, quibus parum croci, ligni aloes, corticis citri addas: nec nõ santalorum & corallorum rubrorum ana. Attemperabitur acredo humorũ syrupo de acetosa, aut succo vuæ acerbæ, aut de succo limonum. Nam attemperati humores faciliùs coquuntur, & natura ipsa attemperatis roboratur ad coctionem moliendã. Qui verò ob prætenues succos opprimuntur, sic vt exhalent ocyssimè, diuersa ratione curandi sunt, quàm illi qui à crudorum succorum copia laborãt. Hos enim paulatim & assiduè vacuare, illos verò paulatim & assiduè nutrire oportet. Sic etiam eorum summa densare, vt priorũ rarefacere. Cibi his dandi sunt, qui non promptè diffluant, non aqua mulsa, non ptisanæ cremor, sed panis & sorbitio ex alica, fructus austeri, & qui nõ facilè corrumpantur, tum ipsi per se, tum cum pane, velut cydonia mala punica, acida & austera, cerasa, & pyra quædã. Dantur etiam aliquando oua, præcipueq; & horum vitelli. Album enim ægrè coquitur. Præterea gallinaceorum lacte nutritorum testes, itemq; suillum cerebrum probè assum, vel in albo iure elixũ, porro & anetho iniectis. Vinũ quoq; aquosum his necessarium est. Deniq; omni ratione agendum, vt & succorum materiam crassiorẽ reddas, & cutem denses, & exhalationem inhibeas. Quare frigidum his aerem imperabis, astringentem, rosis, myrti folijs in domo substratis. Vngendi sunt & astringentibus, vnguento omphacino, rosato, melino, myrtino: & miscere oportet aliquid ex refrigerantibus, veluti portulacæ, solani, aut vuæ acerbæ succum. Præcordijs verò cataplasma admouebitur ex palmulis, rosis, œnanthæ, acacia, hypocistide, & alumine. Capiti autem atq; fronti omphacinum vel rosaceũ imponetur per se, aut cum gummi. Quòd si omnia ex sententia respondebunt, etiam carnei aliquid nutrimenti post alia dabis: potissimùm post quartum diem. Ex dictis constat, qualiter omni syncope succurrendũ sit. Paucæ enim sunt, vel fortasse neq; vlla, quæ non ex his percuretur. modò curari possit. A Galeno, Aetio, & alijs similes curationes ab-

Curatio syncopes ex tenuibus hominibus.

undè

undè pertractantur. Quas licet recentiores quoque elucidarint, nos tamen eas tanquam valde vtiles huc afferre operæpretium duximus.

De lactis inopia, seu defectu.
CAP. XIII.

THORACIS & cordis affectus proximè exposuimus. Iam verò non absre erit aliquid de affectibus mammarum, quæ vtiq; thoraci incumbunt, & cor ipsum contegunt, addere. Mammæ igitur copiosissimum benigni alimenti superfluum colligunt; lac videlicet, cuius causa extiterunt. Eo verò loco eas constituere conueniebat, vbi facilimè simul & citissimè elaborati lactis copia poterat cõsistere. Cùm enim tenera adhuc sunt atq; imbecilla recens nata animalia, edulia solida ab ijs nondum possunt cõfici, ob eamq; causam perinde ac si adhuc in vtero gererentur, natura ipsis ex matre alimentum comparauit pro conceptus nutritione. In mammis aũt existunt adenes quidam, vim habentes id quod ad eos influit alimentum alterandi, ac sibi ipsis assimilandi, & quoniam exangues & albi sunt, proprium efficiunt humorem talem qualis est lac, & plus talis efficiunt, quanto plus alimenti ad ipsos defertur. Recentiorum tamen quidam à venis immutari credunt, non ab adenibus. Humor igitur hic qui veluti superfluitas est alimenti ipsarum mamillarum generantium ipsum, quo conceptus ex eo nutriatur, cùm vel exiguus est, vel omnino deficit, lactis defectus appellatur. In qua affectione mammæ afficiuntur, cùm principem vsum qui gratia generationis lactis existit, non præstent, & eo potissimùm tẽpore quo debent, à partu videlicet, & lactationis tempore. Et notus est cõsensus mammarum cum matricibus. Nam dum in matricibus fœtus augetur, venæ omnes ex vtrisq; alimentum affundunt. Quando verò natus est, alimentũ totum mammis affluit: quò fit vt lac germanũ menstruo sit, & eodem tempore bellè procedere nequeat menstruũ, & fœmina lactare. Vnde quibus hoc largè suppetit, ijs planè menses supprimuntur. Ergo si lac deficiat, mamillas affectas esse certũ est, siue per se, siue per consensum. Earum verò affectus symptoma est in genere retentorum immo-

Mammarũ vsus.

Partes affectæ.

Affectus quis.

dicè,& præter naturam. Nam commune est omnibus animalis partibus quæ aptæ sunt humores aliquos generare vtiles alijs partibus,aut ad generis propagationem, aut ad cõceptus nutritionem, esse velut quandam superfluitatem humoris ipsum generantis,quæ cum deficit,ad excre- *Causa.* menta immodicè retenta refertur. Vt autem ad causas defectus illius veniamus,quoniam lactis materia sanguis est in venis contentus quantitate aut qualitate contemperatus,tum ab alijs partibus transmissus, tum etiam à mammis ipsis attractus, propterea contemplari sanguinẽ opus est. Lac enim scripserunt quidam sanguinem dealbatum esse,quod naturæ prouidentia factũ est, ne pueros sanguine nutriri crudelius videretur. Et tot sunt in lacte partes, quot in sanguine. Videndũ igitur in primis nunquid sanguis sit paucior,an deterior. Paucior enim esse potest,quòd in toto corpore exiguus sit,vel quòd paucior à mamillis attrahitur,etiam si paucior in toto non fuerit. Lac etiam deficit mammarum affectarum ratione,vel quòd infans imbecillis non probè sugit. Ad validam enim suctionem attractio consequitur. Alij alias addunt causas, aiuntq; sanguinis defectum esse,aut propter corporis totius atrophiã, quam mulier ob picam aut alimentorum fastidium contraxit tempore imprægnationis, vel quòd post partũ tanta sanguinis copia fluxit, vt retractus sit ad partem inferiorem,atque venæ plus iusto inanitæ sunt. Quæ omnia suis notis interstinguuntur. *Signa.* Si enim paucus est sanguis toto corpore,id nosces ex totius temperamento & habitu siccioti,ex sanguinis immodicis vacuationibus, vehementibus exercitijs,laboribus,vigilijs,fame,mœrore, solicitudine,arida æstuantique febre,vel id genus alijs, quæ corpus desiccauerint ac calefecerint. Hæc enim non tantùm sanguinem minuunt,sed & qualitatem eius vitiant,quanuis & immodicè refrigerãtia idem efficiant: vnde lac ipsum deficere contingit. Quòd si multus sit sanguis, nec tamen ad mammas perueniat, id fit vel propter venarũ angustiam, aut obstructionem,aut sanguinis crassitiem: quę artificiosa coniectura internosci possunt. Sanguis autem vitiosus, hoc est biliosus,vel pituitosus,vel melancholicus, lactis colore,tum substantia,tum sapore distinguitur: præsertim si

noa

non omnino defecerit: non posthabita cognitione temperamenti, habitúsq; totius corporis, & ætatis. Nam si biliosus fuerit, præter eius tenuitatem & flauitiem, amari saporis lac erit: aderit temperamentum bilioſum, habitus gracilis, ac ætas florens. Si pituitosior sanguis, lac erit crassioris substantiæ, albi aut palidi coloris, acidi saporis & odoris, lactantis habitus & tẽperies pituitosi: vt & lac erit si vehemẽtioris spissitudinis ac opacitatis, obscurioríſq; ac quodammodo nigri coloris, & reliqua adsint melancholica, melancholicum sanguinem adesse testabuntur. Si vitio mammarum fiat lactis defectus, macilentas & graciles mammas inspicies: quæ ob propriã intemperiem non tantum sanguinis attrahunt, quantum pro lactis generatione opus est. Si nihil horum adsit quæ dicta sunt, ad imbecillitatem infantis sugentis occasio referenda est. Hic affectus infanti magis quam mulieri grauis est: non tamen sit sine aliquo affectu mulieris præter naturam. Vbi imminuitur, aut omnino extinguitur, aut corrũpitur, aut spissatur, aut alteratur lac, præstat alterius nutricis lac prębere. Si id non permittat res aliqua instans, victu nutrix curanda, vt ne infans in morbum incidat, ac ipsa sibi meliorem vindicet sanitatem. Quod ad curationem attinet, præsertim si est à defectu sanguinis & paucitate, alimẽta sint boni succi, humida & calida, ceu ipsum lac: medià habeãt intemperiem pituitæ ac sanguinis: propiùs tamen accedit lac ad sanguinem, quàm ad pituitam. Quare nutriantur pane puro, iusculis, succo carnis, vitellis ouorum, caseo, lacte ouillo vel caprino, aut eodem elixo cum vitellis ouorum, & saccharo. Vtantur carne gallinarum, pullorum gallinaceorum, columbarum iuuenum, perdicum, phasianorum, hœdorũ, vitulorum, castratorum, piscibus saxatilibus, & squamatis. Vtantur & fructibus, vuis passis, amygdalis dulcibus. Fit pulmentum ex oryza priùs in aqua, deinde in lacte elixa, & amylum paratur cum lacte & melle, & præstantissimus est qui cibus albus dicitur, ex gallinarum pectoribus elixis cum farina oryzæ, lacte, & saccharo confectus. Placentæ quoque formantur ex sesamo cum melle. Amygdalatum etiam optimum est. Valent & pistacia, nuclei pinei, eruca, pastinaca assa in cineribus, Zingiber,

Prognostica.

Curatio.

cinnamomum in pauca quantitate sunt vtilia. Potus sit vinum aquosum, aut flauum, tenue, moderatè dilutum, aut vinum dulce tribuatur. Caueant exercitiũ immoderatum: Imò parum se exerceant, bene alantur, & sic satis dormiãt. Caueant iram, mœrorem, & omnia quæ sanguinem pauciorem efficere possunt. Supernatum tamen partiũ exercitijs, pectoris vberumq; frictione moderata vti possunt, ac fomentis per spongias. Conuenit & lac fugere validiùs. A totius corporis frictione abstineant, & venere. Rarò autẽ medicamentis vtendum est, licet lacti generando aliquid proficere possint. Vt si deterior sanguis est vtpote biliosus, primùm purgationem desiderat, mox victũ quem dicebamus. Sit porrò medicamentum leuiter purgans bilem, nõ exiccans: vt manna, cassia, syrupus ex infusione rosarum, violarũ. Pari ratione nigra bilis expurgetur catholico dato medicamento. Et si pituitosus fuerit, requirit medicamenta calfacientia primo aut secundo ordine: non tamen desiccantia. Nam hæc in sanguinem vertunt, non ipsius sanguinis humorem depascunt, aut ipsum crassiorem simulq; pauciorem efficiunt: vt ea quæ desiccant. Et inter potiora sunt, quę non tantum sunt medicamenta, sed & nutrimenta, vt eruca, fœniculus, anethum, cum etiamnum virentes & humidæ fuerint: nam siccæ plus calefaciunt, & desiccãt. Conferunt & hunc in vsum smyrnion, apion, sion, & poliũ: fœniculi radix, & semen ptisanæ incocta, lini semen cum melle, si delingitur. Lapis galactites pro amuleto alligatus, aqua dissolutus, ac potatus. Intestina terræ si quinq; aut sex teras, ac cum duob. aut tribus gallinarum ouis recentibus decoquas, pauco fœniculo aut anetho addito, ex his ferculum paretur: aut ea priùs vino albo abluta & in puluerem redacta sint, & cum vino dulci ʒ.vna vel duæ eius pulueris exhibeantur. Si lac fuerit extinctum, porrũ tritum bibendum detur: mulier lauetur, & brassicam edat, & folia cytisi simul coquat, & succũ sorbeat. Viticis fructus, & betæ succus potatus, multum lac facit, & nasturtiũ in vino potum commodum est. Hæc & alia plura veteribus commendata sunt. Posteri illis assensi sunt, nec ferè dissimilia præscripserunt. Si sanguis propter crassitiẽ non fluat, inquiunt, leuiter incidentibus & attenuantibus, neq; multùm exiccantibus vtendum,

Medicamẽtorum ratio.

vtendum, vt dictum est. Et iuxta illos cæparum vsus nõ interdicendus est siue in iusculis, siue sub cineribus. Sed fugiendi sunt pulueres ex fœniculo sicco, & alijs resiccantibus, vt corallo. Si sanguis non fluat ob venarũ angustiam, optimum est mammas aqua tepida fouere, vel sinapismũ debilem, vel dropacem supra pectus apponere, vt sanguinẽ ad partem trahant. Sed diutiùs non adhæreat, ne digerat, aut inflammationem in ea parte pariat. Fit autem ex libra vna ficuum maceratarum in aqua, & vncia seminis sinapis tenuissimè triti. Cucurbitulæ quoque cum pauco igne apponantur, paulò infra clauiculas ad sanguinis attractionem. Si menses nimis fluant, retinendi sunt priùs. *Dropax.*

De lactis redundantia. CAP. XIIII.

LAc redundat in vberibus, quando ad ea plus alimenti defertur, quàm par sit, adeò vt eius plenitudine mulier grauetur ac doleat: nec eius copiam ferre queat. πυρετὸν γάνωσιν Græci vocant: vnde mammæ fiunt turgentes, suiq; lactis impatientes. Euenit sæpius puerperis, idque primis diebus à partu, quia multus sanguis mittitur, & non absumitur, neq; sugitur. Postquam enim lac multum receptum est (prohiberi autẽ potest ne tanta copia recipiatur, si ante partum repellentia apponantur) non potest repelli, sed per mammas vacuari debet, aut suctu, aut alia ratione. Euenit & reliquis lactantibus, idq; non rarò. Partes igitur affectæ mamillæ sunt. Affectus verò ipse causa morbi est, in quantitate videlicet: & propriè in excessu, qui ex ipsa lactis copia prouenit: (velut alia quæuis plenitudo morbi causa est) cuius iterum causa est boni sanguinis multitudo. Sin verò lac multum è mammis effluat, non ampliùs causa morbi: sed symptoma erit sub genere excretorum immodicè cõtentum. De qua lactis abundantia hîc nõ loquimur. Quia non metus est, ne quis inde affectus præter naturam contrahatur. Porrò causa potissima cur plurimum lac colligatur, est oppletio venarũ communium, quæ à mammis ab vtero pertingunt. Accidit & mulieribus vtero gerentibus ob conceptus imbecillitatem interdum. Quandoq; verò cùm neq; grauida est mulier, neq; peperit, sed ei menstrua defecerunt. Visu & tactu malum ipsum deprehenditur. πυρετὸν γάνωσις. *Affecta partes.* *Affectus ratio.* *Causa.*

Prognostica.

Cæterum cùm lac plurimũ in mammis abundat, periculum imminet ne concrescat, aut inflammationẽ in mammis efficiat: & si vitiatum fuerit lac, mammarum vasa ulcerat, scabies, panos, & papularũ eruptiones producit. Si igitur id imminuere voles (vt iam ad curationem veniamus)

Victus ratio.

tenui diæta vtantur, vt oleribus & fructibus, & aquam non vinum bibant, frictiones, vincula, ac infernarum partium exercitia præcipienda sunt. Quare crura fricentur. Manibus ac brachijs nullum aggrediantur laborẽ, & vbi mammæ dolent, neq; à mulieribus, neq; ab infantib. exugi debent: quia suctione plus attrahitur: quanquam ab adultis ac peritis mulieribus, quòd puerperarum mammæ leuiter exugantur, nõ improbamus, vbi non immodicè doleant, seu inflammatæ sint. Hac enim tenui exuctione effertur quod in mamillis continetur, neq; plus ad eas trahitur. In vniuersum prohibenda sunt, quæ multum sanguinẽ procreare solent, & proinde nihil præstantius, quàm secare venam poplitis seu tali: & si altera mamillarum magis oblæsa sit, è directo vena secanda, in puerperis præsertim, in quibus menses detinentur. Aut si non propter menses retentos lac cõcrescat, sed quia in toto corpore sanguinis est copia, media quæ in cubito est vena, aut interna incidatur: deinde tali quoq; vena tundatur. A sanguinis missione repellentibus vtendũ, sed quæ modicè repellunt, conueniũt: ne scilicet in pulmonẽ quod fluxit, trudatur. Quapropter superponatur spongia posca madefacta & expressa, quæ fascijs accõmodetur: vel palmulæ cum posca tritæ. Deinde vincire eas ac modicè constringere oportet. Vel ouo toto cum rosaceo vtendũ erit, ac linteũ aceto imbutum imponendum: vel lentes contusæ admoueãtur. Aut si etiã libet, myrti decocto perfundantur. Quòd si lac restinguere omnino malueris, alumen & psyllũ cum aceto, ac coriandri succo, & rosaceo adhibeatur. Cuminũ cum aceto illitũ lac imminuit. Erysimon quoq; prodest cũ aqua & melle illitũ. Ricini insuper folia trita, & apiũ virens illitum, Pyrites lapis tritus cum rosaceo & aceto impositus. Quòd si his nec imminuatur, nec restinguatur lac, non ampliùs eis quę repellunt ac reprimunt, sed ijs quæ exiccant ac digerũt, tanquam tutioribus medicamentis vtendũ: modò priùs adhibeantur

beantur diuersiones per vincula, cucurbitulas, frictiones, seu venæ tali sectionẽ. In eam rem faciunt digerentia seu siccantia ex milio, sale, farina fabarũ, & chamæmeli: atq; sic non vertitur in grumos lac, neq; inflammationẽ parit. Mammæ quoq; fouentur decocto fœniculi, apij, petroselini, maluarum, & althææ cum radicibus, sumendo singulorum p.j. & addendo foliorum lauri & florũ chamæmeli ana m̃. ß. ac post fotum illinire oportet oleo rosaceo, eoq; tempore mammæ leuiter exugantur. Dein, ℥. resinæ terebinthinę quantum satis: abluatur sępe vino albo & aqua rosata, cui duo aut tria oua tota, & croci scriptulum vnum adijciantur, & in emplastri formam, nempe cæra addita, redigantur: quod super linteo lino, eoq; crasso extensum, perforato tamen in duabus partibus, quibus mamillarum papillæ promineant, imponatur, ac fascijs circumligetur, moderateq; constringatur. Aliud: Recipe farinæ fabarũ, farinæ lentium ana vnciam vnam, succi plantaginis ʒ iij. rosacei ʒ ij. aceti ʒ j. Aliud: ℥. Succi plantaginis, succi menthæ ana ʒ j ß. farinæ hordei ʒ j. aceti ʒ ß. Lac trahunt ampullæ in aqua calfactæ papillis appensæ. Si hæc nõ proficiant, medicamentis pituitã purgantibus corpus vacuare oportet: & tenui victu, tenuante, & incidente copiam sanguinis absumere. De his conuenit inter veteres & posteritatem.

De lacte in speciem casei, vel in grumos conuerso.

CAPVT XV.

SÆPE etiam lac à partu in casei speciem coagulatur, seu in grumos concrescit. Quę duo tamẽ distinguunt quidam ex recentioribus, & saltẽ in causis generationis separant, vt mox dicetur. Hoc malum θρόμβωσις, siue grumescentia lactis appellatur. Et σπραγγαλίδες globuli sunt, & concretiones lactis, quales accidunt post partum, si lactis prouentus nulla ex parte decedat. Vterq; affectus morbus in numero seu magnitudine dici potest, cùm ĩs quantitate atq; in excessu eiusdẽ comprehendatur. Ambo verò affectus ex lactis copia, & sparganosi, vel eiusdem crassitie tanquam ex materia originem ducunt. Ac vtrum eorũ causa sit, prompte dignoscitur. Nam si ob lactis copiam est,

θρόμβωσις.

σπραγγαλίδες.

Affectus.

Causa. contingit quòd diutiùs coaceruatum in mammis detineatur, nec exugitur. Si crassities est in causa, crassitiei indicia adsunt. Rursum siue multum, siue crassum fuerit, in formam casei redigitur, aut in grumos cõuertitur, vt dictum est, idq; ab intemperie calida vel frigida mamillarum, vt communis est sententia. Calida quidem, dum à nimio calore id quod erat tenuiũ partiũ in lacte digeritur ac discutitur, & reliqua pars manet crassior & caseosa: frigida verò, à qua vniuersa eius substantia astringitur & cogitur. Sed alij tantùm in grumos concrescere autumant à frigiditate, quemadmodũ extrauasato sanguini accidit. Veluti nec instar casei coagulatur, nisi à caliditate, vt affirmant. Lac enim coagulari nequit, nisi à valido calore seorsum susum segregetur: quod verò crassum est in sese coëat, quod absq; valido calore non fit. Cuiusmodi naturæ sunt etiam, quæ vrinam cient: nempe excalfactoria, exiccatoria, tum etiam secretoria, & coarctatoria. Hæc ex Galeni placitis doctè à iunioribus quibusdam collecta sunt. A quib. dissentiunt nihilominus alij, qui à frigore concrescere posse lac negant, quoniam neq; mammę in viuente animali adeò magnam ferunt frigiditatem, vt concrescat lac in ipsis: neq; solet lac frigiditate concrescere, sed potiùs se-

Signa. rescere & liquari. Quod ad notas pertinet, si quando à calore cõcrescit lac, tactu deprehenditur, & febris magna ex parte accedit, & frigidis iuuantur. Si à crassitudine concrescat, necesse est accedere calorem, vt videtur. Eum verò agnoscemus, vt relatum est. Aut diutiùs lac oportet retineri: quod fœmina ipsa refert. Atq; si retentum est, non opportunè exactũ fuit. Lactis frigiditas ac lentor, ex natura fœminę deprehendetur, & frigore mammarum, & lactis post eductionem substantia, quæ viscida & tenax erit, & pituitã colore referet. Huiusmodi lac facilè retinetur in meatibus

Prognostica. angustis. Nisi quamprimum lac grumescens seu caseatum curetur, inflammationem pariet, aut mammarum exulcerationem, præsertim si vitiatum lac fuerit. Si ab immodico calore sit caseatum, victus ad frigidum inclinet: sitq; ex lactucis, aut per se, aut cũ carnibus elixis; & potus aqua hordei. Ex medicamẽtis priuatim conferunt furfures in aceto

Victus ratio. *Medicamẽta.* cocti cum rutę decocto supra mammas impositi. Idem facit ment ha

cit mentha polentæ admista: iuglans cum ruta & melle. Cuminum priuatim, vel cum polenta, capita papaueris cocta cum melle, crocus cum lacte, murię fomentum, apium viride impositum, folia solani seu halicacabi cum brassicæ foliis, pauca myrrha & croco adiectis, & exiguo aceto. Similiter epithemata fiant ex fœnugræci, seminis lini & althææ decocto, cum oleo violato, & aceto pauco. Mammis etiam imponatur succus solani cum aceto, aut succus portulacę, aut farina hordei cum aceto mulso, aut eadem cum posca. Prętereа succus herbę quem appellant morsum gallinæ, cum rosaceo linteis exceptus. At vbi in grumos lac conuersum fuerit, aut ob crassitiem non defluat, mammas implebit, & retentum concrescet, tenui parte effluxa: tunc his conuenit victus attenuans, vt ius carnis elixę cum ciceribus, & anetho: & potus vini albi aquosi. Totum corpus poterit purgari electario diaphœnicon. Similibus etiam medicamentis vtendum, quæ superiori capite relata sunt, vt lentibus in aqua marina vel muria decoctis: aut etiam cumini decocto cum modico croco. Similiter superfusio calentis olei dulcis, aut fotus aquæ calidæ, vel decoctum fœnugræci, althææ, seu apij. Coagulum leporinum, si cum pauco aceto & butyro illinatur, prodest. Mammis etiam apponatur emplastrum ex farina seminis lini, fœnugræci, cum oleo chamæmelino & anethino: aut fiat fomentum ex decocto fœnugræci, seminis lini, seminis apij, cũ spongia iuxta recentiores. Duritias mammarum ex lactis copia, atque lactis ab ea causa concretione, & mammarum dolores curat fomentum ex decocto, quod Recipit aquæ ℔.iiij. seminis lini, fœnugræci ana ʒ j ß. chamæmeli m̃.j. bulliant ad consumptionem quartæ partis. Colaturæ adde sepi hircini liquefacti, & axungiæ gallinæ ana ʒ ij. Ab alijs hæc laudantur. ℥. succi apij quart. j. oxymelitis ʒ ij. farinæ cicerum rubrorum & oryzæ ana q. s. fiat cataplasma. Si his medicamentis non dissoluitur lac, vel glandulæ indurantur, & suppurantur, tunc ℥. radicum althææ & liliorũ ana quart. j. ficus paria xx. decoquantur in aqua, donec mollescant: adde axungiæ porci non salitæ, aut butyri recentis quantum sufficit: coque. cocta contundantur, & adiecto oleo communi fiat cataplasma.

De mammarum inflammatione. CAPVT XVI.

Causa.

Signa.

Prognostica.

Scirrhus mammarũ.

Cancer.

Victus ratio.

MAMMAE non aliter quàm cæteræ corporis partes inflammatione laborant, Quod dum cõtingit, quæ sit pars affecta, quisue affectus ipse, satis patet. Causa eiusmodi phlegmones est copiosi sanguinis ad mammas affluxus, vel lactis copia: (siquidem retentum lac putrescit) vel eiusdem instar casei coagulatio: ad quam concurrunt lactis crassitudo, & calor mamillarum. Sanguinis autẽ redundantia quouis tempore eam excitat: & proprijs indicijs dignoscitur. Lactis copia puerperis, vtero gerẽtibus, & quibus menses detenti fuerunt, superuenit. Vno enim trium dictorum modorum lac habent in mamillis mulieres. Omnibus inflammationibus mammarũ adiungitur febris, & omnes comitatur dolor, calor, grauitas, & durities. Si à lactis copia est, ijs tantùm quæ partui proximæ sunt accidit, aut quæ peperierunt, & rubor eis est minor, atq; calor. Illæ etiam quæ à sanguine malum patiuntur, priùs dolores in dorso, spatulis & axillis senserunt, aut mẽses si fluere ipsis lactantibus solebant, fuere suppressi. Mamillarum inflammationes non negligendæ sunt. Nam cùm sint adenoses & laxiores, & pauci calidi innati, facilè in scirrhosum tumorem, & demũ in cancerosum verguat: aut phlegmone suppurata, ac ad abscessum progrediente, exedens vlcus cõsequitur. Maximè scirrhus fit ob diuturniorem vsum repellentium, quæ materiam congelarunt, aut post fortiter digerentia, quæ id quod est tenue, euacuarunt, & quod est crassarum partium, crassius reddiderunt. Cancer autẽ tumor est durus, qui sensim incipit, scirrho similis, nisi quòd dolorem parit, scirrhus verò sine dolore est. His affectibus victus tenuis imperetur: & qui sanguinem vel lac minuit, vt bera elixa cum oleo & aceto, aut poma assa, ouorum vitelli nemuli cum succo arantij, mica panis lota. A iure carnium abstineant. Potus sit decoctum cinnamomi, aut si febris adsit vehemens, aqua hordei. Clysteribus venter leniatur. Fiant crurum frictiones. Somnus moderatus procuretur. Quædam vigilias patiuntur præ dolore & calore, quędam ob sanguinis vaporem immodicè dormiunt.

Omnem

Omnem animi perturbationem vitent. In principio inflammationis confestim sanguis mittatur ex interna cubiti vena, vel media eiusdē lateris, siue ex sanguinis affluentia, siue ex lactis coagulatione, atq; putrefactione orta sit. Quòd si mēses suppressi fuerint, secetur vena interna malleoli lateris patientis. Mittatur sanguis pro virium robore, & copia sanguinis. Vena si opus erit, non semel, sed bis vel ter tundatur. Leniatur & venter medicamento purgante, vt manna, cassia, catholico, & consimilib. Postea repellentia adhibenda sunt, idq; initiò: quæ tamen nō valde repellant, ne in interiores partes nobiles humores detrudātur. Partes enim cordi proximæ sunt, quę in mammas sanguinis abundantiam deponunt, in quas nō expedit repellere, ne morbus lateralis, aut Pulmonia sequatur. Omnino tamē ne cumulatim sanguis influat, repellere expedit. Quare spongia posca imbuta loco inflammato imponatur: & solani folia cum butyro, aut aliquo eorum quæ discutere possunt, immiscenda sunt, præcipuè exacto phlegmones initio. In eundē vsum conuenit & rosaceum, cum succo aut stillatitio liquore solani, aceto, & decocto chamæmeli, vt in eis lintei madefacti imponantur. Valet & emplastrum ex farina hordeacea, semine lini, santalis, bolō armeno, adipe porcino & rosaceo compositum. Prosunt & solani folia cum butyro vaccino: & palmulæ in posca & oleo elixæ. Morbo in dissolutionē tendente, cōuenit farina fabarum cum melle: aut emplastrum quod Recipit farinæ seminis lini & fœnugræci ana ʒ j. farinę fabarū ʒ ß. Hydrelęo quoq; mammæ perfundantur. Parietaria etiā cum sapa & melle admouetur: vel emplastrū ex radicibus ac foliys althææ decoctis, seminis lini & fœnugręci farina cum oxymelite. Similiter medullæ panis aqua madefactę ac tritę partes duę, & perdicij herbæ pars vna. Si discuti inflammatio nequit, pro suppuratione adhibeantur emplastica, vt farina tritici cū hydrelæo. Ad suppurationē iubent etiā recentiores fieri emplastrū ex semine lini, & fœnugræci, caricis, radice althææ, & liliorū alborū, adiectis oleo chamęmelino & liliaceo, adipe porcina, gallinacea, & similibus. Suppuratione acta ad ruptionem, vel sectionem mammæ veniunt. Et apud illos medicamenta suppuratos in mammis humore-

Curatio.

Topica.

ANeotericis desumpta.

emanare facientia sunt fimus columbinus, fermentũ cum puluere cantharidum, calx viua cum fimo anserino, & alia eiusmodi acriora. His apertio procuratur. Sed pure existente profundiori, pars candenti ferro vritur, vel locum prope papillam eligunt, & lunari sectione vtuntur, vt abscessus profunditas denudetur, ac papilla conseruetur. Si ad duritiem tendat phlegmone, adhibeantur mollientia, vt semen lini & fœnugræci aceto mulso coctum, & impositum. Ad inflammationes simul & duritias optimum est quod Recipit butyri vaccini ʒ ij. axungiæ gallinæ & anatis, & terebinthinæ ana ʒ j. cæræ ʒ ß. liquefacta linteo excipiantur, quod mammæ imponatur. Porrò si propter lac coactum inflammatio accidit, eisdem circa initia medicamentis vtendum erit, quæ paulò antè coagulato lacti conferre dicta sunt. Quibus si inflammatio non cedat, ad ea quę iam commemorata sunt transeundum erit. De mamillis earumque affectionibus præter hęc, alia scitu digna sequuntur, quæ notarunt iuniores. Mamilla altera ex vlcere affecta, ratò ad sanitatem reducitur, nisi altera quæ sana est, à lacte exiccetur. Exiccabitur lac, si ægra pusioni lac sugendum non dederit. In varijs autem locis mammarum vlcera contingunt, quia substantia eius mollis est ac spongiosa, quę si exulceretur, pus contentum non liberè effluit. Cæterum mammæ tenues penuriam sanguinis indicant: duræ illius multitudinem. His plus humoris ad conficiendum lac influit. Solidæ & mediæ inter flaccidas & renitentes commendantur. De Scirrhoso tumore & canceroso mammillarum, nec non vlceribus earundem, consule chirurgos, qui de his abunde pertractarunt.

NICO-

NICOLAI PISONIS MEDICI DE MORBIS COGNOSCENDIS ET CVRANDIS LIBER tertius: ex scriptis Medicorum, tum veterum, tum vel maximè recentiorum.

De Cardialgia, Cardiogmo, & Cardiaca.

CAPVT I.

POST thoracis affectus expositos, deinceps ad ventris inferioris vitia transibimus. Inter quæ primùm sese offerunt, quæ ventriculo contingunt. De quibus antè quàm agamus, duas vētriculi partes esse præfabimur: os nimirum, & cauitatē. Os (inquam) quod veteres Græci καρδίαν, id est cor, nominarunt, ob symptomatum quæ infert vehementiam. Solent enim ei accidere symptomata his quæ cordi quod in thorace residet eueniunt, similia: qualis est animi defectio, quæ stomachica syncope dicitur, ad differentiam Cardiacæ propriè dictæ: vt in confesso habent medici omnes. Eadem verò pars antiquis stomachus vocata est. Quamuis etiam stomachus pro œsophago seu gula vsurpetur, vt omnibus quoque notum est. Cauitas autem ipsa satis perspecta est. Quare de ea in præsens

Os ventriculi καρδία Græcis.

Syncope stomachica.

Stomachus.

aliud nihil proferemus: sed priore loco de affectibus ad ipsum os ventris spectantibus agemus, postea ad reliquos cauitati proprios descendemus. Cumque idem os ventris modò per se, modò per consensum cum corde vel cerebro afficiatur, priùs ad eos affectus qui eius proprij sunt, veniemus. De eoque iam loquemur, qui est molestissimus, &

καρδιαλγία. qui καρδιαλγία id est cordis seu oris ventriculi dolor ap-

καρδιωγμός. pellatur. Idem quoq; interdum καρδιωγμὸς dicitur. Quanquam id nomen ad motum quendam cordis visceris qui palpitationi similis est, à quibusdam transfertur, & his authoribus κάρδιωγμὸς ad cor viscus pertinet. Sed hîc nos

καρδιακή. Cardiogmũ pro Cardialgia vsurpabimus. Imò & Cardiacã cũ illis duobus idẽ esse statuemus: aut saltẽ ab illis differre tantùm intensione ac remissione. Nam in Cardialgia seu Cardiogmo angor quidam ac dolor cum quodam morsu ac rosione sentitur in inferioribus thoracis partibus, propriè sub pectoris cartilagine. Et circa eundem locum dolor quoq; cum quodam morsu ac rosione sentitur in Cardiaco morbo: sed vehementiùs ventriculi ostium afficitur, adeò vt accedat desperatio quædã, angor animi, & corpo-

καρδιακοί. ris iactatio. Vnde & καρδιακοὶ dicti sunt, qui propter oris ventriculi languorem animo deficiunt, & sudoribus resoluuntur. Et Cardiacus affectus non est aliud, quàm imbecillitas corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Quapropter & quidam Cardiacam definiunt innati caloris labefactationẽ & languorẽ, conflictante ore ventriculi & stomacho, cum sudorum immodica

Pars affecta. vi. Pars igitur affecta est os ventriculi, quod tamesi per consensum vehementer oblædat cor, non tamen adeò, vt syncope oriatur, ex Aëtio. Nam quando is cordis dolor seu oris ventriculi morsus proueniat à putrefacta bile & eius vaporibus, aut à cruditate & tenuium humiditatum acrimonia, vt dicetur in cautis, ex illis leuia animi deliquia sequuntur, non ob dissolutionem, aut corruptionem, aut coarctationem & impeditum transitum spirituum, vnde sentiendi ac mouẽdi vires collabuntur, sed ob acrium humorum ad ventriculum, aut alias partes exquisito sensu prẽditas affluxum. Mordicantibus enim & conuellentibus ijs calor ad interna statim reuocatur, & externæ partes refrige-

frigerantur, tametsi non omni sensu ac motu destituantur, vt in Syncope. Quamuis scribunt quidam ex recentioribus hoc vitium propter intolerabilem mordacitatem à prauis, venenatis, & morsu vellicantibus humoribus syncopen inferre, quam stomachicam appellant. Vnde & stomachici vocantur, qui fortiter exoluuntur, dum in ore ventris morsus percipiunt. Affectus autem in genere est noxæ functionum animalium sensitiuarum, ac propriè sensus tactus. Nam in doloris genere continetur. Sequitur autem id symptoma sæpius calidam oris ventriculi intemperiem & erosionem eiusdem, quæ solutio est continui. Eaque intemperies ferè coniuncta est cum materiæ biliosæ morsu & acrimonia, quomodocunque in ore ventriculi contineatur, seu ad ipsum confluat. quamuis præter acrimoniam & morsum virulentus seu venenosus humor ac malæ qualitatis particeps sit, qualis in Cardiaco morbo, aut qualis ex lumbricis ad os ventriculi ascendentibus sursum, ac eidem rosionem & morsum inferentibus excitatur. Non enim omnis ventriculi dolor, Cardialgia appellatur: sed is quem humorum acrimonia excitat: quid fit in angoribus & vehementibus exercitationibus, in quibus bilis confluit in ventriculum, à quo postea irritati & morsi homines cordis dolore prehenduntur. Vnde mœrore confecti bilem euomere consueuerunt, & dolore vexati, & qui diutiùs paulò ieiunium toleraruntmorsus hos ventriculi sentiunt, præsertim cùm vehementi aliqua exercitatione fatigati cibum nullum assumpserunt. Sunt etiam qui causam afferunt huius affectionis materiam quæ refrigerat, vel in flatus vertitur: vt etiam ciborum in ventre contentorum cruditas in causa esse potest. De qua re sic alij, aliquando fit dolor propter acidos pituitososque humores, vnde flatus perturbantes in ventriculo excitantur, qui ventriculum haud aliter distendunt quàm intestina in colico dolore à flatibus conclusis distendi solent. Præter has causas tradunt & quidam iuniores Cardialgiam fieri propter medicamenta nimis conturbantia humores circa superiorem partem ventriculi ob eorum leuitatem, vel malitiam, vel quòd suapte natura vomitum facere nata sint. Accidit & cùm redditur clystet seu medicamentum

Stomachici.

Affectus.

Causa.

cum difficultate, vel quia materia attracta ab alijs partibus, per coli reuolutionem deturbatur, & supra ventriculum aliquandiu remanet, & lædit. Colon enim ventriculo subiectum est. Oritur & Cardialgia ob præcedentem inflammationem: quemadmodũ denique ob partis mollitiem & imbecillitatem. *Signa.* Quod ad notas spectat, cùm est ab humoribus biliosis, adest angor, erosio, ac morsus, & in quibusdam bilis exactæ vomitus euenit: interdum verò summè biliosa egeruntur. Et magna ex parte nausea præcedere solet vel subsequi: oris etiam præcessit amaritudo, corporis & animi motio, ira, aut febris accessio incipit, in qua humores solent agitari, & hoc symptoma facere. In febribus sæpe nauseæ & cardialgiæ ortum habent à colliquatione materiæ quæ in venis est. Seu cardialgia fit cum à copia in venis aceruata tenue quoddã serum in ventrem confluens ad os ipsius ascendit, quod omnibus alijs partibus sentiendi vi ferè antecellit. Temperamentum, ætas, anni tempus, victus ratio, dicti humoris redundantiam testabuntur. Neque tamen febris necessariò adest in Cardialgia, vt in ijs qui paulò diutiùs ieiunium toleraruntvt morsus hos ventriculi sentiant. At Cardiacus est cum acuta & æstuosa febre, pulsus densus, obscurus, extremarum partium frigiditas, sudores circa faciem ad pectus vsq; glutinosi. Odor corporis terrestris eorum nares percellit, pulsus circa ipsum cor vehementiores, & magni. Accedunt desperatio, angor animi, corporis iactatio, & venarũ pulsus exigui. Si frigida causa est, ructus, distentio, singultus, nausea, pituitosa vomitio aderit. Et cum acidi pituitosíque humores fuerint, appetitus saris constabit, magisque à cibo de dolore conquerentur. Quemadmodũ si inflammatio est, signa inflammationis apparebunt. Similiter si ex præcedenti ieiunio cum vehementi aliqua exercitatione, aut ex mœrore orta sit Cardialgia, ex ægro aut assidentibus cognosces. *Prognostica.* Cæterùm in febribus Cardialgia semper mala est. Et Cardiacus morbus in acuta febri & maximè æstuosa, perpetuò periculum minatur. Confirmat id eius causa, cùm à rodẽtibus & biliosis succis fiat, seu ab inflammatione: adeò vt quidam os ventriculi valde sensibile habentes statim interea, cùm immodicam humorum erosionem

sionem sustinere nequeant. Nec minùs periculosus est Cardiacus à lumbricis, qui adeò repentinam mortem & syncopen, non minus quàm pernicioſi humores inferunt, vt nonnulli cùm à lumbricis rodũtur, statim intereãt. Hæc passio frequentiùs iuuenibus accidit, & in augmento ægritudinis, id est circa septimum diem, & quo tempore æstas calidior est. Promptissimè in hanc affectionem incidunt qui tenues habent humores, & partem oris vẽtriculi multùm sensilem. Supradicti affectus duo sola intensione ac remissione differentes tantùm, communem tum victus, tum medicamentorum rationem postulant. Quapropter aëris frigidi admissione ac ventilatione auxiliari oportet: & domus in qua decumbit æger, soli non exponatur, sitq; depressior, nec valde lucida, fenestris tamen patentibus, vt flatus aliquis accedat: leuiq; veste ac molli, & vsu priore detrita cõtegantur ęgri, potissimùm in Cardiaco morbo, pauimentumq; irroretur: ac folijs myrti consternatur, quercus, vitis, atque ipsis etiam rosis. Vigiliæ immodicæ vitandæ sunt. Somnus sit moderatus. Decubitus in latus sinistrum prohibeatur. quia cordis duo sunt sinus, quorum sinister dignitate præstat. Is decumbenti in lævam à pendente ex dextro sanguine premitur: ex quo vitalis facultas laborat. Omnis motus interdicatur. Aluus semper lenis sit, siue natura, siue arte. Inter animi affectus præcipuè nocet mœror, qui ex seipso Cardialgiam excitat. Cibus verò sit ex infirmissima materia: & stomacho aptus, qui præterquam quòd refrigeret, particulam etiam conseruet. Sed sæpe die ac nocte dandus est cibus, vt nutriat, neque onerer. Quare panis ex vino albo tenui & diluto tribuendus est. Interim paulatim offerri debent quæ ægrè coquuntur, & noxiorũ humorum rosioni & acrimoniæ resistunt: veluti sunt ventriculus anserum, pedes suilli, & ex volucribus macræ, non fœtidæ, in ptisanæ decocto eliquatæ, & etiam per se: quæ vel frigida exhibeantur, si caloris circa stomachum sensus sit, & æger inflammatione non vexetur: alijs calida exhibenda sunt. Atqui probè refrigerant, corroborantque mali punici grana, tum etiam succus eorum. Mala etiam non admodum dulcia, sed astringentia, persica, & vuæ quæ austerũ & frigidum succum obtinent. Conue-

Victus 9. 10.

niunt & lactucæ cum aceto, & particulatim galli gallinacei, perdices, phasiani, merulæ, & reliquæ aues montanæ cum omphacio, vel mali medici seu limoncij acido conditæ. Potus sit aqua hordei, vel seminum coriandrorum, vel cinnamomi exigui decoctum. Etsi metus est ne æger deficiat, vinum tenue, dilutum, album tribuendum est frigidum, vbi æger inflammatione non vexetur, & immodici caloris circa stomachum non sit sensus: siquidem alijs calidus potus tribuēdus est. Si stomachus resolutus parum continet, ante cibum & post vomere oportet: rursumque post vomitum cibum sumat. Si nulla stercora intestino recto subsideant, neque multitudo excrementorum insit intestinis, ægri autem cibum non sentiant & tabescant, ptisanæ succum aut alicæ per clysterem infundere oportet, conquassato cum eo ouo crudo: siquidem id quoque vires tuetur. Hoc potu vtuntur qui reliquos cibos continere non valent. Micæ panis torrefactæ macerentur in vino tenui & albo: demum fortiter exprimantur, & ex eo vino singulis tribus vel quatuor horis exhibeantur vnciæ tres vel quatuor, donec pulsus robustior fiat, sitque vinum frigidum, si inflammatio vel calor aderit, vt dictum est: idq; potissimùm Cardiacis. Confestim igitur circa initia vomitus prouocandus, præsertim si nausea præcesserit, vt è gelida aqua oblata cum syrupo acetoso, vel oxysacchara. Huic enim symptomati occurrendum prompte vires reficiendo, & impetum naturæ iuuando. Quòd si succi mordaces in ore ventriculi contenti vacuari nequeunt vomitu, deturbentur medicamento non modò soluente, sed & roborante: quale est rhabarbarum, syrupus ex infusione rosarum, & similia. Vtendum hîc medicamentis quorum vis hepar non transcendat. Quare scammoniata & quæ turbith recipiunt hic vitanda. Et si natura per inferna difficulter expurget, & ob coli obstructionē materia remoretur supra ventriculum, post accessionem injiciatur clyster ex vino, oleo & melle. Intus verò ventriculus roboretur oxysacchara, syrupo ex infusionibus rosarum, ex malis punicis, seu de pomis. Extra auxiliantur folia myrti vel rubi, pampini vitis, plantago, mala citonia, palmæ, stomacho & sinistræ mammæ impositæ. Item ex palmis, œnanthe, acacia,

Medicamētorum ratio.

acacia, rosis, alumine, hypocistide, rhoë, cataplasma conficitur, & imponitur. Narcoticis non vtemur, nisi periculum viribus immineat, ne ex immodico dolore prosternantur. Ab ijs quoq; abstinebimus in quibus vires admodum sunt debiles. Exudantibus partibus sudor prohibeatur oleo omphacino, myrtino, melino, rosaceo, quorũ aliquo corpus vngendum est. Extremæ corporis partes concalefaciendæ sunt, cum multa frictione ipsarum partium: linteis calidis adhibitis, aut alijs calefaciẽtibus. In causa frigida habetur ratio humoris peccantis, & in ipsa accessione datur aqua vitæ cũ pari melle rosato. Si ex visceribus quoddam inflammatũ fuerit, ex quo morbus Cardiacus est, inflammatio ipsa curetur. Si à lumbricis ascendentibus pendet, interficiantur amaris medicamẽtis, & interfecti è corpore expellantur. Si à ieiunio est, citiùs cibus capiatur, viteturq; ieiunium. Si ex mœrore, bilis in ventriculum confluat, aut ex vehementiori exercitatione, vitanda hæc cerũ diligenter. Cynctis verò offerantur odoramenta, præsertim rosæ, & vinum: quale est hoc: Recipe aquæ rosarum vncias tres, vini odoriferi vnciam vnam, santalorum drachmam vnam. Si in principio accessionis fiat, prouocetur itidem vomitus, & odoratis reficiatur æger naribus appositis. Imò si adsit vitium imbecillitas, etiã paulò ante accessionem cibo & potu ægrum reficere oportet, vel dare cremorem ptisanæ cum pauco vino, aut ius pulli cum pauco vino similiter. Si est à cibi corruptione, eodem modo curabitur. Si est à crudis humoribus, procuretur concoctio linimentis conuenientibus, & quibusdam leuiter detergentibus & incidentibus assumptis. Si propter medicamenti leuitatem aut maliciam Cardialgia fiat, optimum erit vomitu reddere medicamentum totum, vel aliquam eius partem, vel aliquo clystere deorsum trahere. Hæc posteriora etiam post accessionem facienda sunt. Nam in accessione frictionibus clamoribusq; tentamus ægrum reuocare, & odoratis, & potione vini, vel data portione medicamenti cordialis. Aspersio aquæ frigidæ, euulsio pilorum, aliaq; dolorifica facienda sunt. Indumenta constrictiora dilatentur, vt liberior sit respiratio, & minùs pars affecta comprimatur. In defectionibus animi

Curatio in accessione.

commune est corpus extendere, & ita collocare vt caput sit depressius reliquo corpore. Sic calor mouēs sanguinem ad partes superiores cùm paucus sit, venæ & arteriæ concidunt: & sanguis venarum & arteriarum retractus ad cor, non potest ad caput recurrere. Cùm enim caput depressius est, sanguis defluit ad eam partem decliuem. Prosternantur itaque ægri eo in loco in quo corripiuntur animi defectione, neque longiùs portentur. Hæc posteriora ex officina iuniorum petita libuit antè dictis veterum scriptis annectere.

De Canina Appetentia. CAP. II.

Nominis ratio.

Κυνώδης ὄρεξις Græcè, idem quod Canina Appetentia sonat Latinè: quoniam in hac affectione canum more vehementi appetitu in cibos feruntur ægri, eosque ad ingluuiem deuorāt, ac subinde reuomunt, rursumque ad cibos redeunt. In hoc enim affectu ægri vomunt pituitam, & cùm assumunt cibum, retinere nequeūt, sed post vomitum alium cibum statim appetunt. Igitur de Canina Appetentia vt accuratiùs pertractemus, de naturali appetentia aliquid in medium adferemus. Nam vt rectum index est sui & obliqui: sic appetentiæ naturalis cognitio præponenda est vitiosæ. Proinde operæ pretium est scire ventrem à natura sic fabricatum hominibus & animantibus cæteris pro penu nutrimenti, vt stirpibus terræ affixis eadem terram dedit. Tribuit & animalibus penurię sensum, quo ad cibū potionemque proritata tempore expleantur. Appetentia itaque seu fames erit eiusmodi implendi desiderium ex penuriæ sensu, cùm secundum naturam existit. Eaque ventriculi animalis fames seu appetentia dicitur: quæ sensus est suctionis. Eam enim immediatè præcedit ventriculi per venas exuctio. Exuctionem præcedit partium inanitarum appetentia, seu fames naturalis. Appetentiam omnium partium inanitio, & triplicis substantiæ consumptio à calore humidum depascente, hæcque totius corporis inanitio naturale quidem opus est pariter, non animale: atque ita hæc symptomata sese deinceps consequuntur. Sensus autem suctionis in animali bene ha-

Naturalis appetentia.

ne habente, inanitionis magnitudini perpetuo respondet: in malè affecto non semper. nam aliàs omnino abolitus est, vt in βυλίμῳ: aliàs imminutus & imbecillus, aliàs deprauatus, vt in fame canina. Ergo fames canina definitur vehemens edendi cupiditas à cibis ad vomitum, & à vomitu ad cibos rediens subinde: & quia non potens est ventriculus deuoratorum pondus sustinere, multa copiosè ingerere, & celeriter excernere cogitur. neq; necesse est semper quatuor suprà dicta symptomata caninam hanc appetentiam præcedere. Differt autem à βυλίμῳ nominibus permultis. Communior enim & generalior est eo: & quòd causam habet nō modò frigus internum, sed & humorem acidum (vt dicemus) in ipso ventriculi ore impactum. Bulimus autem ab externo tantum frigore fit. Præterea sine animi defectione canina est fames, nisi nimis diu vitium traxerit, & robur dissoluerit. Bulimus autē nihil aliud est, quàm animi defectus, vt sequenti capite ostendetur. Pars autem affecta in hac fame canina est os ipsum ventriculi: siquidem eiusdem propria est animalis appetentia, cuius scilicet gratia insigne par neruorum è sexta cerebri coniugatione ad ipsum defertur. vnde & ea pars exquisito sensu prædita est. Et quanquam in reliquas partes ad fundum vsque disseminatur, (ex quo fit vt similia symptomata plærunq; toti ipsi ventriculo communia sint) quia tamen maiorem violentiam inferunt quæ in ipsius ore contingunt, ori ipsi tribuuntur, cæteraque quæ in parte ventriculi inferiori aduenium, à medicis contemnuntur. Affectio verò ipsa in genere noxæ functionum animalium est, atq; adeò sensus ipsius tactus. Offensus enim est vēntriculus, & veluti diuulsus à causa præter naturam, & quia nō fert talem diuulsionem, quæ fit per immodicam suctionem, ad hanc vitiosam appetentiam excitatur. Ipsaque functio est deprauata, non diminuta. Causa eius continens ac perpetua est morsus oris ventriculi suctui consimilis. Morsus autem ab alijs pluribus causis irritatur. Fit enim ob intemperiem oris ventriculi frigidiorem: interdum propter humores frigidos ac vitiatos, quos ventriculi os exorbuit: quiq; erosionem inducunt, quæ suctioni proportione respondet, ciborumque appetentiam non aliter quàm naturale pathe-

Canina fames quid.

Pars affecta.

Quis affectus.

Causa.

ma excitant. Hi succi (vt alij exponunt) sunt pituitosi, vel melancholici, qui ventriculi tunicis coactis astrictisq; inanitionem perinde ac naturalis fames inuehunt. Atque succi non aliter quàm frigus Caninam appetentiam generant. Fit & ea nonnunquam à lumbricis cibum assumtum deuorantibus. A nimio item alui, aut mensium fluore. Quandoq; à potu aquæ frigidissimæ, refrigerato ore ventriculi, & cùm æger nutritur alimentis exigui nutrimenti, vt oleribus, vel ob longum vsum alimentorum detergentium, vt ficuum, gari, pituita scilicet ventriculi detersa. Accidit & aliàs propter totius corporis immodicam dissipationem, aut retentricis imbecillitatem. Nimia autem corporis dissolutio fit, vel à nimio calore, vel sudore superfluo. His consentiunt quæ ab alijs tradita sunt: Multoties excitari caninum appetitum post vacuationes, & febres diuturnas resoluentes, & aliquando ex debilitate retentricis facultatis in corpore, quandoq; propter caliditatẽ immoderatam in ore stomachi resoluentẽ, & à catarrho in ventriculum defluente. In hoc affectu plurium epularum desideriũ est, multumq; voratur, quodq; onere ventriculum grauat, iterum vomitu extruditur. Atq; sic leuatus homo vorare denuo noua cupiditate incipit, rursusque vt canis quod assumtum est, vomit: vt initio capitis iam diximus. Si ex frigida intẽperie hæc affectio orta est, egestiones multæ ex ventribus procedent: crudis existentibus nimirũ cibis & semicoctis. Frigida etiam intemperies cognoscitur ex grauitate, quam ex ciborũ assumtione sentiunt, & quòd calidis iuuantur, ac siti vacant. Si acidi fuerint succi, pituitosus quippe, vel melancholicus, aderunt simul cum his acidi ructus. (Acida pituita ventriculi os detersione & morsu ad appetendum vehementer cõmouet.) Aderunt & deiectiones copiosiores, quàm pro ratione alimentorum, ac liquidæ, quoniam venter ab acida pituita irritatur. Quandoq; etiam acidũ vomunt ægri. Si causa est immodica corporis digestio quæ à calore prouenit, neq; siti carent, neq; acidum humorem vomunt, & his magis astricta est aluus quàm citata, & ventris egestiones longè pauciores & siccriores, cùm ex totius vacuatione alimentũ in corpus deducatur. Corporis verò digestio si est ob retentricis in vni-

uersõ

uerso corpore facultatis infirmitatem, cibi minimè cocti excernuntur. Quare tales corruptionibus laborãt. Ex hoc affectu quidã perpetua vomitione, & velut consueta laborant. In alijs succedit Cœliaca, vel Dysenteria, vel aqua inter cutem: propterea quòd ante prioris cibi coctionem ingesto alio, cruditas vitari non potest. Sæpe etiam hoc vitium Bulimon, & altum soporem, & læuitatem intestinorum, & atrophiam, ipsamque necem intulit. Ea verò appetentia quæ ex immodica dissipatione ortum ducit, si priusquam ad summum peruenerit, eam cognoueris, nõ difficulter curabitur. Nam vbi quis duplum consuetorum alimentorum assumserit, ueq; corpus ali videatur, idq; citra alui fluorem; non solùm priuati, sed & medici parui pendunt hunc affectum. Cùm verò triplum ingerit, idoneis auxilijs liberari potest, priusquam ad quadruplũ vel quintuplum perueniat. Quare non prorsus parui facienda est hæc affectio. Porrò in curatione hæc spectanda sunt. Ægri qui hoc malo ab intemperie frigida, aut frigidis succis infestantur, aërem deligant ad calidum siccum declinãtem. Vitent immodicas vigilias. Imò somnus omni conatu alliciendus est. Corpus moderatè exerceant, redditis priùs natura vel arte excrementis. Inter affectus animi, timor ac mœstitia nocent maximè. Quod ad cibũ ac potum, in appetentia Canina summũ remedium est vinũ, non aũt cibi multitudo. Vinũ (inquam) flauũ, vel fuluũ absq; astrictione. Calefacit enim potenter, & citò nutrit, ideoq; famẽ auferre dicitur. Vnde qui prandium aut cœnam à potu inchoant, parum aut nihil comedunt. Quare potum præbebimus ante cibum multum ac aceruatim bibendum, calidum sanè aut certè tepidiorem. quanquã videtur sumi debere potus potiùs medijs epulis & postremis quàm primis, vt ventriculi orificium in quo malum hæret, suo calore afficiat, atq; roboret. Acidi omnes & astringentes cibi ac potus nocent. Sed cùm ad prandium acceditur, adferantur edulia pinguia & crassa, vt oleagina, & quæcunq; ex multo oleo parantur. Iura sorbeant valde pinguia carnis veruecinæ aut bubulæ: aut panem in eisdem madefactũ edant. Vtantur & carnibus suillis. Hæc enim primùm exaturant ipsos, & immodicam eorum appetentiam obtundunt: vt in

Prognostica.

Victus ratio.

posterum copiosiorem cibum nolint assumere. Inter sorbitiones quoque conueniunt pultes cum melle multo, aut oleo, aut butyro, aut adipe anserino, gallinaceo, suillo. Huiusmodi enim os ventriculi complanant. (Quanquam ex quorundã sententia his interdum vtimur initiò magis, cùm augere vomitũ volumus: aliâs verò non. Dicta enim vomitum proritant.) Cerebella conueniunt, & pinguiores voluerum partes ac piscium, vt magnarum anguillarum, earumque pinguium. Eodem modo & ex oleribus malua cum oleo multo elixa. Lac etiam prodest, in quibus noa acescit in ventriculo. In summa conferunt quæ appetentiam auertunt, & satietatem inducunt, & magno cumulo accepta modicè alunt. Ex ouis eligantur quæ coquendo sunt indurata, aut sartagine frixa. Panibus dum fermentantur, admiscentur acriora, & vrinam cientia, vt anisum, aut cum butyro & axungia pistantur. Imò in vino quod in potu sumunt, additur cuminum, anisum, petroselinon. Ad vinum quoque piper, quo ventriculi os calefiat, adijcitur, & mel, & spica nardi. Eorũ bellaria sint pistacia, amygdalæ, nuces pineæ, colymbades etiam oliuæ exhibeantur. Si his non cedat malum, cum cibis connectantur quæ dissecare & attenuare possunt: veluti allia, porrum, thymus, satureia, hyssopus, origanum, pulegium, & his similia. Sed quia nonnunquam fit consuetudo vomendi, nihilque retinent, ideoque corpus tabescit, modica quantitas alimenti semel exhibẽda est: quam etiamsi non retinet ventriculus, cucurbitula ventri affigẽda est, prope vmbilicum. Et dantur astringentia summis epulis, vt puluis digestiuus vulgo appellatus, & cydoniatum. Si victus ratio non satisfecerit vtendum ijs quæ crassum & frigidum humorem præparant & vacuant. Præparat oxymel simplex, vel scillinum. Purgat hiera, cui addi potest agaricus trochiscatus: & inde catapotia efformari possunt. Valent & ad robur ventriculi zingiber conditum, cortex citri conditus, nux moschata, aromaticum rosatum. Et ex his parantur opiatæ cum syrupo de mentha vel absinthio. Ad eundem vsum admouentur ventri fotus, linimenta, vnguenta, emplastra & scuta. Si humor acidus qui appetentiam excitat, melancholicus fuerit, à liene ad os ventriculi largior transmissus,

Medicamẽtorum ratio.

missus,qui os ventriculi immodicè cõtrahat & exugat,debet suo modo cõcoqui & vacuari. Si à vermib. affectus est, eis curatio adhibeatur. Si fames Canina ex immodica est dissipatione, abstineant à cõtinenti calido, à vini potu, ab ijs quæ sumta & admota calefaciũt. Qua de re & quies eis iniungatur,& somnus mediocris:omniaq; vigiliæ vitentur. Ab omnibus animi affectibus, præsertimque ab ira caueant. Cibi exhibeantur stabiles,& ægrè corruptibiles. Hi enim coctu difficilia faciliùs concoquunt: quandoquidem calor ipsis acris mordaxque est. Huiusmodi sunt pisces tenacis substantiæ, cochleæ, & totum genus testaceorum, si ex duarum aquarum decoctione apparentur. Carnes item bubulæ vel suillæ offerantur in vigore existentes, & pedes animalium elixi, vt arietis, porci, bouis, atque ventres eorundem. Sed quantum malum imminuitur, tantum ex cibis crassi succi detrahendum est, ne in aliud malum grauius transeat: néue sedata fame corpus crudis & crassis humoribus repleatur. Quocirca si propter magnam totius resolutionem accidit, aut quia æger vsus est alimentis detergentibus & vacuantibus immodicè, iubent alij potiùs vtendum esse optimis alimentis, vt vitellis ouorum, succo carnis, optimo & generoso vino, pane intincto in vino maluatico, vel hippocratico, vel muscatelino. In eadem causa cutis etiam densanda est lauacris frigidis, & inunctione ex oleis astringentibus, vt rosaceo, omphacino, myrtino: interdum alumine scisso in aceto acerrimo priùs trito. Tota etiam spina dorsi cærato santalino inungatur manè & vesperi. Præterea linteamina & subuculæ ægrotantis inspergantur puluere baccarum myrti & rosarum rubearum. Cauenda tamẽ sunt lauacra frigida, si corporis gracilitas, aut pars aliqua refrigerata prohibeat, vt thorax, vel alia quæuis pars. A balneis calidis abstineant. Illinire etiam cõuenit eorum cutem vnguento, quod Recipit succi plantaginis & semperuiui ana ʒ ß. santalorum rubrorum, sanguinis draconis, boli armenij ana ʒ iij. olei myrtini, rosarum, & citoniorum ana ʒ j. farinæ hordei ʒ ij. ouorum albuminis ʒ ß. aceti parum, cæræ q.s. Cæterùm videndum est, ne nimio vsu horum quæ refrigerant & appetentiam obtundunt, in κένωσιν, aut ciborum omnimo-

dam auertsionem deducantur. Quare cùm meliùs habere incipiunt, pinguia & coctu difficilia moderanda sunt.

De Bulimo. CAP. III.

βοῦ quid significat.

QVÆ Latinis est ingens fames seu esutitio, Græcis βούλιμος appellatur: eaque vox ἀπὸ τοῦ βοῦ, καὶ λιμοῦ deducitur. βοῦ autem apud Plutarchum idem quod πολὺ significat, quasi βούλιμος sit multa fames. Alijs δὲ magnitudinem denotat: & alijs vocib. adiecta hæc particula earum significationem auget. Vnde βούλιμος quibusdam magna fames dicitur, quæ bouis magnitudini confertur. Idem malum

φαγέδαινα. Græcis etiã φαγέδαινα nominatur. Tametsi Phagedænæ nomen κατὰ χρησικῶς etiam pro Canina appetentia vsurpatur. Nomen autem Bulimi propriè non est id quod sonat, ingens fames scilicet: quia quanuis ea in principio adsit, paulò post tamen nulla est, ac in totum languente ventriculo, & extincto penè eius calore, aboletur. Describitur

βούλιμος quid. enim à Galeno βούλιμος labefactatio & casus appetentiæ à frigiditate exteriore, ex indigentia totius corporis & imbecillitate stomachi, qui refrigeratus nimiùm & resiccatus est. Inchoauit enim à fame, sed eam non amplius habet adiunctam. Qua quidem nota Bulimus à Canina appetẽtia distinguitur: præterquam quòd vnicam causam habet, frigus externũ videlicet. Bulimus etiam magis specialis, particularisq; est: Canina verò appetentia generalior, vniuersaliorq;, cùm Bulimi causæ possint Caninam appetentiam mouere, & è contrario causæ appetentiæ Caninæ non sint etiã causæ Bulimi. Adde quòd appetentia Canina est cum

Pars affecta. vomitu, à quo Bulimus destituitur. In hac affectione os vẽtriculi affectum est, vt ex eius imbecillitate, nec non refrigeratione manifestum esse potest. Affectio verò ipsa symptoma est in genere noxæ functionum, & propriè ipsius

Affectus. appetentiæ deprauatæ. Idemq; symptoma, seu fames ingens, est cum virium imbecillitate. Oritur ex refrigeratione oris ventriculi, quæ ferè ab externo frigore ortum ducit: eamq; affectionem peregrinationes per niuem factæ inducunt. Perseuerat toto morbo ea refrigeratio, quę sicut

Causa. initiò famem inducit, ita non multò pòst summum fastidium,

dium, summamque inappetentiam gignit, cum tanta stomachi imbecillitate, vt animi defectus, viriumq; exolutiones crebræ incidãt: vnde eam affectionem definiunt quidam exolutionem oris ventriculi, ab eius refrigeratione, indigentia, & imbecillitate profectam. Quanquam verò frigiditas iuncta siccitati plærisq; ferè omnibus causa Bulimi censeatur, quidam tamen fuere, (vt Trallianus) qui nasci etiam quandoq; putarunt ex calore nimio ad interna coacto, cum imbecillitate stomachi: vnde nisi alimentum immodicè assumant ægri, animo deficiũt. Quam sententiam inter recẽtiores confirmat quidam, qui vtrumq; Bulimou se vidisse testatur, & ex refrigeratione, & in febrientibus atq; alijs ob nimiam caliditatem celeriter excitatum, sed breui admodum cum animi deliquio cessantem. Suidas fieri ait hieme iter agentibus per summum frigus & niues, cùm corpore densato intrò pulsus calor alimentum depascitur. Liquatis niuibus, & calore aëris redeunte, exiguum calorem soluit: ita ægros hoc morbo corripi. Alia item eius est species, cùm acris & mordax humor inhæsit tunicis ventriculi, vt nulla sit iam appetentia, atq; ita contabescat corpus. Rursus frequentissimus est Bulimus his qui conualescũt, magis etiam si morbus est longior. In libro de Theriaca Galenus meminit alterius speciei à latis vermibus & prægrandibus, qui chylũ depascuntur. Sed hęc ab alijs ad Caninã appetentiã refertur. Si enim nascitur in intestinis latus vermis, ijs si diutius ieiunium est, lancinat intestinũ, & ventrem, atq; vbi cibus ingestus est, exugit ac depascitur: ex quo destitutum corpus alimento marcescit.

Signa.

Dignoscitur Bulimus, quoniam in principio multa fames adest, quæ non vsq; adeò perdurat: nam postea animo linquuntur, vt dictum est. Aucta enim oris ventriculi refrigeratione immodicè propter eius exactũ sensum ac rationem viciniæ, eã ipsi cordi impertitur, ipsumq; valde refrigerãs, non absre causa est, vt animi deliquiũ accidat. Proinde & Bulimus inter causas Syncopes à Galeno ad Glauc. annumeratur. Itaq; in Bulimo primùm ægri instanter cibos expostulãt, paulò post appetẽtia destituũtur, & nisi celerrimè subueniatur, animo deficiunt. Præterea decolores sunt, torquẽtur stomacho, refrigerãtur corde, & extremis partibus,

pulsusque admodum obscuros habent. Si facies intumescit eisdem, si albicat, & siti vacant, frigoris occasione id fit. Si sitiant, æstuent, & extenuentur, à calore procedit. Tum enim membra validè trahunt à ventriculo: sentit quoque ventriculus suctionem, à qua vehemẽs excitatur appetentia. Statim verò animo linquuntur, atque sensu suctionis priuantur ac perinde fame: sed non longè pòst reuocato laborante, ac sensu reuiuiscente, ciborum appetentia redit. In Bulimo post famem quæ non immoratur, cùm animus defecit, simulq; concidit spiritus, & extrema iam refrigescunt, mors in proximo est. In locis desertis per itinera, aut in balneo multi hoc malo correpti, ex instanti perierunt, auxilij facultate destituti. Quapropter auxilia confestim adhibenda sunt. Rarus est Bulimus hic, vt & qui à lato verme nascitur. Quod reliquum est, sanatio contrarijs perficienda est, calidis & humidis tum cibis, tum alimẽtis. Qui igitur in vijs ex ingenti fame animo linquuntur, statim reficiendi sunt odoramentis aceti aut pulegij, malorum, pyrorum. Et insuper panem odorandum dabimus, præsertim si recens fuerit, & ingerere ipsum cogemus. (Panis recens odorem ex se mittit.) Conuenit & odor carnium assarum veruecinæ, porcinæ, aut capi. Vel mica panis vino odorato madefacta, naribus admouenda. Et laborandum est, vt eam deglutiat, ore aperto, & diductis maxillis. Caseus etiam boni odoris est offerẽdus: & in vniuersum omne quod valde nutrit, & potissimùm ea quæ odorem nidorosum ac probè conditum habent. Per huiusmodi odores ægri refocillantur. Extremæ partes fascijs constringantur, manuumque ac pedum summitates calidæ aquæ imponendæ: ipsiq; tum capillorum & aurium vellicatione excitandi. Reuocatis ab exolutione panem ex vino diluto, aut aliud quidpiam afferemus assumendum, vt sunt oua sorbilia, alica cũ aceto, bulbi, cochleæ, aromatica. In Bulimo alimẽta oportet esse duriora & tardiora ad coctionẽ, & quæ sint pipere alijsque aromatibus condita. Imò in ipsa etiam accessione licet nutrire, & cibare. Et si cibum assumere non possunt, ori indere oportet violenter, cogereque vt deglutiant. Ad frigidam intemperiem valet etiam mica panis in succo carnis, & polenta cum melle, caro pulli elixa

Prognostica.

Curatio.

elixa cum mentha, ciceribus, & petroselino. Potus sit vinum fuluum, aut flauum, odorum. Et in his longior cibi dilatio vitanda est ac inedia, & nec alternis diebus tantùm, verùm solerti ratiocinatione facta, singulis horis simplicissimum, modicumque cibum dabimus. Conferunt & odorata antidota, vt diambræ, dianthon, diamoschi, alipta moschata, & id genus alia. Superest aliud attendendum in ijs qui per frigora & niues, morbum cõtraxerunt: ne subita fiat mutatio, subitò multùm calefaciendo, quia sic calor exiguus & languidus dissoluitur, aut subitò nutriendo suffocantur. Calida existente intemperie citra febrem, vbi ad se redierint, carnes exhibebimus caporum assas, aut gallinarum, aut pauonum indorum. Bibant vinum valde dilutum. Ventriculo adponatur emplastrum ex palmulis, & cotoneis elixis: & cum oleo melino, ac vino. In febribus si contingit, & est in remissione, intrepidè cibi offerẽdi sunt. Si in principio, aut in vigore apparuerit, quod odoramenta eos reuocabimus pane calido. Frictio tunc adhibeatur, & cataplasma ex palmulis aut malis cotoneis applicetur. Atque vsque ad remissionem facere oportet, vt opportunè cibum offeramus. Quanuis cibus datur in principio, incremento, vigore exacerbationum, potissimùm calidis siccis: quibus stomachus fuerit imbecillus. De qua re sic alij, quando fames hæc in febrium accessionib. fit, in principio ipsarum solis odoribus aromatum, vt diambræ, & aromatici rosati, cum vino & odore panis aut carnis assæ sunt reuocandi, quoad fieri possit, vsque ad vigorem. Si neque per hæc reficiantur, sorbitiones sunt offerendæ: vt mica panis liquata in iure pulli. Vinum etiam bibent, & in accessionum declinationibus liberaliùs vti licebit, & alis auium elixis, & pedibus hœdorum & arietum. Sed his quę dicta sunt addi potest, quòd recentiores in materia calida præparant materiam cum vino punicorum, & oxysaccharo simplici: ac purgant rhabarbaro, manna. In causa frigida seu ab humore acido, dant acetum scillinum, & materiam purgant hiera cum decocto myrobalanorum Kebularum, & Emblicarum. Iuxta illos opitulatur etiam balneum in occasione calida, ex decocto rosarum, myrtillorum, scariolæ: & à balneo illinitur venter cum toto corpo-

Ex neotericis adiuncta.

re ex oleo rosaceo & myrtino. Euacuationem tentare oportet in Bulimo maiore cautela, quàm in appetentia Canina, ne in animi deliquium incidant.

De Citta seu Pica, vel Malacia.

CAPVT IIII.

DE appetentia deprauata, sed quæ in quantitate modum superat, hactenus. Iam ad eam quæ qualitate ipsa vitiata est, transeamus. κίττα Græcis dicta est hæc affectio, à Pica auicula, quę varia est, nec sibi concolor, sed plumas & pennas alias candido, alias nigro colore præfert. Ex Latinis tamen quidam κίτταν verterunt Picationem potiùs, quàm Picam. Et Plinius grauidarum Malaciam appellauit. Alij autem Picam dictam autumant, quoniã hæc auis in eam incidit affectionem: vel quoniam vti hæc auis diuersis arboribus inseritur, ita qui hoc symptomate laborant, diuersa ciborum genera appetunt. Quidam ἀπὸ τῆς κιττῆς deducunt, id est ab hedera, quæ vt se implicat varijs plantis, ita mulieres Citta laborantes varia cibaria appetunt: atque ea contraria, quæ tum voluptatem, tum insuauitatem gustanti exhibent. Quanuis non perpetuò quæ appetuntur, cibaria dici possint: si quis accuratè vocibus vti velit. Describitur autem Pica seu Malacia, stomachi languor cum nausea & auersione ciborum, bilis ac pituitę vomitum inducens. Vel est concupiscentia quædam vitiosarum qualitatum ciborum. Nam varia appetunt, sed in primis acida, acerba, atque acria, & aliquando carnes crudas, testas, extinctos carbones, gypsum, salem, acetum, pannos veteres, putria coria, & alia à natura abhorrentia: quæ insanis non appetuntur, aut condimenti ratione tantùm. Quòd os ventriculi afficiatur, notum est ex noxa appetẽtiæ, quæ eius propria est. Et symptoma est, nempe actio læsa, eaque animalis facultatis, quæ aberrat, cùm non cibos, sed prauas qualitates appetit. Sequitur autem prauam eiusdem oris ventriculi intemperiem, cùm eius tunicæ prauo aliquo excremento fuerint imbutæ, ideoque mulierculis vitioso humore repletis accidit, maximè cùm vtero gerunt. Quin etiam Pica seu corrupta appetentia

Nominum ratio.

Pica quid.

Pars affecta.

Affectus.

Causa.

puellis

puellis cachexia laborantib. ob menſium aut ſeminis retentionē prouenit: vel corruptis humoribus in ventriculo, vt hominibus accidit melancholia laborantibus, aut alijs morbis, qui ab atra bile, aut diuerſis humoribus fiūt. Nam ferè euenit, vt ventriculus ſimilia humoribus in ſe cōtentis appetat. vt ſi atra bilis in ventriculo effuſa ſit, eaq; non vſta, acida appetunt: vt ſolent vtero gerentes. Sin vſta, carbones, cineres, & alia ſicca appetūt, & illis delectantur. Qui ſalſos humores habent, ſalſa. Inſunt autem vtero gerentibus copioſi humores, & in quibus menſes fuere detenti, & nonnullis pueris ab infantia in conſuetudine fuit terram edere. Viſi etiam ſunt ſenes eo malo laborātes. Aliter ſcripſere alij, quòd quemadmodum ſanus ventriculus appetit ſimilia, ita præter naturā habens appetit contraria. Ac perinde putandum prauos ſuccos in ore ventriculi contentos ventriculum commouere ad appetenda contraria, & quæ poſſunt nonnihil prodeſſe ad eorundem corruptionem emendandam. Sed priorum ſententiam cōfirmarunt quidam, qui dixere tunicas oris ventriculi humore vel excremento oblitas eſſe, cuius longa conſuetudine ſimilia appetuntur, cùm quidam ſint ijs recreati, nulla ventriculi aut viſcerum offenſione, niſi cùm ingēs & vitioſum id malum eſt. Quidam cauſam huius affectionis referunt ad cruditatem & corruptionē in toto corpore, quæ ori ventriculi cōmunicatur, atq; ita os ventriculi per cōſenſum affici volunt. Apparent taliter affectis aſſiduæ expuitiones, oris vētriculi morſus, & anxietates: & pro varietate vitioſi humoris, prædicta varia & peregrina edulia appetunt. Propterea non indigent alio ſigno pro eorum dignotione. Accidit vtero gerentibus Malacia ferè circa quadrageſimū diem à conceptu, & ſæpe ad quartum vſque menſem durat. In quarto ceſſat, partim quòd vomitione vitiati humores expurgantur: partim quòd concoquuntur, vt pote exiguum cibi tum ſumente muliere ob faſtidium, partim etiā quòd multitudo vacuatione ſit diminuta. Quippe primis duobus menſibus fœtus paucum ad ſe ſanguinem attrahit, eo quod parum adhuc auctus ſit: vbi verò iam creuit, tunc plurimo indiget alimento. Atque tunc non modò id quod optimum eſt allicit è venis, verùm etiam quia

Signa.

Prognoſtica.

maiorem alimenti copiam requirit, aliquid vitiosi simul attrahit: atque ita fit, vt vniuersum corpus plenum esse desinat, minorique humorum vitio crucietur. Quæ ex Galeno ab alijs collecta sunt, sed hîc tanquam vtilia prætermitti non debuerunt. In viris quoque similis affectus non est despiciendus, cùm humor aliquis vitiatus ad os ventris delapsus fuerit. Victus ratio instituenda est pro ratione humoris vitiosi ac redundantis. Cunctis commune est, vt cibis vtantur qui facilè non corrumpantur, ne hoc malum adferant. Panis succo citoniorum aut malorum punicorum maceratus confert: similiter & cichorium. Alimenta sint carnes pullorum, aut perdicum, aut gallinarum elixarum cum ciceribus & petroselino. Vitabũt pinguia, & carnes saginatas, & valde dulcia. Conueniunt pedes, rostra, & ventriculi porcorum (iuxta Aëtium) & erinacei marini recentes. Sint tamen omnia quantitate moderata: & si cibos auersentur, obsoniorum varietate & iucunditate illectentur. Si quid ardenter desiderent, etiamsi non conueniat, non denegetur. Ijs qui terram appetunt, nil ita prodest, vt amylum recens. Cunctis cõfert ante cibum oliuas muria conditas cum pane molli exhibere, vel septem amygdalas amaras. Post cibum vuæ passæ, mala punica, & pyra concedantur. Potus sit paucus (ne alimenta in ventriculo supernatent) isq; sit vinum fuluum, odoratum, astringens: vel loco vini, bibant decoctum cinnamomi, vel anisi, vel fœniculi. Exercitatio etiam illis prodest, quam ferre possint. Humor ex quo fit Pica, serosus potiùs est, quàm crassus. Ob id detergentia magis conueniunt, quàm fortiter laxantia. Vomitus à cibo frequens iuuat. Itaque si stomachus ab acri, aut acido, aut salso humore mordetur, aquam tepidam bibant, vt vomitu humor affligens remouatur. Et si vomitus est difficilior, addatur acetum, vel syrupus acetosus. Vel si crassius est id quod euomitur, & ob viscositatem difficulter excernitur, raphani decoctũ cum mulso detur. Nam omni studio conandum est, vt infestus humor vomitu vacuetur: præsertim in vtero gerentibus, in quibus à medicamento cauendum: vt pote cùm hic affectus primis mensibus oriatur. Non tamen ad vomitum valde cogendæ sunt, ne concussione ventris abortiant.

Victus lex.

Reliqua curatio per medicamenta.

Quòd

Quòd si debita victus lege intra quartum à conceptione mensem non liberentur, aut interim ægrè ferant symptoma, præparetur humor vt dictum est, & purgētur clementer cassia, tamarindis, sero lactis, folliculis sennæ, & cōsimilibus. Nam elateria vitanda sunt, ne quid incommodi afferant fœtui. Deinde castigetur ventriculi intemperies contracta ex recrementis. Et vacuato plurimo humore vitioso, exhibendus eis mali punici dulcis succus: mentha sicca inspersa: item portulacæ cremor, & ipsa quoque in cibo sumpta, polygoni decoctum potum confert. Forinsecus adhibita languido stomacho prosunt œnanthe, balaustiū, rosæ, cytini, myrtus, fœniculi semē cum vino cataplasmatis modo adhibita, addita galla, aut cumino, aut absinthio. Palmularum carnes vino coctas aut maceratas, tritas pro emplastro imponere prodest. Aut mala cotonea cum posca trita, rosaceo vel nardino cærato excepta, addito croco. Aut lanam succidam, vel linteolum vino & oleo, aut aceto & oleo, vel rosaceo & aceto, aut nardino & vino imbuito, & stomacho adhibeto. morsus enim & stomachi puncturas mitigant. In ijs in quibus menses subsistunt, secetur vena interior malleoli. detur decoctum radicum apij, fœniculi, asparagi. Purgentur hiera picra, vel diacolocynthidos. Deniq; menses prouocentur. In viris si per vomitum purgari nequeant, humor apparetur oxymelite simplici, vel scillino: & vacuetur hiera, atque ipso rhabarbaro, seu agarico, pro redundante succo. A purgatione exhibeatur eis pulvis ex cymini, ammeos, maceris, carpesiorū ana drachma vna. Accipiant drachmam semis, cum vino albo parum austero. In huius affectus curatione in primis admonendi sunt, & coercendi adultiores. Pueri verò obiurgandi, & flagris cædendi.

De cibi fastidio, & auersione seu inappetentia.

CAPVT V.

ANOPEXI'A, ἀσιτία, ἀποσιτία, καὶ ἀποστροφὴ σιτίων, apud Græcos inappetentiam significant, affectionē appetentiæ Caninæ contrariam. Quanquam ἄσιτοι proprie dicuntur, qui appetentia carentes cibos non sumunt: ἄσιτοι. ἀπόσιτοι.

ἀπόσιτοι, qui oblatos fastidiunt, vel ἄσιτοι sunt qui nec appetunt quicquam, nec transglutiunt. ἀπόσιτοι verò qui etiamsi auersentur cibos, aliquid tamen quasi coacti ingerunt. Interdum ἀσιτία καὶ ἀποσιτία permiscentur. In eo affectu præcipuè os ventriculi laborat: vt liquet ex propriæ actionis læsione. Nedum verò oblæsa est & imminuta, sed & omnino abolita appetentia: quanuis & ex imminutis causis appetentia quoq; exigua fit. ἀνορεξία primò afficitur ventriculus, cum crudo humore scatet, aut quadã alimenti corruptela opprimitur, aut cibum adhuc incoctum continet. Interdum per consensum offenditur, vt à defluxione à cerebro, aut copia in venis aceruata, ex qua tenue serum in ventriculum confluit, aut validè affecto hepate. Propterea symptoma est in genere noxæ functionis animalis & propriè ipsius appetentiæ ablatæ, vt diximus. Sequitur autem id symptomatis deperditionem sensus suctionis venarum (quem famem naturalem ipsius ventriculi appellant) aut quòd exuctio non fiat, aut quòd corpus non euacuetur. Quas causas præcedunt aliæ duæ, ventriculi intemperies, & humorum abundantia. Nam si humorum adsit redundantia, vtiq; inanitio non fiet, potissimùm si nedum in ore ventriculi, sed & in venis, & in vniuerso corpore fuerit, quia ventriculus vtili multo perfusus humore, alium respuit. Si vitiosa quapiam intemperie laborarit vẽtriculus, siue cum humore, siue absq; eodem: aut ventriculus non sentiet suctionem, aut ea non fiet. Et si talis fuerit intemperies, vt omnino sensus ipsius oris destruatur, vtiq; suctionem non sentit: idq; fieri potest, aut eo primariò affecto, aut per cõsensum cerebri, seu sextæ coniugationis neruorum. Similiter & suctio non fiet, aut cùm nõ adsit dissipatio, aut quòd reliquę partes propter earum imbecillitatem non sugant, etiamsi inanitio fiat. Contingit sæpe ventriculi debilitatẽ relinqui in conualescentib. morbo acuto aut longo superato, aliquando quidẽ tantam vt neq; assumat alimentum, aut assumptum nõ elaboret, estq; indiciũ reliquias morbi relictas esse in causa, quòd suctionis sensum non percipiat. Aliàs quoq; accidit quod suctionis sensum percipiat quidem, quæ à membris extenuatis ipsius corporis fit, eaq; nõ alimentum expetit, elaborare tamen assumptũ non potest ob debi-

Pars affecta.

Quis affectus præter naturam. Causa.

ob debilitatem relictam. Calor autē inter potissimas causas quibus fames impeditur, numeratur, quia laxando solida corpora dissoluit, & ad attractionem imbecilliora reddit, humida verò fundendo ac liquando supra modum extendit. Ita ob nimiam ventriculi caliditatem laxatur ipsius os: ob idque calidus ventriculus minùs appetit. Tametsi quoq; frigida intemperies immodica, interdū potest excitare fastidium, quia vires deijcit. Idem obtingit, quum os ventriculi pingui adipe, aut humore, aut aliter vitioso obtunditur. Aut suctio non fit propter venarum & iecoris obstructionem. Humor item bilioſus os ventriculi occupās, fastidium affert. Idemque in febribus contingit, vt in synochis non putridis, quibus ob sanguinis redundantiam tractiones nō fiunt. Si putredo adfuerit, prauos ac putrentes succos membra abhorrent. Non igitur eosdem trahent à ventriculo. Præterea in ventriculi, iociaoris, vteri inflammationibus ob plenitudinem, & caloré appetentia prosternitur. In vlceríb. quoq; ob morsum, dolorē, & irritationem, commotus ventriculus ad excretionem, ad se trahere non appetet. Eadem affectio consequitur fluxum ventris bilioſum, acrem, & porraceum, ob pharmaci potionem, & ob sanguinis immoderatam detractionem, & colicos dolores, & plerosq; affectus alios. Accidit & inappetentia, quia recrementa defluunt in ventriculum: vt quando pituita à cerebro in eum descendit, & excrementa sunt spumosa. Aliqui cibos non appetunt, quia priusquam esuriant, iusculà aut alimenta assumunt. Deijcitur & appetentia ob relictum exercitium, aut quia pauca fit resolutio vel nulla, vt in multis obesis, & in his qui venere vti consueuerunt, ab eaque abstinent. Causas ἀνορεξίας quidam sic depingit: Eius tot sunt causæ quot famis minima inanitio: vt in frigido sicco habitu senum, languidus venarum succus, vt resoluta vel imbecilla facultate hepatis & partium naturalium, laxatio ventriculi ab humore in ipsum effuso, extinctus suctionis sensus in ore ventriculi, vt in moribundis & deprauatus animalis appetitus vt in phreniticis. Quādo appetitus labes sequitur vētriculi intemperiem, calidam quidem testantur sitis & ardor, ructus nidorulenti, si cibus præter voluntatem sit assumptus. *Signa.*

Item frigida coctuque difficilia concoquunt. Frigida verò existente intemperie, nec sitis adest, neq; frigida sustinent, & acida eructant. Quando cum humore consistit, si biliosus est, ventriculi morsu torquentur, nausea & siti magis conficiuntur, nonnunquam succedit vomitus bilis, & oris amaritudo. Quibus humores putruerunt, ij etiam interdū febricitant. Quibus crassi lentique humores adsunt, ij nec rosiones, nec sitim experiuntur, adest grauitas, & communiter omnibus superuenit nausea, si in ventriculi sinus humores se receperint, & ex his vomitus erumpit. Si infarcti sint tunicis, nausea tantùm premuntur. Immodica humorum corporis plenitudo, præsertim humorum crudorum inanitionem prohibens, vt in vrsis & alijs latentibus animalibus maximè hyeme, non difficulter dignoscitur: similiter si propter cutis densitatem, aut otiosam vitam impedita est inanitio, & per consequens inappetentia excitata est. At si calidi fuerint vitiosi succi, totum corpus occupantes, rigor aderit, & febris cum cibi fastidio. Perniciosissimum est vbi sic abhorrent à cibo ægri, vt nihil appetant, & immissa in os non transglutiant sed statim reijciant: alij minore malo à quibusdam cibis abhorrēt, alios appetunt. Quidam desiderant, sed ad oblata statim nauseant. Si iuxta principium morborum, aut iuxta vigorem, cùm vires adhuc sustinere possunt, accesserit inappetentia, nihil molestiarum infert. Modico enim alimento tunc opus habēt. Si in declinatione totius morbi appetitus perditio accedat, aut in diuturna imbecillitate, aut ex immodica vacuatione, periculo nō vacat. Cibi fastidiū recidiuam nuntiat. Inclinante vitio paulatim elanguescit vis appetēdi, vt tandē nec quid appetāt nec deglutiant. Contra progrediente morbo ad salutē, vis illa paulatim reuiuiscit. Incommodè pueri hoc malo afficiūtur, vt pote natura voraces. Magnus enim excessus significatur, si pueri sint affecti. Omnes qui malè se habēt, circa initia comedentes, nec quicquā proficiunt, ad postremum nil appetunt. Qui circa initia cibum fastidiunt, postea bene appetentes sunt, hi in melius euadunt. Optimum signum est in omnibus morbis bene se ægros habere ad ea quæ offeruntur. Cibum auersari cœpisse per longos morbos, & post eos, malum est: quando

Prognostica.

ex his

ex his facultatum naturalium est deiectio: itemq; post cibi cupiditatem, fastidio affici. Nullum leue malum timeri potest in longa appetentiæ deiectione, maximè si à frigore vitium contractum est. Si itaque intemperies est calida ventriculi, refrigerans victus præscribatur. Aër frigidus in primis eligatur. Si quidem aëris frigidi inspiratio multum confert ad excitandam appetentiam, vt & ablutio corporis, & frequens indusiorum mutatio. Moderatus somnus, & quies præcipiantur. Aluus quotidie lenis sit. Iram, anxietates, & reliquas perturbationes immodicas vitent. Cibi refrigerantes exhibeantur, & cum aceto parati, vt lactuca, & cichorium ex aceto conueniunt. Oua sorbilia, gallorum testes, ex volucribus non graueolentes, & montanæ præbeantur, quò sufficiens alimentum corpori offeratur. Et pedes suilli in decoctione eliquati. Cætera alimenta sint poma austera, & pyra talia assa, nec non carnes assæ: deinde aspersò succo arantij aut limonis: & diuersæ carnium præparationes, cum succo vuæ acerbæ, aut cum aceto. Gustent & aliqua salsa, vt oliuas. Cibi apparentur plures & varij, ac optimo apparatu, & vltra dulcedinem allicientes, appetitum irritantes, multi alimenti. Nidores autē ciborum, & odores replent. Quare in appetentia canina conuenit magis. Quæ exhibentur sint eiusmodi, vt facilè deuorari possint. Nam quæ multa commanducatione indigent, appetentiam euertunt. Posca potui detur. Similiter & aqua per se frigida, si moderatè bibatur confert. Nam immoderatus refrigerantium vsus insanabilem morbum efficit. Vel potus sit vinum album modicè astringens, sed abundè dilutum. In primis autem curandum est, vt per odoramenta appetitum reuocemus. quale hoc est: Recipe aquæ rosarum vncias quatuor, aceti vini albi vnciam vnam, santalorum omnium drachmas duas. Extrinsecus foueatur stomachus, & calida intemperies alteretur, rosaceo, melino, & similibus. Quo etiam tempore moderata corporis frictione, atque etiam pedum & manuum palpitatione ac contrectatione accuratiore vtendum est. Saccellos quoque parare expedit ex rosis, violis, corallis, santalis. Si adsint & bilioſi humores, reijciantur per vomitum ex tepida cum aceto mulso, vel syrupo acetoso: de-

Victus ratio.

Medicamenta.

inde digitorum aut pennæ immissione. Sed priùs dentur humectantia, velut ptisanæ cremor, vel ouorum lutea: deinexiguo interposito tempore vomitus prouocetur. Si ægrè vomuerit æger, præstat materiam ad ventrem deducere, temperato alimento humectatam. Sitque medicamentum quod stomachum non offendit, aut calidam intemperiem non auget: vt cassia, rhabarbarum, hiera picra, pilulæ de hiera simplici, vbi humor fibris ventriculi adhæret. Fastidium enim habentibus molestæ sunt purgationes. Intemperies relicta post humorum vacuationem his emendatur, quæ præter quàm quòd sunt frigida, ventriculo etiam sunt accommodata: vt miua citoniorum, syrupus de succo vuæ acerbæ, & eiusmodi alij. Si ob frigiditatem cibos fastidiunt, contrarijs medendi sunt cibis & medicamẽtis. Inter cibos commendantur ius columbæ, vuæ passæ, quæ stomacho sunt gratæ, contemperantque maligna & cruda, concoquunt, & præter quàm quòd nõ corrumpuntur, nutriunt. Si pituita in causa est, optimum est illis dare acida, sed cum detergentibus, vt salsa. Nam quæ præter dulcedinem detergent, satiant & inflant: vnde non prosunt huic affectui, nisi multum aceti addatur, vt parum dulcia videantur. Vtantur garo, capparibus fœniculo marino conditis, salitis. Dentur pisces salsi, non pingues, ex aceto. Allia item cibi & medicamenti ratione conueniunt. Diuersa sint condimenta, & præparationes carnium cum caryophyllis, pipere, cinnamomo, aniso, & melle cum pauco aceto immixto ad alliciendum appetitum. Pro potu vinum vetus & conditum confert. Et decoctum cinnamomi, aut piperis ex aqua calida communi cõducit. Hîc quoque odoramenta naribus admota cibi appetentiam excitant: sintq; odores qui ex alimentis exhalant, vt odor mali cotonei, odor panis recentis, carnis elixæ cum petroselino, & mentha: odor etiam alimentorum cum aromatibus paratorum. Si aliquis cibus gratus fuerit, non decet in eius vsu modum excedere, ne nouum afferat fastidij genus. Neque erit à ratione alienum cibos non adeò laudabiles eis exhibere, appetitus reuocandi gratia. Parum enim deterior cibus & potus, &c. Medicamentum verò diatrion pipereon confert, aut diacalaminthes dictum

& ijs quotidie vtendum. Prodest & dioſpoliticon & theriaca: quæ cum ſtomacho ſit vtilis, maligna etiam contemperat. Conducit & abſinthij ſuccus, vel ſyrupus eiuſdem, ſyrupus de mentha. Et quibus refrigeratus eſt ventriculus, medicamenta ſint ex pipere & zingibere confecta. Prodeſt & quod paratur ex cotoneis, & recipit vnà piper, myrrham, crocum, aut pulegium. Extrinſecus roborat ſtomachum, vel inunctio ex oleo de abſinthio, aut oleo de mentha, nardino: vel ſacculus ex mentha, corticibus citri, ligno aloës, cinnamomo, macere, galanga. Emplaſtrum quoque ex aloë, pahnulis, maſtiche, cinnamomo, vino, & cæra. Si nedum ex intemperie, ſed lentis etiam humoribus cibi faſtidium ortum fuerit, eos attenuare, incidere, & abſtergere oportet. Quare præparentur humores aceto multo, aut ſyrupo de quinque radicibus cum aceto. Dein purgentur picra, quæ acrimonia & calore ſuo craſſos & lentos ſuccos diſſecat. Ea autem ſingulis ſeptem vel decem diebus exhibenda eſt ad ʒj ß. aut ʒ ij. ʒ iij. His etiam dandum diatrium pipereon, & reliqua paulò antè commemorata. His quoque prodeſt vomitus ex oxymelite. Vtendum & exercitijs valentiſſimis. Digitorum immiſſione ſtomachus turbatus ſæpe ad excipiendos cibos eſt conuerſus. ἀποσιτία prohibet ſectionem venæ, cum eſt à crudis humoribus. remoratur cum cibus eſt incoctus aut corruptus. Si ex virium imbecillitate appetitus deperditio contingat, conſiderandum qualis intemperies vires exoluat, & ea per contraria eſt corrigenda. Si eadem accidat, propterea quòd ſuctio non ſentitur, cerebro aut neruis ſtomacho diſtributis proſpiciendum eſt, & cognita cauſa ea auferenda eſt. Si propterea quòd corpus plenum eſt, appetitus proſtratio eſt, idem vacuandum pro varietate redundantis ſucci: quo caſu valentes frictiones conferunt. Vtendum balneis ac frictionibus ijs quæ cutem rarefaciunt, vbi ex cutis denſitate eadem inanitio non fiat. Quibus ob derelictum exercitium, aut venerem intermiſſam perijt appetentia, exerceant ſe, & moderata venere vtantur. Si ob alicuius viſceris inflammationem aut obturationem eadem accidit, illius curam

habere conuenit. Si ex vlcere in ſtomacho, aut ventriculo orta eſt inappetentia, (Eius notæ ſunt vomitus ſanguinis, vel puris, vel etiam ramentorum) ab omnibus acribus cibis & potionibus abſtineant, vtanturque medicamentis quæ leniunt, puta ſorbitionibus ex oleo, tum ex ijs quæ ex amylo, terra lemnia, & lacte, vel quæ melle pauciſſimo conficiuntur. Extra verò è palmulis & citoniorum carne & polenta epithema admouebis, vel cæratum ex melino vel roſaceo, cum ammoniaco & thure. Hæc ab alijs iam ferè collecta ex Aëtio, Paulo, Alexandro, ad hunc etiam locum pertinere viſa ſunt, tanquam vtilitatis plurimum tyrunculis allatura.

De Siti immoderata. CAP. VI.

HACTENVS de ſymptomatis quæ circa ciborum appetentiam eueniunt. Quoniam verò ijs non diſſimilia contingunt circa potionis deſiderium, ſeu ſitim, de ijs quoq; par eſt hoc loco pertractare. Sitis igitur δίψα Græcis nominata, frigidi humidiq́ue appetentia eſt. Eaque duplex ſtatuitur; naturalis, & animalis. Naturalis, quæ naturali inclinatione frigidam humidam ſubſtãtiam expoſcit, in locum ſubſtantiæ diſſipatæ: non aliter quàm ciborum appetentia calidam ſiccam deſiderat. Animalis autẽ cùm ventriculus exugi ſe ſentiens potum deſiderat. Adiunctus enim eſt triſtis ſenſus qualitatis, quæ in ore ventriculi imprimitur. Symptomata verò quæ circa hanc contingunt, varia ſunt. Aliquando enim eſt priuatio ſitis, cùm propter exceſſum humoris & frigoris, potum penitus non expetit: vel ventriculus affectionem ſuam non ſentit. Aliquando verò minor eſt, quàm deceat, ſitis, cùm eadem remiſſiora ſunt. Aliquando vitioſa ad proportionem cum ea appetentia quæ vitioſum alimentum expetit: aliàs quidem immodicè potum appetens. In hoc ſymptomate perpetuò os ventris afficitur, ſiue per ſe, ſiue per conſenſum cum corde, vel iocinore, & maximè ſima eius parte, vel cum pulmone, vel meſenterij venis, ſeu ieiuno inflammatis. Affectus autem ipſe, ſeu ingens ac immoderata ſitis, in genere functionum animalium, atque adeò ipſius appe-

Sitis quid.

Pars affecta.

Affectus.

tentiæ

tentiæ deprauatæ reponitur. Comitatur autem calidam, vel ſiccam, vel vtramque ventriculi intemperiem, & maximè oris ipſius, ob penuriam ſcilicet humiditatis, aut abundantiam caliditatis. (A calore tamen adiuncto humori multo fit ſitis in his, qui Aſcitem patiuntur.) Intemperies autem hæ vel nudæ ſunt, vel cum humoribus vitioſis coniunctæ. Vt ſi in tunicis ventriculi malus aliquis ſuccus biliоſus vel ſalſus adeſt, is ſiccitatem vel caliditatem inducere poteſt. Si namque harum qualitatum aliqua iam inducta foret, atque ori ventriculi inducta æqualis eſſet, non mutaret ipſum, neq; ſitim ob ſenſus triſtitiam excitaret: quod doctè quidam inter iuniores animaduertit. Sitis in rigore fit, quia calor intrò colligitur: & in principio exacerbationis febrilis, quando humores ad profundum declinant. Fit quoque ſitis, cùm naturale humidum veluti feruet, vt per febres ardentes accidit. Seu ab incendio febrili in toto corpore exæſtuante. Vt enim nulla ſitis eſt, cùm os ventriculi multo frigidoque humore perfunditur; ſic immoderata eſt, quum id ipſum quaſi humore exhauſtum prorſus inaruit, idque potus penuria, vel diſſolutione ab æſtu, balneis, & huiuſmodi. Aliàs verò potum prauum, & abhorrentem à natura appetunt pro ratione ſucci redundantis. Sitis quoque fit à corruptione ciborum. Aliquando & ob pulmonis calorem, & calidam iecoris intemperiem. Fit & ob ſiccitatem & caliditatem totius ventriculi, vel œſophagi, & oris, ac tracheiæ arteriæ. Poterunt & cauſa eſſe ij qui pertinaciter ſitim ſuſtinere imperauerint. Fit & inexplebilis ſitis à potu vini meracioris, ac ciborum calidorum eſu, vel exiccantium, & ab exercitationibus, à vipera, à potu aquæ marinæ, à medicamentis. Inter cauſas externas etiam eſt verſari in calido ſiccoque aëre, aut iuxta ignem. Non eſt autem perdifficile hos omnes caſus interſtinguere. Nempe ſi ob humoris inopiam, vel ex defectu eſt, ex ægri ſermone intelligetur: vt ſi ex diabete, vel aliqua inſigni vacuatione. Et ſi ob caloris copiam fiet citra humorum præſentiam, in ventriculo ſentiunt caliditatem. Si cum caliditate biliоſi adſunt ſucci, ex oris ſapore amaro, vel ſalſo. Si ſalſi humoris copia in ventre fuerit congeſta, vt in hydrope, aut pituita ſalſa ventri illita inhæſerit, ex caliditate cum

Cauſa.

Signa.

humiditate cõiuncta sitis orta est: & hæc magis est ante cibum. Vt sitis quæ est ab esu piscium marinorum & frictorum in oleo vel butyro, est magis post cibum. In febribus autem multa humiditas per violentiam febris consumpta est. Si ex vini meracioris potu, aquæ marinæ, & alijs causis præcipuè externis, ex ægrotantibus ipsis intelliges. Neque verò quæ diximus alio pertinent, quàm ad ingentem sitim explicandam. Est enim quoddam aliud genus sitis exiguæ, vel superficialis dictæ, quæ insanis quandoq; oboritur, de qua etiã hîc obiter meminisse operæpretium est. Ea quanuis nec à toto corpore, nec ex magno affectu ventriculi excitatur, à siccitate tamen vel caliditate pendet, arescentibus locis illis per quos ab ore in ventriculum humor delabitur, vel incalescentibus. Ijs porrò somnus remedio est, quia per somnum sanguis ad interiora recurrit, vel quia somnus concoquit. Et si ob caliditatem iam dictarum partium, superficialis sitis aderit, atque à somno expergefactis, vigilantibus facilè sedabitur. Calescunt enim dum in stomacho cibi coquuntur, calido quodam halitu ad eas partes delato: quæ caliditas cùm per vigilias circa superficiem expanditur, facilè à tali siti liberantur, euanescente dicta partium caliditate. Verùm si ob comestorum epotorumque calorem ventriculo calefacto, à somno siticulosi fiunt, absque externo subsidio per vigilias sitis non sedabitur. Propterea dixit Hippocrates, siti superficiali somnus medela est. Siti verò ex somno vigilia quibusdam. Et qui noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si super dormierint bonum. Neque enim omnibus à somno excitatis, ab eodem affectu sitis oboritur. Sitis immensæ de qua nobis sermo est, non est negligenda curatio: si quidẽ si inualescat, ægri ex ea perire possint. Minùs enim fitim, quàm famem tolerare possumus. Interdum nõ sitiunt qui febrem habent, ob distillationẽ è cerebro minime acrem, vel ob frigidum & humidum succum in ore ventriculi aceruatũ. Et aucta febre potius quàm imminuta atq; vrinis crudis quæ inualescentis morbi signa sunt, & naturæ fatiscentis, sedata sitis vel mentis laborantis signum est, vel emorientis facultatis appetendi in vẽtriculo, & resoluti ventriculi. Absentia sitis in febre ardente extincta in ventriculi

Sitis superficialis.

Prognostica.

triculi ore vi sentiendi planè lethalis est, cõmuni sensu læso praua: optima quæ neque bilioſum esse humorem, neque calidum qui redundat ostendit, neque humidum putrescere in ventre aut pulmone denuntiat. Curatio non semper refrigerantibus & humectantibus indiget. Sed adhibẽda est curatio congrua ipsi causæ: vt ijs qui ex siccitate sitiunt, humectantia accommodentur. Aër itaq; humidior deligatur in calore & frigore temperatus. Somnus solito longior sit. Quies iniungatur, quæ ex accidenti humectat: saltem seruat humiditatem, quæ ex cibo prouenit. Cibi potúsq; humidiores sint. Et si ex immodica vacuatione orta fuerit siccitas, erunt cibi eligendi nedum humidiores, sed & qui multùm nutriunt, & sunt optimi alimenti, veluti cõtusa iura ex carnibus gallinarum, ptisana seu eius cremore adiecto: ius pulli cum hordeo elixi, & lac, & lactuca elixa. Potus sit aqua, vinum albũ, tenue, subastringens, multa aqua permixtum. Si est sitis ex penuria potus, abundanter ijs tribuatur, viribus consentientibus. Si ex diabete, ea suo modo curanda est. Si ex ariditate, & gutturis fauciumq; asperitate, mirè emendat diatragacanthum in tabellis. Vbi oritur ex caloris copia, aut ob multum potum vini meracioris, medela est frigidæ potus. Et vbi iam longo tempore æstuat, rádicis dulcis succus potatus auxiliatur, atque ipsa etiam radix. In his victus magis ad frigidum vergat. Quare conuenit lactuca, portulaca, melopepon, panis lotus aqua frigida, mucagines psyllij ore detentæ, oris frigida ablutio, ex seminibus melonis & cucurbitæ pari mensura, addito saccharo candefacto, cochleare vnũ ore sumptum, & sensim ingestum. Ventriculo verò superponitur, perseuerante siti, cæratum refrigerans Galeni. Caput quoque rosaceo frigido irrigatur. Vbi cum caliditate humiditas coeat, optima eius medela acetum est. Potest & ijsdem exhiberi mali medici succus per se, aut cum aqua datus. At vbi ex calore simul & siccitate sitis orta fuerit, optimum remedium est acetum & aqua, vt qua nihil est humidius, & vinum valde dilutum actu frigidum, & syrupus violaceus cum tripla aquæ frigidæ mensura. Ab extra conducit sanguinariæ, intybi, sonchi, pampinorum vitis, seu portulacæ succus cum aqua rosarum aut

Curatio.

pauco aceto permixtus, si frigidus stomacho adhibeatur. Vniuersa victus ratio frigida & humida percipiatur. In febrientibus lenimenta quædã sitis sunt excogitanda: quandoquidem & mensurã, & tempora potus in illis decernere oportet. Intempestiuè namq; sumptus potus non solùm nõ extinguit sitim, sed potiùs auget. Propterea in principijs atq; accessionum augmentis ijs lenimentis vtendum, quia potus prohiberi debet. In vigoribus per gargarismata & collutiones squalorem corporis mitigare oportet. In remissione etiam aliquando cogendi sunt, vt bibant. Lenire igitur hanc sitim oportet per irrigationem capitis ex oleo frigidissimo, vel rosaceo. Optimè etiam facit nigræ lactucæ semen commanducatum: melonis indi semẽ, aut eiusdem parua frustula eius substantiæ quæ est inter externũ corticem & internam medullam, in ore teneantur. Item ex succo malorum punicorum, vel pampinorum vitis, aut citoniorum cum aqua permixtis in accessionum vigore, gargarismi & collutiones faciendę sunt: pariter ex vino albo aquoso multa aqua commisto. Imperant & iuniores in ore teneri vel pruna, vel cerasa sicca macerata in aqua frigida, quæ frequẽter mutetur, & frustum pomi: aut ex mucaginibus citoniorum, & psyllij, vel gummi tragacanthi extractis cum aqua violarum & bugloss æ. At in declinatione exacerbationum vbi inceperit, conuenit aquę frigidæ potus, vbi omnia conueniant: aut aqua hordei cum syrupo acetoso. Et vbi in ventriculo humor biliosus continetur, vomitu vacuetur, si facilè vomant ægri. Alioqui per inferiora medicamento leui detrahatur, vt cassia, melle aëreo, saccharo violaceo, syrupo ex pluribus infusionibus violarum, vel rosarum. Deinde medicamenta sitim oppugnantia intus & extra vsurpanda sunt. Veluti si pituitosus aut salsus fuerit succus, offerre conuenit quæ repurgant & abstergunt: sicuti ptisana & eius cremor, radicis glycyrrizæ decoctum ex aqua, mel rosaceum, aqua mulsa diluta. quæ si non satis deterserint, ea quæ purgant adhibeto, vt cassiam, catholicon, agaricum trochiscatum, & deinde ad ea quæ sitim sedant ex calida & humida affectione ortam, te conuertas. Sitim à salsa pituita ortam nouit Alexander per cibos salsos

bos falsos finitam fuisse. Si ab inflammatione alicuius partis sitis est, curata inflammatione sedabitur. Si ob ciborum copiam sitis generetur, vini diluti potio conuenit. Sensim autem bibatur, ne coctionem impediat, aut ipsum fluctuare faciat. His qui ciborum copia premuntur, leuis deambulatio prodest. Quibus cibus corruptus est, vomi quamprimum debet. Si ex potu vini sitis oriatur, & valida fuerit, aquæ potu mulcebitur. Si verò non adeò magna sit, superdormire erit vtile. Si à calore pulmonis fiat, aëris frigidi inspiratione potiùs, quàm frigidæ potu curabitur.

De Singultu. CAP. *VII.*

Ἀτὴρ ἡ ἀπὸ λυγμὸς Græcis, Singultus Latinis dicitur. Est autem Singultus conuulsiuus ac violentus quidam ventriculi motus, quo quæ in proprium corpus impacta sunt, excutere conatur: vel Singultus, est motus conuulsiuus ventriculi, vitium quod tunicis suis inest expellere tentãtis. Nonnisi enim latiùs sumpto nomine ac per similitudinem conuulsio dici potest, cùm conuulsio propriè dicta motus sit inuoluntarius in parte quæ voluntate mouetur, vt in musculo: quod ventriculo non áccidit: neque enim musculus est. Nonnulli tamen defendunt Singultum simpliciter conuulsionem dici posse: quia sicut fit conuulsio retractis neruis versus suum principium in parte musculosa, ita & fit singultus in ventriculo. Licet etiam Singultus eiusdem generis sit cum vomitu, nõ tamen quæ in spatio eius latiori continentur, sed quæ in ipsius ore penitiore, quæque in ipso ventris corpore infarcta sunt, expelluntur. Quare fortior ac vehementior motus est Singultus, quàm vomitus. Differt quoque à vomitu, nec non à nausea & ructu: quòd ista nil simile conuulsioni habeant. Præterea humores tunicis ventriculi infarcti ipsius corpus molestantes sua caliditate, vel frigiditate, vel mordacitate nauseam potius excitant quàm Singultum, quandiu morsum non inferunt valde molestum. Singultus verè potius excitatur quàm nausea, cum validam mordacitatem humores inferunt. Hoc quoque symptoma seu Singultus est

Singultus quid.

Singultus an cõuulsio.

In quo differt ab alijs affectibus.

In quo cum alijs affectibus cõuenit.

cum sono, quia in spatio ventriculi aliquis aër, aut spiritus continetur: qui cùm premitur, & per angustam viam redditur, sonitum facit. Sic & in sternutamento cùm est calefactum cerebrum, aut humectata pars inanis capitis, aër intus contentus extrà prorumpit. Sic & in Epilepsia ac similibus expellitur causa noxia, quæ irritat. Addunt & alij in Singultu similem fieri motum, vt in ijs qui ex intemperie tussiunt, omnibus ventriculi partibus quod contristat expellentibus. Os autem ventriculi in hac affectione laborat præcipuè: vtpote pars exactioris sensus. Tamen nedum os ventriculi, sed totus ipse ventriculus afficitur, nonnunquam & stomachus proprièdictus, seu gula. Et affectio hæc cõtinetur sub communi genere motuum depravatorum, maximè eorum qui à facultate fiunt à causa præter naturam irritata: seu in genere noxæ functionum naturalium stomachi deprauatarum. (Omnis autem cõuulsio symptoma est causæ morbificæ: Singultus, & sternutatio non itè.) Est enim Singultus symptoma facultatis tum expultricis, tum etiam retentricis: illius quidem primùm ac propriè, quòd cupiat id quod molestũ est expellere: huius verò, quòd ventriculus dum singultit, præuè & non naturaliter complectitur. Hic autem motus ex duobus componitur, dilatatione scilicet, & constrictione. Nam ventriculus primùm se dilatat: quod dum agit, cibos deserit, nec naturaliter complectitur. Deinde velut collectis viribus seipsum astringit, magnaq; totius corporis cõpressione, Singultum edit. Generatur autem Singultus vt propriè dicta conuulsio, partim ex plenitudine, partim ab inanitione. A plenitudine, quippe cùm fibræ ventriculi humore aut etiam flatu implentur, ventriculus concutitur conuulsorio modo: quod humor melancholicus acerbæ qualitatis præ omnibus facere solet, aiunt recẽtiores. Persimile symptoma oritur à secundo causarum genere, vbi ventriculus ex nimia vacuatione arefactus contrahitur, & concussorios patitur motus. Ad quod genus causarum alimenta & medicamenta referuntur, quæ acerbam fortita naturam ventriculum comprimunt. Singultus etiã fit à causis mordentibus, vt cùm humores acres, vel medicata qualitate præditi, os ventriculi momorderint, aut ibidem geniti, aut aliunde

Pars affecta.

Affectus qui.

Causa.

fiunde confluentes. Aut cùm cibi in eam naturā corrumpuntur: aut cùm ciborum ea natura sit, vt si quis piper & mel, vel piper & vinum ingesserit. Vlcus etiam in ventre si existat, Singultus efficitur, quia tunc venter vel temperatum calorem alimentorum non feret, quamuis cibus valentem mordendi facultatem non habuerit. Quartum genus est frigus cùm nimia riget frigiditate ventriculus, vel per se, vel consentiens frigori pedum, aut capitis. His enim facilè vētriculus consentit. Fit quoq; Singultus in febribus, stomachō, atq; aliquo viscere inflammato. Nam inflāmatio meningū, hepatis, mensenterij id præstat. Et quāquam causæ posteriores ad duas primas tanquam vniuersales referendæ sunt, vt dictū est: vt mordaces humores quia vim habent exiccandi, ad inanitionē pertinere videntur, & frigiditas corpora ad difflandum difficilia reddit, ideoq; pertinent ad repletionem, reuera tamē tertiam aliquam causam inuenire est. Nam qualitas quædā in pipere videtur, aut à sanie ac corruptela manat, quæ neq; repletio, neque inanitio dici potest, nisi minùs propriè sumptis huiusmodi vocabulis: vt iuniorum quidam annotauit. Quod verò ad signa spectat, plenitudo ex grauitate colligitur, & alijs plenitudinis signis. Quemadmodum si flatus causa est, distensio adest, dolor, defectus signorum ab inanitione. Si ex acribus humoribus & medicata qualitate præditis est Singultus, eorum notæ sese offerent, & vbi vomitu eos reiecerint, statim liberantur. Item si ex corrupto cibo in mordacem qualitatem fingultiant, hi quoq; liberantur vomitu. Cibus autem corruptus ex nidore, acris ex vellicatione & erosione cognoscitur. Præcedens etiam victus ratio, ructus, vomitionis sapor, flauus color bilem, vel corruptum cibum detegunt. Similiter ex rigore oris ventris, aut ob eiusdem partis frigiditatem, vel ex deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus si cōtingat Singultus, ex relatu ægri facilè percipietur. Frigiditas etiam deprehēditur ex ijs quæ præcesserunt, quæ interiùs assumpta, aut exteriùs admota refrigerare valuerunt. Inanitionē præcedens inedia docebit, vel fluxus ventris, vel vomitus, profluuiū sanguinis, & similes vacuationes. Et ab inanitione ferè fit cum

Signa.

vehementissima siti. Similem dispositionem ostendet victus ex alimentis acerbis præcedens, vt sorbis, cotoneis malis. In inflammatione hepatis aut alterius partis, communicatur affectio per neruos & feruor stomacho, vel resudat bilis, & regurgitat, vel comprimitur ventriculus. In inflammatione cerebri rubor oculorum permanens perspicitur, & qui non euanescit post vomitum: licet aliquando etiam sequatur inflammationem stomachi, sed ratiùs.

Prognostica. Vlcera ventriculi proprias notas habent. Pueris maximè ob corruptionem alimenti in ventre, aut ob eiusdem partis frigiditatem singultus accidit. In alijs ætatibus interdum per acutos incidit morbos, & per febres ardentes, maximeque pestilentiales, actum ferè lethalis est. Singultus ex inanitione, aut ex immodico sanguinis fluore, aut ex nimia purgatione, malum. Nec minus vbi singultus est à vomitu. Indicat enim vel cerebrum neruorum principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem. Si sequitur insignes vacuationes cum vulnere, aut à locis muliebribus, itidem malum. Consequitur & Dysenterias, Diarrhœas, & huiusmodi: ardores quoq; & inflammationes viscerum, idque cum periculo. Similiter & malum ab ileo singultus. Si in altiore sopore, aut animi deliquio, aut tetanis obortus fuerit singultus, mortem non longè abesse præsagit. Singultu correptum sternutatio liberat: quando scilicet ex plenitudine fiat. Post vomitiones præcipuè synceras, grauis est singultus. Delirium autem singultui interuenisse, aut neruorum distensionem, mortiferum est. In febre periculosus est singultus, nisi sit criticus, & signa coctionis manifestæ appareant. hic enim sæpe indicat crisim vomitione futuram. In hystericis ab vtero non est ita periculosus. Ab inflammatione vteri, deterior. Vbi ex euacuatione ortus fuerit singultus (vt ab eo tanquam vrgentiori exordiamur) curabitur per assumtionem conuenientis alimenti, & per ea quę defectum explent. Si perseuerauerit adhuc fluor sanguinis, aut alui profluuium, ijs maximè conducit oleum amygdalarum dulcium potum per se, aut cum aqua tepida. Pariter ptisanæ cremor cum contusa carne pullorum. Iuuandus est æger destillatis, colatitijs, iusculis, & expressionibus, cõtusis car-

Curatio singultus ab inanitione.

nium

nium, aqua carnis, denique cibis ſubſtantificè humectantibus. Hunc ſingultum curant alij potu lactis, & alijs reficientibus. Conuenit & amylum cum lacte, ius gallinæ, vitelli ouorum, carnes gallinarum, caponum, pullorum, veruecis elixæ. Potus ſit vinum album, aquoſum. Fiat inunctio dorſi & ventriculi ex oleo violarum, amygdalarum dulcium, hydrelæo quoque. Cæratum etiam vtrinque admouetur ventri & dorſo ex violato & amygdalino oleo, adiuncta cæra. Si acerba medicamẽta ſingultũ concitauerint, dulcia & pinguia remedio erũt: vt ius gallinę pinguis, aut mellis deſpumati cochlearia duo, aut penidiæ, aut nuclei pini cum ſaccharo. Acetbus autem humor purgandus, ſed paratus antè potu aquæ mulſæ. Si ob caliditatem mordacemque acrimoniam ſingultus fiat, vomitus conuenit: & ſi rodentia ac corrupta fuerint excrementa, danda quæ contemperant, & ſimul abſtergunt. Quapropter temperata aqua & pane eo imbuto vtendum, ac ptiſana. Obtunditur etiam mordacitas intybi ſucco potato: item cucumeris ſemine decorticato, trito ac bibito: & lactucæ ſemine eodem modo. Valet & portulacæ ſuccus, myxarum decoctum, lac recèns mulctum præcipuè valet, aſininum, caprillũ. Adhæc vtiliter datur ſyrupus violatus, ex nymphæa, de papauere, infuſionis roſarum, medicamentum trium ſantalorum, lactuca cruda vel elixa, portulaca, pepo, ſyrupus de ſucco limonum, vuæ acerbæ. Conducunt & hęc pariter, ſi ex cibis in mordacem qualitatem corruptis, aliquis ſingultiat: præcedente tamẽ vomitu, vt dictum eſt. Eadem ratione curatur ſingultus ex ſeroſis & medicatis humoribus ſtomachum rodentibus. Sed ſi mordacitas ex ijs non alteretur, abſtergatur, ac diſcutiatur, ad ea quæ ſtupefactionem inducunt, veniendum erit, in quem vſum drachmam vnam Philonij perſici, vel Romani exhibere licet. Datur & theriaca recens, quando ſingultus eſt fortiſſimus. Datur & ſyrupus de papauere cum aqua lactucæ, addendo croci parum. Conciliat ſomnum, partem minùs ſenſilem reddit, obtundẽdo ſcilicet. Cõfert & in aqua calida manus mittere & diutiùs in ea continere. Ab extra, oleum roſatum, citoniorũ, de papauere, nymphæa, applicari poſſunt. Si ex frigiditate eſt Singultus, calfacientibus tum cibis,

Curatio ſingultus à cauſis & mordacibus ſuccis.

Curatio singultus à frigiditate.

tum medicamentis vtendum. Quapropter in potu ruta cum vino exhibenda est, aut apium, cuminum, asarum, pulegium, quodlibet eorum per se, aut simul mixta in aqua mulsa decocta: vel seseli, & daucus, & castoreum, ex veterum præscripto. Recentiores imperant syrupum de mentha, seu è corticibus citri. Dant ʒj. diacalaminthes, aromatici rosati, diacinnamomi, cum vino exiguo. Pueros autem calefactorum linteorum admotio non raro iuuat. Sed in proposita perfrigeratione, vtendum medicamentis, quæ non tam astringant, quàm rarefaciant, quia à perfrictione stomachus condensatus est, ideoq; non transpirat, ex quo repletio fit, & ab ea singultus. Quare foueri extrinsecus debet stomachus oleo in quo ruta, cuminū, & absinthium sint decocta. Similiter & laccelli parentur ex mentha, absinthio, calamento, ac pulegio, macere, catyophyllis, corticibus citri, ligno aloës, & chia mastiche. Præterea spiritus retentio ijs qui ob frigiditatem singultiunt, confert; quia calorem auget. Si cum frigiditate adest frigidorum, crassorum, visciorumque humorum copia, extenuantibus & incidentibus vtendum est: vt aceto scillino, vel oxymelite scillino pariter. Veteres drachmam vnam castorei ex posca tribuebāt: quin & ipsum forinsecus imponebant cum oleo antiquo. Vbi hæc non suffecerint, per vomitum modò dicti succi vacuandi sunt: præsertim si facilè vomāt, & humores in ventris cauitate contineantur. Quin etiam iuuari poterunt ex potu aquæ tepidæ cum oxymelite scillino dicto. Et si ægrè vomant, purgentur hiera & agarico, & pilulis de aromatibus: vel tutiùs vacuentur per clysteres ex ijsdem. Sin fibris ventriculi infarcti sint humores, præparari debent aceto mulso: deinde hiera Ruffi purgari. In omni causa valent clysteres ad reuulsionem. Curat item sternutamentum, vt vomitus. Violento enim motu opus est, vt veluti concussæ ipsum efficientes humiditates diffluentur, ac euacuentur. Confert & extremarum partium astrictio, quia inducendo dolorem, singultum sedat. Item compressio spiritus, vociferatio concinna cum plurimo calore, deambulatio longa & concitata, gestatio, & adhuc magis equitatio. Cucurbitulæ cum maxima flamma pectori, stomacho, & dorso affiguntur. Hæ in contrarium

humores

humores trahunt, & auertunt. Sunt autem fugienda calida astringentia: quia materiam iam infarctam impingũt. Sed facta vacuatione humoris, tum ad corroborationem ventriculi progrediendum. Ac si morbus diuturnus est, dentur attenuãtia & detergentia, vt humor concoquatur. Quo concocto, rursum vacuandum est. Venter post fotum diligenter comprimendus est fascia. Minor enim est singultus, quando minùs dilatatur ventriculus, aut corpus minùs exagitatur. Et quia compressio per fasciam singultum facit minorem, ob id putant quidam aeris retentionem non tam calefaciendo, quàm intendendo septum transuersum conferre. Eo enim distento premitur ventriculus. Timor etiam repentè factus ob repentinam spirituum motionem & cessationem à respiratione, idem præstare videtur. Si à flatu Singultus oriatur, eum discutere oportet his remedijs, quæ ad vẽtriculi inflationem spectãt, in quibus cucurbitulæ cum multa flamma proximè dictæ recensentur. Si est Singultus ex inflammatione visceris alicuius, vt ventriculi, hepatis, vel alterius cuiuspiam, ex eiusdem inflammationis curatione sedabitur. Idem de Singultu ab vl[illegible] iudicium est.

De Nausea & Vomitu.

CAP. VIII.

VT ad reliquos deprauatos motus ventriculi explicandos transeamus, quibus videlicet excernere cupit quæ contristant, idq; per os supernum in gula existens, (cùm enim pro naturæ lege se habet venter, trahit supernè deorsum per stomachum: cùm verò aliquo quod contristat, vexatur, eo abutitur ad expulsionem) de Nausea ac Vomitu hîc agemus, qui inter dictos motus reponuntur. De cæteris autẽ motibus qui fiunt cùm venter eijcere cupit per infernũ os, nempe per pylorũ, paulò post sermo nobis erit. Igitur inter motus qui fiunt per os supernũ, præcipui sunt Nausea & Vomitus. Nausea (quæ Græcis ναυτία, καὶ ναυτινοις vocatur) est deprauatus motus expultricis facultatis, quo nititur per os excernere quę ventriculo sunt molesta, non tamen excernit. In vomitu autem manifesta est

Nausea quid.

excretio. Id quamuis præter naturam sit symptoma, naturale tamen dicitur, quòd natura eo donauerit animalia, vt & tussi ac sternutamento, quo noxia à se depellerent. Ac vt sternutamentum est cerebri, tussis pulmonum; sic nausea ventriculi non totius, sed partis eius superioris, vt & vomitio. Non est autem aliud, quàm inane vomendi desiderium, quo nil ejicitur. Nausea enim præcedit vomitionem, licet non perpetuò sequatur vomitio. Hæc Græcè ἴμετος appellatur, & prauus est motus eiusdem expultricis, quo ea quæ molesta sunt atque in ipso fluitant, reijcit. Is motus idem est cum singultu, nisi quòd singultus vehementior est. Ille verò mediocris. Et vomitus est eorum reiectio, quæ in cauitate continentur. Singultus verò citra vomitionem est eorum quæ tunicis insident, vt suo loco exposuimus. ἔμετος Hipp. dicitur aliquando de larga sanguinis reiectione è pulmonibus. Ad nauseam vt reuertamur, ea peccat in modo, quia vehementiùs quàm secundum naturam concitatur: & in spatio, quando commouetur ad superiores partes: quod est contra naturam. Peccat & circa animalem facultatem, ad quam attinet displicentia & auersio. Aduertendum est etiam obiter alium quendam esse affectum nauseæ leuiorem, quem stomachi ὑπτιασμὸν, id est supinitatem vocant. Qui affectus contingit iuxta intemperiem quamcunque stomachi, citra tamen vitiatos humores: fitque sæpius ab humiditate multa non malignæ qualitatis. Irriguus enim est stomachus, & vt ligamenta neruorum laxatur. Quemadmodum est & alius affectus ἀνατροπὴ, id est subuersio dictus, significatq; nauseosas affectiones quæ fiunt ab accepto cibo. Tametsi vox ἀνατροπὴ quandoq; inappetentiam denotat, de qua priùs. In Nausea & Vomitu, vt in alijs priùs dictis affectibus, os ventris præcipuè laborat: quanquam & totius ventris affectiones esse possint, quemadmodum & reliquæ superioribus capitibus explicatæ. Quare & vētriculus in hisce affectionibus oblæditur, cum citra hæc symptomata nil è ventre per os effetri possit: & si ventriculus per se, quandoque per consensum (& maximè in vomitu) afficitur. Per vomitionem non solùm quæ ventre includuntur exeunt, sed & è venis vitium sæpe deponitur in ventrem quasi sentinam, & ita

Vomitus quid.

Discrimen inter vomitum & singultum.

ὑπτιασμός.

Ἀνατροπή.

Pars affecta.

& ita impetu naturę repurgatur. Motus aũt propositi symptomata sunt facultatis naturalis, nempe expultricis. Quãuis. n. fiant à principio intrinseco, natura tamen tales motus nunquã exorditur, nisi grauata ac stimulata à quapiã præter naturam causa. Ideoq; symptomata & affectiones appellari merentur potiùs, quam naturæ opera. Et in ijs pars quodammodo ab alio, & non omnino à se motũ habet. Contrahit enim seipsum ventriculus circa ea quæ ab ipso excernuntur, ad eum modum id quod in se continet extrudens, quo manus nostræ aliquid exprimunt. His & consentaneæ scribitur, quòd licet vomitus sit toto genere præter naturam, tamen si tempestiuè fiat & ad animalis commodum, non erit symptoma in genere læsionis actionum, sed alteri generi subijcitur, quod scilicet est affectuum præter naturam. Idem de nausea sentiendum, si ad eam talis consequatur vomitus. Semper enim quempiam affectum præter naturam consequuntur. Comitantur hęc symptomata ventriculi morbos, qui à diuersis causis oriri possunt. Tamen hæ causæ in vniuersum duæ dici possunt, copia humorum, vel vitium seu prauitas. Copia, grauando ventriculum: vitium seu qualitas, morsum inferendo affligit. Distemperies quandoq; antecedit: Ipsa verò cibos corrumpit, & prauos succos generat nauseam inducentes. Quandoq; ciborum prauitas præcedit, dein sequitur corruptio eorum & nausea, quorum causa intemperies quoque ventriculi nascitur. Fit & nonnunquam vt ventriculus à iecore, liene, aut capite, aut toto corpore excrementa suscipiat, quæ deinde ventriculum distemperent, & nauseam inducant. Præterea succi qui in ventre generantur, aut aliunde decumbunt in ipsum, quandoque crassi ac lenti sunt, quandoq; tenues, seroſi. Rursus aut in ventre natant, aut in summa superficie adhærent, aut substantiæ ipsius infarciuntur immersi. Causæ particulares vomitus sunt, præter alimenta plura quàm ventriculus continere possit, alimenta pinguia, aut leuia, aut quæ ordine suo non assumuntur: vel si liquida multa ingerantur post astringentia multa & dura: vel quia ventriculus plenus flatibus alimentũ suspensum in superiori parte continet: aut quia multa dulcia supra alia sunt assumta, vt pepones, ficus, cerasa, & omnia alia

Affectus qui.

Causa nauseæ.

Causa vomitus.

dulcia, quę cum multo oleo vel butyro parantur: vel si cum suspicione aliqua alimenta assumpta fuerint. Excrementorum item vomitio fit propter humorum conturbationem vt & alimentorum, sicut post nauigationem, vectionem in curru à cibo, vel ob conturbationem medicamentorum laxãtium, vel ob influxum humorum copiosum & repentinum ad vẽtriculum, vt in die accessionis, & in diebus decretorijs. Est & aliud causarum genus, quibus ventriculus ad vomendum irritatur, nulla re, vel grauiore, vel mordaci irritante: sed ob id duntaxat, quòd præter naturam aliquid in eo continetur, vt sanguis. Dignoscitur nausea, quando ipsa in illa vomendi irritatione lancinat tantùm ventriculum ipsum, & nullum humorem educit. Vomitus verò, cùm educit. Copia humorum ex pondere & tensione quæ in ventriculo sentiuntur, percipitur, ita vt cùm eos ferre non potest ventriculus, ad nauseam seu vomitum excitetur. Ciborum autem copia facilè ex ægri, vel astantium sermone innotescet. Quemadmodum si sine cibis tensio sentiatur, humorum copiam adesse coniectandum est. Si non multi, sed praui humores fuerint qui ventriculum obsederint, ijque bilioſi, oris amaritudo, sitis, atque ardor simul cum morsu in ore ventriculi, & inappetentia aderit, & assumpti cibi in nidorosam seu amaram qualitatem vertentur: etiamsi ipsa ex se alimenta talia non fuerint, vt pisces saliti, & oua in sartagine frícta, & obsonia ex melle & pipere parata. Præterea qui calidam patiuntur intemperiem, frigidis iuuantur. Si frigidi fuerint humores, gaudẽt calidis, siti vacant & ardore, cibos corrumpunt in acidam qualitatem, etiamsi eius naturæ non sint, vt acidi & frigidi cibi, & cum aceto & acidis parati. Quandoque etiam immodicè appetent. Si dulcis est pituita, eandẽ sentient in ore qualitatem. Verùm si salsa sit, sitis in his augebitur, minueturque appetentia, ac fortasse abolebitur: præter id quòd similem sentient in ore qualitatem. In summa, distemperantijs similia aceruantur excrementa. A calida quidem intemperie, calida: à frigida verò, frigida. Si vomitus ad has causas consequatur, facilè per vomitionem succus dignoscitur, cùm visu à medico, tum gustu à laborante. At vbi sanioſi, serosíve, ac tenues fuerint redundãtes humores, non

Signa.

solùm

solùm ante cibos assumptos, sed & pòst vomitum inducunt, perpetuo nimirum motu versati. Quemadmodum qui adhærent aut infarcti sunt, ante cibum nauseam mouent magis. Ex vitiosis cibis deuoratis, aut vbi in ventriculo fuerint corrupti, si vomitus accidat, ex ægri vel astantium relatu simul cum vomitionis qualitate percipitur. Et humorem in ventriculo natare, & in spatio ac cauitate contineri cognoscemus, quando ab ipso cibi corrumpuntur, & vbi euomuntur, secum deferũt aliquam portionem succi nauseam facientis. Si tunicis hæreat crassus ac lentus humor, sitim extinguit, & appetitum auget: sed quandoque minuit, quando sensum suctionis hebetat. Per nauseam interim nihil moueri sentitur, nec quidpiam excernitur, nisi magna cum violentia, & remedijs detergentibus præassumptis. Si verò humor qui hæret tenuis fuerit, nõ fluctuabit, nec difficilè vometur, ipseque excretus suam ostendet naturam. Adiungetur tamen ipsi sitis quandoque, & morsus oris ventriculi. Alij etiam explicant diligentiùs, nunquid in latiori ventris spatio contineantur ac fluitent redundantes succi, vel in eius corpore adhærescant, seu infixi sint. Si vomitus (inquiunt) statim post nauseam obortam etiam citra violentiam comitetur, humorem in lato ventriculi spatio esse non dubitandum est. Sin nausea excitata fuerit, verùm nihil notatu dignũ per vomitiones efferatur, humores noxios, si biliosi sint, vel serosi, in ore ventriculi absorptos esse; vel si viscosi, ipsi ori ventriculi infixos esse intelligitur, ac propterea nil mirum, si ex talibus succis oriatur nausea: mirum etiam non est, quòd vomitus non sequatur, potissimùm si est imbecillitas expultricis. Veluti non rarò euenit, quòd ea robusta existente humoribus tenuibus in ventriculi tunicis existentibus, exigua quædam portio ex nausea violenta in ventriculi capacitatem effundatur, ac proinde excitato vomitu per os reijciatur. Vnde sequitur, vt quandoque nauseam comitetur vomitus, quandoque non. Quo loco etiam notandum est succos calidos, vel frigidos, tunicis ventriculi infarctos, si mordacitatem validam efficiunt, singultum promouere potiùs, quàm nauseam, vt superiori capite ostensum est. Vnde quandoque vnum symptoma, quandoq; alte-

rum excitatur. Diligenter etiam considerare oportet, num in ventre duntaxat redundent succi, an ex aliqua quadam parte seu ex vniuerso corpore in ventrem confluant. Si vniuersum corpus fuerit plethoricum, ex plethoræ signis id iudicabis. Si vitiosis humoribus repletum, id ipsum ex colore & eruptionibus papularum circa cutem cognoscetur: atque ex ipsa adeò vrina. Sicut per crises etiam sæpe contingit, & ferè in accessionum principijs. Si non ab vniuerso corpore, sed aliqua parte, vt à capite, splene, hepate humor fuerit ad ventriculum transmissus, æger ipse primùm affecti membri læsionem sentiet. Aut enim caloris sensus iuxta affectum membrum, aut frigoris aut grauitatis percipitur, aut ipsum tactui nostro durum succumbit. Nec nausea intensa & crebrior, si ipsa excitetur, aut vomitus, si is quoque fiat, crebrior & intensus erit, sed leuior, & insigni aliquo interposito spatio vrgebit: totiusq; præter naturam habitus considerandus est. Idem alij significarunt qui scripserunt in hunc modum: Si humor prauus cibos corrumpens & nauseam efficiens aliunde traducatur, per interualla traductio fit, & cùm ventris symptoma augetur, pars à qua succus traducitur, meliùs habet, quia exoneratur: & cùm venter meliùs habet, pars à qua traducitur, laborat magis. Et omnino partes aliæ à quibus prædicta excrementa traduci possunt, atq; ipsum corpus totum considerandum est quomodo valeant. Videndum etiam num aliqua consueta excretio retēta sit. Si crebrò intenseq; nullo insigni spatio interposito vrgebunt prædictæ affectiones, certum est ventrem per se ac primariò affectum esse, redundantesq; humores in eo genitos esse. A vomitu singultus & oculorum rubor, malū: quia significat cerebrum vel ventriculum non mediocrem pati inflammationem, addit quidam è iunioribus. A tuberculi ruptione introrsum vomitiones si fiant, malæ sunt. Ab ileo malus est vomitus: quia nihil ad inferiora descendere significat. Nausea quandoque signum crisium existit. Interdum verò signum malum, vt in febribus pestilentibus. Nausea in conualescentibus si multiplicatur, recidiuam indicat. Vomitio vtilissima est, si pituita & bile permixta sit: si non multa, & crassa. Sincerior, deterior est, siue fuerit porracea, aut liuida,

Prognostica.

liuida, aut nigra. Synceræ vacuationes sunt meracæ bilis, Bilis sincera mala, quia natura constante flaua bilis aquea humiditate temperatur, qua dissoluta bilis coloratior, acrior crassiorque relinquitur. Exitiale admodũ est, si idem homo omnes vomit colores. Vomitio graueolens, ocyssimam indicat mortem. Vomitio exigua non solùm fit exudante in ventriculum ichore à phlegmone, sed etiam turgente in venis copiosa materia, & sursum ascendente. Eius portio tenuior & veluti serum confluit, quod vel exiguam vomitionem concitat, vel in os ipsius contendẽs, cardialgiam. Vomitus interdum valetudinis causa rectè fit, teste Celso. Ne quis tamen qui senescere volet, hoc quotidianum habeat. Debilitat enim ventriculum, & proluuiei vniuersi corporis lacunã facit. Vomitus sine febre tum esse nõ malus potest, cùm robur sequitur naturæ, quæ id humoris quo grauatur, expellit: qui profectò humor ex iocinore deriuari, vel ex liene, vel mesenterio, & intestinis, itemq; è cerebro, totóve deniq; corpore potest. Verùm eo tempore nullum iocinori aut lieni (vbi hinc humor fertur) tumorẽ inesse præstat. Quæ fœmina, dum ieiuna est, biliosa vomit per multos dies, si neque vterum fert, neque febricitat, scire licet hãc lumbricos rotundos simul vomere, aut certè hos vomituram esse. Sæpe vomitus æruginosus distensionem neruorum, & morbum comitialem, & profundum soporem, veluti quadam iudicatione finit. Vomitioni singultum aut neruorum accessisse distensionem, malum est: maximè si synceri humores reijciuntur. De sanguinis per vomitum reiectione, capite de cruenta spuitione iam diximus. Quod ad curandi rationem attinet, si *Curatio.* per consensum nascuntur hæ affectiones, priùs totum corpus, vel pars affecta curetur. Vt quando ex iecore vel liene excrementa transferuntur, eidem tum vacuatione, tum attemperamento, & debita victus ratione succurrendum est. Sed interim quoque ventri prouidendum his quæ iam receptum euacuant, & deinde his quæ ipsum roborant, ne rursus quod transmittendum est, recipiat. Hepati nonnunquam prospicitur, adhibito cærato santalino. Iam verò de Nausea & Vomitu quæ causam habent nedum in ventriculo contentam, sed in ipso genitam, agamus. Eius-

modi verò pituita ferè est. Bilis enim in ventriculo non videtur gigni: sed ab alijs partibus, vtpote iecinore, vel eius vesica transmitti. Putant tamen qui sectantur Arabes, in ventriculo bilem posse generari, ob eius intemperiem. Orta igitur affectione à pituita, aer vergat ad calidum. Somnus & quies, nec non moderata sit inedia: vt pituita non tantùm alteretur, sed & in probum sanguinem vertatur: vt & illa per inopiam alimenti nutriat, præsertim si dulcis erit. Sunt autem danda alimenta in vomitione quæ spissa sint, & vtcunque viscida, vt stomacho inhæreant, minimè tamen pinguia, ori grata, & actu frigida. (Quod etiam obseruandum est in medicamentis.) Tepida enim vomitum prouocant. In vomitionibus frequenter & paulatim cibus offerendus, præsertim vbi bilioſæ fuerint. Et decubitus sursum vergens omnibus quoquo modo nauseantibus adornetur inconuenienti & affectioni contraria domo. Vbi vires moderatam inediam non ferent, contusæ carnes, ac iura pullorum seu gallinarum tribuantur pro cibis, modo sit quantitas eorum modica. Parentur cum odoratis & aromaticis, vt cũ cinnamomo, caryophyllis, aniso, macere, pomis austeris, malis cotoneis, mali punici granis simul incoctis, pauco omphacio, & aqua rosacea adiectis. Si contusas carnes assumere nolent, poterunt ipsas quoque carnes gallinarum, pullorum gallinaceorum, columbarum, phasianorum, perdicum, turturum, merularum, leporum, capreolorum iuuenum pro cibis capere, elixas quidem: (& ijs incoquantur hyssopum, pulegium, serpillum, sampsuchus, fœniculum, oreoselinon, thymus, & eius classis reliqua: potissimùm vbi tenax & crassa pituita fuerit in causa, & tunicis inhærens atque impacta) vel etiam assas adiectis odoratis prædictis. Pro potu vinum exhibeatur rufum, subastringens, vetustum. vinum enim auget substantiam, qualitatem non intendit. Mel quoque despumatum ipsum per se optimum nutrimentum frigido ventriculo. A cibo semper cotonea mala, mespila, sorba, corna, pyra astringentia, mala punica offerantur, quorum quantitatem sumant exiguam, vt cibum duntaxat contineant. Alui excrementa quotidie reddantur. Affectus animi immodici vitentur. In intemperie calida victus sit ex lactucis,

lactucis, & carnibus gallinarum & pullorum elixis cum lactucis, & bordeo, & endiuia. Potus erit aqua hordei. Vbi igitur humores concitantes nauseam bilioſi, tenues ac ſeroſi fuerint, confeſtim vomitu eijciendi ſunt, digitis aut pennis immiſſis proritati, vel liberaliore tepidæ potu, vel tenuiſſimo ptiſanæ ſucco exhibito, vel etiam mulſa. Atque in eo caſu tam ptiſanæ cremoris, quàm aquæ mulſæ ſumendum plus eſt, quàm vel nutrimenti, vel etiam deiectionis cauſa ſumeretur. Idoneum quoque eſt, ſi mulſa in qua coctum abſinthium ſit, bibatur. At ſi difficulter vomant, non ſolùm mulſa, verùm & medicamentis purgantibus vtendum: quibus deorſum prædicti ſucci impellatur. Sint autem ex genere eorum quæ modicè purgẽt. Calidorum quidem humorum qui in ventriculo ſunt, aloë optimum eſt medicamentum, ita vt ſæpenumero ventriculo malè habentes vna die ſanauerit. Rhabarbarum etiã pondere drachmarum duarum eoſdem purgabit deorſum, & aſtrictione ventriculum roborabit. Conueniunt & pilulæ de hiera, de aloë, & maſticbe. Poſt humores vacuatos, per alia medicamenta obtundentia ſeu temperantia bilis acrimoniam intemperies curanda eſt, dando ſyrupum acetoſum videlicet, & oleo melino inungendo. Vbi humiditas vitiata tunicas ventriculi perrigat, picra ex aloë vtilis eſt, expurgans humiditatem. Exhibeantur itaque medicamenti ex aloë præſertim lota drachmæ duæ, aut aloes drachma vna, vel ʒj ß. formatis ex ea catapotijs. Clyſteres in omni vomitione vtiles ſunt, ſi inijciantur pauca quantitate, ne pars coli quæ ventriculo incumbit repleatur, & fundus ventriculi comprimatur. Illa enim facultate qua irritat expultricem, vomitum prouocat, ſi magna quantitas inijciatur, vt experientia docet. Quibus lenta pituita ineſt, ea diſſecanda venit, poſtea purganda. Et ſi ad vomendum inepti ſunt, oxymel ſcillinum tribuendum, cum aliquo incidentium, repurgãtium, calfacientiumq; decocto: veluti eſt hyſſopum, pulegium, abſinthium, fœniculi, & capparorum radix. Quibus præaſſumptis aloe præbeatur, cui & agaricus trochiſcatus addatur. Vbi pituitoſi ſucci acidi vel dulces extiterint, eos concoquere tentandum, ipſi naturæ opem ferendo, quiete, inedia, ſomno,

Curatio per me decamẽ. 14.

Quibus peractis ad ea quæ ſtomachum & ventriculum roborant, ipſorumque intemperiem alterant, intus & extrà adhibenda confugiendum. Quapropter diacalamentum, diatrion pipereon ex vino tenui aut aqua potatum prodeſt, diacinnamomum, aromaticum roſatum, dianiſon, confectio de xyloaloë, diarhodon, & alia. Foris autem maſtichen vnguento nardino diluta, & tritam, purpureaq; lana exceptam imponito. Debet autem inungi ventriculus ſine frictione multa, fouẽdo leuiter tantùm. Nam omnis agitatio ſeu motio circa os ventriculi vomitũ prouocat. Inungiturque ventriculus parte anteriori, & poſteriori. Fiunt & ſaccelli ex mentha, abſinthio, cinnamomo, aloë, cortice citri, macere, calamo odorato, caryophyllis. Huiuſmodi ſaccelli in vino macerati iterum calidi apponantur. Vel fiat emplaſtrum ex maſtiche quæ oleo nardino & de abſinthio diluatur ac maceretur, quantum ſatis ſit: ac dimidiam quantitatem ipſius aloës adijce, vt in emplaſtri formam redigantur. Vel panis toſtus vino rubro maceratus, & puluere cinnamomi, maceris, caryophyllorum, maſtiches aſperſus imponatur. Quandoque verò accidit, vt in ipſo ventriculi ſinu contentus humor vomitum excitet, isque humor per vomitum etiam expurgatus cauſa eſt, vt prior vomitus facilè quieſcat. Pari ratione, vbi multa aut corrupta alimenta in eo continentur. Vtilis enim eſt vomitus plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerũt. Si plus eſt quàm quod concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur, non oportet. ſi corruptũ eſt nil cõmodius quàm eijcere, qua via expelli poteſt. Vomitus itaq; cohibendus non eſt interim dum talia vomuntur qualia vomi debent, vt quæ toto corpore redundant fœtida, nigra, liuida, ſyncera, & vtcunq; naturam iuuantia ſi excernantur: niſi vomitus ad debilitatẽ perducat ægrum: aut ob eius impetum alimẽta non contineantur, atque ea de cauſa vires languere incipiant. Tum enim humorum influxus in ventrem eſt reuellendus, & venter roborandus. Ergo vt humorum vomitum curat fluxus alui, & è conuerſo: ſic vomitus vomitu curatur. Nec propterea euertitur ſempiternæ veritatis axioma, contraria contrariorum eſſe remedia. neque obſtat quin perpetua

Vomitus vomitu curandus.

curatio

curatio fiat à contrarijs: cùm per vomitum humores vacuantur, qui nauseam & vomitum inferunt, ac propterea per vomitum fit curatio. Nam prorsus euacuare alienum humorem, eiusdem retentioni est contrarium. Vsq; adeò igitur à Medico vomitus iuuari debet, quoad naturę commodum fiat, ac per eum quod cõtristat, expellatur. Eadem est sententia eorum qui scribunt non esse reprimendum vomitum, vbi ex vniuerso corpore in ventriculum confluunt humores, aut in ipso ventriculo propter intemperiem nascũtur. Tunc enim potiùs motus facultatis expultricis iuuandus est. Neque retinendum esse vomitum in morbis qui fiunt à plenitudine ventris, vt in Colico, Nephritico, aut Arthritico doloribus; aut cùm diuertit ab inflammationibus superioribus, vel inferioribus, vt doloribus capitis, aurium. Vomitus autem optimorum alimentorum, qui fit post alias vacuationes ob debilitatem retentricis, vel irritationem expultricis, compescendus est, vt si sanguis per vomitum expellatur. Atque omnino vbi vomitus immodicus fuerit, nec ad animalis commodum, sed per eum quod nõ debet expelli expellitur, ac propterea non confert, is reprimi debet. Quo casu extremæ partes confricentur, & pedes arctè vinciantur, & manus in aquã calidiorem demittantur. Stomachus absinthij cremore irrigetur, apio, cumino, petroselino adiuncto, mentha, spica, cinnamomo, mastiche, calamo odorato, macere & galanga, pauco vino odorifero addito: vel fiant epithemata ex prædictis, vbi redundantes succi fuerint frigidi. Calidi verò si à toto vel alijs partibus transmissi fuerint, santalum, rosa, corallum, & alia infrigidantia absinthij cremori adiungenda sunt. Odoramenta etiam, vbi immodicus fuerit vomitus, naribus olfacienda admoueantur, vt rosæ, mala cotonea, pulegiũ, mentha, spica nardi. Vel fiat odoramentum ex aqua rosacea cum aceto pauco, addanturque santali, cortex citri, ambræ, & moschi parum. Affectione diutiùs permanente, & cibis præ morbo non retentis, cucurbitula ad os ventris affigatur donec locus rubefiat, atque ipsa adhuc affixa cibus tribuatur. Ibi autem dimittenda est, donec sponte decidat. Assumpto etiam cibo manus aquæ frigidæ immittendæ sunt, id enim sedat animam. Ci-

bus autem frequenter & paulatim detur: post quem semper astringens aliquod præbendum est. Ex palmulis, malicorio, galla, vino astringenti incoctis, & pane tosto simul contrito, puluere mastiches ac cinnamomi cataplasma applicetur. Et si succi biliosi fuerint, acacia, hypocistis, balaustia adiungantur: & prædicta in posca coquantur. Ad frigidam ventriculi intemperiem per vomitum & nauseam absinthium viride intra calceos calcatum prodesse ratio & obseruatio inuenerunt, vt quidam è iunioribus tradidit.

De Phlegmone seu Inflammatione Ventriculi.

CAPVT IX.

Pars affecta.

VENTRICVLVS laborat Phlegmone, non aliter quàm aliæ partes corporis, eaque vel in ore, vel alia quauis ventriculi parte oritur. Pars ipsa affecta dignoscitur ex dolore simul cũ positu, & ex læsione propriæ actionis, appetentiæ nimirũ, si in ore ventriculi est: concoctionis verò, si in cauitate excitetur. Morbus est compositus in magnitudine primò, & in intemperie secundo, & solutione continui tertiò, ex placitis Galeni. Fit autem ab influxu sanguinis copiosi & calidi per venas quibus alitur, è portis iecoris deriuati, & inter illius membranas effusi. Vel (vt alij volunt) sanguis ad ventriculum fluens extra vasa resudat, & inania spatia quæ sunt inter fibras tunicarum ventris replet, & ibi putrescit. Quanquam & sanguis interdum alius est. Vnde inflammationum ventriculi quædam magis erysipelatosæ, quędam œdematosę, quædam verò scirrhosæ. Insequuntur eam tumor præter naturam, grauitatis ac multi caloris sensus, dolor circa partem affectam immensus, assiduus, & qui nullis medicamentis admotis mitigari potest. (Inflammatur autem os ventriculi cum maiori dolore, ob eius exactiorem sensum.) Accedunt adhæc febris ardentissima, sitis valida & inexpleta, æstus, magna corporis iactatio, & inquietudo: ingestorum seu cibi ac potionis vomitio aut egestio, nisi forte cùm eius osculum, vel pylorus obsidetur. His enim coarctatis nihil elabitur. Tumor & calor tactu iudicari possunt. Sed tumor maximè tactu, interdum & visu conspicitur.

Affectus. Causæ.

Signa.

ſpicitur. Hic putreſcente ſanguine lancinat vehementer. Cùm grauius malum eſt, ſuperuenit frequens animi exolutio, vigiliæ, & plerunque deliria. Nauſea quoque ſequitur, propterea quòd inflammationis cauſa in ventriculi tunicis contineatur. Vbi bilioſior erit ſanguis, vt erylipelatodes phlegmone, vehementior erit ardor, ſitis immoderatior, ardentiſſima febris, ſed minor tumor, & grauitas. Ex quibus ſignis interſtingui poterit diuerſa cauſa eiuſdem inflammationis, nec non præcedente victus ratione, ætate, temperamento, anni tempore, & reliquis. Huic plurimùm affinis eſt inflammatio, quę vel ſummum iecoris lobum quo ventriculus obtegitur, vel incumbentem illi abdominis regionem occupat. Tumor eſt circumſcriptus, & cum dolore in ventriculi ſitu ineſt: & febris, & ſitis, & reliquarum notarum plurimæ, vt proinde experientiſſimus medicus fallatur. Diſtinguitur autem ſola ſymptomatum vehementia & pernicie: quandoquidem in ventriculum omnium ſæuiſſima incidunt. Vbi ſtomachus inflammationem ſuſtinuerit, magna opus eſt diligentia, quoniam maximum morbum, & neceſſitatem corpori adfert. Si imbecillis fuerint viribus, qui ea laborant, mortifera eſſe ſolet, quanuis & valentiores ab ea interimi conſueuerint. Nam quibus vel iecur, vel ventriculum phlegmone obſidet, velut pleuriticis, peripneumonicis, ac cynanchicis, vna ſalus eſt ipſum virium robur ex Galeno. Et ſi extremæ partes membrorum inalgeſcunt, exitium in propinquo eſſe ſignificant. Vbi ex hoc morbo abſceſſus fit, is in vacuum abdominis, vel in ventriculi ſpatium internum erumpit: moxque ipſum pus, vel ore, vel aluo effertur. Quod ſi intus factum eſt vlcus aliquod, prorſus id lethale eſt. Tum profecto lenta aſſiduaque febre homo conſumitur, ventriculus ſummè fit infirmus, & modò dolorem habet, modò eo caret, frequens vomitus, frequentior liquida deiectio eſt: pulſúsque creber & frequens: totũ deniq; corpus alimenti fructum non ſentit, ſed paulatim ad nouiſſimũ vſq; diẽ contabeſcit. De hoc vlcere alij ſic: Si cocto abſceſſu vlcus fit, difficile eſt vitium, quemadmodũ omnium vlcerũ quæ in œſophago, ſtomacho, & ventre concitantur. Eorum vlcerum cauſa

Diſcrimen ab inflammationibus aliarum viſcerũ partium.

Prognoſtica.

est inflammatio iam dicta. Aliq causę sunt, interior humor qui exulcerat, acria pharmaca, vt vitreolum, arsenicum, colocynthis malè trita, vsus acrium alimentorum, deuoratæ res acutæ, vt acus, ossa. Sed hæc obiter. Pro curatione in aëre locentur ægri temperato quidem, vel ad frigidum vergente parum. Somnus moderatus, aut paulo breuior. Ex lõgiore somno inflammatio augeretur, detento etiam præter naturam alieno calore. Motus interdicendus est. (frictionibus tamen brachiorum ac crurum vtantur.) Prima enim sunt quies & abstinentia. Non multum loquatur æger. Aluus si non sit humecta, clysteribus leuibus leniatur. Affectus animi vitentur: ac præsertim fugiant quoad fieri potest tristitiam. Victus pertenuis esse debet, vt in cęteris inflammationibus, ac omnino liquidus, quò facilè superetur, vt ptisana hordeacea, ius pulli cũ lactucis elixi, aut cum endiuia, aut ius pulli cum succo arancij, aut vuæ acerbæ, aut cum malis cotoneis incipiente inflammatione. Ab acribus & dulcibus abstinendũ. Potus sit aqua hordei, aut aqua ex vase mastiche suffumigato, aut illito. Erit autem potus omnis parum frigidus. Vel potus sit aqua, in qua decoctum sit parum cinnamomi, aut cui adijciatur parum succi malorum granatorum acidorũ, aut aliorum fructuum frigidorum, & astringentium. A vino & carnibus abstineant ægri, quoad vires valeant. Confestim autẽ si nil prohibebit, vena secetur, eaque interna cubiti lateris dextri: præsertim vbi plenitudo adsit, & sanguinis quantitas auferatur, prout vires ferunt. Et quia hunc affectum syncope & virium imbecillitas ob vehementem dolorem sæpe sequitur, in sanguinis missione summa cautio adhibenda est. Nam præcipuus scopus est in eo remedij genere, virium robur. Vbi bilis redundabit, eadem vena secanda erit, minor tamẽ sanguinis quantitas educenda. Vtendum pariter ligaturis, cucurbitulis, aliisque diuersionibus, præsertim circa initia. Ac omnino à medicamento quod aluum deijciat abstinendum, eo tempore quo Phlegmone ventriculum aut intestina occupare cœperit. Longissimè enim à tentata fluxione parte reuellese oportet, nõ ad eam trahere. Et vt in hoc affectu medicamentum purgans nocet, ita vomitus maximè. Idcirco vtendum clysteribus.

Victus ratio.

Medendi ratio.

Postea

Postea ad Topica confugiendum. Quare quæ reprimunt atque astringunt foris, vbi dolor & tumor maximè apparent, sunt imponenda. ventriculus enim (& potissimùm os eius) astringentium complexu semper indiget: multo maximè vbi fuerit inflammatio. Et qui solis relaxantibus citra eorum quæ roborant admixtionem curam tentant, periculum vitæ inferunt. Atque in principio vtendum repellentibus & auertentibus materiam, sic deinde addantur digerentia. In statu verò hæc propè, sola conueniunt. Quare initio oleum omphacinum, rosaceum, citoniorũ, de absinthio illinatur, potissimùm vbi non sit feruor ingens: vel ex rosis, absinthio, floribus chamęmeli, radicibus ac folijs althææ in aqua pluuiali fiat decoctum, & aceto vel vino albo adiecto fiat Epithema. Aut fiat simile vnguentũ: Recipe olei ros. omphacini, mastichini, ac de absinthio ana ʒj. olei chamæmelini, & amygdalarum dulcium ana ʒ ß. pulueris santalorum, corallorum, rosarum rubrarum ana ʒij. cæræ quantum sufficit: addito vino albo aut aceto fiat vnguentum. Si maiora astringentia postulat, adde hypocistidem, balaustia, rhu obsoniorum, flores rosarum. In augmento vbi laxantibus indigeas, & quæ in summo vigore augenda sunt, addes chamæmelum, semen lini, fœnugræci, adipem anserinum. Cataplasma etiam fiat ex hordeo, semine lini, melle, vnguento nardino, modico vino, adiecta mastiche, & absinthij coma. Vbi moderata est inflammatio, cæratum sufficiens est à Galeleno descriptum. Si stomachus magis roborari postulat, aloëm augere conuenit, & admiscere cum eo succum absinthij, aut œnanthen, aut succum capreolorum vitis. Et in declinatione nil errabueris, si ʒ iij. mannæ cum decocto tamarindorum porrexeris, aut syr. ros. solut. ʒ iij. vel iiij. aut cassiæ fistulæ ʒj. vel ʒj ß. Recentiores imitati veteres, vt patet ex dictis, initio admouent vnguẽtum ex rosato, melino, & cæra, & si validiùs volunt repellere, addunt rosas, acaciam, & rhu obsoniorum. In summo vigore recipiunt farinæ hordei, seminis lini ana ʒj. rosarum ʒij. mastiches, aloes ana ʒj. olei melini quantũ sufficit. Inclinante morbo vsurpant linimentum ex farina seminis lini cum succo absinthij. Si inflammationes in duros tumores conuer-

Topica.

tantur, mollire ac laxare iubent: sic vt corroborantia aut astringentia cum mollientibus permisceantur. In id recipiunt emplastri de melilloto ʒ j. myrrhæ ʒ ij. mastiches ʒ j. ß. ammoniaci ʒ j. olei de absinthio ʒ ij. Verùm si inflammatio ad suppurationem tendat, puris generationem procurant atque tumoris ruptionem. Vlceris autem ventriculi curatio si desideratur, hãc etiam iuniores pertractarunt diligenter.

De Cruditate. CAP. X.

CRVDITATIS (quam Græci ἀπεψίαν vocãt) nomen homonymως accipitur. Sed propriè cruditas frustratio est concoctionis seu alterationis ciborum in conuenientem qualitatem, quæ à ventriculi temperie ex elementis orta dependet. Quòd si vitiosa est alteratio, vt etiam ἀπεψία Græcis, sic à Latinis quoque cruditas nuncupatur, per eamque non iam priuatio, sed deprauatio significatur. Hęc autẽ cùm duplex sit, vel quòd tardè difficulterque cibus mutationem suscipit, vel quòd corrumpitur omnino, ita vt naturæ gratiam prorsus recipere nequeat, secunda hęc proprium nomen non habet: prior βραδυπεψία dicitur. Maioris tamẽ perspicuitatis gratia, etiamsi omnes sint cruditates, priuationem dicemus ἀπεψίαν, deprauationem verò δυσπεψίαν, sicuti tarditatem seu imbecillitatem βραδυπεψίαν. Pars ergo affecta ventriculus est, qui secundum spatium vel cauitatem lædit̃r, cùm & ipsum coctionis sit instrumentũ à natura fabricatum: modò ab externo errore cruditas non proueniat. fieri enim potest inde cruditas, & in ea læsione facultas non læsa est. Affectus ipse symptoma est in genere noxæ functionum naturaliũ, alteratricis videlicet οἱ τῆ βραδυπεψίᾳ diminutæ, οἱ τῆ ἀπεψίᾳ ablatæ, οἱ τῆ δυσπεψίᾳ deprauatæ. Comitatur id symptoma virtutis læsionem, aut externum errorem. Virtutis autem læsio fit bifariam: Aut culpa propriæ substantiæ ex aliqua primarum qualitatũ intemperie, vtpote cùm præter naturam calfacta, infrigidata, humectata, aut exiccata fuerit. Sic facultas in essentia mutatur, & lędit̃r cõcoctio mutato intemperamento partis: quanuis mutatione facta ad frigiditatem maior læsio sequatur, quàm si ad calorem

Απεψία. Δυσπεψία. Βραδυπεψία *Pars affecta.* *Affectus.* *Causæ.*

calorem fiat. Vel læditur virtus ipsa ab aliquo instrumentali morbo. Instrumentum enim vitiosum est, si prauè cõformatum ac compositum fuerit, aut vnitas diuisa, veluti per inflammationes, erysipelata, œdemata, scirrhos, abscessus, vlcera, & natiuas vitiatas constructiones: quorum omnium occasione venter facultate eius concoctrice oblæsa malè concoquit. Verùm in eiusmodi ventriculi temperamenti vitijs propria eius substantia labefactata, concoctio læditur: in cæteris morbis qui tantùm sunt instrumentales, duntaxat impedita. Et qui ex intemperie simul & instrumentali morbo compositi affectus sunt, vtroque modo sunt noxij. Consimiliter scripsere alij, cruditatẽ quæ euenit vẽtriculi facultate læsa, extremeq; imbecilla & planè victa, esse propter insignem intemperiem actiuarum qualitatum, vel propter longiorem passiuarum. Humida enim intemperies vt in hydrope, & sicca in senectute & tabe, nonnisi longo tempore coctionẽ abolent, tum propter morbum organicum: quæ quidem causæ sunt internæ. Vt ad externas referuntur alimenta quę vitiant actionẽ, quoniam debitam quantitatem excedunt, vt ea vẽtriculus ferendo coquendoq; nõ sit: aut mala qualitate prædita sunt, aut ordinem non seruant, aut tempus assuetum euariat assumptio, aut tota substantia aliena sunt, aut inusitata. Aut potus vel cibus nouus ingeritur priore non cocto, aut somnus breuior est, aut immoderatæ vigiliæ, aut balneum, aut exercitatio fit mox à cibo, quæ huius descẽsum accelerant. Prauus etiã aliquis humor permistus, aut excrementum in ventre contentũ bifariã coctionẽ vitiare solet, tum quia ventriculũ alterat & temperamentũ mutat: (nec tamen in essentia mutata facultate) tum quoniam alimẽta ipsa vitiat, & corruptioni parat. Quod nonnunquã citra lęsionem manifestã ventriculo illatam fit, vbi cibus ipse coctu difficilis fuerit. Sæpe etiam iecoris, lienis, aut mesenterij vitia, vel integrè sani ventriculi coctionem sympatheia quadam & affectus communicatione præpediunt. Sic hepaticis & quibus iecur calidum multa bile scatet, ventriculus contactu imbecillior, non tamen continuè frigidior euadit, quòd non omnis imbecillitas ex intemperie frigida euadat. Sic & melancholicis hypochondriacis,

& quibuſcunque venter inferior graui humorum vitio laborat, ventriculus malè concoquit, ſi vitioſa illa qualitate laceſſitur. Cæterùm cùm ſint tot cauſæ enumeratæ, animaduerſione dignum eſt βραδυπψίαν promtiùs otiri ex ſomno exiguo, ex cibis qui ægrè corrumpuntur, & ſi vltrà quàm vires ferant, ſumantur. Quomodo autem cauſæ prædictæ diſcernendæ ſint, iam diſſerendum eſt. Intemperantiæ igitur ſigna ſunt: Calidæ quidem, ſitis, ardor, inappetentia: & à calidis læduntur, frigidis verò iuuantur. Frigidæ verò ſigna ſunt, ſitis defectus, appetitus maior, & à calidis iuuamentum. Corruptio quoque ciborum in nidoroſam qualitatem, vbi ipſi non fuerint eius naturæ, oſtendunt calorem, qui cibos vrit & corrumpit: & corruptio in acorem. vbi cibi non fuerint frigidæ naturæ, oſtendunt ventris frigiditatem, à qua multa pituita aceruatur. Siccitatem indicant ſitis, ſaliuæ defectus, corporis extenuatio, & ventris præſertim: à qua debilis eſt calor natiuus. Alimenta ſicca non appetunt, & aſſumpta ægrè ſuperant, ſed iuuantur ab humidis. Humida ſine ſiti eſt, & pauco potu ſatiatur, multam ſaliuam in ore habent, tardè concoquũt, fluctuationem ſentiunt, ab humidis læduntur, & oculorũ palpebræ quandoque intumeſcunt. Intemperantiæ verò quæ cum humore fiunt, agnoſcuntur ex his quæ vomuntur ac deijciuntur, aut ex linguæ affectibus. Cùm enim adſunt humores bilioſi, lingua redditur natura ſicca, ſcabra, ructus ſunt nidoroſi, & in eam naturam cibi mutantur, ac ſitiunt. Quorum humores frigidi ſunt, tales vomuntur aut deijciuntur, & lingua albicat, non ſitiunt, cibi corrumpuntur in acidam qualitatem, taléſque ſunt ructus. Præterea bilioſus ventriculus inediam difficulter tolerat, pituitoſus facilè. Quamobrem bilioſi ventres ante cibos magis quàm pituitoſi, & magis quàm poſt cibos læduntur. De his ſic & alij ſtatuere: Vbi in tunicis ventriculi impactum cumulatur excrementum, id ex inani nauſea ſeu vomitu qui nullum humorem euacuat dignoſces. Si calidum fuerit, præter nauſeam ſitis vehemens aderit, & interdum febris. Si frigidum, maior ciborum cupiditas excitatur, nec ſiti, nec febri affligentur. Poteſt & eſſe ventriculi imbecillitas ex partis mollitie & nimia laxitate, citra intem-

Signa.

periem

riem aliam, vel citra materiã. Si ab instrumentalibus quibusdam morbis prędicta symptomata oriantur, ex eorundem instrumentalium morborũ proprijs indicijs cognoscuntur. Si ex immodica cibi ac potionis copia, vel praua eorundem qualitate, intempestiuitate, incongruo ordine, eadem symptomata fiant, ex laborante vel astantibus intelliges. Si corruptela sequatur ex corruptionis differentia, alimẽtorum qualitas præassumpta argui poterit. Nam si in fumosam qualitatem corruptela vergit, argumentum est ex calidioribus, magísque biliosis cibis prouenire. Si ad acidam, ex ijs quæ frigida natura sunt, & pituitosi. Alioqui ad intemperiem cauta referenda est, vt suprà diximus. Vt verò distinguas vtrum intemperies duntaxat calida vel frigida, an vitiosus humor quispiam ventrem infestet, dare oportet cibos qui suapte natura quàm maximè aduersentur, vt panem illis qui in fumum transmutare consueuerunt, mel ijs qui in acidum. Et considerare oportet excrementa, tum quæ euomuntur, tum quæ per aluũ deijciuntur, num humor aliquis simul cum ijs excernatur vel biliosus, vel pituitosus, an nullo humore vacuato ipsa exiguam quandam mutationem habeant. Nam si sine humore perquã exigua in ipsis facta mutatione deijci videbis, intemperie duntaxat ventriculus laborabit. Si humor quoq; eijciatur, qui cibum corrumpat, videbis cibos huiusmodi humore submersos, & ab ipsius ventriculi actione manifestiùs alteratos. Præterea intemperato & imbecillo ventriculo dolór ferè à cibo commouetur. In confluxu humorũ ante cibum magis. Nam accepto cibo temperatur. Et imbecillitas stomachi frequens conualescentibus: magis etiam ab imperfecta criſi, quia plus appetunt conualescentes, quam possint concoquere. Debilis autem coctio noscitur ex flatu, rugitu, mora cibi in stomacho, pauco corporis refectione, faciei pallore, & multo sputo. Et hæc quidem ad maiorem elucidationem allata sint. Aduertendũ etiam est acidam eructationem non ad frigus tantum, sed & ad calorem referri apud Trallianum contra Galenum: vt notarunt iuniores. Vitanda maximè cruditas assidua est, cum ex ea vitiosi humores morbiq; gignantur, seu ex boni, seu ex mali succi cibis orta fuerit. Quanquã deterior sit, quam

Prognostica.

vitiosi cibi effecerunt. Quodcunque tamen prædictorum symptomatum ex cibis oritur, de facili corrigetur. Ex vltimo virtutis collapsu in Lienteriam, aut Tympaniam hydropem finitur. Omnes quoq; insignes ventriculi intemperies velut aliarum partium virtutem deijciunt. Ac idcirco cùm circa mediocres etiam & consuetos cibos nihil in totum effecerit ventriculus, maximam eius intemperiem prodit. Pessima in amara bile abundantibus naturis cruditas est, citissimeq; febrem accendit, in qua cibi in nidorulentam & fumosam qualitatem corrumpuntur. quando ea quæ in acidam vertit, vt rarò talibus naturis contingit, ita minùs nocet. Nidorosa ac fumosa cruditas minùs eisdem noxia est, si aluus lubrica fuerit. Sin astringitur, grauis est; siquidē ex astrictione vitiosæ materiæ in febres prompte inciduat: præsertim si ad solida opera conuertuntur. Omnium prædictorum trium symptomatum pessimum est ἀπεψία, si vitio facultatis fiat: sicuti βραδυπεψία minus affert periculi. Concoctio si omnino deficit, & corpus assumpto cibo nō pascitur, fit Atrophia. Si deprauata est, fiūt Vitiligines, Leuce, & Elephas. Ne quis autem in cruditatem incidat, cautione magna opus est, vt neq; in multitudine, neq; in qualitate eorum quæ in cibo accipiuntur, neque in acceptionis opportunitate, neque in ordine delinquat: & vt quæcunq; concoquere valeat, ea tantùm ingerat, & non quæ appetitus expostulat. Mensuræ itaq; maximè omnium diligentem curam habere debet, appetentiamq; refrenare, & neq; plus quàm vires tolerant assumere. Ordinem etiam præposterum cauere, ne scilicet mala cotonea aut punica, aut aliquid aliud tale inprimis ingerat: deinde verò fructus horarios aut olera assumat ex oleo & garo, aut etiam alia quæ aluum emolliunt. Intempestiuam quoq; assumptionē euitare, ne scilicet antequam vel ipse modicè fuerit exercitatus, vel hesternus cibus probè descenderit, prandeat, aut etiam præter consuetam horam. Fugienda etiam illi sunt omnia quę natura difficulter concoquuntur, veluti sunt carnes natura duræ, bubulæ nimirum, & ceruinæ: aut ætate, vt sunt omnia seniora. Cauendum etiam à pinguibus, salisque condimento seruatis, ac vetustis. Ex oleribus, quæ calidioris sunt naturæ, valdeq; frigida,

Victus ratio.

frigida,item quæ flatus pariunt,incommoda illi existunt. Ex piscibus,qui duras carnes habẽt,& repositione arefacti. Abstineat quoq; à cibis corruptis & fœtidis, grauè olentibus. Vitet fructus dulces,aut flatus generantes,& immaturos. Bellaria item quæ difficulter concoquuntur. Nõ minùs autem illi vitandi sunt cibi peregrini & inconsueti, ac medicamentariam vim habentes, quales frequenter placentis ac panibus immiscentur. Iuxta tempus verò accipiendi cibos,neq; impetuosè,neq; aceruatim, neque solidis partibus, aut absq; commanducatione ij sunt ingerendi. Neq; etiã potus cibum interpellet. id enim cibotũ vnitionem impedit,singulósq; innatare facit. Post assumptũ cibum motus inæquales ac conturbantes vitandi: itẽ æstus, & refrigeratio. hæc enim concoctioni ciborum resistunt. Adiuuant autẽ eandem calefactio hypochondriorũ,& frictio pedum. Quòd si grauitas adsit circa vẽtriculum, & ex ea molestia quędam in vniuersum corpus diffundatur,expassa manu os ventriculi apprehendendum est,aut puerulus carnosus admouendus; modò non sit humecta cute. Confert siquidẽ ampliùs, magísq; multo familiaris est eo calore,qui à fomentis paratur. Eiusdẽ vtilitatis gratia quidam paruos catellos per quietem ventri imponunt,copiã coquentis cibos caliditatis adaugentes. Somnus etiã nocte imperturbatus & æqualis procurandus est. Adhęc erectior decubitus apparetur,& ea quæ capiti subijciũtur,sublimiùs insternantur,& reclinatio ipsa in sinistrũ latus fiat. Atq; si quis vigilijs infestetur, citra corporis vexationem commotionémue permaneat,eãdemq; decubitus formã obseruet. Frequentes enim agitationes cibos perturbant, intestinaq; inflata reddunt. Hæc quidem vniuersalis est victus ratio hîc cõueniens,quam ex Aëtio & alijs tanquam multa lectione dignam in hunc locum transtulimus. Particularis autẽ instituenda est pro causarum varietate: vt si ex intemperie calida, vel calidis excrementis excitetur cruditas, contraria victus ratio præcipitur, & sic de alijs. Peti autem potest ex præcedentibus capitibus. Nec secus & medicamentorum ratio variatur, tam si calida fuerit, quàm si frigida ventriculi intemperies: citra humores,vel cum humorum redundantia. Quæ enim alterant,

Curatio per medicamenta.

purgant, ac roborant pro vtraque intemperie, ac vtrisque excrementis corrigendis abundè capite de Nausea & Vomitu descripta sunt. Aut si ex instrumentalibus morbis oriuntur prædicta symptomata, ex ipsorũ curatione & ipsa delentur. Sin ex alimentorum multitudine quæ concoqui nequit, aut eorum vitiosa qualitate cruditas fiat (quum videlicet iniucundus ructus proueniens manifestè ciborum corruptionem factam esse indicat) confestim procurandum, vt vomitu aut purgatione educantur. Eijciendus enim est cibus si coacuit intus, aut computruit: vomitu scilicet, si facilè vomant: idque potu aquæ tepidæ multæ, aut pennæ immissione in os, pauco aceto aut syrupo acetoso permisto, seu oxymelite. Si enim in ventre permanserint eiusmodi alimenta, & torsionis, & grauitatis capitis causa existunt. Aliquando bilis supernè ac infernè effusionem, aut profluuium ventris, aut etiam febres inducunt. Sin ægrè vomant, præsertim vbi multum, aut corruptum nutrimentum notabiliter ad inferiora ventris sit motum, adiuuandum est vt citiùs descendat, aut glande, aut clystere. Velut etiam si crudum aut diminutè concoctum in superiori parte ventriculi alimentum adhuc consistat, modò concoqui possit, aliquid diatrium pipereon dandum, aut piperis longi, aut albi, aut etiam nigri. In eundem vsum antidotus diacotoneon conuenit, & diospoliticon. Interim in quiete æger asseruetur, frictioneque pedum & hypochondriorum calefactione vtatur, & admotis moderatè calidis coctio iuuetur, vt suprà dictum est, donec murmura & flatus circa intestinum rectum eruperint, eructationésque cum qualitate mansuetiori recurrerint. Tunc sanè exurgere conuenit, primumq; aluus ea quæ corrupta sunt egerat, deinde ad deambulationẽ moderatam æger procedat, atque otium agat, propter commotos vapores ex corruptione in caput delatos. Dentur autẽ omnia huiusmodi medicamenta potissimùm quæ vocant oxypora, id est citò penetrantia, duabus horis ante cibum, cuiusmodi sunt carum, fœniculum, apium, ligusticum, oreoselinon, piper, zingiber. A cibo enim aliquid crudorũ humorum, & obstructiones parerent. Si non ex vitiosa qualitate alimentorum, sed intempestiuitate, aut inordinata sumptione, seu

re, seu exiguo somno cum corruptela cruditas generetur, eadem ratione curabitur. Illud tamen particulatim obseruandum est, quòd quibus ob flauæ bilis copiam in ventriculo cõtentam, vel calidam eiusmodi intemperiem dispepsia seu cruditas cum corruptela accidat, cibos corruptu difficiles, difficiléque concoctu offerre conuenit. Ea enim si in multum calorem inciderint, concoquuntur magis, quàm si moderato calori occurrerint. Hæc quidem vetustiores præscripserunt. Recentiores non dissimili curatione vtuntur. Nam ex eorum placitis vbi cibus corrumpitur, aut incrudescit, vomendus est hausta aqua tepida, aut descensus ipsius est procurandus ventris calefactione. Deinde cibo exclusо vomitu, aut ad intestina trãslato, venter roborandus fotu lanæ ex oleo nardino & mastichino: & vbi flatus relinquantur, anisum est sumendum, aut fœniculus, carui, cuminum, aut aromaticũ rosatum: aut in maioribus frigiditatibus diatrion pipereon, & similia duabus horis ante cibum. Post fotũ & medicamenti calidi assumptionem, quiescant ac dormiant, & post somnum cibos accipiant boni succi, coctu faciles, parum bibant, sitque vinum album austerum, aut flauum odoratum: & in frigida causa ad emendandas cruditates valet cœnomelitis parum bibitum postrema mensa, zingiber cõditum, Tragea ex semine fœniculi, anisi, coriandri, cum saccharo. Mel quoque rosaceum per horam ante cœnam quantitate ʒij. sumptum futuræ præuidet cruditati.

De ventriculi inflatione. CAP. XI.

EST & πνευμάτωσις γαστρὸς, καὶ ἐμφύσημα Græcis dicta ventriculi affectio, quæ à Latinis inflatio nominatur. Accidit q; ei vt instrumento coctionis, retentrice facultate imbecilla existente. Neq; aliud est quàm eiusdem ventriculi distentio, & dolor ex flatuoso spiritu: qui aut in ventris capacitate continetur, aut intra ipsius membranas. Nisi enim flatuosus spiritus sursum erumpat, quo casu ructum ciet, vel deorsum per sedem, tumque sonorum, silentémue flatum excitat, intus cum rugitu strepitúue concluditur, neutraq; parte emittitur. Vnde πνευματώδεις

seu ventosi sunt, quibus venter est impotens ad excrementosum nebulosumque excernendum spiritum. Quoniam verò probitas retentricis in duobus consistit, cùm videlicet tempus complectendi cibi cum tempore concoquendi exæquatur, ac cum cibos prorsus vndique constringit, ita vt nullum locum inter ventrem & cibos vacuum relinquat: iniustum quidem complectendi tempus excretio teler, & ciborum in inferiori ventre corruptela consequitur: de quibus alio loco dicturi sumus.

Clydones. Imbecillum verò complexum ciborum comitantur modò clydones seu fluctuationes cum sonitu, modò inflationes. quæ duo differunt tum ratione materiæ, tum etiam ratione causæ efficientis. Sed relicta fluctuatione, quæ citra potionem fieri non potest, sed ventre valenter refrigerato, vel cùm in eo nil contineatur quod verti in flatum possit, efficitur: de inflatione hîc tractabimus. Igitur pars in ea affecta ventriculus est, vt patet ex frustrata concoctione, propterea quòd retentrix relinquit vacuum inter ventrem & cibos. Affectus verò in quantitate, seu magnitudine est. Quanquam alij volunt inflationem esse symptoma vitiatæ coctionis à causa frigida humida. Differt autem ab œdemate, quoniam inflatio digitis pressa vestigium non retinet, ac sonitum veluti tympanum reddit: item quòd in cauitate sensibili subinde continetur, atque hac nonnunquam maxima. Inflationis causa spiritus flatuosus existit seu flatus copia, in ipsis qui in ventre sunt locis, succis videlicet quibusdam pituitosis, vel cibis inibi à deficiente calore in halitum solutis. Absoluta enim frigiditas nullum omnino flatum efficit, quòd ea nec extenuare, nec conficere, nec dissoluere cibum possit. Vehemens autem calor magna ex parte vincens ea quæ comprehendit, plus quàm pro vaporis generatione cibum extenuat, nisi is suapte natura facilè in flatum transeat. Calor verò in cibos agens si parum validus fuerit, eos quodam modo dissoluit, non tamen prorsus conficit, vnde flatuum generatio fit. Ita calor flatum generans moderato proximus est, sed à natiuo alienus. Is autem flatus cùm expelli nequeat, ventre impotente ad excernendum intus detentus propositum affectum

Pars affecta.

Affectus quis.

Discrimen inter inflationem & œdema.

Causa.

affectum creat. In inflatione grauitas adest & distensio nedum circa ventrem, sed & circa pectus, aliquando retro iuxta collum seu iugulum, ac dorsum, atq; ipsa vertibula irruit, sæpe & vtrinq; occupatos tenet. Dolorem sentiunt ægri in ventriculo & tumorem circa cartilaginem ensiformem. Vltra hęc, vehemēs spiritus difficultas ob septi transuersi compressionem adest: vt hi quiddam simile suffocationi patiantur. Ructúsq; inanes fiunt modicè alleuantes, & inhibitio flatuum, qui per aluum excerni consueuerunt. Quibusdam eorum dolores accidunt, & appetitus perditiones, & capitis dolor. Si ante perfectam restitutionē cibum accipiant, amplius membra ipsa inflantur, & cū dolore distenduntur. Leuantur alimento infernè subeunte, & flatibus siue per ructus, siue per intestina exclusis, murmura intus audiuntur. Et vbi flatuosus spiritus per intestina mouetur, multiformes edit sonitus, quorum nō omnes nomina sortiti sunt. Tamē ex diuersis sonitus differentijs, quale quantumq; excrementum sit, ac quo maximè loco voluatur, iudicari potest. Visus est quidam (vt referunt) cui flatus intra membranas ventriculi cōtinebatur, qui à ventriculo per gulam ascendebat, & minimè excernebatur ructu, sed speciē præbebat ægro suffocationis futuræ. Immorabatur ibidem nonnunquam vnius horę spatio, & deinde ad ventriculum recurrebat. Si inflatio ex cibis flatuosis oritur, flatus turbidus & nebulosus erit, quinetiā paucus & parū duraturus, qui vno aut altero ructu euanescit. Si ex eisdem cibis natura nō flatuosis, sed in vapores per imminutam caliditatē resolutis, fiat inflatio, ab assumptione eorundem pauco pòst tempore inflatio generabitur, & proinde ex ægrotantis vel astantium sermone id percipies. Si neq; assumptio ciborū præcessit, neq; eorundē natura flatuosorū, pituitosos humores in ventriculo contentos ac inhalitū solutos inflationis causam esse existimabis. Si ex atræ bilis effusione flatus generetur (quam affectionē Hypochondriacā nominant) præter reliqua metus & tristitia aderūt. Vbi diu perseuerauerit inflatio in cōualescentibus, recidiuam significabit. Qui morbo Regio laborant, non multum ventosi sunt. Communis ratio omnium inflationum in eo versatur, vt quod præter naturam est vacuetur,

Signa.

Prognostica.

quocunque in loco contineatur. Propria verò post hanc communem, est, vt tenuantibus & calidis potestate medicamentis perficiatur. Qua de re aêr vergat ad calidum. Somnus solito longior procuretur. Vbi somnus accesserit, ex toto leuat affectos, & mirificè coctionem adiuuat. Exercitatio primò leuis, deinde maior adhibenda est, maximeq; ea quæ superiores partes moueat; quod genus in omnibus stomachi vitijs est aptissimũ. Frictiones etiam extremarũ partium conferunt. Aluus sit lenis, & vbi fuerit astricta citra dilationem clyster infundatur. Inedia quoq; est interponenda: quàm si ferre non possint, cibi exhibẽdi sunt calidi, minimeq; inflantes. Eodem modo calidæ sint potiones. Sint etiam cibi coctu faciles, & boni succi quantitate exigui. Diuidantur sic, vt in prandio tertiam, in cœna reliquas duas accipiant. Abstineant à multis iusculis, leguminibus, & oleribus nimis dulcibus, quia talia flatus gignũt. Fructuum esum semper habeant suspectum, & præsertim viridium. Ordo ciborum quàm maximè seruandus est, & quantitate moderata. Post omnem cibum bibant meracius. Multum tamen potum tanquam hostem infensissimum deuitent. Potus sit vinũ album vel fuluum, anisi decoctum in non assuetis. Ventrem antè & retrò pannis purpureis obuoluant, & à cibo lenta deambulatione vtantur.

Victus ratio.

Medicamẽta.

Quod reliquum est, si non ita diu sumpserint cibum, aut cibus fuerit natura flatuosus præassumptus, primùm vomant. Post vomitum foueatur ventriculus oleo tenuium partium, cui ruta aut aliquod calidorum seminum incoctum sit: vt cumini, apij, petroselini. Aut lana in fasciculum inuoluta, & oleis prædictis leuiter calidis madefacta imponatur. Perseuerante malo, maioriq́ue existente frigiditate, daucus, baccæ lauri, nigellæ & rutæ semen oleo incoquantur, & ex eo irrigationes fiant. Interim etiam prosunt fomenta calida sicca, quæ ex milio & furfure parantur: vel ex semine lini, hordeacea farina, cumino, semine anethi, apij, fœniculi, oleo rutaceo, & hydromelite fiat cataplasma. Cucurbitulæ quoque magnæ cum multa flamma admotæ vmbilicum vndique comprehendentes toto symptomate liberant. Quod remedium videtur simile quid incantamenti efficere in huiusmodi affectionibus.

Clysteres

Clysteres item conferunt ex decocto foliorum rutæ, pulegij, calamenti, seminum aniti, fœniculi, dauci, cumini, furfuris, caricarum, ad ℔ j. addito oleo rutaceo, & anethino, melle rolaceo, confectione de dactylis, benedicta solutiua. Glandes quoque confidenter & citra dilationem supponuntur ex rebus flatus prolectantibus, vt hiera, rutæ semine, & cumini, æquali pondere cum melle cocto. Aut ex rutæ folijs contusis, cumino, pauco sale, & caricis simul inuolutis balani formantur. Vtilis est & potio absinthij, aut hyssopi, aut rutæ. Prodest & castoreum ex posca bibitum ʒ j. pondere, & acetum scillinum tum ante, tum post cibum, si ipsum absorbeant. Nec minùs confert si ʒ j. confectionis de cinnamomo exhibeatur, de xiloaloës, dianisi, diacumini, diacalaminthes, diatrium pipereon cum exiguo vino diluto. At si ex pituitosis humoribus in halitū dissolutis qui in ventre contineantur, inflatio oriatur, ij priùs vacuandi sunt. Vacuentur autem aut vomitu, aut per ventrem, (modò priùs apparentur) idque per medicamentum purgans, vel per acres clysteres. Indigent enim interdum qui inflammationem patiuntur, alui ductione. Poterit tamen & ante purgationem, vbi ex flatuoso spiritu genito ex prædictis humoribus ingens dolor vrgeat, admoueri vna ex dictis cucurbitulis cum multa flamma, quò ventosus spiritus digeratur. Post id vacuandus est humor, quando ijs illico ad tempus dolor cucurbitula sedabitur, quamuis redeat, vel sequenti nocte, vel postridie, vel tertio, similis dolor. Cùm verò vomitu vel medicamento expurgatus fuerit pituitosus succus, prædictis medicamentis omnibus intus & extra vti poteris. Illud quoque recipiendum est in omnibus stomachi vitijs, vt quo modo se quisque æger rexerit, eo sanus vtatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi eisdem defendatur bona valetudo, quibus reddita est. Redit autem bona valetudo ijs qui ex flatuoso spiritu laborant digerentibus adhibitis, tum cibis, tum per sedem iniectionibus, tum cataplasmatis, tum humidis siccisque fomentis. Veterum curationem imitati sunt nostri, qui præter ea omnia quæ huc allata sunt, iubent ventrem foueri oleo anethino, laurino, rutaceo, ac deinceps puluere cymini inspergi, idque longè à cibo. Et in ciusmodi affe-

ctibus post aliquam vacuationē imperant, vt ægri regionē ventriculi sensim & leuiter, seu quotidie magis magisq; comprimāt. Quod fit commodè fascia supra emplastrum aliquod stomachicum apposita. Opiatæ & pulueres ad intemperiem frigidam humidam, hîc quoque ab illis vsurpantur.

De Lienteria, & Cœliaca. CAP. XII.

LIENTERÍA dicta est antiquis, quasi λεῖότης τῶν ἐντέρων, id est, lęuor seu læuitas intestinorum. Λεῖον autem læue Græcis significat, id est continuum, & nulla parte diuulsum: sed sibi vndiq; cohærens, & æquabili superficie. Vnde (ex eorum sententia) in Lienteria est æquabilis intestinorum superficies, & propterea cibi non retinentur, sed est celer & facilis descensus eorum per ventrem, ita vt nihil aut parum mutati sint, sed suam speciē adhuc referant. Sed id nomen Lienteriæ falsò inditū censet Galenus, quia non semper adest læuor, neque perpetuò amittitur asperitas, quæ ad retinendum facit. Sed sunt etiam aliæ causæ Lienteriæ, de quibus infrà. Adde quòd à proprio temperamento coquit ventriculus, non propter asperitatem. Lienteriæ proxima est Cœliaca, quæ nomen etiam sumsit à parte affecta, estque exitus eorum quæ per os assumūtur, non tamen omnino crudorum & incoctorum: neque tam celeriter in cœliacis egeruntur, vt propriam speciem ostendant: quod fieri in lientericis diximus. Differunt itaque Lienteria & Cœliaca maioris minorisque ratione. Cum enim retentrix cibos prorsus non complectitur, (tantum abest vt complectēdi tempus exæquet cum tempore concoquendi) Lienteria dicitur. Si verò retinet quidem, non tamen ad consummatam concoctionem & tempore illegitimo, Cœliaca seu Ventralis nominatur. In vtraq; enim læsa est concoctio, & proinde succedit celer exitus, vel eorum in ventre corruptela. Vnde & alia symptomata, deiectionis humiditas, & digestio in corpus diminuta. Itaque Lienteria celer est per ventrem & intestina esculentorum potulentorumque transitus, quo talia deijciuntur, qualia fuere deuorata. Vel est coctionis priuatio, nulla secundum consisten-

Cœliaca vnde dicta, & quid sit.

Lienteria quid.

consistentiam, neque secundum colorem, aut odorem, aut aliam vllam qualitatem in ventriculo mutatione facta. Pars autem affecta est ventriculus & intestina, nec absurdum est symptomata quædam intestinis & ventriculo simul affectis euenire. Suntque ambo dicta symptomata in genere noxæ functionum naturalium retentricis videlicet, eiusque abolitæ, & non concoctricis. Non enim quia incocti permanent, citò deijciuntur, sed quia citò deijciuntur, idcirco nullam habent coctionem. Nam retentrix impotens est tanto tempore cibos detinere, quanto indiget coctrix facultas pro eorum coctione: & est motus deprauatus expultricis intempestiuè priùs quàm absoluta coctio fit expellentis. Itaque in Cœliaca diminuta est actio, in Lienteria abolita. Alij opinantur Lienteriam non esse actionem læsam, sed ad eam consequi. Volunt enim symptoma esse tertij generis, nempe excretum immodicè: quod accipiendum est, quantum ad excretam substantiam attinet. Sequuntur autem dicta duo symptomata ventriculi morbũ, nempe intemperiem, à qua retentrix debilitatur. Intemperiem (inquam) vẽtriculi & intestinorum, è quibus fit distributio. Intemperies autẽ vel simplex est, vel cum humore ibi genito, vel aliunde fluente, vt a cerebro. Is humor vt plurimùm salsa pituita est, vel acida. Est & interdum acris humor, aut res alia eiusmodi expultricem irritans vt abijciat cibum, quomodo in vesica fit strangutia, in ano tenesmus excitatur. Et quamuis scribũt alij humorem calidum rarò in causa esse, cùm & ipse præterquam quòd cum deiectionibus excerneretur, fortè etiam exulcerationem pareret: sequi tamen eadem symptomata solutionem continui testatur exulceratio, à quorundam humorum mordacitate atque acritudine totius ventriculi ac intestinorum abrasa superficie. Illa vlceratio non est dissimilis Aphthis appellatis. Vlceribus etiam occasio est pharmaci portiuncula retenta in rugis & asperitate ventriculi: quod ab agarico, colocynthide, metallicis, & rebus quibusdam venenatis, vel non satis comminutis, vel maligna qualitate præditis inferri solet. Post Dysenterias etiam & vlcera intestinorum cicatrices fiunt, quæ si obducantur osculis vasorum, per quæ à tenui intestino ad

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

portas hepatis inuehitur chylus. defluit alimentum aliqua ex parte, sed non omnino confectum. Fit quoque interdum Lienteria ob multam bilem permixtam alimentis, & quæ effluxit in ecphysin, quæq; nimiùm euacuando recrementa intestinorum, cibum facit descendere ante coctionem. Idem facit multa saltatio à cibo, & medicamenta calfacientia post cibum sumpta, vt diatrium pipereon. Causæ aliæ remotæ sunt ingestio ciborum prauorum, corruptorum, fœtidorum, acrium, mordentium, aut supra modum humidorum, vsus medicamentorum ventrem purgantium, vel quæ ipsum lenificare possint. Sequitur & quandoque Lienteria expurgationem Ascitis. Accedit nimia frigiditas, vehemens ardor, excellens humiditas interna, aut ciborum, potionum, & aeris ambientis, aut loci habitationis. Ex frequenti præterea equitatione post cœnam Lienteria secuta est. Sunt qui flatum adijciant impedire ventriculi retentionem. Et vt annotarunt alij, contingit aliquando id mali ob neruorum à sexta coniugatione prodeuntium villos interioris tunicæ ventriculi constituentium resolutionem. Alij aliam adiunxerunt causam, scilicet intestinorum læuorem: cuius rursus duplicem causam statuũt, humorem quendam glutinosum internæ toti tunicæ obductum, & cicatricem perpetuam, quam Dysenteria & profunda exulceratio inuexerit. Ab his duabus causis meatus clauduntur à cicatrice conniuentes, & à lento humore obstructi. Itaque cibi per corpus non digeruntur, sed per intestina vacuantur. Est enim Lienteriæ præcipuum symptoma, cibi crudi per aluum excretio. Postea idipsum symptoma morbi nomen promeruit, omnisque eiusmodi excretio Lienteria dici cœpit, à quacunque causa nata esset. In Cœliaca materia non sunt mordaces, quæ imbecillitatem sequi consueuerunt: ac perinde atque graue aliquod onus deponuntur. Et causa Cœliacæ est assidua cibi corruptio, & cibus cacochymus. Adhæc frigiditas aut vehemẽs ardor, aut plagæ ventri inflictæ. Ex longis quoq; morbis facilè contrahitur. Quanquam verò signorũ maior pars ex antedictis patet, nisi eadem sæpius repetere velimus, dicemus tamen in Lienteria celeriter alimenta excerni, nihil aut parum mutata: nam si nulla mutatio fieret,

Causæ Cœliacæ.

Signa.

corpus

corpus haud nutriretur, ac proinde nõ viueret. Sunt igitur ſubalbida, maximè aquoſa & liquida excrementa, nulla commixta bile, aut ſanguine. (Tria enim ſunt genera alui profluuij ab excretis deſumta, cibus non mutatus, ſanguis, quiuis humores crudi vnius generis, vel permixti.) Et alimenti nomine non cibus tantùm, ſed & potus audiendus eſt. Ardor totis hypochondrijs ineſt: & ingens vrget cibi faſtidium. Vnde ægri cibum nõ ſentiunt, & in cachexiam incidũt. Epulæ potionesq; ſine dolore, crudæ, inæquales, aquoſiſſimæ deijciũtur, vt nihil de forma amiſerint: qua potiſſimũ nota à Cœliacis diſcerni diximus. In ea quæ ab acri humore eſt, doloris ſenſus eſt, qui ſi perſeuerat, Dyſenteria fit: adeſt febris, & ſitis. Permeantibus cibis exulceratæ partes dolorem ſentiunt, atq; ideo à ſeſe depellũt. In imbecillitate nullus doloris ſenſus ineſt, & meliùs eunte morbo, ructus acidi commouẽtur. Quæ ſequitur imbecillitatem, & omnino fit ex intemperatura, ea nonnũquam habitualis eſt. Sic nominant quæ læſo corporis habitu fit: vel quia propter aliquem humorem in ventriculo atque inteſtinis contentum intemperatura illa habitualis ſic in habitu firmata eſt, vt calore ſuppreſſo coctionem prohibeat, & cibum diluat humiditate. In Cœliaca ſolùm læuia & humecta egeruntur, ventre digerere nequeunte. Vnde imperfectè cocta redduntur, & ſemichyloſa, nec tamen ita celeriter egeruntur vt in lientericis. Cibum etiam auerſantur ægri, & decolores ſunt, atque vehementer graciles. Lienteria quæ fit ab humorum acredine, totius ventriculi atque inteſtinorum abraſa ſuperficie, ceſſante humorum malignitate, ſtatim ſanatur cibis ac potibus qui vim denſandi habent. Si longiori tempore perſeuerat, in Dyſenteriam tranſmutatur. In longis læuitatibus inteſtinorum ructus acidus ſuperueniẽs, qui antè non erat, ſignum bonum. Inteſtinorum læuitates cum ſpirandi difficultate & punctura in tabem deſinunt. Lienteriam etiam conſequuntur tabidæ febres. Si affectus autumno incipiens ad hyemem vſque ſe extendat, difficiliùs omnino curatur. Si poſt Diarrhœam, aut Dyſenteriã, aut longum morbum fiat, lethalis eſt. Hi enim indigent virium reparatione per cibum ac potum. Sed concoqui, diſtribui & aſſimilari hæc non poſ- *Prognoſtica.*

sunt. Lienteria fit intestinis longo cursu materiæ læsis. Læuitas intestinorum faciliùs à teneris depellitur ætatibus, vtique si moueri abundantiùs vrina, & ali cibo corpus incipit. Difficillima prouectiorib. hominibus est, maximè si longis torminibus intestinorum succesſit. Sub eodem vitio periculum maius fiet, si ita frequens deiectio est, vt venter omnibus horis noctu & interdiu fluens, somni tempora corrumpat. Adhæc si cruda prorsus ea est, aut nigra, vel more bubuli stercoris leuis & fœtida, si cibi amittitur cupiditas, crescit bibendi desiderium, si pro modo potionis æger non meit, si os ipsi exulceratur, rubetq; facies, & quasi maculis quibusdam colorum omnium distinguitur. Pars speratæ sanitatis est vrinæ modũ poculis respondere cœpisse, corpusque nutriri, ac sine febre, sine prauis coloribus esse. Sæpe hic morbus corrupto cœlo in populum grassatur, nec rarò longa inualetudine confectos tollit. Interdum etiam pulmonis vomicam, vel abdominis abscessum, vel pectoris aut renum suppurationem certo ægrotantis periculo secutus est. Cœliaca si diutiùs durat, ad magnam desperationem res deuenit, ægris ad conuenientem diætam pigrescentibus. Et hic morbus curatione initio adhibita facilè tollitur, postea difficiliùs. In curando legitimus victus instituatur, causa priùs cognita. Si hæc fuerit motus corporis, vel aër ambiẽs, vel vsus alimentorũ prauorum, hæc omnia euitentur. In alijs causis communis curatio & scopus est, vt refocillentur ventriculi ac intestinorum retentrix ac concoctrix, per diætam vtique refocillandis viribus idoneam. Diæta enim via est ad affectionis extirpationem compendiosissima. Itaque si ex calida intemperie orta est Lienteria, seu calidis succis adhuc non exulcerantibus, (alioqui ad curationem Dysenteriæ confugiendum esset.) aer ad frigidum vergat. Somnus longior præcipiatur, præsertim nocturnus. Diurnus enim nocentissimus est, nisi lassationis sensus adsit, aut nox vigilata præcesserit. Vespere à cœna dormiendum. Vbi è somno surrexerit æger, ad deambulationem prodibit: vel frictionibus vtetur, aliquo linteo asperiore. Hæ autem incipient à cruribus, deinde ad brachia, postea ad dorsum, denique ad ventrem & pectus accedemus. Rursum à pran-

Victus ratio.

d:o

dio deambulationi indulgendum, & animi laxamenta adhibenda. Nam huic morbo exercitationes & frictiones sunt necessariæ. Vitet & immodicos animi affectus, iram potissimùm, & in tranquillitate degat. Cibi offerantur qui non nimis astringant & reprimant, vt qui valde acerbi, sed qui astringentes facilè concoqui & distribui possunt. Quales ex chondro, oryza, alica, & similibus parantur, cum quibus astringens aliquod concoquitur, vt rhu, pyrum, malum cydonium, mespilum, vua acerba, myrti baccæ, & id genus, accedente biliosa fluxione, & intestinorum ac ventriculi abrasione. Detur & similago in iure pullorum decocta: similiter intybus & cichorium. Abstinendum tamen ab oleribus, quæ prauum succũ præstant. Ex leguminibus lens bis cocta, & oryza cum lacte. Conueniunt carnes pulli assæ, gallinarum, turturum, turdorum, pulli columbini syluestris, carnes vituli elixæ, aut hœdi. Conueniunt & carnes auicularum montanarum & pulli gallinacei assi, in quorum ventre thus aut mastiche imponi debet. Conueniunt & aliæ aues quæ non sunt pingues, præter paluſtres. Ex pedestribus tenerrimæ & friabiliores sunt leporum & capreolorum, concoctis etiam simul quibusdam fructibus astringentibus supradictis. Quę interdum assæ exhibeantur, & inter assandum aqua rosacea, & omphacio, & germinibus myrti irrorentur. Redundante humiditate aut frigiditate, miscemus cinnamomũ, anisum, piper, caryophyllos, nucem aromaticam. Vitelli etiam ouorum assi & acero intincti cõmendantur. Ex fructibus vua modica pensilis, citonia, poma, pyra, sorba, mespila, & reliqui fructus astringentes similes. Mediocritas in illis seruanda erit. Atq; hi ipsi cum pane exhibendi sunt, & ante reliquos cibos. Licet edere palmulas, amygdalas, sed nuces ventrem mordent. Si fieri quoq; potest, duobus tribúsve diebus à cibo abstinẽdum, aut cibus diuidatur. Duæ partes in cœnam reseruentur: atq; ipse etiam qui in prandio exhibetur panis dimidiatus per se sumatur. Pani anisum immisceatur, aut panis sit biscoctus. Duarum cibationum quantitatem tribus vicibus licet impartiri. Potus sit vinũ aquosum, tenue, subastringens, quantitate paucum, vt nec cibum interpellet, sed post omnem cibum præbeatur. Si febris adest, detur aqua mastichina, aut chalybeata,

vel cum cinnamomo decocta. Proderit & lactis potus, ita vt in principio recèns mulctum & calidum detur: postea ad mediocritatem decoctum. Hoc modo exhibitum simul sistit ac temperat fluxiones, præsertim calidas: sitq; capillum, vel ouillum. In omni fluore alui, tum in hoc præcipuè seruandum, vt cùm pleraque vtilia sint, qualis est plantago & rubi, & quicquid malicorio mixtum est, ea potissimùm ex his dentur quæ maximè æger volet, & ad excitandā cibi cupiditatē interponatur aliquid minùs vtile, sed magis gratum. Parum enim deterior cibus ac potus, suauior autem, meliori quidē sed minùs suaui est præferēdus. Oportet quoque alimenta minori quantitate assumere, vt auidiùs appetantur, & retineantur. Et si Lienteria fit ob alimenta pinguia & oleosa, vtendum spissis & siccis alimentis. Ea quanquam à ventriculo difficiliùs conficiantur, meliora sunt ijs quæ citò nutriunt, iuxta Aphor. Eorum quæ vniuersim & velociter nutriunt, &c. Vbi igitur nedum calida intemperies, sed & acres, & mordaces succi in intestinis redundantes læuitatis intestinorum causæ sunt, priusquam vires extremè deficiant, purgentur, priùs tamen (si licebit) coquantur ex syrupo de infusionibus, syrupo cichorij, myrtino, oxysacchara, succo citoniorum quem miuam appellant, aut syr. oxalidis, seu citri acido, cum aqua plantaginis, vel oxalidis. Purgētur (inquam) decocto corticis myrobalanorum citrinarum, & tamarindarum, in quo dissolue mellis aërei ʒj ß. vel syr. rosa. ex infusionibus ʒ iij. rhabarbari optimi in parte prædicti decocti macerati ʒj. Ita enim humor qui ad ventrem confluxerit, reuellitur siue à capite, siue aliunde. Purgantur & humores peccantes sero lactis, cassia, manna, & similibus. Et fluxiones interdum adeò copiosæ sunt, vt cohiberi nequeant, nisi bilis repurgetur. A purgatione dentur astringentia, vt semen plantaginis tritum ac potatum: lapathi semē tritum, cancri marini testa, calycum, papaueris torrefactorum ʒj. semen capitis papaueris tritum. Immatura mora prosunt sicca, & trita in potu exhibita. In eundem vsum nostro more syrupus de ribes, & de rosis siccis conferunt: & cum eis ʒj. cornu cerui, aut seminis plantaginis, vel oxalidis præbeatur. Nihil autem quod valde astringat exhibendum,

Medicamē-torum ratio.

nisi

nisi corpore vacuato, multo etiam minùs astringendum, si qua febris suspicio est. Similiter ʒj. trochiscorum de spodio, vel de terra sigillata tribuatur. Corticis præterea glandis decoctum confert, decoctum item pelliculæ, quæ sub cortice quercus reperitur. Quidam vtuntur ventriculis gallinarum siccatis, ac tritis, potui insperſis. Commoda sunt & quæ vrinam cient, cùm deriuationem moliantur: vt apium, fœniculum, anisum, adianthum, acorum, syrupo de duabus, de tribus radicibus, aut de bizantijs permisto, aut syrupo ex absinthio, aut myrtino, aut ex infusione rosarũ cũ aliquo prędictorũ decocto, vel cũ decocto adianthi & 4. seminum frigidorum vti conuenit. (Nequaquam enim negligendum est vẽtriculi aut intestinorum robur.) Cauendus tamen largus eorum vsus. Mirabiliter quoque confert vomitus, tum à cœna, tum ieiuno factus, maximè si humores in ventre sint collecti. Nam si sint in intestinis, frustra vomitum ciebimus. Et vomitu vtendum, si humor læuis aut fluitans nauseam facit, & æger facilè vomit. Alioqui purgatio anteponenda est. Si cibos non continent, affixa cucurbitula ingenti vtendum est', vt cõtineatur cibus: & tandem si nil proficimus, dropace & sinapismo. Priùs tamen ab extra adhibitis leuioribus, ventriculo & intestinis consulendum. Quare illinãtur oleo citoniorum, myrtino, rosato, absinthij, addita hypocistide, balaustijs, acacia, chia mastiche. Citonium quoque in vino astringenti decoctum, addita hypocistide, bolo armenio, corallis, santalis, & mastiche proderit, si eo vẽter illinatur. Saccelli item parandi sunt in eundem vsum ex purpurẽis rosis siccis, santalis, corallis, balaustijs, hypocistide, corticibus citri, & mastiche, qui in succo citoniorum & aqua rosacea macerentur, & modicè calidi sæpius admoueantur. Ad vlcus exiccandum conueniunt potiones ex succo plantaginis & rosarum, ex decocto astringenti, quibus miscentur terra sigillata, bolus armenus, corallus vterque, trochisci de carabe. Dantur & conseruæ astringentes, nostris satis cognitæ. Sin verò intemperies calida est citra humorum redundantiam, prætermissis purgatione, diureticis, & vomitu, alterantibus tantùm & astringentibus modò dictis vtendum est. At si Cœliaca vel Lienteria oritur ex frigida intemperie

aut pituitosis succis, aer eligatur calidus. Cibi quoque sumantur contrarij, vergentes quippe ad calidum: cum quibus nonnulla etiam calida ac ventriculo grata admisceantur, veluti anisum, cuminum, cinnamomum, galanga, calamus odoratus, caryophylli, piper, nux moschata, ac reliqua similia. Competunt & brassicæ bis coctæ. Vinum autem detur eis calidius ac vetustius, modicè tamen dilutum sit. Pituitosa autem excrementa si adsunt, & ad os ventriculi repant, vacuentur vomitu: aut alioqui parentur syrupo de absinthio, è mentha, è corticibus citri, myrtino, melle rosato, oxymelite simplici. Postea ducãtur myrobalanis kebulis, agarico, hiera picra, diaphœnico, pilulis mastichinis, alephanginis, de hiera: quæ etiam salubris est, si ambigis an pituita vel bilis ventriculum offendit. Vtranque enim vacuat. Clysteres acres injiciantur. Postea roboretur ventriculus sumpto grano thuris, aut chiæ mastiches, aut sumpta ʒj. theriacæ, mithridatij vel micletæ. Sumptis etiam syr. de absinthio, aromatico rosato, diacumino, diagalanga, diatrium pip. zingibere condito, myrobalanis kebulis conditis, diacitonio cum aromatibus. In omni Lienteria & fluxu alui laudatur pudendum cerui & tauri. Forinsecus emplastrum ex chia mastiche dissoluta oleo nardino & de absinthio, cæratum stomachicum, emplastrum de gallia moschata, cataplasma ex mica panis extincta vino rubro cum puluere mastiches, rosatum rubrarum, menthæ siccæ, absinthij sicci, oleo nardino, de mentha, de absinthio. Ex quibus & vnguentum paratur, addito puluere caryophyllorum, nucis moschatæ, macis, galangæ, cinnamomi, spicæ nardi. Cæterùm cùm in omni fluore, tum in hoc maximè necessarium est, non quoties libet desidere, sed quoties necesse est, vt hæc ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. At quæ ventri applicantur, abundè sint calentia. Tepida enim eius firmitudinem exoluent. Quòd si in malum corporis habitum, & ventris inflationem inciderint, venter liniendus est oleo de absinthio, & puluere cumini ac rutæ aspergendus. Laudat Aëtius postremo loco vstiones quæ in summo vẽtre fiunt, interuallo duorum digitorum aut ampliori, & vlcera multo tempore aperta seruare licet. Fiant autẽ crustæ aut candẽti ferro,

ferro, aut caustico medicamento. Ex recentioribus porrò addi potest quod sequitur. Si cicatrices ciborum impediũt digestionẽ, detergẽtibus validis vtemur. Quare ijs acrium rerum comestio velut refricatio quædam cicatricum imperatur, atq; adeò vtilis est. Quin & calorem insitum reuiuificat, & concoquendi facultatem refocillat. Quapropter abstergentia misceantur astringentibus. Propterea à Practicis commendantur sinapi, cæpæ, allia. Sed vt alij volunt, hæc vbi humiditatibus corporis permiscentur, suam acrimoniam amittunt.

De Cholera. CAP. XIII.

VT in explicandis ventriculi & intestinorũ affectibus progressum faciamus, ad χολέραν Græcis dictã (vulgò Cholericam) transibimus. In qua ventriculus supernò infernóq; ore ad excernendũ vtens, ab aliquo quod morsu vel pondere contristat, diuexatur. Ea nomen sumpsit à causa putata, nempe bile quæ per eam affectionẽ copiosè effunditur. Vel sic dicta est, (vt alij censent) quia materia quæ per ventrem effertur ex intestinis excerni videtur, quę à Græcis χολάδες nominantur. Et χολερικοὶ vel χολερικῶντες dicuntur, qui Cholera morbo laborant. Cholera etiam numero singulari significat bilem, sed χολερὰ, χολερῶν, plurali vitium est vẽtris, malumq; mirificè præceps. A fluore fellis nomen habet Aureliano. Est autem Cholera immoderata perturbatio, quæ per aluum & vomitum propter stomachi subuersionem offensionemq; prouenit. Seu Cholera affectus est acutus, & ferè sine febre, cũ vomitibus multis, aluiq; deiectionibus. (Cholera interdum cum febre esse potest, cum larga vtrinq; vacuatio vitio expurgando satis esse non potest, sed pars materię in venis putrescit. vnde febris.) Vel breuiùs, Cholera est bilis tum supernè, tum infernè eruptio. Porrò non ita liquet quæ nam pars in ea afficiatur, cùm dicat Celsus commune esse id vitium stomachi, & intestinorũ, in quo simul vomitus adsit & deiectio, seu inter stomachum & intestina versari. Sed potiùs dicendum ventriculum affici secundum totum, (non secundum superiorem aut inferiorem partem) cui coafficiuntur stomachus seu gula, & intestina: in quibus inflatio est, vt

Cholera sic nominata.

χολερικοί.

τὰ χολερὰ in plurali.

Cholera quid.

Pars affecta.

dicetur. Est autem deprauatus motus expultricis, vt nausea & vomitus. Ac proinde symptoma est in genere noxæ facultatum naturalium, & propriè expultricis deprauatæ. Quanquam fit interdum citra eiusdem facultatis noxam. Perpetuò tamen aliquem affectum præter naturam consequitur. Verùm haud ita propriè nominant Choleram: vt si fiat propter ciborum qualitatem. Pluribus enim ex causis Cholera oritur, quas vt diligentiùs exponamus, duplicem ex. Hip. Choleram, aridam videlicet & humidam, afferemus. Ac quamuis in vtraq; immoderata est ventriculi perturbatio, differunt causa & symptomate. Arida enim fit ex flatuoso spiritu, qui siue excernatur, siue retineatur, partes neruosas lancinat, ac mordicat. Et arida Cholera ventrem inflat, strepitum, & dolorem tum laterum, tum lumborum excitat, aluus nihil deijcit, sed astringitur. Neruaceæ partes ab illo spiritu vellicantur, vt vtrumq; orificium ventriculi: vnde fiunt duo motus contrarij naturæ valde molesti. quare crura & manus contrahuntur, animaq; deficit. Humida verò Cholera gignitur ab humoribus, vel alimentis, vel medicamentis. Nam ob prauorũ humorum, ac ciborum seu potionum stomachum offendentiũ qualitatem, bilis si adest, naturam sursum ac deorsum ad excernendum irritat. Alimenta quoq; succum crudum flatuosum procreant, acrem & facilè putrescibilem, quæ scilicet ægrè coquuntur, & tardè permeant, vt intestina suilla infarcta sanguine, cæpis, pipere, pinguedine, caseo, suilla caro, bubula, caprina, ventres animalium infarcti, boleti, oua frixa, & quæ humiditatem acrimoniæ coniunctã habent, vt pepones, mala armeniaca, chrysomela, cucurbita. Corrumpuntur hæc facilè, & acrimonia fluxiones irritant ex toto corpore, mordicantes orificia vasorũ, quæ ad ventrem pertinẽt: vnde vomitus, ac deiectio. Quo loco etiam animaduertendum est alimẽta facilè corrumpi in corporibus intemperatis, quę coquuntur facilè in temperatis, vt dulcia, quæ excitandæ Choleræ apta sunt. Cùm enim hic morbus fiat ex corruptione alimentorum, corrumpuntur etiam bona alimenta ob intemperiem vẽtriculi calidam, & humores in eo contentos maximè ob bilẽ. Alia est causa corruptionis eorum à quibusdam allata, quia eo ordine

Quid affectus præter naturam.

Causa.

non

non est assumptus cibus quo debebat, vt cucurbita facilè putrescit, si alijs cibis misceatur. sic & pepones, & melopepones. Porcelli quoq; carnes Choleram pariunt & turbationē, quia humidæ, acres, & choleraceæ. Excitant & hunc affectum medicamenta, quæ sua natura vomitū cient, & ad ventriculum trahunt excremēta, vt elleborus, colocynthis, scammonium, & reliqua violenta pharmaca, ex quib. aliquando generatur cōuulsio, aut immoderata purgatione, aut neruorū substantiā reficcatā, aut demorso ore ventriculi neruis laborantibus per consensum ab æruginosa bile: aliquando etiam Cholera sequitur, quia mordentur partes neruosæ vi medicamenti, & acrimonia humoris attracti, à cuius quantitate vētriculus potest comprimi, idq; cùm humores non sunt ad purgationem parati. Et Cholera fit aliquando ex toto corpore, aliquando ex quibusdam partibus, vt hepate: & huic maximè familiares sunt cōtractiones in musculis & pulpis tibiarum, quas cōtractiones vulgò crampas appellant. A liene etiam, mesenterio, capite fluit humor propter aliquas causas externas, vel internas. Frigida etiā applicata Choleram gignunt, aut frigidarum aquarum vsus, si eas biberint, aut in eis diutiùs natauerint. Et de causa Choleræ sic quidam inter recentiores: Cholerę causa est bilis quæ tempore in suo folliculo, vel in iecore, vel in liene, vel circum pancreas, vel circū intestina stomachumq; cumulatur: cumq; supra modū aucta naturæ grauis & infesta esse cœperit, huc illuc impellitur ac diffluit, vt etiam ea perculsi toxicum se bibisse putēt. Choleræ indicia sunt ventriculi & intestinorum morsus, quē sequitur fluxus ventris, & vomitus variorum excrementorum. Aut vomitus biliosus est, ac nidorosus, vel acidus, ad plures horas perseuerans continuè. Venter infernè eadem excernit. Sequitur sitis, animi deliquium, spirituū multitudine cum humoribus effusa, frigidę sudationes, pulsus celer, frequēs, paruus atq; concisus. Musculorū, manuum ac pedum, maximè verò surarum contractio & tensio, & nedum bilis suprà infraq; erumpit, sed primùm aquæ similis deiectio est, deinde vt in ea recens caro lota esse videatur, interdū alba, nōnunquam nigra, vel varia. Vel iuxta alios, bilis suprà infraq; magno impetu prorūpit, primùm liquidior, pallida,

Signa.

& flaua, dein craſſior, maioremq; colorem exhibens, flauum, praſſinum, cæruleum, aut etiam nigrum. Circa vmbilicũ fiunt torſiones quas Græci στρόφους vocant, ſeu diſtentiones ex flatibus in ventre collectis, teſte Alexandro. Vbi Cholera excitata eſt ex copia bilis ſeu aliorum humorum prauorum redundantia, ex proprijs humorum dictorum ſignis colliges. Si alimentorum aſſumtorum ac etiam potionum copiam, aut prauam qualitatem ſequitur, ex laborantis vel aſſidentium ſermone percipies: velut etiam ſi vſus rerum frigidarum, aut frigidorum medicamentorum ad extra adhibitorum præceſſerit. Cholera affectus eſt ferox, acer, acutiſſimus, qui vel vno die, vel altero, vel certè paucis diebus hominem rapit, ſubſtãtia corporis effuſa, partim aſſiduis vomitionibus, partim ijſdẽ deiectionibus. Choleram eſſe cum febre malignũ eſt, quia cholera & febre vires atteruntur ac labefactantur. Cholera interdum Syncopem inſignem, immodicamq; virium reſolutionem inducit, idcirco accuratè internoſci, & celerrimè curari poſtulat. Dilatio enim omnibus morbis acutis nociua eſt. Et in Cholera exigua ac leuis curandi mora haud ſimplicem offenſam, ſed & abſolutam tabem conciliat. Cholericæ paſſiones æſtate atq; autumno magis fiunt. Pueris ſunt familiares, ſenioribus rariores & formidabiliores. In eo morbo vehemens ſitis inutilis eſt. Optimus accedens ſomnus. Pars ſanitatis eſt ſuppreſſum eſſe vomitum. Sæpe etiam verſa in veſicã materia, ardor inde vrinæ fuit. Summo in periculo res vertitur, ſi Syncope comitatur, aut ſi quod euomitur, malè olet, ac ſtercoraceum eſt. Quod autem non olet, id tutum eſt. Plærunq; poſt largiorem vſum melonum, cucumerum, & aliorum id genus contingit, vt ventriculus grauiter laboret, euomatq; viſcida & pituitoſa, laborantisq; facies mortuo ſit ſimilis. Cæterùm nil medicũ terrere debet, quòd nil inde periculi impendeat. Quibuſdam Diarrhœæ & Choleræ certis interuallis omnem corporis redundantiã educunt. Et ſunt quibus ſtatis periodis eiuſmodi Choleræ ſalubriter moueantur. Sed vomitu & deiectione biliosa excernũtur nonnunquam tanto impetu, vt inanito ſimul ſpiritu multo, vires langueãt, & tremor cordis ac Syncope ſæpe ſuccedãt, & mors. Nulli enim morbo

Prognoſtica.

morbo minori momento succurritur, quàm huic. Victus norma ferè eadem est cum ea quæ præcedenti capite demonstrata est: nisi quòd leuiter astringentia nedum in cibis permiscentur, aut parum antè assumuntur, sed etiam post cibos, cùm simul ingruât vomitus & alui fluor. quanquam & ea moderata esse debent in principio. Nam si quis initiò, aut aceruatim ea quæ efferuntur, cohibere aggreditur, is maioris mali autor est. Inutilia enim cùm sint, vacuatione opus habent. Qua de re ea si non sponte ferantur, adiuuare conuenit opportunè. Ita vomitus vomitu curatur: de quo paulò pòst. Sed vt ad reliquum transeamus viuendi modum, æger moretur in aere mediocri ac temperato, parumq; luminoso, quia calor & lumen humores exagitant, ac spiritus resoluunt. Tenebræ contrà sedant, ac quietos reddunt. Frigus verò etsi spiritus resolui prohibet, materias ad ventriculum & intestina protrudit. Adhæc alimenta hîc debent esse medicamentosa, vt citonium coctum in causa calida, panis maceratus succo granatorum, hordeatum cum saccharo rosato, & quæ sine negotio nutriunt, ac sine fastidio deuorantur: quæque parata sunt, vt non facilè corrumpantur, nec reijciantur, vt assa. Dum itaq; excrementorum purgatio est, ius pulli conuenit. Dum ea modum excedit, caro perdicis, aut pauonis indi assa, succo arantij aut vuæ acerbæ inspersa, & pampini vitis succo deuorato. Et lentes elixæ. Valent & sorba, pyra, poma austera, & siti vexante atq; ardore lactuca, aut endiuia cum aceto elixa. Potus sit aqua cinnamomi, aut aquæ chalybeata, aut vinum nigrum austerum eadem aqua dilutum, frigidum sensim deglutiendum. Aqua saccharata, vel hordei decoctum, aquæ loco propinari potest. Vitentur animi affectus, potissimùm qui materias introrsùm trahũt, vt mœror, timor, cura. Quies procurãda atq; somnus. Incipiẽte aũt morbo permittendũ est opus naturę, dũ quę corrupta sunt & deprauata excernit, & æger meliùs habet: quinimò leuiter iuuãda. Sed cũ ea excedit modũ, nõ modò medicamẽtis, verùm & alimẽtis supprimendæ sunt vacuationes. Astringentib. nõ vtimur priùs q̃ secessũ vel vomitu vitiosi humoris bona ex parte sint expulsi: nisi periculũ syncopes aut cõuulsionis impẽdere videamus. Quãuis. n. hæc

Victus ratio.

Medicamẽtorum ratio.

excretio vtilis sit, periculo tamē nō vacat ex immoderata virium prostratione. Corruptis itaque cibis in ventriculo propter eorum copiam vel qualitatem prauam, aqua tepida liberaliore exhibita, ægrum vomere iubebis: potissimùm vbi purum sit quod per ventrem aut vomitum excernatur, sed nauseent vellicenturque ægri: qua aqua data vomere oportet digito, vel penna ori indita. Multa etiam vtendum est, vt quæ aluum cum vomitu sine noxa irritare potest. (Mulsam tamen damnat Aetius, quoniam mordet & torsiones efficit; & oleum aqua mixtum, quoniam fluxionem auget.) A vomitu somnum ægris præcipere oportet, atq; quietem, & præcordiorum fotum. A somno paulatim reficiantur: ita vt cruditas tantùm vitetur. Nisi enim quid impedimenti fuerit: celerrimè rursum ad statū naturalē reuertuntur: potissimùm si ob copiam ciborum fuerit obortа: quanquam neque huiusmodi affectum propriè Choleram nominant. Nec minùs vbi procliuiora fuerint corrupta alimenta, vt per aluum excernantur, eademque via natura expellere tentet, conuenit iuuare excretionem per sedem purgantibus medicamentis leuioribus vtendo, diuersis scilicet pro natura corruptorum alimentorum, præsertim eis quorum mentio superiori capite facta est. quæ iterum in pauca quantitate exhibeantur, ne in grauiora pericula ægri ex immodica vacuatione ducantur. Quod etiam obseruandum est, vbi bilis seu quiuis alius succus alui vitiosus, aut corruptus, ad excretionem procliuis, naturam irritare videatur, nihilque effatu dignum, vel per aluum descendat, vel per vomitum erumpat. Vbi adest copia humoris bilioſi, rhabarbarum partim infusum, partim in substantia exhibemus: hieram picram, & agaricum intermiscemus, vbi pituita & cruditas iuncta est: addunt alij aloem, & myrobalanorum decoctum. Morsum quoq; intestinorum mitigamus, & excrementa educimus clysteres ex aqua hordei iniecto, aut etiam addito rosaceo. Et cùm corpus collabi, & facultas ægrè ferre cœperit vacuationem, & iam strigmenta, & intestinorum rasuræ, & colliquamina excernantur, humorum impetus in cōtrarium vertendus est crurum & brachiorum frictionibus, illitis manibus oleo anethino, vel irino. Per has enim præter

auersio-

auersionem, curantur conuulsiones, quarum etiam gratia miscetur oleum de castoreo. Ligaturæ quoque dolorificę, atque artuum compressiones iuuant. Cucurbitulæ etiam affixæ scapulis, dorso, lieni, hepati. Balneum item ad cutem trahens. Maiori ex parte vacuata materia (quod fit in horis viginti quatuor plærunq;) ventriculus roborandus est: ne attractis à vicinis partibus excrementis, vt à liene, iecore, intestinis, ea quæ præter naturã est vacuatio continuetur, quæ alioqui periculo non vacat. Sed ventriculus potiùs roborandus est admotis, quàm sumptis: quoniam admota meliùs roborant citra ventriculi nauseam, vel subuersionem. Quæ verò sumuntur, faciliùs reijciuntur propter agitationem. vbi modicè se remittit malum, plus proderũt sumpta quàm admota. Admota illa perpetuò sint astringentia. Sed calida in frigida causa, & contrà. In hocq; morbo eligenda sunt, quæ citiùs penetrant ob partium tenuitatem, & minimè sunt emplastica, nec valde abstringunt, vt fotus herbarum, & oleorum. Nam sacculi & emplastra nonnisi post multas horas id præstant. Emplastra verò declinationi magis apta sunt, quia meliùs & diutiùs retinentur, ne tam frequenter vnctione opus sit. Itaq; cùm humorum excretio quieuerit, venter oleo mastichino, vel de absinthio, vel nardino cum vino exiguo fouendus, & probi succi cibo vtendum erit. Et cùm ventriculus habeat functionem toti corpori communẽ quæ caliditate perficitur, perpetuò calida miscenda sunt frigidis, tum ad iuuandam coctionem, tum ad penetrationem. At si immodica fuerit inanitio, ita quòd vehementer & vomitus & deiectio vexent, cauendum potiùs ne quicquam tribuatur quòd vomitum vel aluum cieat: & ventriculus debet refici tum cibis prædictis in ratione victus, tum medicina. Et vbi aderit bilis, commendarunt antiqui aquæ frigidæ potum cyathi mensura. Cauendum tamẽ ne nimiùm frigida existat, aut aceruatim exhibeatur: cui pampinorum vitis, aut mali punici acidi succus modicus instilletur. Vel in eadem aqua capreolorum vitis decoctum fiat, aut rosarum, aut œnanthes, aut rhu, cui menthæ paululum sit adiectum. Item eiusdem mali punici succus cum menthæ succo absorbeatur: multa tamen quantitate succus mali punici menthæ

succum excedat. In eundem vsum syrupus ex omphacio, & ribes, ex citri acido, aut succo malorum punicorum acidorum, myrtino, ex infusione rosarum, cum pauca quantitate syrupi de mentha, nostro more præbeatur. Valent in eũ vsum pastilli de electro Galeni cum aqua plantaginis stillatitia, aut succo mali punici, dati dormituro. Hæcque astringendi ratione adhibentur. Si reuomãtur, nil vetat quò minùs eadem rursus recipiat. Nam vel in ipso transitu, nõnihil iuuatur venter: & tandem manifestè auxiliantur. Nec minùs cataplasmata, vnguenta, & alia topica ventri imponenda sunt: particularim ex palmulis, œnanthe, hypocistide, acacia, rhu, malicorio, succoq; eiusdem, & quandoque capreolorum vitis, vuæ acerbæ. Vbi intolerabilis fluxio existit, & sisti nequeat, virésque vrgeant, extremorũ refrigerationes, conuulsiones, & animi defectus oriantur, ad vinum transeundum est mediocriter astringens, neque viribus validum, & quod dulce sit, non autem odorum: idque cum mica panis exhibeatur. Aut in ipso eadem macereturque, atque ita paulatim per interualla cochlear absorbeatur. Vinum enim illis est saluberrimũ. Si neque his auxilijs cibum retineant, cucurbitas admouere oportet ipsi ventriculo. Nam validè retrahendo vomitum cieri prohibent. præterea si diutiùs adhærẽt, concoctionem iuuant, & ventrem cohibent. Retinetur & medicamentum sumptum ijsdem admotis. Et si vomitus fiat ab hepate, vna supra hepar ponenda est: si à liene, supra lienem. Neque his partibus admouenda sunt astringentia, quia sic fortiùs expellunt sua excrementa. Cæterùm consensus est veterum medicorum, dropacem impositũ ventri singulare esse remedium vomentibus. Si aluus adhuc egerit, amylum cum decoctione papaueris infundatur per clysterem. Aut indatur clyster ex decocto rosarũ, capitum papaueris, & acaciæ. Hæc simul cohibent, refrigerant, & somnum inducunt. Eodem spectare videntur qui imperãt incrassantia, vias & ductus constringentia, etiam stupefaciendo, si necessarium est. Rursùm frictiones per manus adhibeantur quietæ & mites, extremorum deligaturæ, & si aluus magis vrget, plures fiant in brachijs & iuncturis, quibus illa cum manibus committuntur. Sin vomitus maior est,

ior est, tum femora, tum talos constringi, & paululum ipsa dissoluendo rursus deligari oportet, quo materiam in contrarium reuellamus. Odoramenta quoque naribus admoueamus. Illitiones soporiferæ circa frontem fiant, vbi vigiliæ torquent. Si extremæ corporis partes frigent, vngendæ sunt oleo calido, cui paululum cæræ adiunctum sit, calidísque fomentis fouendæ. Si syncope adest, buccella panis imbuta vino naribus admota, & ore retenta vtendū est. Conspergenda facies aqua frigida, vel aqua rosarum: & in causa frigida, adiecto vino, vel moschi modico. Ad contractiones valent linimenta, tum cærata liquida, quibus adiectum sit aliquid castorei, & olei irini: hísque spina dorsi foueatur, musculi conuulsi, & articuli. Quo etiam tempore interponenda potio absinthij est. Aut si singultus accidit, vel alius motus tremulus ac similis conuulsioni, danda est opera, vt cesset. Dandum vinum rubellum, austeriusculum, myua citoniorum. Emplastrum ex rosis, santalis, & citonijs stomacho admoueatur. Sin spasmus est ex inanitione, curetur litu, vel fotu, vel balneo ex oleo violato, si causa est calida: liliaceo in frigida, & cęteris in spasmo dictis. Sitis mitiganda est aqua hordei, iulep rosato, succo & syrupo granatorum.

Accidentiū correctio.

De Diarrhœa seu alui profluuio.

CAPVT XIIII.

ΔΙΑΡΡΟΙΑ, quæ Hippocrati & Galeno quandoque ῥοώδης etiā appellatur, Latinis Diarrhœa, & alui profluuium, Celso fluxus vētris nominatur. Quanquam verò Diarrhœa omne alui profluuium significat, propriè tamē est rheumatismus ventris, quando liquida aluus est, & sæpius quàm ex consuetudine fertur. Itaq; Diarrhœa definitur alui fluxio copiosior, & diuturna, sine phlegmone & exulceratione. Alijs Diarrhœa dicitur deiectio assidua humidorum excrementorū, vt pituitæ, bilis alterius synceræ, vel inuicem mixtæ, citra cruentas deiectiones, tensionem, ac incoctorum ciborum excretionem. Pars quæ in ea afficitur, ventriculus est cum omni intestino. Qua de re alui deiectiones, vbi præter naturam sunt, ventrem

διάῤῥοια, ῥοώδης.

Diarrhœa quid.

Pars affecta.

affectum esse indicant. Neque tamen semper venter inferior in ea malè habet. Sæpe enim decumbit aliundè materia, tumque vel iecur, vel lien, vel cerebrum, vel totum corpus affectum est citra ventriculi, aut intestinorum læsionem: vt & ventriculus affici potest citra totius corporis, vel aliarum partium noxam. Porrò qua ratione inter se distinguãtur eæ partes, dicetur in notis. Quodlibet alui profluuium haud dubiè symptoma est in genere excretorum immodicè. Nam quæ in eo excernuntur, aut tota substantia, aut quantitate, aut qualitate à naturali recedunt. Patet etiam cuiuis, quòd omnino id morbis succedit, vel continenter, vel alijs intercedentibus symptomatis, cùm sit semper aliqua causa præter naturam, quæ ad talem motum naturam stimulat. Notum est præterea ex necessitate ventris profluuia euenire coctione vel distributione frustrata, nisi ad intestinorum exulcerationem consequantur. Neq; tamen semper necessariò retentrix, vel expultrix facultas læsa est, quia interdum symptomaticè, hoc est non ad animalis commodum, neque tempestiuè excernitur: interdũ verò tempestiuè, & ad animalis commodum, cùm prouidentia scilicet de salute & virtutis robore: quod maximè attendendum est in curatione. Ac quomodolibet fiat alui profluuiũ, crebriores ac liquidiores fiunt alui deiectiones, cum leui interdum dolore, interdum cum grauissimo. Et si ea quæ deijciuntur, sint bonæ valetudinis signa, vel non, sic internoscitur. Si mádens seu aquosa crebrò & paulatim, aut vniuersim & sæpe, ac cum stridore, grauissimoq; dolore est, symptomatica erit, natura nõ per se expurgante, sed ex aliquo irritamento stimulata, neque inde vlla vtilitas prouenit: imò talis vacuatio prauæ dispositionis erit signum, potissimùm in principio (nisi magna plenitudo adsit) nullaq; præcedente coctione, & in febribus. Quemadmodum si multo interposito tempore ac vniuersim, citra stridorem, cum exiguo, aut nullo dolore excernatur, præcesserintque coctionis signa, ac proportionata fuerit alui deiectio corporis dispositioni, ægerque facilè toleret, & iuuetur ex tali vacuatione leuiùs se habens, virtusq; robustior euadat, tunc bonæ excretionis indicium erit: quia natura expellit atque expurgat noxios succos, qui corpus infestabant.

Affectus quis.

infestabant. De hac re sic & alij: Cùm natura quæ praua sunt excernit,& notæ coctionis præcesserunt,naturæ functio est,& confert,& bene fertur. Itaque hanc probamus vacuationem,quoniam si sensim fiat,tãdem ad sanitatem solet deducere ægrum. Si subitò, inter bonas indicationes recensetur,atque est alia ratione symptoma quod consistit in excrementi mutatione. Quòd si id quod excernitur, bonum est,sed à natura irritata pellitur, ac modum excedit vacuatio, bifariam symptoma erit cùm in excrementi mutatione,tum in actionis læsione. Sic etiam vbi malum fuerit quod vacuatur,sed tempus coctionis non expectet. Sed his prætermissis,vtcunq; fiat alui profluuium, accidit propter imbecillitatem instrumentorum coctioni deseruientium. (Et ventriculi imbecilli familiaris est affectio, diuturna Diarrhœa.) Item ob alimenta copiosiora,humidiora,& viscosiora,eorundemque corruptelam, mordicationem deniq; in ventre collectorum humorum, & quorundam è supernis ad ventris spatia defluxum. Adde & imbecillitatem facultatis retentricis. Atque ex permixtione humorum cum alui deiectionibus variatur nõ solùm color deiectionum,verùm etiam consistentia atque odor, & copia,neque seruatur tempus secretionis assuetum,licet concoctio ac distributio ventriculi vel intestinorum per se & primò non læsa sit. Humorum autem cruditatem vitiosi cibi potúsque, aëris intemperies,insuetum otium,cutis astrictio,longæ febres & acutæ moliuntur, quæ & humores,& ipsum corporis habitum vitiant. Verùm sicut eadem febribus quandoque succedit, sic illas non minimè proritat ex desurgendi frequentia. Quòd si etiam rosio, aut dolor,aut calor immodicè (quę pro qualitate humoris fluentis sentiuntur) in ventre atque intestinis sit, hinc vel longè magis febrilis affectio increscit. Nec solæ febres Diarrhœam mouẽt: verùm etiam venena sumpta, & purgantia medicamenta,quæ intemperiem in iecore, ventriculo,aut intestinis reliquerint, quæ quamdiu manebit, aluus descendet, perque eam corrupti humores, non vnius quidem generis,sed varij pro ciborũ differentijs & ægrotantis intemperatura vacuabuntur. Syntectica etiam appellata fiunt alui excrementa,in calidissimis aut pestiferis

Causa.

febribus, idq; in corporibus humidis, mollibus, pinguibúsue. fit & Diarrhœa ob ventris constrictionem externam vel à medicamentis, vel ab aëre nimis constringente. Vt si post medicamentum purgans aëri frigido se exponat: vel si medicamentum effrene fuerit, vt colocynthis malè præparata. Notæ verò causarum manifestæ sunt. Nam si Diarrhœa fiat propter imbecillitatem instrumentorum quę coctioni seruiunt, ab eorum scilicet intemperie hac vel illa, eius signa ex præcedentibus capitibus repetenda sunt. Vt si admodum aquosa deiectio fuerit, minimeque graueolens, ad candidum potiùs vergens, quàm croceum vel nigrum, & interim spumosa, alimenti nõ probam coctionem, seu eiusdem imperfectam distributionem significabit: præterquam quòd alimenta nõ probè concocta cum illa deiectione apparebunt: neque tale profluuium determinatas periodos habet. Interdum nausea & vomitus infestabunt. Atque vbi diuturnum fuerit alui profluuiũ, propriam ventriculi passionem testabitur. Si rufa seu admodum crocea alui deiectio fuerit, bilem esse causam iudicabis, neque citra mordicationem & caloris sensum ejicietur. Aderit oris amaritudo, sitis, tenuis corporis habitudo, & alia quæ biliosam constitutionem ostendunt. Ac cùm retinetur bilis, capitis dolores succedunt, naturam humoris referentes. Pituitosa quoque Diarrhœa ex pituita excreta dignoscetur, ventris frigore, sitis defectu, & nonnunquam faciei & ventris inflatione. Sic si melancholicæ deiectiones fuerint, melancholiam alui profluuium efficere conijcies. Et vt distinguere licet qui humores peccent, ita quæ partes primariò affectæ sint operæpretium est dignoscere. Si itaque est à toto corpore atque à multitudine humorum, agnoscitur fieri, si singulis annis bis aut ter fiat, natura sese exonerante liquidis & serosis humoribus, & notæ illius redundantiæ apparuerint, præcesseritque victus ratio talia gignens siue in toto habitu, siue vniuersis vasis, item otiosa vita, soliti exercitij dimissio, ingestorum ciborum & potuum copia, ac consuetæ alicuius excretionis retentio, neque vllum aderit signum particularis partis affectæ. Quæ etiam à toto est propter colliquationem, noscitur, cùm portio carnis quæ colliquatur in ventrem defluit,

Signa.

& tunc

& tunc per aluum excernitur deiectio glutinosa, opima, admodum graueolens. Si propter imbecillitatem retentricis vniuersi corporis, ex totius corporis extenuatione, præcedente hectica, vel ardentissima febre, percipitur. Ob defluxum à cerebro agnoscitur ex ijs quæ circa caput apparent, vt grauitate, multitudine sputi, & quòd aluus manè & noctu magis fluat, quàm alio tempore: & hæc species Diarrhœæ longo tempore durat: quique hac laborant, ob pituitam & cruditatem alimentorum non multùm sitiunt & somnolenti sunt. Interualla fluxionis quædã fiunt. Itemque distillatio, & capitis dolor antecesserunt, maximè si subitus calor atque frigus fuere. Spumosa aderunt excrementa. A iocinore vbi malum ortum fuerit, chylosæ erunt alui deiectiones, probè tamẽ ventriculi coctione celebrata, potissimùm si attractrix læsa fuerit: idq; propter distributionis imbecillitatem, vel quòd plus cibi assumptũ fuerit, quàm hepar indigeat: aut citiùs deiectus fuerit propter ventriculi & intestinorum retentricis facultatis imbecillitatem. Interim bilis multitudo in deiectionibus apparebit, aut signa aderunt immodicæ inflammationis, aut caliditatis: quemadmodum si ab obstructione proueniat, indicia obstructionis apparebunt. A mesenterio quoque, intestinis, aut ventriculo crassus humor funditur & mucosus, isque magis de die, sine certis interuallis prodit. Ab eodem etiam mesenterio bilis citrina ardens, nec rarò etiam spumans, vt à iocinore, in ventrem dilabitur, idq; sine magno ventris dolore, sine torminum opinione, certis quibusdam interuallis, & per noctem incidit: sed breuior hic fluxus est eo quẽ ventriculus mouit. Idemq; ferè sequitur, si è liene, vel ab ipso fluere mesenterio atra bilis in aluũ cœpit. Qui casus longè difficilior est. Sed discernete inter hũc humorem conuenit, & inter sanguinẽ concretum, longa immoratione, longoq; ductu præassatum, nigricantem, ac liquidæ pici similimum. Itaque si hic ipse, non autem melancholicus humor est, cruentus vel adest, vel præcessit vomitus, quo tincta lintea rubescunt. Nihil verò horum in deiectione bilis atræ subest. In Diarrhœa aliquando os ipsum affectum est, vt in pueris: aut lingua, aut vtrunque, vt cùm edunt caninos dentes, aut laborant

Prognostica.

aphthis. In principio, vel declinatione morbi acuti solet accidere Diarrhœa, & post longos & diuturnos morbos varij humores purgantur: quæ vtilis est Diarrhœa, in principio quidem cùm magna plenitudo adest, in declinatione verò apparentibus coctionis signis. Sed in morbis qui cum tabe & Atrophia coniuncti sunt, mortem significat, vt in hydrope ob imbecillitatē partiū naturalium, & præsertim facultatis retentricis, & in quibusdam inflammationibus, vt costarum & pulmonum, quæ inutilis est, qua nihil ab inflammatis partibus euacuat, & corpus liquefacit. Vno autem die fluere aluum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus diebus, modò intra septimum conquiescat, neque denuò turbetur, ac neq; febri, neque vehementer siti afflictet. Verùm in spatio periculum vertitur. Interdum enim id tormina ac febres concitat, virésq; consumit. Febrem autē accessisse, aut semel quiescentem deiectionem reuertisse, eandemque diutiùs trahere cœpisse periculosum est, siue biliosa deiectio fuerit, siue cruda ac pituitosa. Æquè noxium est inflammationem esse iocinoris, aut præcordiorum, aut ventris, itemque aluum variam cum dolore diu profluxisse. Cæterùm ante tempus compressam esse deiectionem, tutum nō est. Incipit enim affici stomachus, febrésque oriuntur, & viscerum inflammationes. Quin etiam rapta sursum materia dolores in caput incidunt, aut insania fit, aut lethargus, aut parotides periculo non vacantes, prout humor est qui huc fertur. Balbi à diuturno alui profluuio capiuntur. ophthalmiam Diarrhœa sanat, quibus in ventrem superflui humores conuertuntur. Diarrhœa quidam est abscessus κατ' ἐκκρισιν. Longo alui laboranti profluuio spontaneus vomitus superueniens morbum soluit. Exigua deiectio, glutinosa, candida, subcrocea, potissimùm vbi læuis fuerit, exitiosa. Exitiosior verò nigra, liuida, opima, fœtida, diuturnior si versicolor sit, nihilominus etiam exitialis. Alui fluxio sine vlla noxa est, si maturè definit: quod quidem fit, vbi contracto iam ventre, nullus ampliùs à superiniecta manu motus eius percipitur: simulque nouissimam aluum flatus secutus est. Profluente aluo mutari excrementa, sed non in deterius, prodest. Biliosæ deiectiones accedente surditate cessant, &

contrà

contrà surditas ijsdem deiectionibus finitur. Ructus quouis in fluxu ventris acidus, qui ab initio non fuit, sed pòst accessit, confert. Vbi pluribus diebus non descendit aluus, docet aut subitam deiectionem, aut febriculam instare. Malum est fusa aluo cibi cupiditatem amitti, aut fingultũ fieri. Excrementa ventris more atri sanguinis nigra, quæ & cum febre, & sine hac vltrò deijciuntur, pessima sunt, eoque semper peiora, quo eorum plures colores repræsentantur non boni. Eadem, vt medicamentum eduxerit, præstat, idque quanto plures fuerint horum colores. Aluus vastam bilem fundens per initia morborum, mortifera est. Parque periculum ostenditur, si profluente ventre, nausea, vomitus, & delirium occupant, itemque si sic infirmus est homo, vt pulsus sit ipsi assiduè vermicularis, & formicans, qui ne sumptis quidẽ epulis inualescat. Quin subitò fluere aluus incipit post longum morbum, aut ti is etiamnũ manens, nil inde mitescit, ægerque hunc malè sustinet, in certo periculo rem esse sciendum est. Æquè horrendum censetur citam aluum hydropi initia præbuisse: aut post vlcus accessisse melancholicum, itemq; propter superiorum exulcerationem intestinorum, ac præcipuè ieiuni incidisse: aut perseuerante profluuio pustulas quæ antè fuerunt, delituisse: aut denique in sene fluorem inuereasse, aut hominem primò veluti aquam aluo excreuisse, dein humorem more vnguenti pinguem. Persæpe tum à syncero alui profluuio, tum à longo nata fuisse tormina obseruatũ est. Qui casus fœminæ prægnanti exitiosus esse solet, & vt ipsa quàm maximè conualuerit, partum tamen corrumpit, ac perit. Ferè autem fit, vt quos longa exercẽt alui profluuia, his pedes intumescant. Hæc tanquam perutilia (licet prolixa) ex iunioribus collecta, in hunc locum translata sunt.

Curatio autem diuersa est, prout Diarrhœa est cum febre, vel sine febre, vel prout critica, aut symptomatica. Nam cùm integrè iam facta est iudicatio per alui profluuium, vel adhuc fit, totum naturæ est permittendum, nihil nobis agentibus, nisi conuenientem victum instituentibus. Erit autem conueniens victus quo ad eius quantitatem, prout vires requirunt ac reliqua: quoad qualitatem spectat diuersus, pro diuerso redundante humore: & in summa si-

Curatio.

milis ei qui dictus est capite de Cruditate, vel de Lienteria, vel Cholera, vel qui mox dicetur: donec ipsa se natura cõponat, & ad integram perueniat sanitatem. At si non integrè videtur iudicare, ac segnis natura in euacuando fuerit, neque fides habetur eam posse in futurum integrè iudicare, & corpus perfectè expurgare, motum eius adiuuare oportet, etsi criticè euacuet: seu id quod deficit, supplere nos conuenit. Namque quò maximè natura vergit, per loca conferentia ducere oportet. Præcipuè autem in fluxionibus ventris cum febre, naturæ actio attendenda est. Quamdiu enim non excesserit, & coctionis notæ præcesserint, vtilis erit. Vt igitur ad curationẽ transeamus (quando ea requiritur) à victu inchoantes, alimenta præscribemus dari medicamentosa, quę palato grata sint, vel omnino saporis expertia. Ob id fructus astringentes in iusculis incoquentur recentes, vel sicci, & si horum sit penuria, citoniorum succus iusculis addetur. Ponetur & in polentis cotallium vstum, cornu cerui vstum, puluis fructuum astringentium exiccatorum. Conueniunt laborantibus Diarrhœa carnes pullorum assæ & turturum, perdicum nouellarum, & passerculorum, ac pullorum columbinorum, quibus in biliosa fluxione addemus succum arantij, aut succum vuæ acerbæ. In alijs rhu obsoniorum, cinnamomum, mentham, & caryophyllos. Licet quoque eisdem aues elixare, ventribus oppletis rhu obsoniorum, frustis malorum cotoneorum, & granis mali punici. Pani anisum addetur, & furfuris parum admitteturoryza quoque elixa in iure carnis, aut in lacte cõueniet, & lens parata, seu cum plantagine elixa. Potus erit aqua chalybeata in biliosis fluxionibus, in pituitosis vinum nigrum austerum: & venter fascia purpurea tegetur. Quod verò spectat medendi rationem, corruptis cibis in causa Diarrhœæ existentibus, pro natura corruptelæ eorũ humores vacuandi sunt. Nam si ad frigidum corruptela vergat, medicamentis quæ frigidos succos purgant, vti expedit. Si ad calidum, quæ calidos. Deinceps ijs quæ ventrem roborant, vtendum est. Verùm vbi biliosæ fuerint deiectiones, bile ad inferiorem ventrem confluente, ea præparetur oxysacchara, syrupo ex infusione rosarum, aut de cichorio. Purgetur rhabar-

Medicamentorum ratio.

rhabarbaro, & myrobalanis citrinis parum toſtis ad ʒ j. vel ʒ ij. vt finita vacuatione febris deſinat, & venter roboretur. Sunt autem aſtringentia magis vel minùs cum purgantibus medicamentis admiſcenda, prout magis vel minùs alui profluuio laborat æger, ac vires permittunt: & partes ventris ſunt imbecilliæ. In longis Diarrhœis cùm humores diutiùs deſcendentes hominem moleſtant, & ciborum appetentiam lædunt, & inteſtina laxant ac mordent, vacuare oportet quod retinetur, aut perficere eam quæ nondum perficitur vacuationem, per ea medicamenta quæ ſimul vacuationem perficiant, & ventrem roborent. Si à multitudine humorum fiat, fluatque ſufficienter aluus, danda erit opera vt corpus alimentis craſſioribus nutriatur, & humorum acrimoniam potiùs frangamus, quàm medicamentis aſtringentibus retineamus. Et quò ſecuriùs aſtringentia adhibeantur, vtile eſt dare priùs aliquod tenue medicamentum laxans & aſtringens, vt ſi quid reſtet vacuandum, vacuetur. Vbi pituitoſus erit ſuccus, eo cocto ac præparato ex melle roſato, oxymelite, è ſucco borraginis, vel corticis citri, aut reliquis ſimilibus, purgetur agarici decocto cum ſyrupo roſarum ex infuſionibus, aut ex eodem agarico cum rhabarbaro catapotia formentur. Neque enim hîc agaricus vitandus eſt. Adde & hîc aliquid myrobalanorum kebularum. Sin eſt Diarrhœa ex ſucco melancholico, idem ſyrupo è fumariæ ſucco, ſyr. borraginis, lupulorum, cum eo qui fit ex infuſione roſarum, aut è corticibus citri, cum decocto borraginis & lupulorum concoctus ac præparatus purgetur ſena, epithymo, cum myrobalanis indis, addanturque mellis aërei ʒ ij. Interim quàliſcunq; fuerit redundans humor, conferunt clyſteres ex decocto hordei non decorticati, ac torrefacti, iure gallinarum ſeu pullorum gallinaceorum, ſaccharo rubro, ac oleo roſato. Et pituita redundante in vicem olei roſati, chamæmelino aut anethino vtendũ, & loco ſacchari rubri, roſato melle. Vtimur frequenter his clyſteribus detergentibus, quando non licet medicamentũ dare, vel ob virium imbecillitatem, vel ægri difficultatem. In hiſque clyſteribus olea raro ponuntur. Fiunt & ex ſero lactis cum ſaccharo & melle. Dantur

Agaricus.

& in fluore alui clysteres, cùm ægrè humor vacuatur, aut cum torminibus, ob flatus & materiæ visciditatem. Tumque ad doloris sedationem oleum anethinum miscetur, & maiorem quantitatem sacchari, aut mellis, & aliorum detergentium oportet addere. Vitelli ouorum adduntur, vt mitigent dolorem. Rosas addemus in fine: cùm magis est constringendum, quàm detergendum. A purgatione, si perseueret profluuium, adeò vt vires consumantur, & habitus colliquetur, sistere fluorem oportet, tum per ea quæ per os sumuntur, tum quæ per anum infunduntur, tum quæ forinsecus imponũtur. Nam cùm euacuatio modum excedit, cohibenda est. Verùm in Diarrhœa biliosa cùm astringemus, sensim agendum, potissimũ vbi diutina fuerit passio. Bilis enim in ventrem cõfluens si retineatur ibidem, dolores, rosiones, & capitis morbos efficiet, ac ciborum corruptiones. Natura præterea quæ diu misit in ventrem aliunde genitum excrementum, corrigenda priùs est, ac sensim in contrarium habitum mutãda: & interim roborandus & astringendus venter. Dentur itaq; cibi generantes bonum & paulo crassiorem succum, cuiusmodi ptisana est, & eius cremor. Paretur ea ex hordeo torrefacto probè contuso seu extenuato, & aqua pluuiali, adiectis mali punici acidi granis, ac oxalidis foliis, aut iure gallinarum, seu pullorum gallinaceorum, eisdem quoq; adiectis, decoquatur. Biliosus enim humor magis lenientibus vt descendat, quàm in corpore retineatur, est solicitãdus. Sed ad biliosas fluxiones nullum præsentius remedium quàm lac bubulum, aut caprillum. Qua de re si non vrgeat febris, tepidum lac recens mulctum ac potatum magnoperè auxiliatur, aut ad ignem decoctum & assiduè agitatum, donec ad tertias sit redactum. Similiter etiam si per silices fluuiatiles ignitos, & candentes ferri laminas in ipso extinctas coctum fuerit, potui datum iuuat. De eo lacte scribunt alij probari eius vsum cum pauco sacchato: Atque in principio debere minus coqui, vt magis tergeat: postea multum, vt ferro candente vel lapillis serosa substantia absumatur. Et caprinum conuenire, vel ouillum, vel vaccinum, non asininum, quia nimis ventrem turbat: spuma penna aut cochleari auferenda est. Si verò cum alui profluuio

Lac.

fluuio bilioso, febris vrgeat, lac ipsum purum assumptum plus noxæ, quàm commodi afferre solet. Verùm si quarta pars aquæ lacti misceatur, ipsum exhiberi poterit. Sic enim præparatum lac, & omnium ventris acrium fluxionum, & Dysenteriæ optimum est remedium. Et vbi affectio adhuc non cesserit, viréque ex biliosis deiectionibus immodicis imbecilles redditæ sint, astringentibus fistas, exhibendo nostro more syrupum ex citri acido, aut è ribes, aut myrtinum, aut qui ex infusione rosarũ siccarum, ac cydoniorum succo conficitur. Nec minùs confert saccharum rosaceum vetustum cum aqua oxalidis vel plantaginis exhibitum, & vbi hęc non satis erunt, ad trochiscos de succino, seu spodio, seu de terra lemnia veniendum erit. Similiter per ea quæ per aluum infunduntur, auxiliari oportet, ex decocto plantaginis, rhu obsoniorum, balaustiorum, hypocistidis, atque hordei non decorticatiac torrefacti, & addito oleo rosato, & saccharo rubro cum succo plantaginis vel portulacæ, duobúsque ouorum vitellis. Extrinsecus verò fiunt irrigationes ex oleo omphacino, rosaceo, myrteo, seu citoniorum cum vino, quarta videlicet vini parte ei admixta, vini inquam albi & subastringentis. Oportet autem his astringentibus miscere ea quæ sunt tenuium partium, vt acetum, quò facultas astringens penetret ad intestina. Nam si partes constringantur tantùm, maior fit alui fluxio. fouentur & venter, & partes sedis fotibus astringentibus. Quare possunt malicorium, gallæ, cupressi pilulæ, balaustiũ, hypocistis, & reliqua astringentia in ipsa irrigatione incoqui. Similiter cæratis, vnguentis, emplastris cap. de Lienteria & Vomitu dictis vtendum est. Ad alias item fluxiones pituitosas aut melancholicas, vbi facta vacuatione adhuc perseuerant, astringentibus medicamentis resistere oportet. Et his conueniunt syrupi ex absinthio, è cortice citri, myrtino, & qui ex mentha conficitur: aut diacydonium cum speciebus detur, & theriaca recens, vel mithridatium bonum: vel ʒj. aut ℈ ij. trochiscorum è spodio cum aliquo prædictorum syruporum. Mora etiam immatura conferunt, magis tamen aluum cohibent rubi mora immatura, & acerba resiccata & in potu exhibita. Decoctum insuper ex folijs

Curatio profluuij pituitosi, vel melancholici.

& corticibus pini, pilulis cupressi, furfure, gallis, ac foliorum plantaginis cum oleo myrtino vel mastichino per anum infundendum. Clysteres etiam injiciendi ex betæ & mercurialis decocto, cum melle & sale. Extremæ partes corporis nempe brachia & crura deligandæ sunt, & fricandæ. Quo etiam tempore reliquis partibus fluxionem ad ventrem mittentibus, si ita fieri contingat alui profluuium, prospiciendum erit. Diuertenda item ac deriuanda pituita per vrinam, cum decocto radicum apij, & similiũ. Bibant & pastillos ex succino cum vino austero, aut pastillos diacoralli. Extrinsecus irrigationes fiant ex prædictis oleis cum tertia aut quarta parte vini odorati. Similiter ex oleo nardino, aut costino. Adhibeantur & sacculi ex milio, sale, panico, potissimùm si ob humiditatem, vel partium laxitatem fiat Diarrhœa: item ex oryza, lentibus. Valet in eum vsum emplastrum de baccis lauri, & sacculus de absinthio & mentha aridis calentibus, & inspersо vino odorato, ac puluere cinnamomi. In robustioribus addemus acaciam, hypocistin. Vbi verò alui profluuium non à natura per se expurgante, sed irritata, aut quia præ multitudine à vasis redundantes non contineantur succi, ita vt quicquid excernatur symptomatis ratione fit, neque vlla inde proueniat vtilitas, imò talis vacuatio prauæ dispositionis est signum, potissimùm si cum febre copuletur, siue febrem præcedat, siue cum ea inuadat, siue ad eam consequatur (circa initia tamen) tunc neque totum naturę permittendum, neq; naturam adiuuare oportet. Nam quando aliquis morbus incipit, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed omnia symptomata sunt eorum, quæ præter naturam sunt, dispositionum. Quo enim tempore natura à causis morbum facientibus grauatur, & adest cruditas humorum, tunc aliter vacuari est impossibile. Si quidem coctionem præire, subsequi verò discretionem oportet, & post ea vacuationem, vt bona sit crisis. Tum igitur aliquid tentandum, & alui profluuium cohibendum. Quare si vires aut ætas non prohibeant, audacter venam secare licebit mediam, si quidem ex toto succi confluant. Si ex iocinore, internam dextri cubiti. Si ex liene, sinistram. Si ex capite, externam. Locus enim Galeni

in quo

in quo præcipitur fluente aluo sanguinem non detrahendum esse, de immoderata sanguinis missione, immodico alui fluore, coctione vel distributione cessante orto, intelligendus est. Neque secanda vena est, si alui profluuium adeò excesserit, vt vires prosternat, quia magis prosterneret, si copiosior fieret. Et quemadmodum vtilis est venæ sectio dicta, sic & frictiones, vincula, & aliæ extremarũ partium reuulsiones. Quibus si non cesserit alui profluuium, prædictis tum medicamentis, tum cibis astringentibus intus extraque adhibitis vtendum, ac per sedem iniectis. Si est Diarrhœa ob retentricis facultatis imbecillitatem, adhibenda est curatio quæ ad alias immodicas alui fluxiones adhibetur, prout intemperies requirit, quæ est imbecillitatis causa. Sed à capite defluat materia, frequentiùs erit vacuandum pilulis, ex rhab. myrobalanis, & mastiche, vel ijs addatur agaricus. Vtendum & caputpurgijs post pilulas, vel masticatorijs ex nuce moschata, cubebis. Detur theriaca & mithridatium. Sacculi exiccantes supra caput apponantur, vel fumigium, vel puluis capitalis. Emplastra fiant ex gummi ammoniaci, bdellij, opopanacis, & cæteris quæ extenduntur super alutam, & supra commissuras coronalem & sagittalem applicantur. Pars recipiens non est negligenda. Sed ventriculi imbecillitas admotis corrigenda: & confectio aromatici rosati, aut diagalanga detur. Si est Diarrhœa ab astrictione cutis à frigore, fiat inunctio ex oleo chamæmelino. Sudores moueantur, balneum, stufa imperetur. deinde partes roborentur. In fluxu chylosо vocato dentur pilulæ alephanginæ: Et syrupi aperientes, vt de bizantijs, de radicibus capilli veneris, cum aquis cichorij, rubiæ maioris, eryngij. Deinde inungendus venter oleo chamæmelino, amygdalarum amararum, nardino, idque circa vmbilicum propter obstructiones. Et si ventriculus inungẽdus est, illis oleis addatur puluis coralli cum caryophyllis, & alijs astringentibus. Et quanquam hîc magis aperiendum, quàm astringendum, cauenda tamen sunt quæ fortiter aperiunt, ventremque laxant, vt sarum, & similia: nec non dulcia, & alia nimis detergentia, quia alui fluorem augent. Alimenta sint tenuium partium, & quæ iecur penetrent. Si ab hepatis imbecillitate pẽdet hic fluor,

applicetur cucurbitula supra iecur. Dentur calida medicamenta & aperientia, quæque facultatis attractricis emendent imbecillitatem, leuiter (inquam) aperientia leuibus quibusdam astringentibus permixta. Ita aperientur obstructiones, distributio alimenti ad iecur adiuuabitur, & intemperies frigida corrigetur.

De Dysenteria. CAP. XV.

Δυσεντερία vnde sic dicta.

QVAM δυσεντερίαν Græci, Tormina Latini appellant. Plæriq; omnes difficultatem intestinorum interpretantur, nomine à læsa particula desumpto: vel vt Aureliano placet, à difficultate officij. Sunt qui particulam δὺς hoc loci nõ difficultatem, sed detrimentum significare autumant. Porrò Tormina quæ τρόφοι Græcis vocantur, nõ semper pro vera Dysenteria vsurpantur, sed pro intestinorum torminibus, quę à mordacitate humorum, vel flatuoso spiritu fieri solent. Dysenteria autem definitur cruenta alui deiectio, cum dolore, & ventris torsione, vel Dysenteria propriè dicta, exulceratio est intestinorũ, deiectiones ramentosas, cruentas, & dolorificas inducens. Nonnulli tamen non ipsam modò exulcerationem intestinorũ Dysenteriã nominant, sed ampla significatione quanuis cruoris per intestina vacuationem interdum vocant. Quo modo morbi nomen symptomati tribuũt: Sunt autem excretionis sanguinis differentiæ quatuor, sed tres priores impropriè dictę. Quas inter recentiores quidam scitè admodum depinxerunt. Vna fit à copia sanguinis toto corpore redundantis, qui è venarum orificijs apertis in intestina effunditur, vt in hæmorrhoidibus è venis ani. Iuxta id tradũt alij, Deiectiones cruentæ fiunt per venarum orificia in intestinorum anfractibus aperta, aut exesa, vel in ipso etiam intestino recto, longè tamen ab ano & in superiori eius parte. Et vbi vi morbi ac vitio corporis, non prouidentia naturæ is sanguis excernitur, malum, & per vias alienas. Sed quædam est naturalis vacuatio sanguinis, vt per vterum mulieribus, quibusdam per nares, alijs in crisi, nonnullis per hæmorrhoidas, natura expurgante vitium grauioris mali. His vacuationibus suppressis, aut intermissa exercitatione, aut truncato membro certis inter-

τρόφοι. Dysenteria quid.

Dysenteria species.

tis interuallis, solet huiusmodi Dysenteria contingere, quam cruentam dicunt: Græci αἱματηρὰν vocant. In hac sæpe etiam sanguis niger pici liquidæ similis excernitur. Nam cùm hepar sanguinem conficit, eius crassiorem partem lien attrahit, & alimento tenuiori inde sumpto, reliquias deijcit deorsum. Si verò hepar multum limosi sanguinis colligat, lien non expurgat, neque attrahat, aut attrahat quidem, sed præ copia aut debilitate non conficiat, aut excrementa sua non expurget, vtroque viscere copia oppresso, & debili facto, fiunt deiectiones nigræ: aut cùm antè solita essent expurgari per hæmorrhoidas, vterum, & hæmorrhagiam, si supprimatur solemnis purgatio, aceruatur humor, & per intestina vacuatur: humor (inquam) qui est velut sanguis niger, aut limus sanguinis, qui salubriter è corpore expellitur. Altera species à Paulo sub priore comprehensa, est quæ fit non propter sanguinis copiam, sed acrimoniam, bile flaua vel atra permixta, vnde stimulata venarum orificia aperiuntur. Potest illi etiam initium esse à causa frigida, quando crassa & viscida materia interceptis angustijs hepatis, putredinem quandam contrahit, vnde cruentæ ac sanioſæ deiectiones prodeunt, aucto feruore. Hæc priore periculosior: aliquando tamen salutaris. Morbo inclinante, pharmaco pellente, nihil periculi. Si in principio & incremento febris, periculũ denuntiat. Multi nigra fæci aut liquidæ pici similia excreuerunt salutariter, & in febre, sed natura superante, & non in principio, quia priùs natura separat inutilia ab vtilibus. Acrimonia autem irritante, excrementisq; magnam viscerum adustionem & putredinẽ indicantibus, visceribus, nobilibus grauiter laborantibus, superassato crassiori sanguine, vel bile, putredine quadam contracta, lethale: quia superior morbus est. Bonum verò cùm natura adiuta vi medicamenti, rufi aliquid vt à rhabarbaro, nigri à cassia & catholico, alijsque id genus excernit, vitio euicto. Hæc species alijs atrabilaria dicitur, ex adusto in hepate sanguine, aut ad crisim reseruato. Tertia est species hepatica Dysenteria, cùm aquosus sanguis deijcitur loturæ carnis similis, ab imbecillitate retentricis aut alteratricis hepatis, de qua suo loco. Quarta & vera Dysenteria facta in intestinis ab vlcere

cum torminibus vētris ac dolore: cùm & minutim & exiguo tempore expulsio fit, aliàs quidem veri sanguinis, aliàs concreti: & in hac puris nonnihil sæpe excernitur, etiam vlcerũ crustulæ, quæ Græcè ἐφελκίδες appellantur. Et præterea membranosa quædam corpora, quæ intestinorum sunt particulæ, sed & stercus super his collectum sæpenumero vīsitur sanguinis in se guttas habens. Itaque siue Dysenteria adhuc fiat, siue iam facta sit, semper intestina sunt exulcerata. Vnde & tres eius gradus posuere. Vnus est, cùm pinguia quædam corpora excernuntur. Secundus, vbi ramenta quędam intestinorum, abrasa eorum superficie interiori quæ membranosa existit & densa, succedunt: tumque cum abrasionibus cruor simul excernitur. Tertiùs, cùm aliquid ex ipsa abraditur substantia intestinorum: quo tempore iam facta est Dysenteria. Intestina ergo hîc affecta esse consentiunt omnes, vt dolor cum positu, & ipsa excremēta testantur, simulque impedita ipsorum intestinorum functio & distributio. Affectus hic in quacunq; intestinorum parte sit, semper morbus est in soluta continuitate. Atque eo maximè distinguitur ab Hepatica Dysenteria, in qua nihil abrasum expellitur: ac interdum duorum aut trium dierũ interuallo vacuatio supprimitur: rursus redit malum, excrementaq; excernuntur prioribus peiora: quod per intestinorum vlcera haud quaquam apparet. Et in hac ab hepate tenuis sanguinis sanies primò deijcitur: dein aucto malo crassus humor, fæcibus vini haud absimilis. Quę per transennā hîc dicta sint.

Pars affect.

Affectus.

In quo differt Dysenteria Sera ab Hepatica.

Causa.

Causæ autem Dysenteriæ sunt, externæ quidem nimium frigus, ardor, frigidæ potus, vt & potio venenatorum atque exedentium pharmacorum, peregrinorum & acrium ciborum vsus, vt mellis, piperis, & eorum quæ abradendi facultatem habent. Cruditates etiam & fructus mali Dysenteriam generare possunt. Internæ verò sunt causæ cuncti humores acres, pungentesq;, qui non recta, sed per anfractus in intestina vi quadam delati ea exulcerant. (Alioqui vlcus non fieret.) Hi verò sunt, aut bilis flaua, aut atra, syncera, vel alio quouis modo corrupta: aut ipsa pituita salsa, vel putris. Cuncti autē humores acres vel à toto, vel ab hepate, liene, vicinis partibus, à magnis vasis, & toto habitu

confluunt,

confluunt, siue in ipsis intestinis generantur. Atq; humorum acrium impressio ei consimilis est, quę circa externam cutis superficiem contingit, à qua papulæ quædam feruidæ, & exulcerationes perficiuntur. Longum item profluuium quandoq; antecedit Dysenteriam, quandoq; Tenesmus. quare inter causas possunt numerari. Per crises quoque vbi materia biliosa vacuatur, Dysenteriæ fiunt. A puro etiam acri & abradẽte, aliunde ad intestina confluente, vel in ijsdem genito. Quod ad notas attinet, incipiente morbo primùm biliosa est aluus, aut certè mucosam fundit pituitam: inde subpinguis fit, modico cruore perfusa: posthęc strigmenta, interiorésve tunicæ intestinorũ prodeunt, excrementis cruentis, ac purulentis mixtę: nouissimè ipsa deteritur, proditq; cum purulenta intestinorum proluuie caro, quæ veram eorum complet substantiam. Inter hæc omnia cruor paulatim & breuibus interuallis per aluũ manat, isq; cum stercore aliquo semper (nisi inferiùs vitium est) liquido, modò cum quibusdam mucosis, & purulentis, & carnosis corpusculis excernitur. Multus in ano dolor, multaq; ac frequens desidendi cupiditas est, cum vtroque hoc exiguum quid exit, protinusq; tormẽtum intenditur, ac rursus pòst paulùm leuatur: ipse æger quiete caret, & à somno interpellatur, deiectionibus & interdum febricula impeditus. Hæc alij sic exponunt. Primùm pinguedo quædam & mucus apparet: deinde efflorescatio quædã & tamenta ex superficie, vt in epidermide cutis: postremò substantia corpulenta intestini: cum qua cruẽta deiectio sequitur, interdum vlcerum crustulæ, & puris magna quantitas. Primò enim abraduntur intestina: deinde exeduntur: postremò vlcerantur. Non omnem Dysenteriam febris comitatur, sed eam cuius humor est acerrimus, isq; è visceribus, aut è venis magna corporis perturbatione effusus. Accedit & sitis, ciborum fastidiũ, dolor intestinorum præsertim superiorum, & quibusdam adeò vehemens, vt eos perducat ad animi deliquium, & sudoris vacuationes, vigilias, & imbecillitatem. Sed nunquid in superioribus intestinis, an in humilioribus & crassioribus, vlcus constitat: ita discernitur. Vbi abrasiones solæ excernuntur sine sanguine, à quibus pingue illud quod extrinsecus ipsis adhærebat, li-

Signa

quefactum & abrasum excernitur, in crassis intestinis vlcus consistere credendum est. Si cruor excernatur, videndum nunquid reliquis excrementis ita sit admixtus, vt vniuersus misceatur vniuersis, an pars eius aliqua supernatet. Si admixtus est, in superioribus: si supernatet, in humilioribus intestinis vlcus esse portendit. Vbi neq; deiectiones ijs quæ ab vlcere manant, admodum permixtæ neque omnino discretæ, conijciendum est in medijs potiùs intestinis affectum existere. Id quod etiam in abrasis intestinis videre est, licet non ita manifestè, vt in cruore. Similis ratio est de crustulis & corticibus, qui si latitudine & crassitudine fuerint multo maiores, quàm intestina tenuia exigerent, exulcerationem in crassis consistere indicant. De his sic alij: Cruor & ramenta cum excrementis mixta, nec statim à dolore reiecta, in tenuioribus: supernatantia & statim post dolorem reiecta, in inferioribus & crassis esse ostendunt. Sed aduertendum in iudicando multos decipi, quòd sæpe pingue aliquid similitudine fallat. Pingue iectum carbonibus liquatur, & nidorem pinguedinis effundit. Caro nigrescit, & siccatur. Aëtius cùm circa intestina crassa vlceratio contingit, stercora ait quæ egerũtur, multa esse & coaceruata cum flatibus, & aliquando spumosa, pinguia quoque recrementis admixta adparent, inexplebilisq; edendi appetitus oborirur. Tenuibus autem intestinis vlceratis, dolores circa vmbilicum vel supra consistunt, bilioſaque & porri colorem habentia stercori commixta plurimùm excernuntur, citra tamen ramentorum complexum, cum torminibus & mordacitate, desperatione & exolutione, vt non procul ab animi deliquio absint, à siti infestantur, & febricitant. Stercus quoque crudius ab eis prodit, & si ieiunum intestinum exulceratum sit, (quod rarum est) egestiones crudiores apparẽt, nigriorem sanguinem vehementer implicatũ habentes, bilemq; abundè flauam: sitis multa, itemque nausea affligunt. Vomunt etiam aliquando, cibos auersantur, ac singultiunt compatiente ventriculo. Febres quandoque malignæ oriuntur, fiuntque ita affecti decolores, & ad animi vsque deliquium sudant. Addunt alij ex superioribus intestinis magis fœtidum esse quod excernitur, & sæpe loturæ carnis

nis simile. Quod verò ab inferioribus, ex dolore infra vmbilicum, & sanie ante fęces exeunte cognoſci. Vlcus autem ſordidum deprehendi volunt ex longa ægritudine: quantitate eius quod egeritur, & dolore non ſenſato, ex virulentia, aquoſitate albida, odore graui. Vt corroſiuum eſt vehementis doloris fœtorisque, ad nigredinem vergens. Et vlcus profundum noſcitur ex ſanguine plurimo exeunte poſt abraſionem inteſtinorum, ægritudine vehementi. Si tenuibus inteſtinis vera deteritur tunica, deſperata vtique ægris valetudo. Verùm ſi craſſa tantùm afficiuntur, ſupereſſe ſpes vitæ poteſt. Quæuis tormina longa & difficilia eſſe conſueuerunt: ſub quibus ſi firmus etiamnum homo eſt, rectęque curatur, reddi priſtinæ valetudini poteſt. Si verò inualidus aliquis eſt, ac vehementer morbo extenuatur, ipſumque inteſtinum profundo veteręque vlcere labefactatur, ſcire licet medicinam omnem inanem eſſe. Vbi hæc res incidit, deiectio grauiſſimè olet, eaque cruda læuisque eſt, & ſubnigri coloris: ſæpe etiam inter hæc plurimus ſanguis effunditur. Tormina mortifera ſunt, ſi poſt longum morbum homine iam infirmo orta ſunt. Æquè malum eſt, moleſtam ægro ſuppreſſionem deiectionis eſſe, à ſolutione non niſi pauciſſimo tempore malum leuari, idque ipſum diutiùs incipere trahere. Non tuta quoq; tormina ſunt quæ cum febre adoriuntur, (neque enim ſemper febricitat dyſentericus) & cum vehementi dolore, variaque vel etiam crebra alui deiectione, tum etiam cum iecinoris, præcordiorum, aut ventris ardore, quæque cibos intercipiunt, & multam ſitim, & cibi faſtidium inferunt. Par periculum eſt, ſi venter aſſiduè, & quieſcentibus, & vigilibus profluit, ſimiliterq; noctu & interdiu, ſi cibi amittitur cupiditas, creſcit bibẽdi deſiderium, ſi pro modo ſumtæ potionis æger non meit, ſi extenuato iam corpore repentè nigra aluus fluxit, aut ſi morbum hunc iam veterem læuitas inteſtinorum aut hydrops excepit. Ferè vbi deiectiones alienis tempotibus ſupprimuntur, abſceſſum iuxta coſtas, aut in viſceribus, aut in articulis facit. Tormina modò non nimis diu trahant, vtilia lienoſis ſunt, cum ſic humores melancholici qui in liene erant vacuentur: vbi inueteraſcunt, nocent. Quum ſanguis per tormina intus

Prognoſtica.

retentus concreuit, venter flatibus impletur, extremaque corporis repentè inalgescunt, vis ægri, simulque pulsus collabuntur. Si corpora pinguia tantum excernuntur, facilè Dysenteria curatur, causa ipsum faciente ablata, etiam absque externo auxilio. Si carunculæ & magnæ partes intestinorũ excernantur, lethalis erit, quia cicatrix obduci non potest in tali exulceratione. Si ramenta quædam intestinorum, eorum superficie duntaxat interiore abrasa, media quodammodo erit in curatione. Grauissimæ sunt quæ post absessuum eruptiones fiunt, propterea quòd deiectæ iam sunt vires per coincidentes inflammationibus febres ac dolores. Pessimæ sunt, in quibus quæ excernuntur, porri aspectum habent, suntque nigra plurima, varia, graueolentia, & quę vnà cum excrementis sordes pelliculis magis commixtas excernunt. Mulieres quàm viri, senes & pueri quàm iuuenes, difficiliùs curantur. Quæ in tenuibus est intestinis difficulter curatur, maximè verò in ieiuno. Verùm vbi longo tempore id malum inueterauerit, aut tollit hominem, aut etiam si finitur, excrutiat. Orta Dysenteria à flaua bile sæpe curari poterit, quemadmodum si ab atra bile fiat, omnino insanabilis existit, cùm nihil differat à cancro exulcerato. Tamen si ab atra bile initium sumat, si quidem ratione iudicationis febrilium morborum atra bilis excernatur, transituq; suo intestinum distendat, etiam hæc curari potest. Si verò sua sponte nullo præcedente febrili morbo, neq; cõcoctione bona apparẽte, atra bilis excernatur, immedicabilis Dysenteria ex ea oborta existit. Namq; morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supernè vel infernè exierit, lethale est. Vbi etiam à salsa pituita longiori tempore mordente atq; abradente intestina orta fuerit Dysenteria, crudelissima est, & periculosior quàm ex bilioso humore. Nam bilioſus transeundo affligit. Hic autem cùm sit lentus, moram trahit, & sua cunctatione ampliùs vlcerat, non tamen est exitialis, vt ea quæ ab atra bile. Magna effusio sanguinis post Dysenteriam pessima: quia ad intima penetrarunt vlcera, vt venæ scindantur. Conuulsio, singultus, vomitus, & conturbatio rationis post Dysenteriam mortem significant. Magno cũ periculo in lyenteriam Dysenteria mutatur. Multoties colica

vehemens

vehemens succedit fluxui, eo quod expellatur tenue & relinquatur crassum. Omnis fluxus ventris qui ducit ad hydropē, est mortalis, cùm hydrops curari debeat per fluxum ventris. Pro Dysenterię curatione legitima spectandum in primis, vt aer ad siccū vergat, idemq; in actiuis sit tēperatus: aut si causa calida est, modicè ad frigidū declinet. Sin frigida, ad calidū. Vitandus etiā motus diligēter, quia omnis agitatio exulcerat, & principiū curationis est a quiete. Somnus etiā optimū est Dysenteriæ remedium: ideoq; vigiliæ vitandæ sunt. Alui excrementa præter naturam detenta per leues clysteres deturbanda sunt, cùm ab eorū retentione non parum exulceratio augeatur. Affectus quoq; animi fugiendi sunt. Cæterùm cibus circa initia tenuis sit ac modicus, & quantū nutriendū ex viribus æstimandum. Dysentericus enim propter intestinorū & ventris imbecillitatē, haud multū potest concoquere, præsertim cùm febricitat. Imò tenuissimus victus imperādus est, hoc est inedia trib. primis diebus, si vires permiserint, & potissimùm vbi iocinoris adsit imbecillitas, ac plenitudinis affectio. Victus ratio.

Tribus verò diebus exactis, lac propinatur, præsertim si per febrim licuerit. Lac est temperatus cibus, cum hoc quòd depurgat, simulq; ea quæ sunt in corpore contemperat, ac postremò aluum sistit, & optimum est remedium Dysenteriæ, omniumq; ventris acrium fluxionum, præcipuè vbi aliam quampiam deficcātem facultatem adiunctam habuerit, qualem à lapidibus qui prædecocto ipsi injiciuntur igniti, accipit. Debet autē eo vsque decoqui, dum pleraque serosi in eo humoris pars consumpta fuerit: nec minùs si ferreos in ipsum cylindros candētes injicies. Proinde scribitur à quibusdam, serum consumi elixatione, & iniectis lapillis ignitis, aut ferreis orbiculis. Et de lacte sic alij: Omnibus edulijs lac elixum anteponendum est. Inter elixandum additur vitellus oui, & pauca farina hordei tosti. Lac idem elixum initiò melle addito adhibetur, quoniam vlcus deterget: deinde affusa quarta aquæ parte elixatur sine melle ad consolidationem: & vitelli ouorum elixorum in aceto. Mel tradunt alij adijci, ne in caseum cogatur. Sit autem lac caprillum, & eius penuria vaccinum. Et si quarta pars aquæ pluuialis Lactis commendatio.

affusa est, vt dictum est, deinde cùm paululum fuerit decoctum, exhibeatur: citra noxam etiã tale lac febricitantibus exhibetur. Et si huic lacti sic præparato parum stercoris canis sola ossa comedentis, desiccati, ac in puluerem redacti permisceas, mirabile erit Dysenteriæ medicamentum. A lactis acceptione panem madefactum offerre oportet. Pultes quoque ex lacte apparatæ conueniunt nedum pro nutrimento, sed & medicamento. Oryza cum lacte, amylum, similago, ptisana torrefacta cum aqua fluuiali. Similiter & oua lacti commista. Fit etiam puls ex lentibus, dum lentes in aqua elixantur, aqua proijcitur, & lentium cortices, lentes ipsæ rursus elixantur in iure gallinæ, addito semine coriandri, & succo arantij, aut mali cotonei, aut pauco aceto. Poterunt ex oryza, amylo, milio & panico prædictæ pultes cum lacte parari, cui semina plantaginis parumque cinnamomi addatur, aut ex siccis & contritis panibus: & vbi fluxus perseuerauerit adhuc, ea quæ constringunt, & aluum sistunt, pultibus admiscẽda sunt, vt mali punici acidi grana, mala cydonia, pyra, sorba. Præstabit & prædictorum aliquod in aqua vnde pultes fiunt, incoquere. Sit autem ea pluuialis. Vel in gallinarum seu pullorum gallinaceorum iure prædictæ pultes fiant. His (inquam) aliquod astringentium admiscebis, præsertim vbi lac quomodolibet paratum in nidorosam vel acidã qualitatem commutetur. Victus enim ratio, si materia est calida (vt ferè fit) refrigerare debet. Et proinde cibi parum acidi offerantur ad appetentiam excitandam, per consensum alioqui prostratam. Vitentur autem acetum, salsa, acria, quia vlceribus hæc sunt mordacia. Sint & pauci cibi, vt partes alimento destitutæ contumaciùs humorem retineant, nec ita promptè intestinis vlceroso dolore trahentibus permittant. Et cibi actu frigidi, vt appetentiam inuitent, & naturæ inter se similis: non diuersæ, aut contrariæ, & euchymi, & coctu faciles. Tales enim citò cocti promptè distribuentur. Quales sunt testes gallinaceorum, hepata gallinarum, oua sorbilia. (Liquidiora ventrem leniunt: dura ægrè coquuntur.) Olerum vsus parum est necessarius, nisi velis dare serim satiuam & syluestrẽ coctas, plantaginem, brassicamque biscoctam. Carnes autẽ ijs non valde commodæ

modæ ſunt, niſi malum fuerit [illegible]mque eligendæ volucrum carnes, vt perd[illegible]n, montanarum auicularum, turdorum, [illegible]olumbarum, phaſianorum. Bulliant primùm [illegible]ca, myrti baccis cum eis incoctis, & deinde aſſentur. Præſtabit etiam ſi eis euiſceratis injiciantur myrti baccæ, ſorba ſicca, corna, meſpila, pyra auſtera, mala cotonea, deinceps conſuantur, & aſſentur. Nec minùs ſi elixentur, & eadē aſtringentia cum carnibus decoquantur. parumq; oxalidis intybi, plantaginis adijciatur. Et vbi vires imbecilliores fuerint, aqua carnis ex prædictarum auium carnibus contuſum, aut ius quod conſummatum appellant, parari poteſt: pauco omphacio, & ſtillatitia aqua roſarum, myrtina, aut oxalidis adiectis. Quod etiam fit ex gallinarum, aut caponum, aut gallinaceorum pullorum carnibus. Eiſdem aſſatis & fortiter expreſſis ſuccus exhibetur. Ex pedeſtribus carnes leporum, capreolorum, hœdorum conueniunt. Ex fructibus punica mala, meſpila, ſorba, pyra, mala auſtera, præſertim ſuccus deuorandus, craſſa ſubſtantia abiecta: (Nam pars hæc exaſperat inteſtina.) & palmulæ, ac malorum cotoneorum ſuccus. Et cum fructibus panis edatur, quia facilè corrumpuntur. Potus ſit initiò aqua pluuia, in qua prędicti fructus fuerint decocti, rhus obſoniorū, oxalis, plantago. Vbi fuerint vires deiectæ, aut ſtomachus laborauerit, vinum propinandum eſt, auſterum, nigrum, non validum, modicè dilutum: idq; aqua chalybeata, vel decocto ſeminis coriandri, vel baccarum rhois, vel oxyacanthæ, addito ſaccharo roſato, quod per ſe, vt iulep roſatum, etiam ſalubre eſt. Syrupus etiam de roſis ſiccis miſceri poteſt. Nonnulli præſcribunt potum vini albi diluti ſimiliter cum aqua chalybeata, vt acrium humorum fluxus per vrinas deriuetur. Curationis pars altera ſpectat medicamentorum rationem. Igitur vbi vitioſus ſuccus à toto vel ab alijs corporis partibus confluxit ad inteſtina, priuſquam vlceri ſuccurratur, fluxio auertenda eſt, & qui redūdat ſuccus vacuandus. Quanquam hæc auerſio non ſit vlceris, quatenus vlcus eſt, curatio: illudq; præſertim obſeruandum, vbi non vtilia ab ipſa natura ſponte feruntur, ſeu criticè euacuantur, ſed ſymptomaticè. Quòd ſi natura vlceris cōſideretur,

Medicamētorum ratio.

quæ sordida s[illegible]e egent, & quandoque crustæ generatione. [illegible]enteria indiget reuulsione aut deriuatione, [illegible]one causæ, mitigatione doloris, & astrictio[illegible]is verò succus vitiosus ad intestina cum sanguine [illegible]mittit exulcerans ea, (modò non fiat critica expulsio) maximè si sanguis plurimus excernitur, & vires constant, ac sanguinis abundantia apparet, corpusq; carnosum est, sanguis mittitur circa primos morbi dies. Dicta verò missio, neq; vniuersim, neque copiosè fieri debet, ne ægri vires imbecilliores reddantur: alioquin ab vtroq; venter conturbatur. Temperandum enim est hoc remedium: quia assidua egestione, perpetua vigilia, atque inflammatione vires laborant. Itaque alij venam humeralem, alij venas extremæ manus aperiri volunt: quia hinc minus virium offenditur. In suppressis purgationibus vena malleoli aperitur: & magis temperanda vacuatio, quia hinc ductus sanguis plus virium quàm è manu exhaurit. Non apparentibus alijs in brachio, media secatur: sitque fissura tenuis. Materiam enim quasi per riuos transferimus magis, quàm multitudinem vacuamus. Paucus sanguis multo tempore missus inflammationē mitigat, confluxum sanguinis ad intestina reuellit, innatum calorem refrigerat sensim, somnum potiùs quàm animi deliquium inducit. In graui febre atque inflammatione vena etiam secatur, quemadmodum & malè affecto iocinore secanda est interna dextri cubiti. itidem angusto foramine, nedum reuulsionis gratia, sed etiā iocinoris alterādi causa. Cumq; vehementissimus infestat dolor propter mordentium humorum acrimoniā ad ea loca confluentium, & propterea verenda sit phlegmones generatio, aut virium defectus, meritò vena secabitur. Nec tutò enim, nec facilè reuelles per vrinas, quòd humor acris & mordax facilè vreteras & vesicā abraderet, & exulceraret. Quòd si ætas reluctetur, per hirudines admotas cubito, vel cucurbitulas clunib. & omoplatis adhibitas sanguis extrahatur. Si quid aliud missionem sanguinis prohibeat, vel adhuc vitiosi succi redundabunt, purgatio instituenda est, quam per vicem tentabimus. Vlcera enim non curantur, manente adhuc ea quæ ipsa efficit causa, augetque. Alij de venæ sectione ita scripserunt

pserunt. venæ sectionem instituemus ipsius humerariæ in principio mali, antequã vlcus [illegible] quod præsens fuerit, modo vires validæ sint, & potissi[illegible] cruditatis adsit magnus aut magna inflammatio, aut si [illegible]eta aliqua vacuatio suppressa fuerit, hæmorrhoidũ nimirũ mensiúmve. reuellit enim sanguinis impetũ, eiusq; acrimoniã remittit. Hoc quoq; fiet si ex subita alui suppressione æger laboret. periculũ ineſt ne viscus aliquod nobile obruant excremẽta vitiata, excerniq; solita. Vlcere autẽ præsente nequaquam fies venæ sectio. neq; .n. vlcus curat: adde quod vires deijciat. In purgatione circa initia consilium esse debet, vt obstructiones liberẽtur, & via facta materia redundãs vacuetur, nec initiò de astrictione cogitandum est. Si per vomitum promtè vacuari possunt humores, id tentandũ, cùm per eũ nedũ vacuatio fiat, sed & diuersio. Neq; vehementia pharmaca deligẽda sunt, sed leuia & quæ astrictionẽ habẽt adiunctã, quale est rhabarbarum & myrobalani, tamarindi, manna. Vitanda autẽ omnia scammoniata, quia intestina rodunt, & materiã ad partẽ affectã trahũt. Acres, bilioſos, prauosq; humores qui ad partem affectam ruunt, educere debemus medicamentis quæ aliqualiter laxant, & ne fluxum fluxui implicemus ijs addere debemus quæ aliquali virtute astringendi prædita sunt: etiam non præcedẽte digestione. Via humorib. malignis sic aperitur, vt redũdantes euacuẽtur, obstructionesq; tollãtur. Sæpius aũt repetẽda erit vacuatio, eo quod noua cõtinuo suggeratur materia. Quare astringentibus initio locus erit. Id enim magno fit ægrorũ detrimẽto. febris, inflãmatio, vlceraq; intestinorũ, nec non spasmi hinc excitantur: eo quod materia maligna in superiores partes regurgitet, cum prohibetur euacuari. Ante purgationem decoctum cichorij & oxalidis præmitti potest. Et si non cesserit redundans bilis, datis syrupis è ribes, è myrto, aut citri acetositate, detur medicamentum quod maiorem vim astringendi habeat, ac minorem purgandi: vt si dicti myrobalani, & rhabarbarum torrefiant, vt vulgo medicorum persuasum est. quanquã censet quidam è nostris rhabarbarũ vstrina fieri actius, & astrictionem perdere. Et si infunditur, vt astringat magis, fortiùs exprimendũ est. Si salsa est pituita, syrupus ex succo borra-

ginis & myrtillorum, ex infusione rosarum, rosaceum mel dentur. Purgentur ex kebularum myrobalanorum decocto, aut etiam ex agarico, qui & Dysentericis confert, vt particeps leuis astrictionis, teste Dioscoride: addito scilicet melle aereo, & syr. de infusione rosarū, seu myrtino & rhabarbaro. Sin humor est melancholicus seu atra bilis, detur syrupus ex fumaria, borragine, oxalide. Medicamentum verò fit ex sena, epithymo, corticibus myrobalanorum indorum cum melle aereo, rhabarbaro, & syrupo de infusionibus rosarum: & iteretur. Nam quæ secundò aut tertiò purgant, minorem debent habere vim purgandi, sed maiorem astringendi. A purgatione, vbi supereſt adhuc quispiam redundans succus, prosunt ea quæ vrinas mouent: aliquibus astringentibus admixtis. Et ad deriuandum, atq; intemperiem iecoris corrigendam valent apozemata ex mediocriter aperientibus & detergentibus, additis pariter nonnullis astringentibus, cuiusmodi est quod nostro more paratur ex radicibus graminis, lapatho, endiuia, centinodia, capillo veneris, leminibus frigidis, portulacæ, melonum, lactucæ, berberis, additis passulis, in quorum decoctis iulep rosatum, & syrupus citoniorum, ac de cichorio dissoluantur. Quo etiam tempore confirmandum est hepar cærato santalino, vel simili. Ventriculus item semper confirmandus notis remedijs, propter consensum quē habet cum intestinis. Verum tandem accedendum est ad ea quę aluū sistunt, quādo plus iusto laxata corpora astringunt, vel influentes humores obducentia ac inspissantia, vel resiccantia intestinorum vlcera. quanquam eamet indifferenter approximari non debent. Remedijs enim per sedem iectis vtēdum, si in crassis intestinis: potis verò, si in tenuibus exulceratio est. Quę in medio posita sunt, ambo requirunt. Astringentibus autem partim lenientia miscēda partim diuretica, si per os sumantur. Sic enim fit, vt nullo periculo materia prohibita ad vrinas diuertat, nec refluat in partes superiores & nobiles. Alioqui astringentia febrem augent & inflammationē, vitiosam materiam cohibent, ne foras effluat, eaq; cohibita regurgitat sursum, vnde grauior febris, conuulsiones, & huiusmodi. Adde quòd astringentia, vlcera exasperant. Itaq; astringentium

vsus

vsus tempestiuus est iam vacuata magna ex parte materia, vel ex toto: quumque tempore excernitur cum vitioso humore frugi succus, & inde virium casus metuitur. Vlcere igitur in gracilibus existente, cùm iuuentur per os sumptis magis, à nostris dantur syrupi è myrto, è ribes, ex omphacio, è succo oxalidis, ex infusione rosarum, vel etiam aridarum. Propinantur & pastilli de spodio, succino, seu terra lemnia: aut ʒj micletæ Nicolai. Conferunt & iuxta veteres mora acerba in sole exiccata. Nec minùs cortex thuris tritus ac potatus, aut maceris cortex, aut mali punici flores: potissimùm vbi ex salsa pituita genitum fuit vlcus. Similiter coaguli leporis ʒj datur potui ex sapa: & quo vetustius coagulum est, eo præstãtius: sed laudatissimum est hinnuli. Dysentericis quoque prosunt erinaceorum testæ vstę. ostreorum & cancrorum tam fluuiatilium quàm marinorum, aut etiam cornu vstum resiccatum: item puluis è turture, ossa femoris bubuli: portulacæ succus potus, plantaginis semen, folia, & radix. Prædicta resiccant: quemadmodum obtundunt & contemperant humorum massam & acrimoniam amylum, tragacantha, gummi, adeps caprinus, suillus, anserinus, gallinaceus. Si remedia non iuuant, & vetus vitium est, aquæ bene frigidæ potio assumta, vlcera astringit, & initium secundæ valetudinis facit. Sed vbi vẽter suppressus est, protinus ad calidam potionem redeundum est. Illud autem memoriæ mandandum, quòd communis omnium internarum partium indicatio est, vt ea eligantur quæ animalis naturæ maximè sunt familiaria, respuanturq; contraria. Quare medicamenta ex opio, *Narcotica.* alterco, papauere nigro, aut mandragora composita, vitari omnino debent, nisi magna vrgeat necessitas. Nam licet somno leuare dolorem videantur, & propterea venter retineri conspiciatur, tamen humores in vnum collecti postea sine intermissione deijciuntur, capiteq; grauato ac viribus labefactatis, ventrẽ reddunt deteriorem, & maius cibi fastidium afferunt. Crassis verò intestinis affectis, eis quæ per sedem infunduntur, vtendum. Quanquam si eisdẽ vtare, tenuibus affectis, nihil nocebis. Quemadmodum si quæ per os sumuntur, eis tribuas, quibus intestina crassa exulcerata sunt. Quoniam verò hactenus antiquorũ præ-

Remedia neotericis vsurpata.

sidia ferè attigimus, rursum ea quæ à recentioribus commendantur, persequemur. Ex eorum itaq; placitis initio Dysenteriæ leuiter detergemus. In vigore toti in leniendo sumus. In declinatione moderatè astringimus. Abluimus & abstergimus aqua hordei, saccharo, decocto capitis verucecis vel intestinorum, decocto furfurum, aqua mellis, cicerum rubeorum, sero lactis, succo betæ, mercurialis. Glutinamus, cum vlceratio non est profunda, cum albumine ouorum, gummi Arabico, seuo hircino, oleo ros. bolo armen. tragacātho, iusculo pingui. Consolidamus stypticis, vt decocto balaustiorū, sumach, corticis granatorum, lentiū, & similium. Clysteribus autem leniētibus, tergētibus, & abluentibus, optimum est admiscere quæ roborent intestina. Qualis clyster paratur ex lacte recēs mulcto cum m̄. j. rosarum, vel oleo ros. cum decocto maluæ, fœnugræci, seminis lini, althææ, citoniorum, aut horum mucaginibus, adipibus anatis, gallinæ. Magis detergentes clysteres fiunt ex aqua hordei, sero lactis, melle rosato, saccharo rubro, hydromelite. Vt simul tergeant & leniant, aliquando detergentia in lacte coquuntur. Contra sanguinis excretiones thapsus barbatus, plantago, bursa pastoria, centinodia miscentur. Consolidant, & cicatrices ducunt decoctiones astringentes, in quibus terræ sigillatæ, boli armenicæ, sanguinis draconis, thuris, aut similiū ʒiij. vel plus admiscentur. Adduntur etiam viscida & tenaciùs hærentia, vt medicamenta Dysenteriæ accōmodata diutiùs hæreant, & retineantur. Quoniam verò in Dysenteria ferè tormina sunt & flatus, ideo summitatum anethi, florum anthos, & meliloti aliquid miscendum est. Aliud genus est clysterum (quo veteres vsi sunt, cæteris nil proficientibus) in puttidis ac serpentibus vlceribus, in quibus caustica dissoluuntur, vt pastilli ex arsenico cum acacia. Interdum etiam vsus est narcoticorum (de quibus antea iam aliquid diximus) vt dolorem stupefaciant, reliquorum medicamētorum acrimoniam obtundant, & sensum hebetent. Atq; hæc multo magis commiscentur, in quibus intestini sensus acrior est. Vt etiam in acriori sensu minùs tergemus, minùs astringimus, leuimus magis. Narcotica verò pauca quantitate addantur, vt opiū, Philonium, decoctum ex foljs & capitibus

bus papaueris albi,& folijs hyoscyami. Sed hæc semper suspecta sunt. Cùm dolor magis vrget,& ad stupefaciẽtia veniendum est,sumant ʒ ß. Philonij perfici,aut ℈ ij. catapotiorum de cynoglossa, aut Requiei Nicolai. quanquã per sedem magis conueniunt quàm per os. In summa medicamenta habeant facultatem astringendi, obtundendi, resiccandi,& vbi vlcera sordida fuerint,abstergendi. Si ardor vehemens accedit, hordeũ miscendũ est in elixatione & rosaceũ addendum: aut ex succo plantaginis, & rosaceo clysteres componãtur. Vt si acris est fluxio, seuũ hircinum miscendum est clysteribus, & adeps gallinaceus & anserinus. Hæc enim intestinis illita excrementorũ descendentium adhæsum prohibent. Vt in his se exerceant Tyrones, hæc à nobis addentur. Circa initia paretur clyster ex aqua hordei torrefacti cum corticibus, & iuris pullorum gallinaceorũ salis expertis ana ℔ ß. adde vitellos ouorũ duos, olei ros. ʒ j. ß. vel ʒ ij. sacchari rubri ʒ j. vel mellis rosati tantundem, si pituitosi fuerint Dysenterici. Et si sanguinis copia fluat, polygoni & arnoglossæ succi ʒ ij. addantur. Confert & stercoris asinini succus, potissimùm si stercus plantaginis succo fuerit madefactum, expressum, & infusum. Si dolor vehemens vrget, caprillum seuum addatur: quod faciliùs concrescit, & intestinis inungitur, plurimoq; tempore hæret, nec habet acrimoniam, vt hircinum: Et si caprinum haberi nequit, hircinum. Vel anseris adeps adijciatur ponderis ʒ j. vel ij. cum oleo rosato. Hæc tamen, vt ouorum vitelli, vitari debent, vbi dolor non vrgeat, quæ vlceris curationem impediunt. quo etiam tempore cremorem oryzæ, tragacãthi, gummi, amyli, permisceas. Astrictionis etiam ratione saccharum rosatum antiquum adhibẽdum: aut etiam bolus armenus addendus: & pauca aqua plantaginis superbibenda. Quòd si maiori astrictione & resiccatione egeas, in modò dicta aqua hordei, foliorum plantaginis, polygoni, portulacæ ana p. ß. decoque rosarum rub. hypocistidis ana ʒ ij. in colatura dissolue seui caprini ʒ ß. olei ros. sacchari rub. ana ʒ ij. vel sacchari rosati, succi plãtaginis, vel portulacę ʒ j ß. misceto. & si magis astringere volueris, adde luti armeni, & sanguinis draconis ana drachmam vnam, pastillorum de succino, de terra sigillata, aut

de ſpodio aliquid. Si vlcera ſerpentia fuerint & ichores ab ijſdem manauerint, valde exiccare oportet. In quem vſum clyſteres parãtur ex decocto roſarum, balauſtiorum, cum acacia, hypociſtide, & rhu. Si ex venenatorum pharmacorũ potu oborta fuerit Dyſenteria, ijs quæ in venenorum potu conferunt vtẽdum, vomitorijs ſcilicet & extinguentibus: in quorum numero etiam acria comprehenduntur. De hac Dyſenteria ſic alij: Si venenum Dyſenteriam effecerit, vomendum priùs eſt cum aqua hordei, & oleo, & butyro liquato. Deinde theriaca in potu ſumenda, & ptiſana hordeacea, & amylum cum lacte, aut decocto ſeminis lini. Si medicamenti purgantis vi eueniat, aqua hordei abluenda inteſtina. Deinde theriaca in potu præbenda, cum aqua bugloſſi, aut ſemen naſturtij toſtum cum lacte acido. In Topicis etiam quędam obſeruanda ſunt. Cataplaſmata, fomenta, vnguenta, ſeu cærata, ventri imponenda non probantur, potiſſimùm vbi frigida & aſtringentia fuerint. Quo enim magis denſaueris, magis fluxiones augebis. Vehementi exiſtente dolore, ſi eis veteris, aceti paucum adde, aut vini albi & tenuis modicum: ſintque ea nec facultate, nec actu frigida. Proinde & in acribus & bilioſis fluxionibus Dyſenteriam efficientibus Aëtius damnat cataplaſmata & fomenta: à qua ſententia tamen recedunt quidam è recentioribus. Quare emplaſtra ſuperponunt ex puluere balauſtiorum, ſymphyti, boli armenici, calyculorum glandium cum palmulis, oleo roſato, oleo citoniorum, & cæteris. Fit & emplaſtrum ex malis cotoneis elixis, deinde cum bolo armeno, puluere ſymphyti, & gallarum, addito ſucco plantaginis, malaxatis. Si tormina ægro ſint valde moleſta, vt ſæpe fit ob flatus, tum ob humoris acrimoniam, fit fotus ventris inferioris in quo dolor ſentitur, & à fotu linimentum. Fit fotus (inquam) ex anodynis mixtis cum oleis aſtringentibus in lacte, vel aqua fabrorũ, vel vino auſtero coctis. cuiuſmodi eſt decoctum maluæ, biſmaluæ, ſeminis fœnugræci, althææ, chamæmeli, roſarũ rubrarũ, plantaginis, centinodię. Linimentũ verò ex mucagine ſeminis althęę, lini, fœnugręci extracta in aqua plantaginis, additis oleis anethino, rutaceo, de abſinthio, cęra ſufficiẽti. Vires (quę benigna etiã materia vacuata de-

ta deijciuntur) recreãdæ sunt cõditis, & destillatis restauratiuis, quę conseruas astringentes recipiunt. Vt condita parantur ex conserua rosarum veteri, conserua symphyti, pul. diarhodi abbatis, tria santali, diamargariton frigidi, rasuræ cornu cerui vsti, eboris, coralli, boli armenici, lapidis hęmatitis, quibus rasura vnicornu addi potest. Myrobalani conditi, cortex citri conditus eodem pertinent. Pulueres quoque cum saccharo ros. ex his possunt instituí. Vbi podex laxatus, vel erosus est, fotu vtendum detergente & astringente ex furfure, thapso barbato, plantagine, centinodia, rosis rubris in lacte chalybeato incoctis. Interdum paratur & linimentum, quo bombax instar suppositorij paratur, & in anum inditur ex oleo citoniorum, myrtillorum, populeo, additis pulueribus mastiches, rosarum, balaustiorum. Fiunt & suffitus qui excipiuntur ab ano post deiectionem. Vulgaris est ex aceto rosato super tegula ignita infuso. Vehementior erit, si pulueres astringentes in foculum igni plenum inijciantur, ac fumus excipiatur ano. Pulueres sunt mastiches, balaustiorum, rosarum, corticis granatorum, myrobalanorum, & similium.

Podicis laxatio.

De Teneſmo. CAP. *XVI.*

TEINESMOS, vel τενεσμὸς Græcis, η pro ε vsurpato Doricè, vel τενασμὸς α etiam pro ε vsitato, Tineſmus vel Teneſmus Latinis, quibusdam etiam Tenaſmus dicitur. Est autem eiusdem cum Dysenteria generis, nomen habens à symptomate, à tensione videlicet, quæ est circa rectum intestinum ob quam cum egerere cupiant ægri, continuè exurgunt. Nihil enim aliud est Teneſmus, quam assidua & inanis cupiditas egerendi, qua nihil præter modica cruenta vel mucosa egeritur. Isque affectus symptomata infert Dysenterię similia, causam eandem & disposition obtinens: nisi quòd in Teneſmo nixus sunt vehementiores. Loco etiam inter se discrepant, cum illa sit in cunctis intestinis, præter quam in recto: Teneſmus verò nonnisi in hoc eodem. Pars igitur affecta est rectum intestinum, vt indicant vehemens tensio, dolor cum positu, prompta deiectio, paucis sequentibus excremẽtis, & quòd

Teneſmus quid.

Pars affecta.

Affectus. non miscentur ijs quæ à supernis partibus descendunt. Morbus autem in solutione continui est, quippe intestini recti exulceratio. Atq; à iam dictis Dysenteriæ causis pendere volunt Tenasmon, etiam citra exulcerationem quandoque. Sed hic nothus Tenesmus dicendus erit: vt qui sectantur Arabes eum appellant. Nisi enim sit abratio, vel vlceratio, Tenesmus dici non potest: etiamsi dolorificus affectus quispiam in recto intestino à quauis causa ortus sit. quia hic necesse est naturam stimulari in intestinis ab aliqua causa præter naturã, quam excernere nititur, quasi illic excrementum esset. Ea autem est vel sine materia, vel

Causa. cum materia. Sine materia quidem intelligimus, vt cùm frigiditas partem illam constringit & mordicat. frigiditas (inquam) externa aëris aut venti frigidioris, aut aquæ, aut lapidis, super quem æger sederit. Materiam dicimus, quicquid interiorem illam cauitatem irritare potest, vt est vlcus: (nisi tum Dysenteriam esse velis:) vel inflammatio œdematosa seu abscessus, seu acris humor, vtpote biliosus vel salsus in sphincteris rugis collectus, obstructio à stercore in recto intestino coacto, seu fæx in cæco intestino retenta: vt quidam voluere. Quod tamen alij improbant: quia fæx in eo intestino, cùm sit exiguum, excipi non potest. Aliquando reduplicatur intestinum, vel musculus, vt nec clysteres, nec alia auxilia pars implicata admittat; sæpé q; efficiat, vt lateat vlcus. Hæmorrhoides etiam interiores, aut vermes in causa esse possunt. Ante Dysenteriam ferè fit à pituita putri irritante intestinum: vnde deijciendi libido. Et sequitur post Tenesmum Dysenteria, quia si ob vlcus in recto intestino fiat, malum alijs impartitur. Si ob calidam fluxionem, hæc quoque intestina exedere, & vlcera eisdem inferre valebit. Si phlegmone præcedit vlcus, sequetur & ardor intestinorum, ac proinde vlcus. Fit etiam Tenesmus ab acrimonia medicamenti, vel à medicamento malè infriato, vel glande immissa. Aliquando iecur plus iusto calefactum materiam acriorem perpetuò generat, quæ ad partem affectam defluit, & dum reijcitur, sentitur morsus, quandoque sequitur quasi febris hectica, & paulatim Atrophia. Calculus etiam in causa esse potest, & gestatio vteri, atque interdum tam vehemens est affectus, vt

Dysenteriæ

Dysenteriæ similis videatur. Nam quod ad notas attinet, frequens æquè ac in Torminibus delidendi cupiditas cum flatibus, dolorque in ano est. Descendunt per aluum mucosa cum graui distensionis sensu, nec non aquosa, & interdum post recrementa stillat sanguis. Hinc vbi vlcus recti intestini, pus quoque editur. Atque huiusmodi deiectioni nonnunquam id interponitur excrementum, quod ex cibo coactum probeque figuratum est. Causam externam agnoscet medicus ex sermonibus, quia nimirum podice res frigidas attigit: aut byberno tempore nimium frigus pertulit, aut in aqua frigida nimium commoratus est. Humores verò ex ijs quę excernuntur, discernere licebit. Nam bilis deprehendetur morsu, colore, & substantia excrementi. Sic etiam salsa pituita, quæ cinerea est, & parum viscida. Fæcis retentio agnoscitur, quia dolor infestat ventrem infra vmbilicum versus dextram partem, in qua grauitas sentitur, nec tamen perinde sanguis excernitur, nec propriè Tenesmus dicitur, nisi ex magno conatu sequatur aliqua sanguinis gutta, & pituita viscida, aut intestini ramentum ob scybalorum duritiem, & asperitatem. In eandem sententiam, vt aiunt alij, stercorum multitudinem, vel obstructionem à stercore indurato, grauis distensionis sensus circa imum ventrem sequitur, eruntque alui excrementa præter naturam detenta. Vbi stercus fuerit excretum, ægri alleuantur. De eadem re sic & quidam: Stercus induratum conijcimus, si diu æger nil reddiderit, aut nonnisi recrementa dura, sicca, sine muco. Vlcus pure deprehendetur, & sanguine: sicuti phlegmone calore, pondere, copia sanguinis, & pituitæ excretione. Item inflammatio tumorem recti intestini vnà cum febre efficit. Extrinsecus comprimitur intestinum, vel à magno & inæquali vesicæ calculo, quia vesica recto intestino incumbit, vel inflãmatione parastatum. Hîc adest penis distentio, ardor vrinæ. Illic calculi signa sunt adijcienda: vrina retenta, turbulenta, sanguinolenta, & similia. Tenesmus neq; acutis, neq; longis morbis annumeratur: cùm & facilè tollatur, & nunquã per se iugulet. Si vtero gerenti superuenit, elidere partũ potest. In laborib. partus, & alio quoq; tẽpore, Tenesmi cuiusdã imago

Signa.

Prognostica.

grauidis euenit. Et vt ex alijs fortibus motibus, sic ex frequentibus exutrectionibus conceptus abortitur. In autumnum vbi incidit, contagiosus magna ex parte esse solet: vtique si tum quoque in tormina vertitur. Qui casus vt cæteris hominibus, sic pueris maximè lethalis est. Tenesmus vbi vetus fit, in voluulum aut coli dolorem, si pituita subest, transit. Si bilis in causa est, potiùs torminibus excipitur. Sæpe ex neglecto Tenesmo, vlcus relinquitur sordidum, ac purulentum, idque in fistulam vertitur, quæ ægerrimè remedijs tollitur. Victus ratio talis sit qualis torminibus debetur, & tendat ad frigus vel calorem, pro ratione causæ efficientis. Summatim cibi boni succi, coctu faciles, ac leuiter astringentes exhibeantur. In medicamentis instituendis, inprimis obseruandum num adhuc à præsente causa Tenesmus fiat, vel augeatur, vel ipse iam factus desinente eius causa amplius non fiat. Si enim fiat adhuc, pro causarum diuersitate, varianda est curatio. Si corpus est plethoricum, vel Tenesmus ab inflammatione pendeat, causa auferatur venæ sectione, vel etiam purgatione. Si ab acribus & mordacibus succis in toto corpore redundantibus, vt si flaua bilis redundauerit, medicamento cholagogo vtere. Si salsa pituita, vel atra bilis, medicamentis quæ eosdem succos purgandi vim obtinent. quanquam nec debent esse acria, nec vim purgandi vehementem habere. Cum ijs etiam perpetuò leuiter astringentia permiscenda sunt. Sed vt ad particularem curationem veniamus, si à stercorum multitudine Tenesmus est, tentandum primò leuibus clysteribus, aut etiam acrioribus eadem deturbare. Et vbi hæc non suffecerint, ad lenientia purgantia medicamenta transeundum erit, cuiusmodi sunt manna, cassia, saccharum violaceum, syr. ex infus. rosarum, diacatholicon. Nihil autem quod acre sit, clysteribus admiscere debet. Acria enim fæces magis exiccant. Et purgantia medicamenta ante stercoris eductionem sumenda non sunt, ne attrahant aliunde, & à toto corpore ad priorem stercorum copiam excrementa. Eadem ratione iubent alij molliendas atq; educendas clysteribus fæces. Alioquin quæ ore sumuntur, grauia admodum symptomata, & colicum dolorem afferre solent. Clysteres fiunt ex decocto violarum,

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

Curatio Tenesmi à stercorum multitudine.

violarum, maluarum, fœnugræci, seminis lini, cum adipe gallinaceo, oleo chamæmelino, & amygdalarũ dulcium, aut in prædicto decocto dilues cassiæ fistulæ ʒ ij. olei viol. ʒ iij. addes quoque clysteribus hieram picram. Herbas elixas & contusas sedi ac perinæo alligabis. Cumque Tenesmi causa fuerit abscissa, neque amplius à causa dependeat, discutientibus & modicè astringentibus laborans sedes foueri debet. Si verò inflammatio adfuerit, facta venę sectione è cubito, & si perseueraruit, secta interna vena malleoli, ptisanæ succus cum paucis rosis simul cum eo decoctis infundi debet: vel paretur decoctũ ex hordeo ac plantaginis folijs. Injiciatur & lac caprinum cum oleo rosato. Lumbis circa os sacrum, sedi, pubi, ac interfeminео fotus adhibeantur ex oleo myrtino, rosaceo, & omphacino, pauco vino albo adiecto. Et si dolor intendatur, ex fœnugræci, maluarum, rosarum, althææ, seminis lini decocto fotus fiat. Vel in eorundem iure fiant insessiones. Et efficacissima sunt fomenta sedi admota. Morbo in summo vigore existente reiectis rosis, quæ mitigant, humores coquunt, ac discutiunt, admiscеantur: vt flores chamæmeli, semen lini, fœnugræci: ex quorum decocto cum rosaceo & anethino oleo cõficimus clysteres, & in eodem decocto spongiam madefactam sedi admouemus. Injcienda autem quantitas clysterum paucior, quia extrema pars recti intestini tantùm abluenda est. Sed frequenter immittẽdi sunt. A bilioſis humoribus si Tenesmus excitatus est, clysteres fiant ex hordei & plantaginis decocto in iure pullorum gallinaceorum, saccharo rubro, & oleo omphacino, adiectis duobus vitellis ouorum: vel ex caprillo lacte, saccharo, & oleo rosaceo. Attemperetur bilis syrupo de endiuia, & violaceo, & clysteribus ex decocto hordei, violarum, fœnugræci, cum rosaceo & violaceo oleo; & cum bilis pars intestinis adhæresсit, cassiam fistularem clysteribus addimus. & clysteres conficimus ex decocto violarum & hordei cum sepo hircino, & rosaceo. Fotus item, insessiones, & illitiones fiant ex decocto maluarum, althææ, rosarum, violarum, hordei, & ex ol. rosato, omphacino, myrteo & amygdalarum dulcium: Vel ex oleo recenti, butyro, & adipe anserino cum modica cæra interiùs anus in-

Ab inflammatione.

A bile.

ungatur. Post hæc inijcienda quæ simul astringunt ac contemperant, vt decoctum ex rubi, myrti, seu plantaginis foljs, rosis, cytinis, hypocistide, balaustio ac hordeo, cui olei rosati ʒij. vel omphacini, & saccharum rub. addas, ac vitellos ouorum duos, potissimùm vbi vehemens dolor vrgeat. Oleum rosatum & vitelli ouorum demantur, si dolor ablit. Si Tenesmus est à pituita impacta intestino, detergentibus clysteribus vtendum primò, ac leuiter astringentibus. Deinde astringentia magis ac exiccantia adhibenda, quę ad calidum vergant. ℞. hordei cum corticibus cicerum rubrorum ana m̃. ß. corticum pini, foliorum lauri, florum chamæmeli ana m̃. ß. pilularum cupressi numero iij. Fiat decoctum in aqua pluuiali, aut iure pullorum gallinaceorum. ex quo excipe ℔.j. adde olei anethini, chamæmelini ana ʒij. mellis rosati ʒj ß. Idem humor pituitosus ferè salsus intestino affixus aqua hordei abluatur, & decocto maluarum, cum saccharo, cui oleum violaceum addatur. Si pituita fuerit lenta ac viscida, clysteres fiant ex aquâ mulsâ, cum melle rosato, aut decocto betæ, & mercurialis, aut decocto chamæmeli, origani, cum melle, & hiera picra. Et herbæ contundendæ cum oleo irino, & anethino, & sedi admouendæ. Si flatus est, addatur anisum & cuminum. Pariter circa pectinem, sedem, & femen calida fomenta, ac etiam olea adhibere oportet. Fiant fotus seu insessiones ex floribus chamæmeli, melliloti, fœnugræco, anetho, corticibus pini, lauri, cupressi, malicorio, myrti baccis, parato decocto ex tribus partibus aquæ pluuialis, & vna vini astringentis. Illitio ex oleo liliaceo, irino, rutaceo. Conferunt & sacculi ex milio, furfure, sale, ruta in vino: & later vetustus, à fumo denigratus, vnà cum contentis in eo paleis, si tundatur, & aceto subigatur: linteoque illigatus, statim ab excretione admoueri debet. Laudatur & suffumigium ex resina pini iniecta carbonibus. Et si dolor maximè infestet, demum prædicto hordei ac cicerum decocto, malicorium, lentes, myrti baccæ, ac gallæ adijciantur, corticem pini ac cupressi non prætermittendo: & infundantur per sedem, adiectis mellis rosati ʒij. Si vigiliæ infestent, vna cum dolore perseuerante, soporiferum aliquod collyrium subdatur, aut alicui ex prædictis clysteribus,

A pituita.

steribus, solani, hyoscyami, mandragoræ decoctum addatur, idque maxima vrgente necessitate, & eorum quantitas exigua sit. Si Tenesmum præcessit frigus, eisdem calidis discutientibus, fotibus, infessionibus, sacculis, vnguentis vtendum erit. Detur vinum album meracum bibendum: in quo ruta aut pulegium bullierint, & fomenta fiant inguinibus & perinæo, atque ipsi ano, ex oleo laurino, rutaceo, & irino, aut ladano, & styrace in oleo laurino & irino liquatis: aut vnguento Martiato appellato. Glomerem quoque ex furfuribus aut chamæmeli floribus calidum, ac vino albo inspersum, perinæo & ano admouebimus. Suffumigia quoque fiunt ex pice, semine coriandri, styrace. Vaporem recipiet insidens vino nigro, in quo bullierint rosæ, myrti folia, rubus, fructus cupressi, malicorium; aut aceto, in quo bullierint furfures, & chamæmeli flores. Clysteres fiunt ex decocto chamęmeli, amaraci, pulegij, calamenti, cum melle, oleo rutaceo, anethino, irino. Si ab vlcere malum procedat, id abluendum est aqua mulsa: aut aqua hordei, si ardor adest. Deinde vnguentum de tutia, vnguentum de plumbo admouendum. In Tenesmo ac similibus affectibus præstat deijcere in lecto paucam eā quantitatem, quæ cum labore excernitur, quàm toties surgere à lecto, metu febris & imbecillitatis.

A frigore.

Ab vlcere.

De Hæmorrhoidibus. CAP. XVII.

HÆMORRHOIDIS vel Hæmorrhoidum nomen symptomati est inditum, quo sanguinis fluxiones, quæ fiunt apertis orificijs venarum quæ sunt in ano, significantur. Nam vbi hepar ad generandum crassum sanguinem aptum est, & splen natura imbecillior, adeò vt ad se eam superfluitatem minùs trahere possit, is sanguis ad sedis vasa reponitur, interimq; propter multitudinē & crassitudinem eius sanguinis vasa adaperiuntur, & sanguis per ea excernitur. Idem quoq; nomen præter dictum sanguinis effluuium vsurpatur pro venis ipsis quæ in ano sunt dilatatæ, sanguinem fundentes atræ bili mixtum, seu pro tumoribus qui ibidem fiunt ex sanguinis influxu, intumescentibus earum venarum extremis scilicet.

Hæmorrhoidis nomen pluribus tribuitur.

Hæmorrhois serpentu genus.

Hæmorrhois quid.

Sed Hæmorrhois propriè serpentis genus est, cuius morsu sanguis omnis è corpore effluit, vnde nomen habet. Per transfusionem igitur est tumoris genus, quod intra sedem nascitur, cùm ora venarum intra anum tanquam ex quibusdam capitulis tument, & sæpe sanguinem profundunt. Hæmorrhois enim aut effluit, aut astricta est. Vtraque vel extra eminet, vel cæca est. Item vel sponte nata, vel excitata. Alij duas summas statuunt Hæmorrhoidum differentias: cæcas, vel apertas. Cæcas vocant, quæ intra latent, nec videri possunt: tum quæ conniuent, nec sanguinem vllum emittunt. Apertas, quæ vel visu conspicuæ sunt, & tument extra sedem, vel quæ sanguinem certis periodis fundunt, quanuis in alto positæ sint, & oculis non subiectæ. Ab alijs externæ hæmorrhoides vocantur, quando circa anum intumescentes ex humore melancholico venæ apparent visui exterius. Quando vero tumefactę interius latent, vocantur internæ, sæpiusque sanguinem profundunt, sine dolore ac tumore. Cæcas quidam appellant ficus & mariscas ob similitudinem, quoniam ficus quasdam mariscas nominant. Sed alij mariscam thymũ vocant, & mariscam cum thymo confundunt. Thymus autem verruca est, à quo differt sycosis, quæ maior est quantitate. Quare minus appositè ficus & mariscæ ad Hæmorrhoidas transferuntur. Prima igitur illa differentia Hæmorrhoidũ sumpta est à situ. Differunt etiam inter se Hæmorrhoides magnitudine, vel numero. Item figura, quòd basim angustã, vel latam habeant: vnde quædam moro similes & rugosæ, quædam acino vuæ similes, colore, & tenuitate. Loco item, quòd aliæ in ano, aliæ in sphincter consistant. Adhæc more, quòd aliæ mites, aliæ malignæ. Et symptomate, quòd quædam sine inflammatione, aliæ cum inflammatione. Hæc ita explicant alij, cæcæ interdum duræ sunt vt verrucę: tuncque verrucales dicuntur, suntque alijs deteriores, aliæ tractabiles atque molles, morales dictæ. aliquando ob colorem purpureum quo perfunduntur, vuales nominantur. Ad dictarum Hæmorrhoidum similitudinem venæ quædam circa vteros mulierum sanguinem profundentes, Hæmorrhoides etiam medicis dicuntur.

Ficus.

Mariſca.

Thymus.

Sycoſis.

Differentia Hæmorrhoidum.

Partes affectæ.

Partes igitur affectæ quæ sint, constat, nempe venæ sedis: de quarum

de quarum origine etiamnum hodie certant medici. Sed magis recipienda est sententia recentiorum, qui volunt venam insignem venam esse, quæ à ramo splenico venę portæ per mesaræum circa colon & intestinũ rectum extensa terminatur in musculis ani & intestino interiore, cui circa lumbos occurrit arteria. In eundem verò locum, sed vlteriùs ad cutem vsq; à vena caua tres cum suis arteriis, à duobus iliis & ramulo venæ sacræ dictæ Syluio. Si per has effluat sanguis, quia exteriores sunt, Hæmorrhoides apertæ dicuntur siue externæ, in quibus necesse est hepar, renes, & totum illud genus venosum à vena caua magis expurgari, proindeq; sanguinem magis coctum esse, quàm qui fluit à venis mesaraicis, in quibus adhuc rudis est & splendidus, licet ater sit & crassus, quem lien & mesaræon maximè hac via expurgant. Nam hepar sanguinem coctum per venam cauã distribuit. Mesariacæ verò sugunt à ventriculo & omnibus intestinis, atq; ad hepar succum mittunt, plurimumq; seri continent. Lien autem sanguinem fæculentum exonerat in ramum splenicum: à quo descendit per mesaraicum ramum, vnde primus ramus qui descendendo occurrit, hæmorrhoidalis est: paulò infrà, venæ mesaraicæ. Si igitur per venam à mesaraico ramo qui à splenico oritur, fiat ille fluor, Hæmorrhoides internæ erunt, quòd intus lateant, nec oculis cerni possint, nisi descendente ano, aut immisso speculo. His consentiunt quæ ab aliis recensentur: Nempe quòd internæ Hæmorrhoides fiunt ex venis intestinorum quæ mesaraicæ dicuntur, aliæ à venis distributis circa sedem. Et quòd venæ internæ frequentiùs aperiuntur iis qui difficulter excernunt, & mulieribus à partu, & iis qui frequenter allio vtuntur: quòd etiam fluxus internarum maximè conuenit affectibus melancholicis, tumoribus splenis, hepatis, mesenterii. fluxus verò externarum, affectibus renum. Et qui ab internis fluit, splendidus ac tenuis est: qui ab externis, colorem habet magis saturum. Sed de parte affecta nimis multa. Affectus verò ipse symptoma est in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam, quemadmodum & reliquæ hæmorrhagię præter mensium profluuium, etiamsi quod excæcis profluit, minimum sit, aut nihil. Quòd enim sæpe-

Quis affectus præter naturam.

numero & non ſemper, natura ſanguini permixtum humorem per eadem ora excernit, & ſæpe illæ ſanguinem fundunt, ita dictæ ſunt. Quòd ſi quis contendat morbos eſſe potiùs partium inſtrumentalium in cauitate ſcilicet dilatata, non reclamamus, quia venæ ſedis ſunt dilatatæ, & factæ varicoſæ, atq; in genere τῶν κιρσῶν comprehenduntur. *Cauſa.* Porrò cauſa Hæmorrhoidum eſt copia melancholici ſucci, vel fæculenti ſanguinis, qui à iecore, ſplene, vel toto corpore mittitur. Quanquam non omnis Hæmorrhois talem melancholicum ſanguinem euacuat: ſed vera tantùm, ac propriè dicta. Alij enim & bilem, & pituitam ſalſam venas ſedis petentem inter cauſas referunt. Aliquando fluor Hæmorrhoidum à nimia fit copia ſanguinis. Aliquando ob nimiam eius tenuitatem acredinemque hoc natura molitur. Per eas etiam venas fluit ſanguis ijs qui ſolita exercitia omiſere, aut pleniore victu vti cœpere quã antea, vel quibus conſuetæ è nare, aut vtero ceu in mulieribus, excretiones ſupprimuntur, aut quibus mos erat venam tundere, aliáue ratione ſanguinem euacuare, & conſuetudinem mutarunt, vt iam quia corpus vniuerſum peruadat copia, imbecillitáſq; adſit, ijs Hæmorrhoides oboriantur. Cæcæ quidem, vbi multa fuit copia, expultrixque non vehementer irritata, ac retentrix non admodum imbecilla. Apertæ, vbi contrarium euenerit, ex quibus craſſus & fęculentus magna ex parte effunditur. Aliquando enim & malo ſanguine euacuato, bonus ſubſequitur, vbi diutiùs remanet os venæ apertũ, neq; priùs fuerit occluſum. Itaq; eo morbo laborare nouimus fœminas ſuppreſſis menſibus, aut poſt partum ſanguine ad eas partes compulſo, aut viros poſt quadrageſimum annũ, cùm ſanguis ad auctionem non eſt neceſſarius, & is aſſatur aduritúrue. Idẽ facit vſus ciborum melancholicorũ ſanguinem generantiũ, & diuturna ſolicitudo ac mœror. Fiunt etiã Hæmorrhoides ijs potiſſimùm, qui cum magnis conatibus & expreſſionibus inteſtinorũ recrementa reddunt, ijs qui flatulenti ſunt & cachexia laborant, vel qui calculum, aut vlcera penis aut recti inteſtini patiuntur. *Signa.* Signis autẽ dignoſcuntur, prętereà quòd oculis interdum ſunt conſpicuæ, ex dolore animum tumore vno vel pluribus, cum punctione, & ſanguinis ma-

nis manatione, aut etiã sine ipsa. Alij sic exponunt: Interna sedis pars intumescit, & capita venarum supereminent, & circa internã recti intestini partem, velut vuæ acini lucidæ apparent. Cæcæ verò dolorem vehementẽ excitant. Imò is dolor quandoq; adeò grauis est, vt inde ani sequatur inflãmatio: potissimùm dum à stercore exeunte comprimuntur. Apertæ sanguinẽ eiaculantur, maximè vnà cum stercore, & post extremã aluum: aliquando etiam vltro, & sine stercore. Plurimis quoq; Hęmorrhoidas patientibus adest color vniuersi corporis proprius eis, vtpote citrinus ad viriditatem declinans. Si accidat quòd Hæmorrhoides magis interiùs fiant, si vehementer exprimatur æger, sedéq; priùs aqua calida foueatur, cõspicuæ fient, tã si cæcę quàm si apertæ sint. Externæ facilè deprehenduntur. Internæ expondere circa sedem, egerendi difficultate, & clysteres aut glandes immittendi, sanguine alijs excremẽtis permixto, & consueta purgatione, atq; indiuidui natura. Et ex aperta Hæmorrhoide sanguis primùm melãcholicus, dein purus ac rutilus exit, interdũ quia in vacuo recti intestini concreuit, formã grumi rubentis habet. Itaq; ab eo differt quem vel mesenterium, vel loci superiores fudere. A mesenterio enim non multus sanguis fertur. A iocinore infirmo verus sanguis non defluit, sed dilutus, aquæ qua carnẽ quis lauerit animantis nuper mactati similis. A ruptis & patefactis superiorũ locorũ venis sanguis manat, picis specie retortridus ac niger. Hæmorrhoides fluere consuetæ si præter naturã retineantur, concurrit dolor dorsi, coxarũ, tibiárum, renũ, ani, pectorisq. Quod reliquum est, natura certis quibusdam temporib. hac spontanea vacuatione mediocrem fundit sanguinis melancholici quantitatem, & salubre est. Sed æquè præter naturam est sanguinem immodicè fundi per Hęmorrhoidas, atq; in hæc loca delatũ pro cõsuetudine inde vacuari non posse. Vbi sanguis immodicè profluit, vel post nigri sanguinis excretionẽ, natura haudquaquam potente propter eius imbecillitatẽ ac conceptaculorũ reserationem bonũ sanguinem retinere, tunc ægri nõ facilè tolerabunt: quinimò decolores ac omnino imbecilliores reddentur. Et quemadmodum hæc affectio à multis morbis tutos reddit, nempe à morbo laterali, peripneumonia, *Prognosis.* *ca.*

phagedæna, furunculis, lepra, elephantia, vitiligine, febre quartana; ita cùm contrarium euenerit, nonnullorũ morborum causa existit. Nam & deformitatem, & miseram vitam Hæmorrhoides inducunt. Deformitatem quidem propter vitiatum colorem : miseram vitam propter corporis & maximè crurum debilitatem. quandoque & vita priuant cùm hydropem inuehant. Nihilo leuiora pericula fiunt, vbi in iis Hæmorrhoides supprimuntur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non fiunt, quiq; purgationis vice id, non morbi habẽt: scilicet inclinata in præcordia aut in viscera materia, subiti grauissimiq; casus incidunt, maximeq; aut aqua inter cutem, aut tabes. Quare ex multis vna rectè manebit aperta in curando. Non enim aliter assuefaciendum ei quæ fit per Hæmorrhoidas vacuationi, quæ periculosam habet vtramq; immoderantiam, qua vel immodicè excernitur sanguis, vel ex toto supprimitur. Melancholicis, vel tenum morbo fluctuantibus, vel insanientibus, Hæmorrhoides fluere cœpisse bonum est. Tum his etiam nimiùm suppressis commodum est, aut menstrua erumpere, aut sanguinem è naribus ferri.

Curatio. Iam quæ curatio conueniat, tempestiuum est proloqui. In cæcis Hæmorrhoidibus, aut vbi modicè sanguis fluxerit, quadrat victus ratio capite de Melancholia præscripta, qua scilicet copia gignendi melancholici succi viteretur. Si enim exigua est, à liene facile expurgatur. Abstinere decet à melle, & aromatibus, præsertim si fluxerint. Et infestantibus cæcis, à vino: & aqua cinnamomi vtẽdum, aut radicis dulcis, aut aqua hordei, si punctio in parte sentiatur. Venter lenis sit, & clysteres injiciantur, ne fæces duritie eas partes lædant. Vel alui excrementa reddantur mollia vsu prunorum, herbarum mollientium, vel molliter detergentium in iure pingui coctarum, vt maluæ, lactucæ, borraginis, betæ, mercurialis, brassicę. Abstineant à suppositorijs acribus, & si ijs opus sit, conficiantur ex latido pingui, vel candela ex sebo. Ab exercitationibus item caueant, dum malo premuntur, ab equitatione maximè. Porrò cæcarum curatio, mitigatione doloris impletur, & earundem apertione. Mitigatur dolor attemperantibus calorem, aut resoluentibus, siccantibus, & euacuantibus humorem, & stuporem

ſtuporem inducentibus. Primo loco igitur, quoniam cæcæ ſæuos excitant dolores, ſint molles & leues clyſteres, ex decocto ſcilicet emollientium in iure gallinarum parati, addito oleo amygdalarum dulcium, ſaccharo, adipe anſeris, renum caprarum. Poſtea tundatur vena malleoli ſemel vel bis, ſi vires conſentiunt, & corpus melancholico ſanguine redundet. Is enim ſanguis per eam ſectionem vacuatur. Eius venæ ſectio, quibus humor partem obſedit, & quibus conſuetus eſt morbus, conuenit. Præuiſionis autem gratia, aut etiam incipiente morbo, in his qui aliâs eo morbo non laborarunt, aut ſi plurimùm Hæmorrhoides intumuerint cum dolore & magna inflammatione, vena interna cubiti, dextri vel ſiniſtri (prout ad dextram vel ſiniſtram partem magis inclinauerint) ſecanda venit: & omnium præſtantiſſimum eſt remedium, quod multitudinem vacuat. In doloris magnitudine venæ baſilicæ ſectio repetenda eſt. Plurimum etiam valet ad mulcendum dolorem purgatio ex caſſia & catholico, ne fæces induratæ dolorem geminent. Apponenda quoque ſunt quæ mitigant. Quapropter in aqua dulci modicè calida deſidendum, aut decoctis in ea maluarum, althææ, violarum, thapſi, nymphææ foliis, & interdum meliloto, fœnugræco, chamæmelo, lini ſemine, & anetho. Hæc enim attemperant, & reſoluunt. Et ſi opus erit, addantur folia hyoſcyami, lactucæ, papaueris tum albi, tum nigri, & ſpongiæ irrigatæ loco dolenti adhibeantur. Fouendus & locus ex ouorum vitellis, roſarum foliis, oleo roſaceo, & cæra parato medicamento. Quandoque miſceri poterit mica panis in aqua dulci mediocriter decocta. Idque ſi intus fuerint Hæmorrhoides, digito illinendum. Si extra, ſuper illitum lineum panniculum imponendum eſt. His adde quod ℥. foliorum althææ, meliloti ana m. ß. adipis anſerini ʒ ij. vitellos ouorum numero iij. olei roſati & ſeminis lini ana ʒ iij. cæræ albæ parum. miſce & fiat vnguentũ. In vehementi dolore, vtere infrà ſcripto: ℥. foliorum hyoſcyami m. ß. violarum, lactucæ, tantundem. bulliant in aqua, & exprimantur. dein in dicta aqua maceretur mica panis, cui adde vitellos ouorum duos numero, cremoris ſeminis lini & fœnugræci ana ʒ ij. olei roſacei ʒ ij. Ad ſedandũ dolorem

etiam facit fotus ex lacte, in quo rosæ & folia hyoscyami ac papaueris incocta fuerint: vel cataplasma ex mica panis albi, lacte, vitello oui, oleo rosato, & pauco croco. Dolor aliquando prouenit ob asperitatem, cùm altera alterã tangit & confricat. Ob id necesse est interponere bombacem intinctum linimentis appropriatis: vt si cum inflammatione, vnguentis ex albumine oui, oleo rosaceo, violaceo, vel mucagine seminis psyllij. Si sine inflammatione, remedijs quæ parantur ex mucagine seminis fœnugræci, lini, vel ex seuo & adipe, vel terebinthina axungiæ gallinæ mixta. Item dolor lenitur oleo amygdalarum dulcium, lini, lumbricorum, millepedarum, scarabeorum, mica panis cum lacte & oui vitello cocta, albumine oui tandem adiecto, & adipe gallinæ vel anatis. Lenit & puluis suberis vsti cum butyro vel oleo: limaces sine testa tusi, cum oleo violato cocti, cum farina seminis lini aut fœnugræci in cataplasma formati. Hæc si nõ sufficiant, stupefacientibus tactum dolor prohibetur, vt balano ex bombace, cui illitum sit Philonium, vel Athanasia, vel eadem emplastri modo applicentur. Vel ℔. vnguenti populeonis ʒ j. oui vitellum, opij à drachma vna ad drachmas duas, croci parum. misce, & applica si dolor est vehementissimus. Vbi multa fuerit materia sine inflammatione, & si tumor perseuerarit, sedato dolore: vtimur exiccantibus sine morsu, vt tutia, & vnguento ex ea confecto, & vnguento de plumbo, & puluere tormentillæ, & decocto verbasci, & cornu cerui vsto. Huiusmodi est cataplasma paratum ex radicibus & floribus thapsi barbati, ex nucibus cupressi, ex mucagine seminis fœnugræci & althææ in aqua plãtaginis extracta; item ex cæpe albo & butyro recenti insulso simul coctis. Vbi hæc non contulerint, sanguinem vacuare oportet, adhibito medicamento aperiente. Quale est ℔. olei de chrysomelis, de semine lini, amygdalarum amararum ac nuclei persicorum ana ʒ iij. succi cæpæ, & cyclaminis ana ʒ ij. stercoris columbini ʒ iiij. medullæ seu sepi ceruini ʒ iij. cum pauca cæra fiat vnguentum. Vel fricentur foliis vel lacte fici, parietariæ, lineis linteis, asperis, & crassis. Hirudines quoque non venenosæ, & paratæ, in arundine inclusæ, ita vt caput duntaxat exerant, Hæmorrhoidibus, vt aperiantur,

antur, imponi solent. Has si amouere non poteris, cinere illarum capiti insperso decidere sua sponte facies. Hirudines initiò admotæ vbi venæ sunt inflammatę, parũ iuuant. Verùm inflãmatione sedata, his locus est. Et Hæmorrhoides quibus admouentur hirudines, priùs sanguine gallinæ vel columbi illinantur, vt eum ad se illiciant. Glandes etiã ex radice cyclaminis paratæ in anum indi possunt. Aperit & pulpa colocynthidos puluerataæ ex oleo amygdalarum amararum admota. Idem præstat stercus columbi cum saxifragia, succus cæpæ vel scillæ, fel vaccinũ ex nodulo, cyclaminis radix vel succus, emplastrũ ex staphide agria, farina lupinorũ, felle bouis, aut glans ex melle tosto, & puluere colocynthidis, aut glans ex hiera. Sed temerè faciunt qui Hæmorrhoides dolentes acribus & anastomoticis perfricant, vt ijs sanguis eliciatur. Nam hæc cùm calida sint, geminandi doloris causa existunt. Penuria sanguisugarum aperi scalpello, aut cauterio: sed cum præmeditatione, quia vulnus ægrè glutinatur. Sunt etiam qui præponãt scalpellum hirudinibus, ceu tenuem tantùm sanguinem trahentibus. Si cui recentes sunt Hęmorrhoides, nullo dolore sed tumore solo molestæ, ne curentur. De quo alij: Si nec dolor est ingens, nec tumor, naturæ permitte, nec aperi, nisi coactus: quia his partib. per valentia medicamenta apertis, cancri & fistulæ superueniunt. Vbi verò fluunt Hęmorrhoides, sed modicè, vt vires non prosternantur, vtendum prædicta victus ratione: præsertim si sanguis niger & crassus fuerit: neq; supprimere oportet, quoniam à multis vitijs liberant, vt dictum est. Et quod ad Hippocratis sententiam pertinet, qui iubet vnã relinqui, si quis inueteratas Hęmorrhoidas curare velit, omnino vnã relinquere debet, aut si nullã reliquerit, præseruare conuenienti victus ratione, ne talis succi copia gignatur: aut si gignitur, venæ sectione statis quibusdã tẽporib. vacuetur, præsertim ineunte vere. At si immodicè fluant, confertim supprimendæ sunt, simili modo victus quẽ capite de Hæmoptysi præcepimus. Austeris enim & acerbis vti conuenit, vt iure carnium in quibus mala cotonea aut pyra acerba elixentur, & oryza, & succus arancij, succus vuæ acerbæ cum carnibus, & aqua mastichina bibenda est, aut vinum album austerum.

Curatio Hæmorrhoidũ fluentium.

Victus ratio.

Cæteri cibi sint facilis coctionis, etiam cum quibusdam astringentib. permisti. In primis verò interna cubiti dextri vena reuulsionis gratia incidatur. Nam vt Hæmorrhoides prouocamus vena secta malleoli, sic aperta basilica sistuntur. Si vires venæ sectionem non toleraut, cucurbitulæ affigantur hypochondrijs, interscapulio, humeris. manus & brachia vinciantur, ijsdémque partibus frictiones asperæ adhibeantur. Purgatio etiam instituatur pro humoris redundantis natura, deturq; rhabarbarum, agaricus, syrupus ex infusionibus rosarum. Assumantur & quæ venas occludunt, & astringunt, vt syrupus ex infusione rosarum aridarum, myrtinus, citoniorum, è ribes, ex succo oxalidis, vel plantaginis. Pastilli de terra sigillata præstantissimi sunt, pastilli de succino: saccharum rosaceum antiquũ cum bolo armeno, lapis hæmatites, cum succo plantaginis. Et ℔. lapidis hæmatitis ℈ j. radicis symphiti, & althææ ana ʒ ß. boli armenicæ ℈ ß. mastiches gr. iij. fiat puluis, qui cum vncijs duabus vini præbeatur: aut ʒ j. Trypheræ Sarracenicæ, aut Phænonis, aut theriacæ corporibus frigidioribus ac pituitosis & melancholicis; vt trochisci de terra lemnia aut de succino calidioribus. Datur & coralli ʒ j. ante cibum. Vsurpatur & electarium scorię ferri Rhasis: & squama ferri ex aceto cocta, & siccata. Pulueris thapsi barbari ʒ j. Sumpta ex ouo sorbili manè per aliquot dies sistere dicitur Hęmorrhoides. Extrinsecus autẽ fiat insessus in aqua de verbenis, aut in decocto rosarum aridarũ, foliorum plantaginis, myrtillorum, & in eo desideat æger. Malicorium, gallæ, cytini, balaustiũ, & magna imminente necessitate hyoscyamus, alumen, papauer album & nigrũ, si opus fuerit, prædicto decocto adijciantur. In corporibus frigidioribus in vino decoquantur, aut saltem permisto eo cum dicta aqua pluuiali folia ac flores verbasci misceantur. Spongię in dicto decocto madefactæ, parti affectæ adhibeantur. Saccelli quoq; vino austero irrigati admoueantur. Vel puluis inspergatur ac ligetur, qui recipit aloës ʒ ij. corticis thuris ʒ j. balaustiorũ, sanguinis draconis, terræ lemniæ ana ℈ j. gallarũ, malicorij, seminis rosarũ ana ʒ j. fiat puluis tenuissimus. Fit & vnguentum ex succi plantaginis, sanguinarię, solani ana ʒ ij. aloës, corticũ thuris, terrę lemniæ ana ʒ ij ß.

olei

olei myrtini, maſtichini, roſ. ana ʒj. albuminis ouorum ʒij. cæræ & aceti parum. fiat vnguentum. Emplaſtrum comitiſſæ, lumbis & ſedi admotum, eſt efficaciſſimũ. Emplaſtrum contra rupturam. Hæc locum habent, vbi ex caua vena ſanguis effunditur. Curſum enim ſanguinis intercipiendo iuuant. Inutilia ſunt, vbi ex vena porta ſanguis effluit, quò vis aſtringentiũ ferri nõ poteſt. Aëtius inter ſanguinẽ ſiſtentia maximè commendat aloëm, ſquamã ferri, plumbum vſtum cum poſca impoſitũ. Galenus inter alia laudat puluerẽ ex aloë, thure, ouiq; candido cõpoſitum, qui dein pilis molliſſimis leporis excipitur, & vaſis imponitur, vel illigatur vaſis forinſecus ex faſcia. In duris corporibus ſit plus aloës, in mollib. plus thuris. Ex vulgato vſu recentiorum admouemus & cinerem pilorum leporis cum tela aranei, aut inſpergitur puluis acaciæ, malicorij, boli armeni cum pauco chalcantho. Aut fit fomentum ex decocto balauſtiorum, roſarum, myrti, meſpilorum, ſorborum, & alijs. bulliant in vino auſtero, & ijſdem malaxatis, & in linteo compreſſis fit ſacculus qui ano applicatur: aut ſimilia decocta infunduntur. Purgato item corpore fotus alius conuenit cum vino aſtringente, & decocto roſarum, centinodiæ, plantaginis, ſcoriæ ferri, & ſimilium. Topica adhibentur ſedi & oſſi ſacro. Videndum autem ne nimis aſtringamus aut refrigeremus podicem. Hinc enim ſequitur ani prolapſus, vel reſolutio: illinc non præſtat officium, & aluus nimiùm reſiccatur. Itaque poſt vſum horum, corrigi debet vitium, ſi quod illatum ſit. Vbi remedijs non eſt locus, chirurgia opus eſt, ligatis, vſtis, tabefactis venis. Sed reuera in Hæmorrhoidibus diuturnis, aut varicibus, & reliquis influxionibus, & collectionibus iam inueteratis, omnino periculoſa eſt ſectio, qua vel moriuntur, vel in aliquem grauiſſimum dolorem incidunt.

De Rhagadibus ſeu Rimis ani, Condylomatis, Thymo, Sycoſi. CAP. XVIII.

SEDIS vitijs connumerantur quæ à Græcis ῥαγάδες, & à quibuſdam veteribus ῥήξεις dictæ ſunt: Latini Rimas, Sciſſuras, ſeu Fiſſuras nominant: Plinius fiſſa vocat. Sunt autem Rimæ ani oblonga vlcuſcula, quibus ani ſphincter *Rima.*

musculus velut prosciſſus eſt, vel ipſe circulus, ſeu extrema ani corona: nõ aliter quàm labra vel manus ex frigore aut flatu Boreæ ſcinduntur: idque præſertim intermedijs digitis manuum ac pedum accidit. Duplices autem Rimæ ſtatuuntur, recentes & diuturnæ: illæ quidem ſine callis, hæ cum labris calloſis. Cùm enim indurantur, colloſa labra fiunt. Pars affecta eſt extremũ recti inteſtini, quod anum appellant: interdum musculus anum aſtringens, ſeu ſphincter dictus. Morbus autem ad ſolutionem continui refertur. Cauſa eſt calor cum ſiccitate, aut ſola ipſa ſiccitas, vel cum humore acri ac mordaci, qualis eſt bilis, aut ſalſa pituita ſiccans, aut Condylomatum inflammatio & diſtenſio rupta cute: ſeu tumores circumiacentes, diuellentes cutem & carnem musculi claudentis anum. Hæc vlcera vel ſanioſa ſunt, vel calloſa, vel canceroſa, & feruida fiunt, & nonnunquam ex duriorum aſperitate fæcum naſcuntur.

Pars affecta.
Affectus.
Cauſa.

Signa. Malum ipſum oculis obuiũ eſt. Si ſunt à mordacibus ſuccis, indicia aderunt eorum citra Condylomatum præſentiam. Eſt autem Condyloma (ita dictum ad ſimilitudinem condylorum manus) tuberculum quod ex inflammatione naſcitur circa ſedem, molle ſcilicet, vel durũ, & calloſum, recens vel diuturnum. Fitq; Condyloma cùm ruga aliqua corporum in ano reduplicatorum inſurgit, ac præter naturam intumeſcit: & extra inflammationem exiſtẽs, molle eſt: cum inflammatione verò, durum ac dolorificum. A Cõdylomate verò diſtat Thymus, de quo ſuperiori capite meminimus, qui eſt eminẽtia doloris expers, oblõga, ſubrubra, quandoq; albicantis coloris, thymiq; herbę cacumẽ refert: & ſi magnitudine excedit, Sycoſis ſeu Ficus appellatur. Sed vt ad Rimas ipſas reuertamur, eæ ſunt multi plicatæ. Propterea vbi recentes ſunt, confeſtim curare eas tentandum eſt, vtpote quæ medicamentis cedant. Vbi verò calloſæ & diuturnæ fuerint, ſolã chirurgiam admittunt. Quo loco notandum eſt ſedis vitia ægrè curari, quia multo ſenſu prædita eſt, & ab acribus & auſteris irritatur. Præterea excrementorum tranſitus mordax eſt, & magis vbi eruperit bilis ipſa, & ſeroſi quidam humores: neq; tempus eſt ſtatũ medicis imponendi medicamenta, cùm plerunq; minimè conuenienti tempore ægri ad excernendũ concitentur

Condyloma.
Thymus.
Sycoſis.
Prognoſtica.

tentur: & humiditas & caliditas loci siccantibus & frigefacientibus citra acrimoniam opus habēt. In victus ratione, alimēta sint boni succi & humectantia, nēc acribus cibis vtendum, nec asperis, nec aluum comprimentibus, nec aridum quidē quicquā satis vtile est, nisi admodū paulum. Sed liquida, læuia pinguia, glutinosa, meliora sunt. Huiusmodi cibi sunt gallinarū, pullorum, phasianorum carnes, vitulinæ, hœdinæ, veruecinę elixæ, & præcipuè earum iura pinguia: maluę item, spinachia, borrago, endiuia, cichoriū, & ptisana, in eisdem iusculis si decoquantur. Similiter oua recentia, & reliqui cibi è butyro, adipe anseris aut gallinæ, aut lacte amygdalarum dulcium parati, ne aridum stercus conglutinationem remoretur. Quies item præcipiatur & somnus, animiq; perturbationes immodicæ vitētur. Aluus mollis seruetur si non natura, saltem arte, clysteribus mollibus & pinguibus, per ea quæ ore sumuntur lenientia, vt sunt pruna, cassia in pauca quantitate paulò ante cibum sumpta. Vitentur carnes salitæ, salsamenta omnia, & aromata. Quod ad reliquam curationem spectat, in quibus sanguis redundat, à sanguinis missione incipiendū est: & à purgatione, in quibus humores bilioſi aut salsi. Hi autem præparentur, deinde ducantur medicamento quod suapte natura tales humores ducat citra mordacitatē vel acrimoniam. Tale est mel aereum, manna, syrupus ex infusione rosarum, catholicon. Si propter Condylomata Rimæ acciderint, ijsdem purgantibus vtendum, & vbi inflammata fuerint, vena priùs in cubito secanda est. Quinetiam vena tali secatur pro deriuatione simul ac vacuatione sanguinis in inflammatione contenti. Cæterùm Rimæ, vt cætera sedis vitia absq; inflammatione, desiderāt ea quæ citra morsum ac aspritudinem astringunt: vt quod recipit ceruſæ, argenti spumæ, ana ʒ ij. pompholygis loræ ʒ j. seminis rosarū ʒ ij. succi plantaginis ʒ iij. oui assati vitellū vnum, adipis anseris ʒ ij. excipiantur omnia rosaceo, & vtere. Vel rasuram linteolorum vrito, eiusq; cinerem cum pari amylo tritū illinito, permisto succo foliorū oleæ vel plantaginis: valet & vngueatum de ceruſa, quod caphuram recipit. Vel fiat fotus ex decocto foliorum oliuæ, polypodio, & alumine: & quod recipit ceruſę, lithargyri, plumbi vsti, alumi-

Victus ratio.

Medicamētorum ratio.

nis vsti, thuris, singulorum drachmam j. axungiæ gallinæ, anatis, porcinæ, olei amygdalarum dulcium, olei de papauere ana ʒ ß. lento igne misceantur, & addita cæra fiat cæratū liquidū ad vnguenti formā, & liniantur Rhagades. Eadē remedia, si Condylomata recentia fuerint, conueniūt. Cùm verò nedum Condylomata, sed & Rimæ diuturniores fuerint, indurantur: aut callosæ fiunt, chirurgiam desiderant. de qua vide Aëtium, vt de curatione Thymi, Ficuū, & Acrochordonum, seu Verrucarum. Iuniores verò de his sic scripserunt: Sanioſa si fuerint vlcera, abluantur sero lactis, vel mulsa. Deinde consolidentur tetrapharmaco in rosaceo dissoluto, & medicamentis è lithargyro, & chalcitide. Callosa egent mollientibus: butyro, adipibus, mucaginibus, œsypo, radice lilij, iride Illyrica, quam excipies terebinthina. Alioqui vitellum oui assum cum lacte muliebri adpones: Et in suspicione cācri, diapompholygos mollitum liquido cærato rosaceo. Vbi calor aderit, vnguentum de ceruſa, de plumbo, de lithargyro, & similia conuenient.

A Iuniorib. petita.

De exitu ani seu procidentia.

CAP. XIX.

Ἀπευθυσμένον. Ἄρχος.

RECTVM inteſtinum (Græcis ἀπευθυσμένον dictum, quòd sit sine gyris, cùm alia inteſtina sint flexuoſa: vel ἄρχος, forsan quòd alijs imperet, vel quòd sit aliorum principium.) opus habuit musculo, à quo tanquam crumena constringeretur, ne ante tempus excrementa effluerent, quæ scilicet excipit, & foras agit, adiutum septo transuerſo & musculis abdominis propellentibus. Is musculus transuerſus circumiectus est. Altero quoque eguit, (qui geminus est, scilicet vtrinque vnus) obliquè supra rotundum sito, quo surſum reuellitur, ne in magnis conatibus promtè sedes laberetur. Adiectæ sunt & membranæ ad maiorem firmitatem, quibus alligatur osſi sacro & lumbis. Si igitur extra anum prolabatur rectum inteſtinum, neque surſum retrahi possit, nisi manu protrudatur, tunc fit πρόπτωσις ἄρχου, id est procidentia seu prolapſus ani. Anus autem est extrema laxitas recti inteſtini, quæ & podex nuncupatur.

πρόπτωσις.

Pars

Pars igitur affecta est anus: licet quandoque per se, interdum per consensum afficiatur; affectis scilicet primò musculis ipsis sursum attollentibus. Per se verò afficitur, cùm inflammatione tentatur, eaque adeò magna sæpe, vt sua grauitate cogat musculos ipsum attollentes cùm contrahuntur, violenter distendi: quo fit vt musculi ipsi per consensum affecti sint. Affectus verò morbus est in compositione, & propriè in situ. Relicta enim propria sede foras prolabitur: & quandoque sphincter totus apparet inuersus atque prouolutus. Causa igitur est in musculis, aut in neruis sursum reuellentibus, vel membranis alligantibus. Id autem fit laxatis & resolutis illis neruosis corporibus, vel imbecillioribus redditis, vel intumescente & inflato recto intestino. Si resoluantur nerui, causæ ex capite de Paralysi repetendæ sunt. Imbecilliores redduntur aliquando ob nimiam mollitiem & humiditatem perfundentem, vt in pueris; vel ob frigus à quacunque causa externa, vel ob aliquam aliam intemperiem. Interdum præcedit Dysenteria, vel Tinesmus, in quibus magna est contentio in reddendis excrementis durioribus vel acrioribus. Inflatur autem intestinum à quolibet tumore, sed præcipuè ab inflammatione. Alijs verò indicijs minimè indiget affectus pro sui cognitione. Et quod ad causarum distinctionem facit, si citra inflammationem exciderit anus ob resolutionem, stuporem, vel imbecillitatem musculorum & neruorum, ex eorum frigida & humida intemperie simplici, vel cum humorum præsentia facilè dignoscitur. Nam præcesserunt quæ pituitam augent, vel nimia refrigeratio ani, quæ natantibus in aqua euenit, & his qui pedes continent diutiùs nudos, aut in humido & frigido loco, aut in lapidibus sedent frigidis, & in frigido tempore. Inflammationem sequitur tumor, dolor, tensio, rubor, febris, irritatio ad excretionem, stillicidium vrinæ. Si à casu aut percussione accidit, ab ægro aut assidentibus audietur. Procidentia sine inflammatione faciliùs curatur, quàm cum inflammatione. Et licet sine inflammatione sit, conandum est vt quamprimum curetur, atque anus introducatur, ne temporis diuturnitate structura mali inueterata ad vstionem perueniendum sit. Quanquam hæc pars dum secatur &

Pars affecta.

Affectus.

Causa.

Signa.

Prognostica.

Curatio. vritur, nullum periculum inducit. Atque vt curationi commodior locus sit, hic victus ratio exiccans esse debet, & carnes assæ offerendæ, & oryza cum iure carnis, & lentes itidem paratæ, & succus vuæ acerbæ, & mali punici: & vinum austeritatis particeps. Fæx alui molliatur clysteribus, ne dura descendens, secum anum pessundet. Iam si anus nulla inflammatione tentetur, nec humore mucoso circumdetur, illico reponatur in locum suũ leuiter digitis ac sensim retrudendo. Priùs tamen æger desidere debet in aqua aut salsa, aut cum verbenis, aut malicorio incocta. Aut abluatur anus ex decocto foliorum myrti, malicorij, rhu obsoniorum, rosarum, gallarum, balaustiorum, acaciæ, hypocistidos in aqua, aut vino astringenti. Deinde puluis inspergatur, ne repositus deorsum excidat. ℞. foliorum rosarum & myrtillorum ana ʒiij. seminis rosarum, & cornu cerui vsti ana ʒj. rhu obsoniorum ʒj. thuris ʒj semissem fiat puluis. Vbi multo mucoso humore anus circundatus fuerit, in aqua salsa æger desideat, aut in vino austero, in quo gallæ, myrrha, cupressi pilulæ, ac pinus cortex incoquantur: & inspergatur medicamentum ex myrrhæ, thuris ana ʒij. pilularum cupressi, aluminis, gallarum, ana ʒj ß. ceruſæ, seminis rosarum, rhu obsoniorum ana ʒj. fiat puluis. Subinde cùm taliter repositus fuerit anus, ne denuo excidat, probè deligandus erit: cruribus etiam inter se deuinctis. Et si in pueris contingat affectus, astringentium vsum remittere oportet, & mitiora adhibere. Vbi prædictis non cedit affectio, etiam lumbis imponuntur cataplasmata astringentia ex palmulis, cotoneis, & similibus. Imò Topica frustra adhibentur sedi, si à læso neruo vitiũ est: tunćq; applicanda sunt extremitati spinæ, vbi coxa est. Si adest inflammatio, sanguinis missione curanda est, scissa vena interna cubiti, incipiente morbo: sed iam partem obsidente, secabitur vena quæ est in poplite, aut malleolo interno. Sedi apponantur quæ leuiter astringunt, & repellunt sanguinis impetum, vt oleum rosaceum tepidum, & procedente morbo chamæmelinum, aut anethinum: & initiò vtendum decocto rosarum, balaustiorum, malicorij cum acacia, hypocistide, aut cum decocto gallarum & myrti. deinde malua, semen lini & fœnugræci adijciantur. Verùm si plethora

Si est cũ inflammatione.

thora non præcesſit, non opus erit à ſanguinis miſſione incipere: ſed ſtatim vti fomento ex roſarum, myrti, chamæmeli, & fœnugræci decocto. & illinere anum oleo anethino & chamæmelino, immixtis roſato & myrtino. Sic addentur leuiter digerentia & ſedantia dolorem. Si ob Paralyſim non contrahatur anus, foueatur corpore vacuato. ℞. pulegij vtriuſque, marrubij, betonicæ, chamæpithyos, primulæ veris, verbaſci, ana m̄. j foliorum cupreſſi, lentiſci, vel myrti ana m̄. ß. florum ſtœchados, anthos, ſaluiæ p. ij. fiat decoctio in aqua & vino. Poſt fotum reponatur, & ſedeat ſupra ſcamnum ex ligno nucis. Poſſunt & fieri ſuffimigia, de quib. vide caput de Paralyſi. Hæc iuxta Aëtium, & alios antiquiores. Recentiores autem, ſi relaxatio ani ab humore irrigante muſculos procedat, purgant eum hiera ſimplici, agarico, hiera diacolocynthidos, ſi in toto corpore redondauerit, aut ab inteſtinis detergunt clyſteribus ex aqua mulſa, decocto origani, calamenti, polij, mercurialis, & ſimilium cum ſale copioſo, aut decocto betæ. aut ex ſola muria, qua & anus abluendus eſt. Deinde inſpergunt anum puluere acaciæ & hypociſtidos: aut fouent dictis decoctis ex aſtringentibus, & aceribam facultatem habentibus comparatis. Tandem manibus oleo myrtino illitis intromittunt anum, & rurſus cum ſpongia aut lana fouent vino calenti. Oſſi etiam ſacro emplaſtra calefacientia & exiccantia admouent. Cæterum tempus remediorum eſſe volunt, vbi iam ægri deiecerint, & abluta ſedes repoſita fuerit. Vt exerceantur tyrones, hæc addentur. Fotus vſitati. ℞. foliorum plantaginis, caudæ equinæ, burſæ paſtoris, verbaſci, ſummitatum lentiſci ana m̄. j. ſaluiæ & abſinthij ana m̄. ß. acaciæ, hypociſtidos ana ʒ j. gallarum viridium, & nucū cupreſſi ana p. j. corticis punici & balauſtiorum ana ʒ ß. roſ. rub. florum chamæleontæ albæ ana p. iij. baccarū myrti & foliorū eiuſdem ſiccorū ana p. j. florū ſtœchados p. ß. fiat decoctio in aqua extinctionis ferri, & quarta parte vini auſteri. foueatur anus, vbi repoſtus fuerit. Poſt fotū fiat ſuffitus. ℞. vſneæ. i. muſci arborei ʒ j. nucis cupreſſi ʒ ß. picis nauallis, thuris, maſtiches, caryophyllorū añ. ʒ iij. cyperi, galāgę, nucis muſchatę, macis, florū ſtœchados & rotiſmarini ana ʒ ij. ladani puri, hypoci-

A paralyſi.

Curatio iuxta recentiores.

ſtidos, exuuij ſerpentis ana ʒ ß. Excipiantur terebinthina, formentur trochiſci, quorum fumum per anum excipiat. Fumus etiam exceptus à vino auſtero conferet, in quo aſtringentia incoxerint, ſi illud injiciatur ſuper ſilices candentes, & fumus ano excipiatur.

De Coli dolore CAP. XX.

ARecto inteſtino ad colon illi proximum aſcendamus, quod amplum quidem & laxum eſt, multisque anfractibus ſinuoſum, ob idque varias materias excipit, ex quarum preſentia inſigni dolore diſtorquetur. craſſum autem ac neruoſum eſt: vnde non facilè ſi quid noxij eius tunicis ſe inſinuet, expellitur. Is verò dolor κωλικὴ διάθεσις Græcis, dolor Coli vel Colicus Latinis, Celſo morbus inteſtini plenioris dicitur: à ſymptomate & ſede oblæſa denominatione ſumpta. Partis autem affectæ dignotio communis eſt cũ affectus notitia, de qua in ſignis poſtea. Neque hîc propterea de ea dicendum aliud eſt: vt neque de affectu, (cùm ſit dolor) in quo genere ſit reponendus, cùm id abundè aliàs explicatum ſit. Porrò Colicus dolor cauſas habet varias, ſed quatuor præcipuas. Interdum enim propter craſſos ac pituitoſos humores intra coli membranulas ſubſidentes oritur, & ſæpe eſt vitrea pituita, quæ non modò inteſtino adhæreſcit, ſed & radit & lacerat, atque terebelli modo ſe infigit. Eaque pituita vel frigore dolorem facit, vel putrefacta Colicos, Dyſenteriam, & Teneſmos facit. Flatus quoque plurimus in eo inteſtino copioſior congeſtus, cui non eſt exitus, præcipuè ſi propter obſtructionem à duris reſiccatisque fæcibus, aliiſve de cauſis inteſtinum magno certè cruciatu diſtendit ac diuellit. Ac proinde ſcriptum eſt à iuniorib. viſum eſſe in quibuſdam cohibendi flatus conſuetudine colon ſic dilatatum, vt brachij amplitudinem adæquaret: alios verò animaduerſos, quibus ex imo ventre flatus in ventriculum reſiliens ructu emittebatur, & quib. pro crepitu ructus erat: imò his plures ructus, quam verba erant. Tertia cauſa eſt inflammatio idem inteſtinum diſtendens ac moleſtans. Quarta, humores acres & erodentes, qui inteſtinũ prædictum vehementiùs

Pars affecta.

Affectus.

Cauſa.

mentiùs affligũt. Bilis enim interdũ immoderatiùs dit per crises & periodicos motus: aliquando imn. vsu medicamentorum vel alimentorũ aperientium, cipuè ijs quibus intestini vis infirma est. Potest quoq; cõmoueri Colicus dolor ab acri sanie, & vlcere, vel abscessu, qualis est qui Dysenterias sequitur, vel à venenis quibusdam acribus, vt Atsenico, & similibus, quæ hærent intestinis & ventri. Addunt alij nonnunquã oleto supra modum arefacto & indurato ventris illum implacabilem dolorem adscribi, tumque oletum tanquam ad desidendum subinde stimulare, non tamen pro consuetudine, sed ano quasi ex flatibus grauato. Fit & à vermibus: & ab intestini descensu indurata fæce. Nonnulli scribunt & hunc dolorem effici per consensum ventriculi, hepatis, lienis, cerebri, pulmonum: quæ partes excremẽta sua ad colon transmittunt. Insuper efficitur à renum, vesicæ, ac vteri præter naturam tumore, colon vel intestina premente. Sed hæc de causis. Percipitur hęc affectio ex vehemẽtissimo dolore in intimo ventre perforanti simili, aut per quem in dolente loco palus infixus videatur. Quin etiã dextra parte magis apparet, vbi affectum intestinum situm est. Ipsum enim hinc incipit, & in sinistram partem ileum in modum zonæ procurrit. Iuxta renes etiam & circa dorsum versatur, infra supraque vmbilicum magnam ventris partem occupans, modò dextram, modò sinistram, vagus omnino & instabilis vtique. Quanquam in sinistro inguine plus vrget, eo quod colon magis sit angustum. Si à flatibus est, hi sæpe intus quodam veluti rugitu obmurmurant, arcteq; concluſi, neque ore, neque aluo erumpunt. Non rarò tamen in vno loco dolor stabilis altè excrutiat, neque flatus, neque ructus lenit. Inter hæc vomitus crebrò mouetur, quo pituitosa, varia, porracea, & æruginosa vacuantur. quod doloris genus potiùs incidit, cùm pituita subest crassa, lenta, & vitrea. Ventriculus etiam malè afficitur, vt qui parti primò affectæ continenter adhæret. Cibi tum cupiditas, tum coctio deterior euadit. Præcessit cruditas, spiritus flatuosus, nausea, in præcordijs mordacitas. Multa sitis adest: multum aquæ bibendæ desiderium, quod tamen potatione non conquiescit. Ructus fit interdum, & cùm

Signa.

erupturus, protinus cohibetur. Aluus adeò impedi-
,vt ne flatum quidē aliquem emittere possit. Si quid
itur, id siccum est, aliàs more ouilli stercoris in globu-
intortum, aliàs vt bubulum, lene, flatibus plenum, atq;
quæ supernatans. Vrina quoque nimij doloris occasione
sileſcit: & interdum consentientibus renibus retinetur.
Iuxta alios, bilis ad vias vrinæ fertur cum viç intestinorum
per quas bilis excludi solebat, sint interceptæ. Vbi ad ex-
trema ventum est, frigidi sudores fiunt, creber singultus,
delirium, neruorum distentio, extremorum refrigeratio,
ac syncope. Si morbus à crassis & frigidis humoribus oriatur, dolor grauis infestabit partes quæ ad vmbilicum attinent, ita vt intestinum rectum terebro perforari videatur: & ructus, & flatus omnis, atque fæcum excretio cohibebitur: sed vomunt quandoq; varia ac pituitosa. Cùm verò aliquid deijciunt, id aquæ innatat spumosum, & pituita ferè commixtum. Quandoq; etiam fit, vt pituita vitrea excernatur, ac morbum sedet. A cibis molestantur & grauantur, & deiecto excremento leuantur. Antecessit continuus vsus ciborum frigidorum, velut olerum, fructuum, aquæ frigidæ, & similium. Quemadmodum si à flatu ortus est dolor, vehementia distentionis eum indicabit citra grauitatem, & vsus flatulentorum præcessit, & dolor locum mutat magis. Ab acri verò humore & erodente, itemque ab inflammatione dolor fixus est, sed cum febricula, ardore, siti, ac vigilijs. Irritatur esculentis potulentisque calidioribus, à quibus & sumpsit originem. Vrina redditur biliosa & acris, & alui deiectio maiorem cruciatum excitat. Particulatim verò si ab inflammatione Coli dolor excitetur, interdum quendam feruorem ægri sentiunt, aderit febris non ignaua, vrinæ retentio simul & stercoris, sitis ardor, bilis vomitiones, quæ nihil leuant malum, vrgebunt. Hæc species magna ex parte sequitur biliosos morbos, cùm bilis retinetur, vt in tetero, febribus biliosis, & præcedit Dysenteriam. Fæcum duritiem ostendunt grauitas magna, distensio tanta, vt distumpi videantur intestina. Antecessit vsus astringentiū, vehemēs exercitatio, & calor iecoris adest. Præterea solitus est æger fæces tardè excernere. Sequitur aūt excretio τῶν σκυβάλων, & mucorum. Quoniam verò plu-

rò plures alij dolores in partibus peritonæo comprehensis fiunt, quibus signis à Colico distinguantur, operęprecium est addere. Colicus dolor differt ab Iliaco, in quo magna ex parte febris, & vomitus non modò pituitosus, sed quandoq; biliosus, & aliquid chyli per intestina descendit: quod & nonnihil fœtoris habet. Atq; in Ileo dolor est magis fixus, & magis in circuitu vmbilici: Coli dolor magis in lateribus, & paulò infra ventriculum ob illam reuolutionem Coli supra fundū ventriculi. In ileo dolor est magis intensus, quòd Ileon intestinū magis sentiat quàm colon. magis hic quoq; vomitus molestus est sua frequentia. Vētriculus omnino subuertitur. Discernitur & Colicus ab eo dolore qui circa vterū accidit. Solent. n. mulieres à partu, aut quo tempore fluxuri sunt menses, dolore Colico simili torqueri. Sed vtero affecto dolor magis est in ligamentis, qui ad inguina descendit, & coxendicus videtur, quòd vteri ligamenta ferè ad internam coxendicis partem perueniant, & ligentur. Adde partum antecedentem. Et si dolor est ob difficultatem mensiū quo tempore fluxuri sunt, dolor magis circa renes sentitur, quàm in penitioribus partibus, qua parte venæ & vasa spermatica ad vterum tendunt. In his enim distentio est ob plenitudinem, vnde dolor magis torquet, cùm menstruum tempus appetit. In summa dolor vteri ad inferiora, pubē, & coxas magis pertinet: ad superiora magis tendit Colicus. Item ille suppressiones mensiū sequitur, & si leniatur aluus, cessat: hic verò non. In dolore vteri mulieres suffocari videtur ex vaporibus eleuatis, quod Colico nō accidit. Si verò dolor incipit à renibus, fixus est, diuturnus, in vesicam porrigitur, vrina aquosa, tenuis in principio, vel turbida, aut suppressa. In Coli dolore fæpenumero dolor circuire videtur, vt dictum est, atque plurima loca occupare, modò in hac, modò in illa parte. Nephritici magis in loco stabiles sunt. Et si dolor in loco renibus altiore fuerit, manifestum portendit Colicæ indicium. Nausea & vomitus multò grauiores, & magis assidui dolente colo, euomuntque biliosa, & pituitosa, & corrupta. Item Colicorum multo magis, quàm Nephriticorum dolor lenientibus mitigatur clysteribus, & si quid ab aluo deijciatur, id ferè flatuosum est. Et si lapis dolorē excitauo-

Discrimen inter Colicū, & alios dolores consimiles.

rit, ipse interdum solus, interdum vnà cum cruore excernitur, maximè si vel asper, vel acutus fuerit. Et in Colico neq; lapis, neq; cruor, neq; arena, sed humor aliquis pituitosus & crassus subsidebit. Dolor excitatur quasi infixi pali, certóq; loco insistit: sed vt plurimùm in inguen sinistrum, & vtrumq; renem sursum reuellitur, & locum mutat, vt sunt flexus Coli intestini, quod relicto recto intestino, in sinistrum inguen reuertitur, & ad sinistrum renem ascendit, vbi angustius est. Hæ angustiæ efficiunt, vt in hac parte Colicus dolor intẽdatur grauiùs. Hinc ad splenem & ventriculum iam extenditur laxiùs, subitóq; hepar, hæretque aliquando cysti fellis. Postremò in dextrum ilium descendit, vbi desinit in cęcum, quod ad renem dextrum positum est. Dolor hic fixus in angustijs quæ ad sinistrum renem sunt, Nephritidem dolorem repræsentat, sic, vt peritos medicos fallat. Quæ tametsi obiter iam suprà attigimus, hoc tamen loco fusiùs tractare tanquam cognitu digna non detrectauimus. Sed de signis distinguentibus plus satis.

Prognostica. Colicus dolor citò curandus est, quia ob vehementiam vires maximè prosternit. Vbi salus futura est, excrementa oportet non nimium retineri, dolorem mutari, atq; etiam intermittere. ipsum ęgrum post redditum stereus, aut post remissos flatus aut enemata leuari, & in quiete esse, semperq; facilè durante morbo spirare. Sæpe Coli dolor in resolutionem neruorum transit, præsertim in regionibus his septentrionalibus. Vertitur & in morbum articularem, aut Comitialem, aut Melancholicum, vel Hydropem, interdum etiam in Voluulum abit, idq; intra septimum diem. Inter omnes affectiones Colicas, ea quæ ex inflammatione ortum ducit, est grauissima, vt quæ in ileum transitum facilè minetur. In omnibus doloribus Colicis, quo dolores grauiores, eo deteriores, quia maiorem causam indicant. Si ad mortem tendat, dolor est intensissimus, nõ minuitur, nõ remittitur, nil excernitur. Vomitus vomitui succedit. Sudor frigidus apparet. Dolor Colicus vehementes inducit cruciatus, quia colon densum est, crassum, & neruosum, ac nihil quod in ipsum cõfluit, facilè discuti potest:

Victus ratio. quemadmodũ in tenuioribus intestinis. Curatio pro varijs causis variatur, vt si à crassis lentisq; succis excitetur, in vniuersum

uersum cuncta quæ Colicis adhibẽtur, attenuatoria sint, & ad calidũ siccum declinent. Quare aer eligatur talis qualitatis. Cibus quamuis per initia morbi, nec nisi finito tormento, est offerendus, deinceps tamen detur qui sit boni succi, & coctu facilis, ita vt cruditas satietasq; vitentur. Actiora verò, & quæ vim habẽt extenuãdi & incidendi, semper admisceãtur. Panis itaq; sit nõ aridus ac durus, neq; recens à furno extractus, bene fermentatus, & modici furfuris. Carnes volucrium inprimis cõueniunt, vt gallinarum iuuenũ, columbarum, perdicũ, turturum, turdorũ, palumbarum, pauonũ indorum, phasianorũ. Aues quæ in aquis degunt, vitẽtur, & graueolentes, & quę superfluitatibus abundant. Ex quadrupedibus deligantur hœdinæ, vitulinæ, veruecinę, cuniculi, qui nondũ annum attigerunt. Ex piscibus saxatiles, & friabiles: solea, asellus, lucius, perca, gobius, & similes. Piscium tamẽ rarior, aut nullus sit vsus. Legumina vitanda, nisi lentem cum beta elixam præbeas. Ex oleribus cõferunt apiũ, fœniculũ, asparagus, oreoselinon. Verùm ea decocta esse debent cum iure carniũ prædictarum, in quo decoquatur etiam quantitas sampsuchi, serpilli, satureiæ, thymi, pulegij, origani, si febris absit. Alliorum vsus vti rusticorum Theriaca à Galeno laudatur, quòd calefaciat, & flatum discutiat citra sitim. Porra, cæpæ conceduntur, maximè ijs qui ab ijs non offenduntur. Ciborum quantitas sit moderata, ne venter multis cibis conficiendis fatigetur. Carnes & pisces elixi potiùs, quàm vsti præbeantur, ne siccitas intestina apprehendat. Iocunditatis causa, vua alba dulcis offeratur, ficus maturæ. Vinũ pro potu sit astringẽs, albũ, tenue, perlucidum, non dulce, non acidũ, mediocri ætate, temperatura dilutiore, modiceq; bibatur. Si sitis à cibo accidit, aqua calida præbeatur. Neq; cibus, neque potus rectè sumentur vrgente dolore. In medicamentis summatim vsurpentur, quæ humorẽ extenuãt, calfaciunt, coquũt, euacuant. Quæ verò vehementer attenuant calfaciuntq;, vitanda sunt, quia humorem in flatum vertunt, nisi valenter digerãt, ac proinde dolorem distentione augent. Phlebotomia omnibus ferè est derelicta, efficatiori tamen remedio nostris temporibus vsurpatur: multo magis si dolor grauis est, si carnosum corpus, & si vires ætasque per-

Curatio per medicamẽta.

Vena sectio.

mittant. Remissionis autem tempore fiat è basilica dextra angusto foramine, modica vacuatione: nisi febris adsit. Tunc enim sanguis copiosior detrahi debet. Et sanguinis missio generali ratione in omni dolore acerbissimo conuenit In primis igitur causa mali tollenda est, nisi dolor vrgeat. Tum enim priori loco is leniendus est. Cùm verò tria sint anodynorum genera, scilicet quę temperata sunt, quæ causam qualitate oppugnant, denique quæ stupefaciunt, videdum vt incidamus & coquamus citra calefactionem, ijs videlicet quæ minimè inflant. Alieniſſima verò sunt quæ torporem inducunt, cùm huiusmodi succos frigidos non comitetur dolor vehemens, modò soli sint. Si halituosus spiritus coniungatur, non propterea conueniunt, quæ torporem inferunt, quibus ad tempus dolores videantur remitti: affectus tamen postea fit maior, cùm tunicæ intestinorum medicamentorum frigiditate densiores ac minùs flatui habiles reddantur. Quare præstat longiori tempore & tutiùs curare, quàm torporem inducere. Quia tamen eorum vsus quandoq; est necessarius, de eo paulò post dicetur suò loco. Igitur clysteres injciantur ex communi oleo. Sæpe enim vitream pituitā cum fæcibus expellit, ac dolorem finit talis clyster. Aut ex eodem oleo, in quo ruta seu semen aliquod ex discutiētibus incoquatur, liquato etiam in prædicto oleo adipe anserino, vel gallinaceo. Oleū nucum est prestantissimum ob partiū tenuitatem. Fiunt & clysteres ex decocto fol. maluarū, althææ, mercurialis, betæ, anethi, rutæ, chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, oleo chamęmelino, anethino, rutaceo, confectione de dactylis, hiera picra simplici, cōposita, benedicta, diacarthami, catholico, terebinthina veneta. In contumaci dolore additur decocto caput veruecum non sua lana spoliatum, quod ad tabem vsq; coquitur. Confert & si addas adipem anserinum, gallinaceum, butyrum recens. Fit & clyster ex vino albo & melle, aut ex vino & oleo rutaceo, & ex melle, oleo anethino, ac vino: aut ex decocto origani, anethi, rutæ, polij, cum oleo anethino, & rutaceo. Sunt qui vino maluatico solo, vel cum oleis clystere iniecto, vel potato liberant, alij vino Hippocratico. Si ob doloris vehementiam clysteres non retinuerint, glans aluo demittenda: qualis est quæ recipit

cipit mellis q.ſ. pulueris hieræ, agarici, & ſalis gemmæ ana ʒj. foliorũ rutæ ʒij. fœniculi, cumini ana ℈j. ſint aũt longitudinis ſex digitorum, vt muſculũ qui anum claudit, excedant. Fomentum etiam ſiccum exhibendũ ex milio, ſale, furfure, chamæmeli floribus, ſemine lini, fœnugræci, baccarũ lauri, iuniperi, ſemine cannabis, cumini, anetho, quæ in calfactis lateribus vino irroratis calefiant. Horum quædam calida ſunt moderate, non vltra primum gradum, vt partem materiæ clementer digerant, neq; nouam vel attrahant, vel ex pituita ibi contenta excitent. Et humidum fomentum prodeſt, quod vſurpatur cum ſpongia, aut veſica, vt partes laxatæ tenſioni magis obediant. Quemadmodum inſeſſus etiam vtiliter fit ex decocto foliorum althææ, chamæmeli, origani, calamenti, artemiſiæ, anethi, lauri, rutæ, thymi, roriſmarini, & ſimiliũ. Sed inſeſſus nempe ventris totius inferioris, per ſemihoram tantùm vel circiter eſſe debet in balneo ex dictis plantis cocto. Mora enim longior vires iam fractas dolore, vigilijs, inedia, deijceret magis. Et dum inſeſſu dolor placatur, olfaciat æger aromata, & ſuaues alios odores ad virium robur. Manus etiam lauet aqua roſarum, & vino aromatico. A balneo bibat abſinthij & cumini decoctum, aut vinum abſinthites: alij addunt cumini ʒj. quæ feruefiat in dicto vino. Caſtoreum deniq; aſſiduè potatum malum prorſus demolitur, omnibuſq; medicamentis præſtat. Conferunt & cataplaſmata: quale eſt quod recipit foliorum & radicum althææ ana m. j. farinæ ſeminis lini, fœnugræci, milij, cuiuſlibet ʒ ß. aniſi, fœniculi, cumini, ana ʒij. miſceantur, & cum oleo anethino, chamæmelino, rutaceo, & oxymelite fiat cataplaſma. Illitiones fiunt ex oleis dictis, adiecto butyro recenti, adipe anſerino, gallinaceo. Si dolor non conquieuerit, dandum diatrium pipereon, vel diacuminum, vel elect. de baccis lauri, vel nux moſchata trita, & cum vino generoſo permixta, vel theriaca. Sumitur & decoctũ, vel aqua chamæmeli diſtillata, vel ius gallinæ, aut galli, aut ſimile pingue cum multo croco. Per os etiam ſumitur oleum amygdalarum dulc. recèns extractum, cui permiſceatur vinum album, vel vinum maluaticum, ſeu Hippocraticum. Non ſunt negligendi vomitus, ſi quis facilè vo-

mat. Vomitus præ omnibus auxiliatur. Vbi pituita fuerit extenuata, medicamento purgante vtendum, hiera præsertim, aut diaphœnico, adiecto puluere hieræ simplicis. Si enim est materia in solis intestinis, medicamenta superare non debent hepar. Neque fortioribus purgationibus vtendum, nisi vbi malum contumacius est. Ante purgationes autem materia contumax est incidentibus, coquentibus, & detergentibus præparanda, tum ratione vitæ, tũ clysteribus qui injciuntur, atque ijs quæ exteriùs admouentur. Et initio valens non detur medicamentum solutiuum, quia scybala sunt plura, & penetrare nõ possunt. Incipiendum itaq; à lenientibus & lubricantibus. Tamen in tribus casibus solutiua vehementiora dantur, si materia antecedens a venis transit in coniunctam. Secundò, si humores tam crassi sunt, vt nec clystere, nec leui pharmaco educi possint. Tertiò, si adeò vehemens est obstructio, vt nullo pacto per prædicta aperiri possit. Quapropter nonnulli data priùs mulsa, vel syrupo de quinque radicibus, & melle rosaceo, purgant electario indo, hiera Ruffi, pilulis aureis, & similibus. Purgato corpore cucurbitulæ abdomini affixæ cum multa flamma admouentur. Vbi dolor vehementior fuerit, vtere clysteribus ex oleis dictis, adiectis castoreo & papaueris succo magnitudine fabæ, aut minori quãtitate, ciceris videlicet magnitudine. Iisdem clysteribus adde capita papaueris, folia solani, hyoscyami, perpetuò cauendo quæ valenter stupefaciunt. Foris admouentur narcotica emplastri forma. Intrò autem recipiuntur probè castigata, vt Philonium, Theriaca recens, sed victis priùs omnibus remedijs & parua mensura. Viribus autem deficientibus, narcotica clysteribus injciuntur potiùs, quàm sumuntur: præsertim in causa calida. Frigidã enim augent, siue pituita est, siue flatus: sitq; dolor non multò post sæuior. Itaq; clysteribus prædictis adde Philonij ʒ ij. vel iij. vel idem illine balanis filum habentibus, vt tempestiuè retrahantur. Nam huiusmodi sua mora calorem natiuum interdũ extinguunt, & occidunt Caro vel Apoplexia. Opium etiam castoreo flatus dissipante, & sibi maximè contrario correctum, interdum prædictis additur. Si sumi narcotica necesse est, Athanasia datur ad ʒ j ß. vel Philonium quod est fortius

Narcotica.

fortius, ad 3j. & tutissimè datur horum 3j cum purganti-
bus, vt cum hiera mellita, diaphœnico, electario indo. Si
verò dolor est à flatuoso spiritu, simili gaudet curatione. *Curatio co-*
Neque enim vterque affectus differt, nisi quòd in primo *licidoloris à*
genere plus est materiæ, flatuum verò minus. Alimenta, *flatibus.*
anisum, cuminum, & carum habebunt immixta, & inspersa, vt allium & piper. Conueniunt & his Colicis vina optima, quæque tenui sunt substantia, non solùm ægris, sed & sanis. Abstineant aqua diluto vino, atq; aqua ipsa, nec non ptisana, fructibus, herbis, oleribus. Sic & clysteribus, & reliquis medicamentis adijcientur ea quę magis flatum discutient (ac eorum quantitas augenda) vt sunt cuminum, anisum, semen fœniculi, pulegium, origanum, calamentum, furfur, milium, carum, daucus, anethum. (Priùs tamẽ injciendi sunt clysteres emollientes.) Insuper dabis 3ß. dianisi, diacymini, diacalamenti cum pauco vino albo. Sed propriam curationem sortitus est dolor, qui spiritum flatuosum comitatur ex cucurbitula admota. Nam ij cùm à dolore liberi, tum omnino sani redduntur. Quos verò nõ modò flatuosus spiritus, sed etiam humor malè haber, ijs ad tempus dolor sedatur, reditque sequenti nocte, vel postridie, vel etiam tertia die: potissimùm vbi deliquerint in victu, aut importuniùs partes excalfecerint. Cauendum enim tibi ne impensè partes excalfacias, extenuatoria curationis ratione vtens. Potest clysteribus addi compositio de baccis lauri, cum decocto chamæmeli, meliloti, seminum anisi, carui, cumini, addito oleo anethino, rutaceo, laurino. Ex eadem materia cum vino fiunt emplastra. Hic autem, vt in reliquis generibus, habenda est ratio mulierum grauidarũ, ne quid injciamus, vel imperemus, quod aborsum faciat, vt castoreum, euphorbium, amara omnia. Videndum enim ne nimis aperientibus, vel nimis relaxantibus vtamur metu aborsus. Inflammatione verò inte- *Curatio co-*
stinum exercente, tenui victu vtendum ac febricitantium *licidoloris*
proprio, quousque discutiatur phlegmone. Speciatim eo *ab inflam-*
victu vtantur, quem capite de ventriculi inflammatione *matione.*
diximus. Aut victus sit qualis in Voluulo ex inflammatione. Vena igitur initiò tundatur è gibbero. Alijs vena interna secatur. Et si vrina retineatur propter inflammationis

magnitudinẽ, ex malleolo sanguis detrahatur. Ab his quæ validè purgant ventrem, abstinendum, magísq; lenientibus vtendum. Prædicta etiam admoueri possunt præsidia, præterquam quæ acria sunt, & calidiora. Et cataplasmata conueniunt magis, nec nõ irrigationes, vbi dolor persistet. Indicatur enim in particula impactum esse quod contristat. Nec minùs patet, quòd curatio per digerentia sit mohenda. Parentur ideo clysteres ex lacte, vel ex decocto fol. maluarum, althææ, violarum, hordei, cui adde olei violati, vel amygdalarum dulciũ, vel rosacei ʒ iiij. sacchari rubri, aut mellis violacei ʒ ij. pulpæ cassiæ nouiter extractæ ʒ j. adipis anseris, vel gallinæ ʒ iiij. Procedente tempore adde fœnugræcum, chamæmelum, semen lini, anethi, prædicto decocto. Similiter vtere oleo anethino loco prædictorum oleorum. Item circa initia lac asininum cum cassia fistula, & amygdalarum dulcium infunditur. Ex antedictis quoq; huc transfer sacculos, fotus, insessus, balnea ac reliqua Topica minùs acria, sed magis lenientia. Nec minùs in oleũ descendere oportet, ac cucurbitulas defigere. Particulatim autẽ venter foueatur oleo melino ab initio, deinde ei mixto oleo chamæmelino. Cæratum fiat, quod recipiat farinæ fabarum ʒ ß. vitellos ouorum ij. olei chamæmelini & rosarum ana ʒ ij. cæræ ʒ iij. Si ab acribus humoribus dolor ingruit, alimenta conueniunt quę non corrumpantur, aut à calore mutentur in prauam naturam, vt carnes gallinarum elixæ cum lactucis, hordeo, aut auium extrema; quadrupedum, vt hœdorum, veruecum pedes anteriores. Tenuius alimentum est ptisana hordeacea. Et si à iecore mordaces confluunt humores, cum carnibus pullorum vuam acerbam, aut malum cotoneũ elixabis. Sed purgatio contentorum in ventre præcedat. Potus sit aqua hordei, aut aqua prunorum. Abstinendum ab acribus tum cibis, tum medicamentis, irrigationibus, cataplasmatis, vini potione potissimùm veteris. Omnino victus sit humidior, ac frigidior. Cibis, vt ptisanæ potissimùm adijciantur mali punici grana. Quoniam verò maximè purgationẽ desiderat hæc affectio, propterea statim injiciatur, quod eluere eiusmodi humorem sit aptum. Id autẽ sit detergens. Talia verò cùm plerumq; mordicent, commodissimè deligantur morsus expertia.

Curatio Coli doloris ab acribus humoribus.

expertia. Eius generis præcipuè est ptisanæ cremor, vel decoctum maluarum, althææ, fœnugræci, addita pulpa cassiæ, & duobus ouorum vitellis. Interim si suspicio est vlcerationis, plantago, rosæ, sumach, & similia decocto clysterum miscenda sunt. Si clysteres non sufficiunt, propterea quòd humor tunicis est imbibitus, in eum vsum aptissima est hiera, vel semel exhibita, vel pluribus interuallis, quæ miscetur cum roridomelle & cassia, vel in forma pilularũ datur ad ʒ ij. Præter hieram humores acres purgat decoctum prunorum, tamarindorum, aut kebulorum luteorũ. A purgatione conuenit mica panis in succo mali punici, aut panis cum oxysaccharo, aut in succo vuę acerbæ. Si fieri nequeat, vt ea quæ cõtristant vacuentur, affectus hic per epicrasim cõtemperandus est. Quapropter tum cibis, tum medicamentis prædictum humorẽ attemperare oportet, vt intybo, lactuca, syrupo violaceo. Dolore validiùs infestante, adhibentur & ea quæ torporem inducunt, quæ humores tenues cogunt & incrassant, & calorem refrigerant & siccant talia medicamenta. in quem vsum ʒ j. Philonij Persici, aut Romani exhibeas, vt dictum est, aut Tripheræ, aut Requiei magnę nũcupatæ. Sed tutius est ijs quę per sedem infunduntur permiscere, vt suprà dictum est. Et vbi non suffecerint, ea deuorãda permittas. Quæ modicè stuporem inducunt, in hac potissimùm doloris specie vsurpãtur. Si dolor est à fæcum retentione, emolliendi vi prædicta conueniunt. Victus omnino sit humectans, vt ius carnis cum prunis, aut pruna ipsa cum saccharo. Et potus sit decoctum prunorũ cum saccharo. Clyster: ℔. decocti maluarum, radicum althææ, seminis lini, fœnugræci ℔ b. j. ß. olei viol. ʒ iiij. sacchari ʒ ij. Quibusdam profuit bibere decocti prunorum ʒ vj. mellis ʒ ij. olei ʒ iij. venter foueatur medicamento dialthææ, oleo chamæmelino, butyro vaccino, aut oleo, & axungia liquatis. Apposita est nonnunquam peluicula butyro plena vmbilico, quod penetrare, ac fæces liquare & emollire quidam experti sunt. Indifferenter Colicis prodest lupinum stercus ex vino albo & tenuis consistentiæ epotum. Accipiendum stercus albidius, quale, vbi ossa comederint, solent lupi excernere: & quod in terram non delabatur, sed in spinis,

Curatio Colici doloris à facum retentione.

Quæ Colicis omnib. prosunt indifferenter.

vepribus, herbísque iacet. Ossa item reperta in illo stercore, & deuorata, bibenda præbentur. Intestinum etiam lupi siccatum, tritum, & datum pondere ʒ j. cum vino albo, cõfert. Vruntur & variè pelle lupi. Quidam partem pellis ventri admouent: alij stragulas comparant: alij cingulum gestant. Laudant & anguillæ sanguinem. Prosunt & ossa mespilorum, lumbrici terrestes, iecur caprillum adustum. Vmbilicus infantis nuper nati præcisus, in aurum aut argentum includitur cum pauco sale, vt gestetur. Eandem vim tribuunt corallo trito, cornuceruino vsto, & erinaceo similiter vsto.

De Ileo seu Voluulo. CAP. XXI.

IN tenuiori intestino non dissimile doloris tormentum oritur: quale in laxiori seu Colo fieri explicatum est. Eum affectum dico quem Græci εἰλεὸν vel *ἴλεον*, vel χόρδαψον appellant. Latini quoque Ileum, seu Voluulum, seu tenuioris intestini malum. Quod quidem nomen habet à parte affecta. εἰλεὸν enim dicitur tenue intestinum, quod hoc malo præhenditur: vel *ἴλεος* à symptomate dicitur, quod ægris dolor quasi circumuolutus accedat: ab εἱλεῖν quod est voluere seu vertere. Et iuxta id alij sic exponunt, Ileos dicitur, quod intestina in nodum conuolui videantur. Et conuoluulus vel circumuoluulus à circumactione, quòd sit dolor circa vmbilicum ægri. De quo etiam quidam, Ileos morbus est quem phragmon medici Pythagorici appellarunt, quia reuera opilatio quædam, & viæ quæ per intestina ducitur, impedimentum est. Nonnulli vorticem, quidam tormentum vertunt. Quemadmodum & à symptomate χόρδαψος dictus est, ἀπὸ τῦ χορδάζειν, quod est inchordare, implicare, itretire, quòd intestinum ad chordæ similitudinem videatur conuolutum. quanuis χορδάζειν non simpliciter intorquere aut implicare significat, sed intestina coquorum more implicare, & inuoluere. Et χορδαὶ, καὶ χορδάσματα intestina significant. Vel ἀπὸ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι Chordapsus nomen traxit, quod qui manum loco admouerit, chordam attingere videatur, propter partis affectæ tensionem. Est igitur Ileos tenuis intestini

Ratio nominis multiplex.

χόρδαψος.

Ileos quid.

inteſtini obſtructio peracuta, & dolorifica, nihil ſinens deorſum deſcendere. nihil tamen vetat in craſſiori inteſtino obſtructionem eiuſmodi fieri. Quæ cauſa fuit, cur Diocles plenioris inteſtini morbũ Ileum nominarit. Quanquam mutata eſt nominis ſignificatio, & Ileos cœpit vocari, qui antea χόρδαψος vocabatur. De diſcrimine autẽ inter Colicum & Iliacum dolores præcedenti capite diſquiſitum eſt. Porrò vterque vehementiſſimus dicitur. Nam & Ileos in ſe conſideratus vehementiſſimus eſt: quanuis Colicus interdum vehementior dicatur, tum ob intemperantiam, tum ob corporum ſeu inteſtinorum craſſitudinem & ſpiſſitudinem, in quibus materia non difflatur. Partes igitur affectæ ſunt ſublimia atque gracilia inteſtina (& maximè Ileon, vnde nomen habere dictum eſt) potiùs quàm craſſa. *Pars affecta.*

Affectus verò ſymptoma eſt in genere noxæ functionum naturalium ipſorum inteſtinorum, excretricis videlicet, idque propriè ablatæ. Namque in eo nihil exit inferius, vt paulò poſt adijcietur. Quanuis & ad ſymptoma deprauati tactus referri queat, quà dolor eſt, nempe tactus corruptus inteſtinorum gracilium. *Affectus.*

Plures autem ac variæ cauſæ Voluuli enumerantur: cùm meatus poſſint intercludi, vel aboleri propter coalitum, anguſtiam, obſtructionem, compreſſionem, & ſubſidentiam. Cunctæ verò reducuntur ad intemperiem, vel ad collectiones non naturales inteſtini tenuioris, vel ad ipſa excrementa contenta. Quapropter inflammatio, ſcirrhus, abſceſſus, obſtructio ſtercoris ſicci in aliquod dicti inteſtini volumen impacti, facit loci anguſtiam vt nihil poſſit ad inferiora tranſmitti. De qua re ita ſcriptum eſt, Ileos fit à duro ſtercore, quod à craſſis quibus vicinum eſt obdureſcens Ileum inteſtinum excipit, vel ab inflammatione cui ex tenuibus Ileum ob vaſorum ſugentium copiam maximè patet. Eſt & cauſa ciborum aſſidua corruptio & cruditas, præſertim ſi multi & non aſſueti ſumantur, maximeque ex pinguibus carnibus, quæ corruptæ & retentæ in tenui inteſtino obſtructionem faciũt. Fit & interdum à tumore frigido præter naturam ſuborto in tenui inteſtino, & nonnunquam à pituita frigida vitrea in ſublimioribus retenta. Item ex aceruata frigidæ potione, maximè ſi ab exudantibus exci- *Cauſa.*

piatur. Similiter ex plagis seu ictibus in locis quibusdam, in quibus situm est intestinum. Item fit in ijs in quibus intestinum deuolutum est, indeque violenter retrusum, ob peritonæi structuram & laxationem. Fit & ob veneni potionem. Addiderunt & recentiores oriri à bile multa acerbata in intestinis. Dolorem vehementissimum excitat hęc omnia, tum ob materiæ acrimoniam, tum ob partis sensum. Contingit & Voluulis à fungis comestis, à frigore vehementi. Causæ deniq; pigræ atq; tardæ alui deiectionis, excrementorum via prorsus occlusa, generant ileũ. Quanquam & omnino non negandum, tametsi rarius est, Ileum fieri posse ab humoribus crassis ac tenacibus, & ab omnibus quæ intercludere exitum possunt, seu tantam loci angustiam facere, vt nihil ad inferiora transeat: quod & à flatu crasso itidem obstruente contingere potest. In Ideo dolor est acutissimus, modò suprà vmbilici regionem, modò infrà: fitq; ex alterutro loco inflammato. Præterea tumor quidam sic prominet, vt læsum intestinum ad chordæ similitudinem conuolutum videatur, vt dictum est. Ventrisque itinera quibus excrementa feruntur, sic impedita sunt & præclusa, vt nisi fortè liquida & serosa deijciantur, neq; iniectus clyster ascendat, neque cibus ore sumptus descendat, ipsaq; aluus ne flatum quidem emittere possit. (fit autem cohibitio stercoris præsertim cùm morbus est in statu, nihil enim emittitur, nisi quod fortè ante hũc dolorem iam erat in Colo.) Sursum itaque protrusis omnibus crebet vomitus cietur, tum bilis, tum pituitæ, quem multa antecedit nausea, & ructus inanis, & ventriculi humiditas. In Ileo vomitus fit, quia præcluso inferiore exitu coguntur intestina cõtrario naturę motu sursum mouere, & exprimendo stercus ad loca superiora regerere. Spiritus etiam fit difficilis ex distensione septi transuersi, & cõpressa parte inflammata. Quicquid etiã cibi vel potionis assumitur, tametsi id intrò descendit, paulò tamen pòst, quia transire inferiùs nõ potest, iterum vomitu redditur impurum, ac malè olens. Id ferè tum solum sine alui saburra per os fertur, cũ superior gracilis intestini pars laborat. Ipsum autẽ quoq; sequitur stercus in lethalibus Voluulis, si paulò inferior morbus inest. Quamuis non propriè stercus est:

Signa.

quoniam

quoniam quæ excernuntur, stercoris formam nõ habent, antequam peruenerint ad intestinum. Et cibus in intestinis corrumpitur, quæ corruptio grauiter olet, cumq; euomitur, propter graueolentiam stercus videtur. Idem incõmodum sub vtroq; casu tum etiam accidit, cùm ad extrema ventum est: subindeque lumbrici euomuntur. Vrina difficulter redditur, quoniam ad vrinæ expressionem iuuant musculi abdominis. Hi verò cessant à munere suo, ob vehementiam doloris intestinorum, qui compressione augetur. Imò ipse anus ita clauditur, vt ne acumen acus admittat. Clausura autem podicis fit, quia musculus anum claudens præ dolore partium superiorum conuellitur, & membra omnia inferiora sursum trahuntur impetu quodam expellentia excrementa ventris per superiora, & vomitu, ad fæcum expulsionem. Incipit enim impetus excretionis ab infernis partibus compressis partibus. Nouissimè os, quique ructu effertur vapor, sed & totum corpus mali odoris est, acceditque singultus & delirium, itemque neruorum distentio, gelidus sudor, extremorum frigus, tremor cordis, syncope, omnia certissimæ mortis indicia. Singulæ autem causæ supradictæ facilè etiam dignoscuntur: Externę ex ægroti seu assidentium sermonibus: Internæ ex ijs quæ præcesserunt, vel quæ subsequuntur. Vt si ob inflammationem Ileos est, cum febre aderit angustia magna, vomitus, & ardor. Si ex obstructione aridi corporis, aut si ex intestini delapsu in scrotum, aut si est præsentia crassi & lenti succi (licet non sit admodum probabile) ea omnino ex proprijs signis elici possunt. Idem de reliquis iudicium. Ab ileo vomitus, singultus, desipientia, vel conuulsio malum. Non nisi enim in exitialibus Ileis est vomitus, & si vehementiùs distorqueantur, stercus superiora petit, & singultiunt. (Desipientia verò & conuulsio fiũt compatiente neruorum principio stomachi passioni.) Si vomitus stercoris contingat, exitialis erit affectus. Hoc genus vitij omnium quæ intestinis insidiantur, acutissimum est, & nisi resoluitur, intra septimum diem occidit. Idẽ pueris familiarius (qui tamen euadunt beneficio humiditatis) senibus rariùs, ac penitus exitiale. Frequens sub eo vomitus ac surditas conuersa in caput materia, mala sunt. *Prognostica.*

Sperare salutem licet, si purgans medicamentum ore sumptum aluum perrumpens deiectionis initium præbet, vtique si reliqua signa salutis concurrunt. Minus periculi esse solet, vbi dolor locum mutat, quàm vbi fixus in vna sede inhæresçit. In curationis ordine, victus ratio tenuissima esse debet, atque obseruandum vt quiescant ægri, ac dormiant, & alimento vtantur liquidiori, quod facilius descendat, & concoquatur. Quale est ptisana hordei colata, liquidum amygdalatum, ius pulli. Si ab inflammatione oritur, fiat venæ sectio inprimis, è directo partis grauiùs affectæ, & vena cubiti interna secetur, sanguisque pro plenitudine ac viribus detrahatur. A venæ sectione, vno vel altero leniente clysterе exhibito, confestim medicamentum purgans leniendo propinetur, vt manna, cassia, saccharum violaceum. Quo loco obseruandum, quòd tam in Ileo ab inflammatione, quàm ex quauis alia causa excitato, quæ medicamenta per os voranda præbentur, hìc magis competunt, quàm in Coli dolore, sumpta à positu indicatione. Et in hoc affectu duabus pòst horis præscribunt quidam enemata, si medicamentum nihil mouerit: & contrà si nõ agit enema sumptum, obtrudunt paulò pòst medicamentum. Clyster autem paretur ex decocto maluæ, fœnugræci, & seminis lini, cum oleo & butyro. Sæpe id auxilij satis est, tumore præsertim in vmbilico existente. Cucurbitula deinde inflammatis partibus per ambitum scarificatis affigenda. Passulæ & caricæ inflammationem mulcent, butyrum lenit, & aluum relaxat. Nec erit inutile clysterem acrem inijcere, quando malum est in superioribus intestinis procul à sede. Extrinsecus verò admoueantur quæ inflammationibus conducũt, & leniunt, vt fotus ex rosaceo, oleo anethino, nardino: deinde lana succida calenti, & vino immersa. Cataplasma ex farina hordei, fœnugræci, butyro, vel axungia porci, oleo chamæmelino. Desuper quoque molle emplastrum apponatur ex hordeacea farina cum aqua & oleo, cui ab initio addendum est rosaceũ, deinde chamæmelinum. Breui tendit inflammatio in suppurationem. Si quidem intra tertium diem cum fæcum vomitu solet interimere hominem. Post hæc lauandus æger balneo molliente ac refrigerante ex malua, althæa, violacea

Victus ratio.

Curatio Ileos ab inflammatione.

violacea,& similibus. A balneo liniatur venter ijs quæ modicè calfaciunt & laxant, vt oleo chamæmelino, violaceo, mucaginibus seminis lini,& alijs. Dantur etiam narcotica,vt in dolore Coli,sed recentia, & in Colico inueterata: quia in Colico minùs refrigerandum est. Inclinante morbo detur etiam theriaca diluta in aqua stillatitia fœniculi, vel papaueris rubri. Vtilissimum est post venæ sectionem, & alia remedia,in vehementissimo dolore dare ʒ iij. olei amygdalarum dulcium recens extracti. Si ex stercorum multitudine facta obstructione Ileos oritur, quæ stercus emolliunt,& per aluum subducunt, tribuantur, veluti est ius pingue gallinarum,pullorum, phasianorum, aut ptisana in eodem iure decocta. Pariter conuenient lenientes clysteres parati ex decocto foliorũ maluarum, violarum, mercurialis,althææ,florum chamæmeli, meliloti. Bullitis his in aliquo prædictorum iurium, adde olei communis, amygdalarum dulcium, chamæmelini, aut anethini ʒ iij. mellis rosati ʒ ij. Nec erit alienum ℔. ß. olei communis dulcis,aut oleum amygdalarum dulcium, vt in superiori curatione,absorbendum dare. Nam obstructio quæ fit à corpore duro,primùm habebit remedium duritiei, ex humidis pinguibúsq; clysteribus. Demum ex acribus euacuationem expoſcet. In hunc etiam vsum confert ius galli à Mesue descriptum. Fæces item emolliuntur per decoctũ maluarum, fœnugræci, caricarum, addito melle rosato, oleo anethino,chamæmelino,ac sale. Quibusdam etiam clysteribus cassiam fistularem addimus, vel hieram compositam. Extrinsecus fiunt irrigationes,fomenta, cataplasmata emollientia. Quare venter foueatur oleo anethino, butyro, vnguento dialthææ. Expedit quoque eiusdem vnguenti ʒ iij. cum reliquis clysteribus admiscere. Quidam etiam in solium ex decocto maluarum,althææ,seminis lini,fœnugræci descendunt: & per quartam partem horę in eo immorantur: deinde ventrem oleo calenti lana infusa fouent. Quòd verò quidam stercore duro intestinis inhærente medicamenta purgantia propinant,nõ laudandum est. magnam enim inferunt violentiam, aliunde trahentia humores, qui valde implent intestina, ac proinde valentiùs vomere cogunt. Bile tamẽ aut pituita citra inflam-

Curatio Ileì à stercorum multitudine.

Curatio Ileos ab humoribus crassis, & alijs causis.

mationem. Voluulum efficientibus, venter purgandus est hiera Ruffi, & diaphœnico. Si contingat ab humoribus crassis ac tenacib. Voluulum oriri, simili modò curabitur, vt Colicus dolor. Sin verò ex cruditate, & ciborum corruptione, & insalubri cibo, vt fungis, & similibus ortus est, & corruptus cibus ventri adhuc insideat: confestim æger vomere cogatur. Atq; vbi æger vomuerit, sumat theriacæ veteris ʒj. ex vino. Neq; hoc semel fecisse satis sit: repetatur diebus aliquot proximè sequentib. Si nihil ciborum crudorum in ventre continetur, omni conatu, tum flatus, tum stercora infrà trahantur per glandes, illitiones, clysteres. Purgans medicamentum (si non suffecerint prædicta) exhibeatur ex hiera, diaphœnico, catholico: quanquam in Ileo medicamenta per os sumpta parum iuuant. Est & accommodatum anethum in aqua, & oleo decoctum, & bibitum. Deinde panem in aquam seruentem conijce, eiúsque frusta calida confestim edenda præbe: nec minùs opitulabitur chamæmeli decoctum: quod vt si quid aliud, hypochondrijs ac reliquis visceribus quę circa hypochondria sunt, gratum existit, condensata corpora rarefaciens, indurata molliens, tensa relaxans, dolores sedat ac mitigat. Quin & tale est lini semen, quod minus chamæmelo visceribus est gratum. Hæc medicamenta præberi possunt Voluulo ex quauis causa orto: præterquam si ex inflammatione fuerit excitatus. Fouendus & podex per spongias calidas in quibus uis Voluulis, nedũ eo tempore quo glandes fuerint appositæ, sed in reliquis temporibus, vt ex eis qui ad imum intestinum positus est musculus relaxetur, nec ab ipso constrictionis motus incipiat. Decoctum igitur ex folijs althææ, maluarum, seminis lini, chamęmeli in aqua & oleo paretur, & per spongias calidas applicetur, vel in eodem decocto insideat æger. Si dolores perseuerant, & maximè quibus clysteres infusi nõ infra rursus prodeunt, etiam ea quæ leuant dolorem, exhibenda sunt. Itemque conuenientes sunt antidoti ante somnum, seu ex viperis Theriaca Andromachi, & post eam quæ mithridatij nomen habet. Si Voluulus ortus est à venenoso pharmaco sumpto, seu à veneno epoto, aquam tepidam multam bibendam dabimus, vomereque cogemus. Dein oleum calidum

fidum in potu dandum est, aut iura pinguia, vt denuo vomant ex moderato eorum potu. Deinde quiescãt parumper: postea Theriacen accipiant cum vino dissolutam. Et si adhuc perseuerauerit, vtantur purgante aliquo medicamento, ex suprà commemoratis, & cibis vescantur boni succi. Si obstructio perseuerabit, aluus lacte scisso, cũ modico scammoneæ, vel aloës, vel alio medicamẽto purgante inanienda est. Si malum pendet ex delapsu intestinorũ, decubitu sursum vergente adornato, delapsum intestinũ ad inguinum partes retrudatur, ac leuiter citra violẽtiam ac compressionem ligatura fasciáue adhibita continea-tur. Quod vt commodiùs fiat, fotu priùs locus tumoris foueatur. Quando ventriculus multo vomitu labefactatus est, illi conuenientibus remedijs consulatur.

De Lumbricis. CAP. XXII.

EAMI'NΘAN appellatio quandoq; de omnibus lumbricorum differentijs, sæpius verò de teretibus effertur. Qui enim ex auribus, dentibus, renibus, vesica, aliisq; partibus, nec nõ ex sordidis vlceribus prodeunt, σκώληκες potiùs, quàm ἕλμινθες dicuntur. Quanquam & vermes ex hepate, pulmone, thorace, vtero viti sunt manasse. Tres autem ἑλμίνθων differentias vulgus medicorum cum veteribus statuit, teretum videlicet, latorum, atq; ascaridum seu tenuium. Alij quartum genus adijciunt longissimorum, quos Tineas nominant: & à latis separant. Quos tamen plerique omnes sub latis comprehendunt, & sic denominant, quòd instar fasciarum sint lati ac longi. Quidam etiam ex recentioribus præter dicta quatuor genera quintum genus addunt, cucurbitinorũ videlicet, sic dictorum quòd semina cucurbitæ referant: neque latis vel Tineis adscribunt, quòd eorum fœtus esse non possint: neq; partes sint animalis, cùm ipsos potiùs animalia constet esse. Ita illa quinq; genera inter se loco, vel figura, vel magnitudine distinguuntur. Nos potiorẽ classicorũ medicorũ partẽ secuti, tria suprà dicta recipiemus genera. Teretes enim sunt στρογγύλοι cognominati, reliquis frequentiores, qui creantur plerunq; in superioribus gracilibusq; intestinis,

ἕλμινθες. σκώληκες. *Lumbricorum differentiæ.* *Tineæ.* *Teretes.*

& ſuperiorem ventrem ſubeunt: ideoque frequenter per os & nares reijciuntur. Et id genus pueris, atque ijs qui ad
Lati. pubertatem accedunt, peculiare eſt. Lati verò ſeu πλατεῖαι ſunt mutatio quædam (vt nonnullis viſum eſt) inteſtinorum in corpus quoddam viuum & animalis modo mobile, quod ſæpe totum redditur longitudine incredibili, aut in partes diſſolutum, & eorum ratior eſt generatio. De quibus quidam è recentioribus ſic ſcripſit: Si talis materia continua ſit & extenſa, animatur, non (vt Aëtius putauit) quando tunica interior inteſtinorum abſcedit. Nam impoſſibile eſt tunicam illam abſcedere, & accipere vitam.
κτεῖναι καὶ ταινίαι. Lati huiuſmodi κτεῖναι καὶ ταινίαι vocantur, hoc eſt Inſtitæ, à ſimilitudine quas cum inſtitis habent. Scribunt & alij à latitudine latos vermes dici trium, aut quatuor, aut quinque digitorum, qui ſecundum longitudinem extenduntur, vel circumplicantur, vt aliquando ſint ipſis inteſtinis longiores, nempe quandoque tricenum pedum, vel plurium. Alij verò oriri aiunt ex interna inteſtinorum membrana putreſcente ſemini cucurbitæ ſimiles, ſed longiores ac latiores: adeò vt ſæpe per tota extendantur inteſtina. Propterea cucurbitinos ſe vidiſſe teſtatur Beniuenius inter ſe adeò cohærentes, vt vnus vermis videretur quatuor cubitorum longitudinem excedens. Et Alexander Benedictus inuicem compactos ſe vidiſſe narrat, longitudinem quindecim pedum complectentes: atq; ita vnum mentiuntur animal. Quidam aſſerunt latorum vermium ſigna eſſe cucurbitæ ſeminibus excrementa ſimilia, quia huiuſmodi ſegmentis conſtant, quæ vel putredinis vitio, vel agente natura à toto ſecernuntur. Alij tradunt corpuſcula illa cucurbitina eſſe proprium excrementum huius ſpeciei lumbricorum. Aſcarides verò (ἀπὸ τοῦ ἀσκαρίζειν quod eſt mouere) à frequenti motione ſic dicti ſunt parui lumbrici, tenues, ſimulq; teretes, qui in extremo recti inteſtini & muſculi ſphincteris initio oriuntur, horumq; locorum vehementem pruritum excitant. apud alios ἀσκαρίζειν pungere eſt: vnde Aſcarides dicti videntur, quia perpetuò pungunt, nec quieſcere permittunt. Qualiſcunq; igitur fuerit lumbricus genitus, inteſtina afficiuntur: neq; in vētriculo ipſo gignuntur, vt falsò quidā opinati ſunt. In teretibus quidem
Ἀσκαρίδες.
Pars affecta.

inteſtina

inteſtina gracilia, in Aſcaridibus craſſum ſeu rectum, in latis vbi longiùs extenduntur, tam tenuia quàm craſſa affecta ſunt. Affectus autem morbus eſt in numero tota ſubſtantia præter naturam. Vnde nec vllam actionem, nec vſum naturalem animatis corporibus præſtare poſſunt, cõtra nonnullorum ſententiam. In ipſo enim vniuerſo generantur pro ipſius expurgatione, ex Phyſicorum placitis. In humanis verò inteſtinis minimè, cùm flaua bilis ad ea ipſa effuſa id præſtet. Vſus & actiones ſecundum naturam, ad partes ſecundum naturã noſtri corporis referuntur. Vermes autem neq; parte, neq; ſecundum naturam ſunt: ſed toto genere præter naturam. Supradicta verò lumbricorũ genera communicant materia generationis, quæ eſt craſſa, cruda, & pituitoſa materia putredini accommoda, in inteſtinis contenta, vel ſaltem excrementis permiſta. Bilioſus enim ſuccus ſua amaritudine & acrimonia eos perimeret, quemadmodum & atra bilis frigida ſicca, ab animalis proportione & vita longinqua exiſtit. Nec minùs inepta eſt materia ſanguis, quando proportionem habet pro nutrimento partium hominis, neutiquã verò pro vermium generatione, atque intra vaſa continetur. Agens etiam idem in omnibus, nempe calor nõ abſolutè putridus, à quo nihil generatur, ſed naturalis, iſq; plurimus, qui materiam obtineat generationi talium animaliũ idoneam. Quare in valde tenellis nõ gignuntur, quia in eis calor validus non exiſtat, cùm humiditati permixtus ſit. Sed vbi validior eſt, perficit, informat, ac præparat, modo quo poteſt ipſum obtinens, vt exinde lumbrici procreentur. Natura enim eligens quod melius eſt, putredinem haudquaquam derelinquens, nec eam obtinere valens, ipſam lumbricorum ſpecie donat. Et cùm ex aliqua materia animalia generantur, illud totum quod in ea benignum eſt, ad generationem animalis abſumitur, quod ſupereſt, velut excrementum rẽdundans, & naturali calore deſtitutũ putreſcit. Præterea animalia ex putredine genita, generant quidem ſed diuerſum genus, quodque propriè nec mas, nec fœmina eſt. Confirmiter aiunt, quòd concurrit calor non omnino putridus, qui materiam quaſi præparat, quiq; natiui caloris perfuſione quaſi perficitur, principiumque

Affectus.

Cauſa.

vitæ vermibus confert. Sed vt vnde diuertimus, eò reuertamur, causam materialem dum statuimus pituitam, teretes quidem arbitrantur pleriq; ex pituita nasci minùs calida, satisque humida: latos & cucurbitinos ex mucaginosa. Ascarides ex eadē sed acetosa, vel (vt alij volunt) ex acriori & sicca: quæ minùs extendatur in longum: vt lati oriuntur ex materia valde lenta, & glutinosa. Tamē ab humoribus salsis, amaris, aut acribus vermes non generantur; cum ab ijs potius interimantur: sed potius, ab ijs qui facilè putrescunt, vt sunt fructus fugaces, dulcéque. In summa, tam in pueris quàm in adultioribus excrementa crassa, pituitosa, putrescentia abundant, atque etiam cruditates incalescentes. Communiter enim omnis generis lumbrici exercent, vtique si multa cruditate onerantur, vitiosisque cibis longo tempore vt caseo, fructibúsque fugacibus vsi fuere. Crassorum, & quæ difficulter coquuntur, alimentorum vsus præcessit, ac eadem largiùs ingesta fuere, & maximè frumentacea. Eosdem etiam comperies balneis à cibo vsos fuisse. Vt ad notas ipsas veniamus, communes hæ sunt duorum priorum generum. Per somnum dentes stridēt, multaque saliua ex ore defluit, quam sæpe æger. tum quoque deuorare quasi mandens aliquid videtur. Vigilanti sæpe pruriunt nares, multis infesta est sitis, quæ potu non sedatur. Interdum venter distenditur cum murmure, atque multa torsione, idemque tanquam hydrops esset Tympanias, inflatur, acceduntque subinde læuitas intestinorum, oculorum suffusio, pallor faciei, sudorque frigidus, ac malè olens. Nonnunquam ipsa etiam afficitur mens. Verùm æger neque festucas colligit, vt in acutis febribus, neque grauem capitis dolorem sentit. Iidemque lumbrici noctu molestiores, quàm de die esse solent. Per inediam maximè sursum repunt, tumq; intestina, præcordia, stomachum torsionibus solicitant, simulque animi inferunt defectionem, vel præfocationem, vel tremorem, vel morbum comitialem, vel ipsam denique syncopen. Præterea coli dolorem, caninam appetentiam, & cordis palpitationem à lumbricis fieri sæpe animaduersum est. Quidam enim ex morsu ventriculi compatiente corde animo linquuntur, tremunt, & pulsum habent, nunc

Signa.

interca-

intercadentem, nunc recurrentem. Quibusdam os & lingua humescit, & oculorum turbationem patiuntur. Ferè longis proprium est, vt in gracilibus gignantur, vtque hæc morbis per inediam impetãr, & interdum in ipsum procurrant ventriculum, tumq; dolorem moueant, nauseam, vomitum, singultum, siccamque tussim & tenuem, breuibusque molestam interuallis. Iidem cùm fortè ad stomachum perueniũt, difficilem deglutitionem reddunt. Inter hæc alij per somnum edito clamore expergiscuntur, in somno tremunt ac præter rationẽ exurgunt, iterumq; protinus sopiuntur. Alij inter dormiendum linguam exerunt, simulque vario decubitu corpus iactant. Pueri etiam sic formant os, vt quasi eo tenere mammæ papillam, ac deuorare aliquid videantur. Multis oculi sanguineo rubore imbuuntur, itemq; malæ: verùm is rubor paulò pòst perit, luore nouo victus. Pulsus inæqualis, obscurus, deficiens, recurrens. Nonnullis venter corruptum cibum deijcit, flatibus intumescit, reliquum corpus sine probabili causa extenuatur. Alijs appetitus perditio accedit. Si febris incidit, ea sine ordine ac lege increscit, ac ter quaterq; die vel nocte recurrit, non sine ingenti extremorum frigore. Cuncta hæc accidunt ab ipsis animalibus in intestinis obuolutis, seu cùm per eadem serpunt ac rodunt, & morsum inferũt, tum ex febrili calore prauos ad cerebrum vapores transmittente, ex putrida in ventre collecta humiditate exhalantes. Cognoscuntur in ventriculo collecti, ex eius morsu, nausea, fastidio, vomitu. Si in tenuibus intestinis consistant, fluorem alui faciunt, vel Lienteriam, venter inflatur. Non omnia in omnibus signa inquirere oportet, sed eorum plurima, aut nonnulla. Lati autem lumbrici, vt multa habent, quæ esse familiaria longis dicta sunt, sic soli assiduis morbis hominem fatigant, atque ingentem & inexplebilem ciborum cupiditatem inferunt. Quod enim assumptum est alimentum, continenter depascunt. Sæpe hi intus magna mirabilique inter se serie cohærent, vt iam dictum est. Lati vermes in his qui febre carent abundant, ac diuturnis morbis etiam cum febre accidunt. Latis lumbricis occupatos comitatur corporis gracilitas, etiam impotentia seu imbecillitas

cum tarditate. Certissimum indicium erit, si quædam semini cucurbitæ seu cucumeris similia excernantur, de quibus suprà, quoniam horum quandoq; partes conciſæ prodeunt, quæ semel sanè exolutæ, non ampliùs secundariò segregantur. Interim & ipſi integri excernuntur, vt incredibilem de se præbeant aſpectum. Vbi verò tenues lumbrici seu Aſcarides intus verſantur, in ano ſcilicet ac recto inteſtino, multus in his locis pruritus eſt: ex quibus interdum emergunt, & in femora, nates, quoquouerſus prorepunt, ſæpius in deiecto ſtercore cernuntur, quod etiam adultis hominibus frequens eſt. Inter hæc aſſidua oritur deſidendi cupiditas, homoq; poſt redditam aluum rectiùs haber. Quoniam verò Aſcarides in ano fiunt, & conglobati degunt infiniti hi lumbrici, ob frequentem motionem aut ſuctum, teneſmum faciunt interdum, ſubinde inteſtiuum rectum in hoc malo prolabitur, excrementa liquida & bilioſa ſunt, in quibus apparent: vt in iumentis indicant malam concoctionẽ, quam fœtor teſtatur. Sic eorum indicia ſumuntur ex graueolentia. Indicant enim prauos aſſumptos cibos, ac eorundẽ corruptiones, & frigiditates. Lumbricos teretes eunte in iudicationem morbo deſcendere idoneum eſt. Initio morbi ex ſubiacente corruptione oriuntur: in vigore ex malitia morbi: in declinatione & permutatione in melius, ſeu ex caloris innati victoria, & dominatione in materiam ſaltem quam pro eius malitia habere poteſt. Et hi ſanè citiùs ſeparantur, eóſque natura reliquorum excrementorum inſtar expellit. Vermes enim ſæpe fiunt in febribus, his prædictis tribus temporibus. Sæpe verò fit vt vermes antecedant, qui deinde febres concitent, agitatis in ventre putreſcentibus excrementis, & conſentientibus reliqui corporis ſuccis, aut ob inopiam alimenti languentibus: deinde ſuccis improbè gubernatis, aut quando cum ſuccis ex alimentis genitis excrementa quæ cum vermibus putrent, procedunt ad vaſa. Peiores ex ipſis cenſentur maiores minoribus, paucis multi, albis rubri vel rufi, viuentes mortuis deteriores: quanuis alij viuentes mortuis præferant. In eandem ſententiam alij ſic, Lumbrici qui ſine excrementis exeunt in acutis ineunte morbo, cruditatem ſignificant,

Prognoſtica.

& ma-

& malignam putredinem. Excrementorum absentia vermes quasi in fuga esse ostendit propter vim corruptionis. Contra imminente crisi si cum excrementis descendant, spem salutis adferunt, quia inde & naturæ robur, & materiæ bonitas declaratur. Multi nulla lumbricorum teretum præsertim cura habita, exesi ab ipsis sunt, & conuulsi interierunt, & frequenter ita rodunt intestina, vt hominem in mortis periculum præcipitent. Versicolores lumbrici omnibus sunt deteriores, putredinem indicant deteriorem maioremq;. Minus in longis lumbricis periculi est, quàm in latis, solentque his etiam illi esse frequentiores. Inter omnes minùs periculosi sunt Ascarides, quia tenues, & exigui, & in loco à partibus principibus remotiore oriuntur: etiamsi à deteriori materia generentur. Pueros præcipuè exercent ac infantia vsque. In victus ratione præscribenda aer ad calidum siccum declinet, præsertim si febre careant. Somno vtantur mediocri, eoque nocturno, nec nisi per duas horas à cibo. Exerceant corpus ante cibum, si febris non adest. Aluus sit lenis: alioqui balano aut clystere citetur. Vitent animi affectus immodicos, veluti iram, tristitiam, timorem, & id genus reliquas perturbationes, potissimùm à cibo. Et quia inediam non ferunt, dandus est tum præcipuè cibus, cùm non omnino inaniti fuerint. Cibi sint calefacientes, attenuantes, nisi febris adfuerit. Tum enim temperari debent: sintq; boni succi, & qui facilè in totum corpus distribuantur. Habeant admixtum acetum, in conditura, aut salsamento. Si simul alui profluuium adfuerit, ex quo lumbricos magis abundare sciendum est cibo non distributo, sorbiles cibi dentur admixtis astringentibus, vt pyris, sorbis, malis punicis præcipuè acidis. Iidem cibi sorbiles dandi sunt infantibus: quemadmodum ijs qui cibum auertantur, contusę gallorum aut pullorum carnes, seu eorundē iura, in quibus iam dictæ carnes liquatæ sunt. (Consummata vulgus vocat.) Reliquis exhibeantur prædictæ carnes pullorum, gallinarum, phasianorum, columbarum iuuenum, turdorum, merularum, paruarum auium montanarum. Cappares & colymbades conueniunt cum aceto. Vitent legumina, pisces, lac, caseum præsertim veterē: panem non fermentatum, & multos cibos, qui ex eo pa-

Victus ratio.

rantur. Vitent cætera alimẽta crassa, lenta, pituitæ gignendæ idonea. Quantitas ciborum multa pro vna vice non sit: sed sæpius exiguo cibo vtendum, calido, sicco, acri, amaro, nisi interdum morsus eorum ob famem sæuientiũ dulcibus sit placandus. Bibant vinum album, subausterum: aut febris ratione, aquam cinnamomi. In medicamentorum vsu id inprimis spectandum, quòd cùm lumbrici sint tota substantia præter naturam, prorsus eos expellere conuenit, expelles verò si necaueris. Necabis autem amaris. Viuentes namq; obsistunt, cùm adhæreant intestinis. Mortui vna cum stercore expelluntur. Expelluntur etiam cum hoc viui, sed stupefacti, & semimortui facti. Primùm igitur detergentibus vtendum medicamentis, deinde purgantibus materiam ex qua generantur lumbrici. De qua re alij sic: Materia ex qua vermes generantur, medicamentis expurganda est: quorum nõnulla generatos etiam enecare possunt, nec non è corpore propellere. Quòd si per expurgãs ventrem medicamentum non educantur simul cum materia, ij medicamentis amaris occidendi sunt. Et quoniam amara fugiunt, priùs dulcia adhibeantur in potu: deinde amara, vt inescati capiantur, & amarorum ingestione pereãt. Quod & facimus pauca dulcia cum multis amaris ac validæ amaritudinis miscentes, semper etiam cauentes, ne validas febres irritemus. Humor itaque oxymelite incidatur, cum decocto origani, calamenti. Deinde purgabimus febre valida non existente, bibitis duabus drachmis agarici infusi in oxymelite, vel bibita hiera ex decocto origani. In eundem vsum si febris valida inuadat, conuenit rhabarbarum cum melle rorido in myxarum ac tamarindorum decocto dissolutum. Teretibus autem leuiora remedia cõueniunt, quàm Ascaridibus. Si interim in ventriculũ ascendant, nihil obstat dulces inijcere clysteres, vt eos auocemus, & in potu præbenda sunt amara. Nam si hæc prosequantur, morientur: si fugiant, descendent. Occisos vermes facilè clysteribus educemus. (Enecati expellendi sunt, ne putridis vaporibus febres, & Epilepsiam, & alia symptomata excitent.) Inter amara quibus enecantur primum locum obtinet absinthium, & eius cremor, vel abrotani, myxarum decoctum, si fubricitauerit æger. Quando enim

Medicamẽtorum ratio.

vermes

vermes reijciũtur in febribus & alijs morbis acutis senum & puerorum, non debemus totum nostrum scopum conuertere ad illos, quòd ab acribus febres exacuantur. In eam sententiam alij: In morbis acutis in quibus magna putredo latet in intimis penetralibus materia maligna potius naturæ obediens reddenda est & expellenda, quàm vermes; alioqui periculum erit ne morbum augeamus, ægrotumque occidamus. Conuenit & cichorij, auriculæ muris decoctum, cornu cerui vsti ramentum, olei immaturi seu omphacini cochlearia duo. Cunctis etiam tam infantibus, quàm adultis febrientibus, vel non febrientibus, confidenter exhiberi possunt, (etiamsi trimestres fuerint infantes) vermes terreni cum sapa, vel hydromelite. Datur etiam puluis qui recipit seminis lumbricorum ʒ ij. cornu cerui vsti, seminis citri, & portulacæ ana ʒ ß. datur ʒ j. vel ʒ ß. pro ætatis & habitus corporis ratione: isque cum dulcibus liquoribus propinatur, vt lacte, melle, syrupo de liquiritia, quò citiùs medicamenti dulcedine illecti amplectantur. Hiera picra & ex ea pilulæ, & quæ ex aloë, myrrha, croco communes vocantur, sunt efficaces sumptæ, & aliquo oleo aut syrupo mollitæ, & vmbilico admotæ. Cataplasma item fit ex lupinorum farina hydromelite decocta. Vmbilicus etiam illinitur felle taurino, aut melanthio cum lacte muliebri trito, seu absinthio, abrotano, ficubus admixtis. Paratur & medicamentum ex Theriaca, terra lemnia, luto armeno, aqua rosacea, aceto: idque temporibus, naribus, iugulo, & carpis applicandum. Vel ex mentha, absinthio, & persicæ foliis simul contusis, adiecto aloës puluere, lupinorum farina, atque torrefactis micis panis cum aceto & aqua rosata, medicamentum fit ventriculo imponendum. Si febres non molestant, quinimò ad integritatem, aut totius morbi declinationem ventum est, acrioribus medicamentis ac efficacioribus vtendum erit: præsertim robustis corporibus. In quem vsum seriphij decoctum, vel calaminthæ, & semen cardamomi, santonicũ, abrotonum, brassicæ semen, aut terni aloës ℈. tribuantur. Acetum scillinum etiam confert. Prodest ab inferioribus partibus mulsam inijcere copiosiorem, quo lumbrici mellis dulcedine illecti deorsum descendant. Hæc Paulo

& antiquitati vsurpata sunt. Nostri eadem ferè sequuntur, & præterea cum pauco sale & saccharo per clysterem lac injiciunt asininum aut caprillum; quandoque ex gallinarum seu pullorum iure, saccharo, ouorum luteis clysterem indunt, maximè cùm febris adest. Lumbricos ad ventriculum ascendere prohibent stypticis & amaris, atque aceto sumptis, & ventriculo admotis. Remedia enim aduersus lumbricos prosunt per acredinem occidendo, aut per amaritudinem subducendo, aut ad excretionem irritando. Qui lumbricis cum alui profluuio infestantur, eos fluorem inspissando, & concoctionem tum per cibos, tum per cataplasmata in melius permutando, curare oportet. In quantum enim fluxiones inualescunt, tantum etiam lumbricorum generatio augetur. Qua de re plantaginem aridam absumant, quæ & lumbricis, & fluori efficax est. Astringentia etiam hoc nomine conferunt, quòd ventriculum ex amarorum medicamentorum frequenti vsu læsum iterum corroborant. Astringentibus enim haud vtimur, nisi fluxus ventris adest, & post magnas vacuationes. Si vermes in causa sint fluxui ventris, egeatque corpus purgatione, non est verendum vti aliquo medicamento purgante, vt rhabarbaro, quod quamuis non purget ventrem, solet lumbricos occidere. Si febris erit, decoctum myxarum valet vt iam dictum est, aut cornu cerui vsti ℈ ij. clysteres ex decocto absinthij, centaurij minoris, addita benedicta vel hiera. Venter quoque liniendus est felle taurino, & desuper aspergendus puluere aloës: aut liniendus venter felle ac melle, addito puluere pilularum de hiera. Si fluxus ventris accesserit, decoctũ foliorum persici commodum erit, addito puluere benedictæ, & acaciæ, & malicorij. Addemus & melinum oleum. Lati vermes medicamenta postulant vehementiora, quàm teretes: cuiusmodi est filix, si dentur ʒ iij. ex melicrato. Centaurij quoque decoctum est propinandum. Dẽtur & in potu vermes terreni. Aqua in qua lupini, aut cortex mori decoctus sit. Atque vt ex toto affectus discutiatur, Theriacen exhibebis. Ascarides item vehementiora postulant. Quare acri muria infusa, aut absinthij decocto oleo admixto vacuandi sunt: vel centaurij decocto cum nitro & melle, vel cum

hiera

hiera picra & sale: aut decocto absinthij, addemus hieram picram, & aloëm. Infantes glandibus ex melle cum salis momento vacuari debent. His adde stercoris murium, salis gemmæ, agarici, pul. hieræ simpl. parum. Aut ex petasone, seu carne veteri salita, pinguedine rasa, glans longiuscula formetur, & supponatur filo alligata. Deinde non paucos vermiculos adhærentes secum trahet. Glans etiam ex melle tosto, & aloë valet. Clyster optimus fit ex lacte seminis cannabis, cum hiera. Fiat & clyster ex decocto absinthij, perficariæ, hiera picra, oleo amygdalarum amararum, aut suppositorium ex prædictis fiat super aspergendo aloëm, inuoluaturque visco cum quo capiuntur aues. ei enim adhærebunt vermes. Lumbricos & Ascarides occidit vapor aceti, in quo elixum fuerit melāthium, aut eiusdem fumus. Vbi excrementa prodierint, affectus locus est liniendus acacia, hypocistide, rhois succo, alumine liquido, aut alio eiusmodi. Coacta enim pars ab astringentibus corroboratur, aptitudinemque ad animalculorum generationem amittit, atque Ascaridas excludit. Eadem astringentia in aqua maris decoquantur, & eo decocto calido aluus foueatur, & irrigetur. Si sint Ascarides sedi inhærentes, balanus indatur ex bombace illito oleis amaris, vel aloë, vel felle vaccino. Vsu crebro salsorum, amarorum, acrium, aceti euocantur & expelluntur.

De Hepaticis, vel ijs qui iecoris imbecillitate laborant. CAP. XXIII.

HΠΑΤΙΚΟΙ generaliter dici possunt, qui ex iocinore quouis modo affecto laborant. Veteres tamen eos tantùm Hepaticos dixere, qui propter iecoris inflammationem febricitarent, vt & Pleuriticos, & Peripneumonicos, qui lateris & pulmonis phlegmone vexarentur. Posteriores verò eos vocauere Hepaticos, quibus citra manifestum visceris malum, nempe phlegmonem, abscessum, scirrhum, vlcus, & putredinem, aut aliud tale, imbecillitas sola iocinoris acciderit, quique ad functiones naturales hepatis sunt inualidi, quemadmodum & Cœliacos, & Stomachicos appellant, quibus imbecillitate laborat ventri-

Hπατικοὶ qui sunt dicti.

culus seu stomachus: & qui citra tumorem aut vlcus languorem sentit. At cùm duplex sit intemperies iocinoris, vna quę ad eius pertinet substantiam, illiusque vires ac harmoniam dissoluit, ita vt officium suum non nisi diminutè faciat: altera citra imbecillitatem, intensa aut remissa qualitate, vt calore & frigore, quæ intemperies nondũ naturalem constitutionem labefactarit, sed in ea facultatis vires potiùs corruptæ sint, quàm imminutæ: de priori hîc nobis sermo futurus est. Et imbecillitas hîc intelligitur, nõ quæ pendet ex facultatibus cõmunibus, sed eius quæ propria est, nempe sanguificæ, quæque sub alteratrice generatim dicta continetur. Pendet autem hæc ex propria dicti iocinoris essentia, (ceu in alijs instrumentarijs partibus) quam propria quædã functio consequitur. Facultas enim quæ priùs ex proba temperie sanguinem probum gignebat, ab ea deficiens sanguinem crudum, & semicoctum, & aquæ modo liquidum reponit. Alij ad retentricem læsam referunt, voluntq; attractrice infirma, liquida deijci per aluum, sed ad chyli formam accedentia: etiamsi nulla ventriculi offensa, nullaq; mesenterij sit obstructio. Sed si retinendi vis languet, etiamsi hepar attrahat, aluus interdum, sed admodum rarò, liquida & sanioſa reddit carnis loturæ recèns mactatæ similia. Sanguis enim excidit propter facultatis retentricis imbecillitatem è iocinore, eamq; Dysenteriæ speciem facit, quam propriè ἡπατηρὰν, id'est hepaticam vocitant. Excidit (inquam) priusquam coctus sit perfectè. Quod meo iudicio ita accipiendum videtur: quamuis alteratricis imbecillitatem, huius hepaticæ Dysenteriæ præcipuam esse causam omnes in confesso habent. Ex ijs quę commemorata sunt, liquet in hoc affectu perpetuò iecur ipsum manifestè læsum, ab actione vtiq; & propriæ facultatis noxa: in qua deiectio, vt dictũ est, loturæ carnium recèns mactatarum similis est. Nam si fęci sanguinis similia redduntur, ita quòd qui excernitur sanguis, nigrior sit, quàm pro natura, & splendens, vtpote sanguine & nigra bile cõmixtus, indicium est hepatis sanguinẽ superassantis: & à nonnullis talis excretionis species Dysenteria quoque nominatur: quæ fit cùm iecur propter frustratam sanguinis diductionem ab eius multitudine grauatum, cùm amplius

Pars affecta.

Differentia quatuor excretionis cruentæ.

ampliùs retineri non possit, necesse est ad ventrem & intestina retro iterum recurrat. Vel si pars aliqua alia affecta viribus ipsius factis robustioribus per ipsum hepar expurgetur, etiam dum integra valetudine sit, vel mutilo membro, vel retētis menstruis in mulieribus: quæ tertia est sanguinolentæ excretionis differentia, & αἱματηρὰ, id est cruenta vocatur: præter veram Dysenteriam, quę vlcus est intestinorum, de qua suo loco dictum est. In his igitur differentijs posterioribus iecur in propria essentia ac facultate oblæsum non est, aut secundum aliam quandā facultatem noxam patitur, sed in ea tantùm in qua sanguinolentus humor loturæ carnium recèns mactatarum similis deijcitur. Parte affecta paulò antè explicata, dicimus propositum affectum esse in genere noxæ fuctionū naturalium, alteratricis eiusq; sanguificæ diminutæ ac imbecillæ, vel retentricis, vt dictum est, vel vtriusq;. Iecur enim maximè naturalium facultatum origo cùm sit, earū robur in temperamento membri situm est, idque robur reuera mutato temperamento mutatur. Secunda autem est coctio, quæ ob hepatis imbecillitatem lædituridque tripliciter. Vel enim peregrinam quandam qualitatem iuxta eruditatem alimentum suscipit; vel suam naturam diutissimè seruat, nulla alteratione ab hepate accepta, vel in semicoctum sanguinem vertitur. Aquosum sanguinem vocare possumus. Significat autem alimenta fuisse à ventriculo concocta, & etiam aliquandiu in iecore inchoata: non tamen fuisse absoluta propter eius debilitatem. A quacunque intemperie fit hepatis imbecillitas ita radicata vt spiritum caloremque natiuum dissipare & harmoniam nec non vires & actionem dissoluere possit, perpetuò sanguis aquosus & semicoctus redditur sine dolore, & copiosè. Huius imbecillitatis quæuis intemperies causa esse potest. Cumque ea possit esse vel circa contentas in ipso iecore venas & arterias, & iuxta materias in spatijs ipsarum contentas, nec non iuxta propriam ipsius hepatis substantiam seu parenchyma (quoniam αἱμάτωσις in iocinoris proprio corpore seu substantia propria consistit) propterea eandem substantiam seu idem corpus intemperatum reddi oportet, quò affectus hic generationem habeat, idque

Affectus.

interdum primò, interdum secundariò tunicis vasorum scilicet, aut humoribus in eorum cauitatibus contentis, siue vtrisque primariò affectis. Intemperies autem morbi sunt: imbecillitates verò insignia quædam symptomata, quæ ablatis intemperantijs statim auferuntur. Itaque calida intemperies humores assat & comburit. Communis tamen est omnibus à quacunque intemperie ortis sanguinis aquosi & semicocti excretio: ne quis putet hîc à calida intemperie superassari humores tantùm, sed etiam substantiam oportet affici, quæ scilicet propter imbecillitatem longo tempore contractam imbecillis redditur. Omnis enim intemperies nata est impedire actionem, & si magna est, imbecillitas fit. Atque vt calida humores assat & comburit, sic frigida pituitosum & crudum humorẽ, crassum, lentumque & immobilem reddit: eum verò qui defertur, semicoctum relinquit. Sicca verò sicciores & densiores humores efficit. Quidam ex recentioribus aliã causam imbecillitatis agnoscit, nimirum corruptelam substantiæ, quam scitè depingit. Porrò inter notas huius affectionis, primum locum obtinet deiectio, nimirum aquæ similis, qua nuper mactatæ animantis carnes ablutæ sunt, sanioſa scilicet atq; subcruenta, (de qua iam semel atq; iterum meminimus) quæ interpositio spatio variè commutatur, prout iecur variè intemperatum est. Quum enim id caloribus vrgetur, colliquationes fiunt primùm humorũ, dein etiam carnis ipsius hepatis, & vacuatur per ventrem bilis crassa insigniter tincta, mordax ac spumans, graueolens, vt in pestilentibus febribus contingit. Assat præterea humores tum contentos in ipso, tum eos qui per mesenterij venas deferuntur. Inter hæc etiam totum corpus liquescit. febris oritur vehemẽs, & cibi fastidium, & sitis, estque pulsus celer, & vrina biliosa. Sæpe etiam æruginosa vomũt, & similes apparent deiectiones. linguam habent scabram, corpus siccum, gracile, iecore colliquescente, & in cruentas sanies contabescente. Temporis spatio ex ipsa etiam substantia tandem particulę longè fœtidæ deferri cernuntur. Cæterùm ex temperamento ægri, ætate, anni tempore, prægresso victu firmior cognitio haberi poterit. Vbi frigida intemperies aderit, neque assiduæ excretiones, neque

Signa.

que multæ fiunt, quippe malum diutius prolongatur, & certis diebus venter cumulatiùs profluet, sed quæ egerun-tur, neque colorem, neque consistentiam habent, qualem ea quæ ex calore sunt liquefacta: sed speciem præ se ferunt sanguinis puttefacti, & in grumos coacti. Neque verè san-guis est tamen, neque grumus, sed veluti fæx quædã san-guinis crassi, proximè ad atram bilem accedens. Varij quoque colores apparent excrementorum, & facies non collabitur. Febris autem interdum languida oritur, putre-facto in viscere sanguine: adhæc color pallidus est, tardus pulsus, vrina tenuis. Siccitas crassiorem & magis aridum humorem qui effunditur, efficit, corpus siccius & tenuius est, sitim magis conciliat, deiectiones alui paucæ & cras-siores sunt. Fitque hæc intemperies post longas inedias, & vsum medicamentorum siccantium. Facilè dignoscitur: sed difficiliùs curatur. Si verò humida fuerit intemperies, nec sitim efficiet, nec siccitatem, sed magis linguæ humi-ditatem, & vultus totumque corpus diu non collabitur. Postea ventris deiectiones plurimæ apparent, magisque tenues & aquosiores reddit humores. Si humida vel sic-ca intemperies calidæ vel frigidæ fuerit admixta, indicia permiscebuntur, variasq; indicabunt temperaturas com-positas. Quod reliquum est, facilè hæc iocinorosa deie-ctio qua cruenta redduntur, à torminibus distinguitur. In his enim sanguis cum dolore, rosione, & strigmentis sen-sim, breuibusque interuallis paucus exprimitur. Contrà iocinore malè coquente & retinente, cruenta feruntur si-ne dolore, sine ramentis, idque cumulatim & maioribus interuallis, duorum, & interdum trium dierum. Et si rupta intus vena, aut adaperta, sanguis deijcitur, is ab inferiori-bus locis ferè purus fertur nigrescens: à superioribus au-tem protinus ater ac liquidæ pici similimus, quo tamẽ tin-cta lintea rubent: vt hac nota is quoque facilè dissidere ab atra bile possit. Si mutilato membro grãdiori, aut propter necessariæ solitæque vacuationis compressionem ex aluo sanguis defluit, is multa copia purus subitò prorũpit, subi-toque desinit, longissimis spatijs temporum recurrens. Præterea cruor qui ab vlcere iocinoris manat, exiguus ad-modum est, sensimque descendit, multo virulento turbi-

Discrimen ab alijs cruentis deiectionibus.

doque pure imbutus. Leuiculus etiam doloris tractus iuxta iocinoris sentitur regionem, atque eius vlceris quod illic inhæruit, aliquæ antè notæ fuerunt. Eodemque modo proprijs signis iocinoris inflammatio noscí debet, quæ sanioſam subeuentamq; aluum facit. Huius autem affectionis Hepaticæ curatio maxima facienda est, quoniam plerique curantium insciti pereunt: & quia hæc affectio symptomata grauissima inuehit, vitiata nimirum secunda coctione quæ fit in hepate: vnde tertiam quoque coctionem necessarium est labefactari. Ex calida intemperie orta quamprimùm curanda est: quia ex ea primùm fiunt colliquationes humorum, deinde carnis hepatis, quinimo totum corpus absumitur, vt dictum est. Ex frigida verò intemperie genita non est contemnenda: quia tractu temporis corrupto in viscere sanguine febris superuenit. Per hanc etiam iocinoris imbecillitatem sæpe vltrò sanguis, vel è naribus, vel ex vtero, vel per hæmorrhoidas, vel cum sputo effertur. Idem morbus vbi spatium temporis accipit, & ipsa augetur imbecillitas, in malum corporis habitum, aut in ipsum vertitur hydropem. Si priùs atra deijcibilis incipit, quàm hi morbi nascantur, scire licet ægri vitam in præcipiti esse. Huc etiam referenda est imbecillitas iecoris, qua tametsi probè trahit retinetque, debiliter concoquit tamen, & imperfectè sanguinem creat. Itaque sub eo vitio cruditates humorum oriuntur, pedes, & mox reliquum corpus intumescit. Quod genus noxæ his frequēs est, qui à morbo vel graui, vel longo conualescūt, & quos hydrops, aut durus iocinoris aut lienis tumor, aut longa aurigo labefecerunt. Curationis verè scopus est præcipuus, vt ad cōtrariam intemperiem deducamus. Intemperiem verò corrigentibus addenda sunt aperientia clementer, cùm hîc ferè cum intemperie sit obstructio à congregatis per imbecillam sanguificationem excrementis. Et indicatione sumta à parte quæ vniuerso corpori dispensat alimenti materiam, tam in ijs quæ sumūtur, quàm quæ admouentur, quò firmitas visceris præsertim à calore soluti ac soluendi conseruetur, astringentium aliquid miscendum est. Partim quoq; sint tenuium partium, vt leniant, tergeant, ipsaq; excrementa vacuent. Cuiusmodi vires habent

Prognostica.

Curatio.

bent terebinthina, cinnamomũ, vuæ passæ, pistacia, schœnanthum, spica nardi, absinthium Ponticum. Quamuis n. caleant, sunt tamen ob id salubria, quòd ferè hæc imbecillitas ab intemperie frigida sit, vel primò, vel succedente calori immodico, & ob id hepatis sanguinẽ, ac spiritũ & calorem natiuum dissipanti. Si igitur est calida intemperies iocinoris, aer eligatur ad frigidũ vergẽs, somnus sit moderatus & nocturnus. Quies imperetur. Aluus humecta sit natura, vel arte. Perturbationes animi vitentur, vt ira, curę, solicitudines. In vniuersum cibi sint qui mediocriter refrigerent, nec obstruant, qui probè distribuantur, robur & temperiem inducant, & vim abstergendis visceribus, aperiendisq; efficaciam habeãt. Quare cremor ptisanæ, ipsaq; ptisana conueniunt. Seris & cichorium crudũ, vel coctum assumtum, decoctum ipsius, succusq; potus, calidis & frigidis vitijs opitulatur. Eiusdẽ generis sunt intybus, sonchus, lactuca, cum apij radice percocta, aut eadem per se: licet commodior sit, si inter coquendum acetum recipiat. Dicta olera in iure gallinarum seu pullorũ decoquantur: quamuis iura multa pinguia vitãda sunt. Pullorum etiam gallinarum, perdicum, phasianorum, turturum, & paruarum auium carnes gustent cum aliquo prædictorum oletũ decoctas, vel cum succo limonũ, aut vuæ acerbæ. Etenim elixæ potiùs quàm assæ conueniunt. Anates aliæq; aues palustres interdicantur. Saxatiles pisces concedi possunt. Et si non admodum magna fuerit intemperies calida, aut obstructio iocinoris, cibos vtendos offerre expedit, qui ægrè conficiantur. Pepones, mala dulcia, cotonea, malorum punicorum grana, & ante cibum modicum, & cum pane dare cõuenit. Nam iecur admodum imbecille, & collapsum stomachum firmare possunt, maximè si æger siti torqueatur. Cerasa, pyra astringentia, sorba, mespila, non sæpius adhibita. Vua passa in calida intẽperie acidior, in frigida dulcis. Et prẽsertim ea cõuenit quæ in tantũ astringens est, quãtum viscus postulat affectum. habet & vim concoctoriã humorũ crudorũ, & coërcendi maligna. Estq; ipsa haud facilè putredini obnoxia: & à tota substãtia visceri familiaris & propria. Nuces, pistacia, pineæ, amygdalæ vitandæ sunt, vt inimicæ: & quòd facilè corrumpantur, & oleosæ

Curatio imbecillitatis ab intẽperie calida hepatis.

sint, prompteque in bilem mutentur, & recrementum asperius reddant, vt venter magis crebriusq; irritetur. Vinum circuncidatur, nisi ob stomachi imbecillitatem conueniat; sitque tenue, oligophorum, dilutum. Loco vini bibãt succum malorum punicorum, serapium acidum simplex, oxysaccharum, cum decocto hordei, vel intybi domestici. Arcendi ab omni cibo & potu melle condito, & admodum calido, & multa incidendi vi prædito. In calida enim intemperie mel exiccat, & amarescit. Pro curatione inprimis detur succus seridis, cuius facultas est subfrigida, subamara, modicè astringens; neque frigidas intemperies lædit, vt quæ frigidam humidam absq; astrictione aut amaritudine possident. Philonis antidotus omnem intemperiem calidam sanat, quamuis nullum hepaticum pharmacum, vehementer refrigerans esse debet. Recentiores in calida intemperie leuibus pharmacis vtuntur, (non vt intemperiem curent, sed vt vacuent excrementa quæ per intemperiem collecta sunt) vt cassia, catholico, syrupo ros. diluto rhabarbari. Prosunt & syrupi è cichorio, oxysaccharo, syrupus ex infusione rosarum, confectio trium santalorum, diarhodon abbatis, diatragacanthum frigidum, saccharum rosaceum, violaceum, syrupus de limonibus. Et quæ refrigerant, moderata sint. minùs enim secura est refrigeratio calefactione. Extrinsecus epithema adhibetur, æstate frigidum, hyeme autem actu calidum: ex aquis nimirum stillatitijs endiuiæ, cichorij, cum puluere corallorum, santalorum, & aceto pauco. Vnguentum fit ex oleo rosato, de absinthio, myrtino, de papauere, nymphea, puluere santalorum & corallorum. Admouetur & vnguentum rosaceum, santalinum in magno ardore, cætatum album, & refrigerans. Fit & cataplasma ex foliis plantaginis, cichorij, aut malo cotoneo, & oleo rosato decoctis, adiecta hordeacea farina, pauco croco, cum pauco aceto. In affectibus ventriculi & hepatis frequenter & sensim refrigerare oportet, quia impeditur illa refrigeratio à frequenti ciborum assumptione, qui nisi frigidi sint, multùm retardãt refrigerium. Et frigidis admiscetur nonnulla calida, quia partem sua frigiditate constipant, & obstruũt, quæ obstructio caloris maioris causa esse potest. Adde quòd frigida cùm

Medicamẽtorum ratio.

cùm sint crassarum partium, non facilè penetrant: ob id frigidis addũtur spica nardi, celtica, vel aliud tenuium partium, vt acetum. Atque hîc obiter notandum est alimenta medicamentosa efficaciora esse, quam medicamẽta: quia meliùs ad partem affectam trahuntur. Quare ius acetosæ exprimitur, in quo carnes intinguntur. Panis hordeatus, aqua hordei præscribitur. Sed vbi intemperies erit frigida, (à qua frequentiùs fit imbecillitas hepatis) siue prima est, siue immodico calori spiritum & calorem natiuum dissipanti succedit: vel vt alij volunt, siue attractrix, siue retentrix, siue alteratrix imbecillis euaserit, siue omnes simul, vt magna ex parte accidit. eo quod vna debilitata omnes debilitantur: huic affectui calida medicamenta magis conueniunt, quæ tamẽ vitanda sunt, si calor adhuc subest. Calefaciendum ergo & roborandum. modicè calidis semper adduntur roborantia hepar & obstructionem aperientia quæ semper adest. Cum intemperies fouetur à multitudine crudorum humorum, ij præparentur & purgentur. Igitur in victus ratione cibi coctu faciles sunt offerẽdi, & boni nutrimenti. Hinc panis cum vino rectè assumitur. Alimenta autem medicamentosa sint, vt paulò antè diximus. Quare apium, nasturtium, mentha, saluia, semen apij, petroselini, anisi, fœniculi, satureia, hyssopus, fœniculus, oreoselinon, origanum, & similia in gallinarum, pullorum, seu perdicum iure decoquantur: eademq; iura condiantur cinnamomo, caryophyllis, zingibere, alijsq; aromatibus huiusmodi. Et prædictæ carnes assæ offerantur. Fugiendus autem est vsus fructuum frigidorum, & piscium. Castaneæ mediocriter assæ iuuant, si non admodum sæpe edantur. Conueniunt & vuæ passæ acidæ. nam dulces obstruunt. Pro potu vtantur vino tenui, & odorifero, quod maximè conuenit huic affectui, quia nutrit, conçoquit, roborat, putredini resistit. Fugiendum otium est. Commendãtur aromata, vt piper longum, nigrum, cinnamomum, zingiber, crocus, galanga maior & minor, cyperus; & alia quæ calida sunt & tenuium partium, conueniunt, quia aperiunt & liberant ab obstructione. Quod ad medicamenta attinet, pro frigiditatis magnitudine, magis minúsve calfacientia vsurpanda sunt. In quem vsum præcipuè

Curatio imbecillitatis à frigiditate.

electarium de vino, seu cyphoidem commendarunt. Conducit & medicamentum compositum ex malorum cotoneorũ succo descriptum in fine sexti libri De sanitate tuenda Conuenit enim tam ijs quibus ventriculus est imbecillus, quàm quib. iecur inualidum existit. Datur & à nostris syr. de absinthio, de fumaria, de bizantijs, de eupatorio. Itemque aromaticum rosaceum datur cum vino albo, diagalanga, dianisum, diacinnamomum, diarhadon abbatis, diacalamintha. Bibitur & decoctum cinnamomi, anisi, origani, hyssopi. Si tractu temporis ob frigidam intemperiem humor pituitosus sanguini permixtus, in viscere putrescat, retineaturq; in ipso iocinore, conuenit ei repurgando agaricus adiectis myrobolanis Kebulis. Præterea materia hic valet quę penetrat angustias venarum, vt cyperus, schœnanthum, crocus, iris florentię, marrubium, absinthium. Valent & quæ leniunt, concoquunt, vt passulæ, ficus, vinum granatorum dulcium, vinum dulce quod terget, rosa, spica, quæ præseruat à putredine, cinnamomum, cassia lignea, quæ siccat, rasura eboris, cornu cerui, spodium, quæ à proprietate iuuãt: vt rhabarbarum, quod anima hepatis dicitur. Contra virulẽtam materiam cinnamomum primas tenet, deinde cassia lignea, & aromatum omne genus. Diacurcumæ & dialaccæ portio roborat hepar. Item trochisci de rhab. de rosis, de eupatorio. Extrinsecus illitiones faciendæ sunt ex oleo chamæmelino, sampsuchino, nardino, de absinthio, vel vnguento ex succo eupatorij, marrubij, fumariæ. Item ex fœnugræci farina, hordeacea, seminis lini, lupinorum, admouenda cataplasmata. Nec minus & epithemata: vt quod Recipit seminum anisi, fœniculi, ameos ʒj ß. cinnamomi, caryophyllorum, iunci odorati ana ʒj. decoquantur in ℔. j. aquæ, ad medietatem: colaturæ adde liquorum stillatitiorum, absinthij & eupatorij ana ʒij. specierum diacinnamomi, diagalangæ ana ʒj. cassuthæ ℈ ij. aceti ʒiij. cõmixtis omnibus fiat epithema. Si humida est intemperies, victus ratione siccante vtendum est: carnibus volucrium assis, vino tenui, ijs quæ sudorem mouent, laconico, balneis sua sponte prouenientibus. Parũ in vniuersum bibant, ac comedant. Pisces & fructus vitandi sunt. In humiditate hepatis & ventris, vehementer

Curatio imbecillitatis hepatis ab humida intemperie.

menter laudatur caro cochlearum. Assumuntur & syrupus de absinthio, dialacca, diacurcuma: decoctum eupatorij, anisi, cinnamomi, fœniculi. Extrinsecus verò quæ exiccant citra insignem calorem, adhibenda sunt. Immodica siquidem humiditas vires dissoluit, quomodo vincula & neruacea corpora humore imbuta dissolui solent. Et quamuis in ventriculo & hepate est astringendū, minùs tamen astringentia postulat hepar. Oleis de absinthio & nardino discutientia & resiccantia incoquantur. Intemperies ficca si altas radices non iecit, cibis curatur humectantibus, balneis aquarum dulcium, inunctionibus, & alijs quę humectant, quibus semper astringentia addantur. Alimenta sint lac, butyrum, vitelli ouorum, succus carnis, vinū, lac amygdalarum dulcium, seminum frigidorum maiorum, ptisana parata cum iure carnis vituli, vel porcelli, carnes testudinum semicoctarum. Regantur ægri, vt qui febre hectica, vel intemperie sicca ventriculi laborant. Potus lactis vaccę, vel muliebris erit ex vsu. In omnibus causis conueniunt quæ à proprietate occulta faciunt, vt lupinū iecur ʒj. pondere. Cochlearū carnes teruntur, & bibendæ dantur. Sunt enim salubres tota sua substantia, intemperiei hepatis tum calidæ, tum frigidæ, ablato limacum lentore multis lotionibus, & frictionibus in lixiuio calido, vel aqua calida sali aut arenis mista. frigida enim durescunt. Aqua etiam ex limacibus destillata, manè ad vncias sex sumpta, hepar imbecillum roborat, & Phthisicis gracilibusque est remedio. Si facultas hepatis coctrix est imbecille, salubria sunt calida humida. Si retentrix, sicca. Sed quia vna naturali facultate imbecilla, reliquæ debiles esse consueuerunt, ob id medicamentum compositum omnes roborare debet: quale est electarium trium santalorum, syrupus de eupatorio vero, syrupus de absinthio.

Curatio imbecillitatis ab intemperie sicca.

De Hepatis obstructione. Cap. XXIIII.

Obstrvctio familiaris est iocinori, propterea quòd vena porta in capillares & tenuissimos ramos per cauam hepatis substantiam disseminata est: Qui rami committuntur alijs non minùs tenuibus à caua ortis,

atq; in gibba parte distributis, ac propter angustiam eiusmodi obstructio facilè consequitur. Præterea cum hepar sit officina sanguinis, ob copiam permeantis substantiæ, crebrò viscus obstructione corripitur. Obstructio est constrictio seu coartatio venarum seu foraminũ pororúmve qui in hepate sunt. Vel est obstructio, læsio seu amissio cauitatũ iocinoris ex infarctu substantiæ, vt ex causis intelligetur. Et cùm sint tot numero cauitates, quot sunt arteriæ & venæ, eisdẽ partibus tot obstructiones generantur. Neque necesse est in eadem visceris substantia meatus seu cauitates ratione tantùm contemplabiles obstrui, & vt iecur propria substantia quæ parenchyma est, lædatur: sed in extremis iam dictis vasorum partibus obstructio fieri consueuit. Afficitur itaque iecur in hac affectione non vt similaris pars, sed vt instrumentum, secundum prædictas venas scilicet & arterias, per quas fit alimenti distributio, quæ ἀνάδοσις appellatur: non secundum parenchyma, vt Arabes voluerunt, vbi nullæ viæ sunt sensibiles, vt obstrui possint, quamuis spatia ratione contemplabilia concedamus, quæ obstructa non dicentur. Obstructio verò morbus est organicus ad formam seu figuram partis organicæ corruptam pertinens, amissis meatibus vel cauitatibus parti alicubi debitis: & hanc symptomata alia consequuntur, maximè transpirationis retentio, atque rursum putredo aliorum morborum causa antecedens. Meatuum angustia nonnullis est à generatione, & ex omni leui occasione in illis hepatis obstructio fit. Obstructionis causę sunt, succorum abundantia, vel vitiosa qualitas, quòd hi vel nimiùm crassi, vel lenti sunt. Tales interdum è cerebro procumbũt in ventriculum, qui deinde præterfluentes sensim in tenues iecoris venas cum alimento penetrant, easque obstruunt. Ferè tamen ex alimentis crassis, viscidis, multisque obstructio oritur, cùm aut balneo, aut motu vehementiori mox à cibo in tenues vias aut rapiuntur, aut impelluntur. Nonnunquam & bilis flaua in iecore præter naturam diutiùs coercita, nec tempestiuè expurgata, mirè crassescit, grauesque & admodum periculosas obstructiones inducit, vt quæ etiam in cysti fellis lapidescat. Fit & quandoque obstructio à flatuoso spiritu ibi concluso,

Obstructio hepatis quid.

Pars affecta.

Affectus quis præter naturam.

Causa.

cui

cui non pateat exitus: seu à flatibus nebulosis, & coctu difficilibus. Sæpe etiam crudus humor in primis venis colligitur, qui calore hepatis attractus obstructiones patit. Vnde & aliquando lenta febris, morbus Regius, inflammatio, atrophia, calor præter naturam: sine quò rarò fit obstructio, nisi sit scirrhus. Crassiora alimēta prima mensa assumpta etiam in causa sunt, succedentibus calidis & tenuium partium alijs. Nam ex his crudus humor rapitur in venas: sicuti plerunq; accidit medicamentorum aperientium vsu, ventriculo crudis humoribus referto. Antecedūt otium, vsus ciborum astringentium & crassæ substantiæ, retentio menstruorum, aut hæmorrhoidum. Et qui venas habent astrictiores, vt frigidi temperie, plus obnoxij sunt obstructionibus, tam ob venarum angustiam, quàm ob copiam pituitæ crassæ & lentæ. Hepar verò dignoscitur *Signa.* obstructione laborare, tum ex dolore cum positu, tum ex qualitate prædicti doloris. In dextro enim hypochondrio dolor sentitur grauatiuus citra febrem quandoque, aut dolor lancinans. Aliquando tensio, vel tumor in dicto hypochondrio deprehenditur, facies malè colorata est, flaua scilicet existens aut pallida (eo quòd partes distantes priuentur alimento conuenienti,) squalor cutis, pulsus inæqualis & frequens, spiratio difficilis, calidius corpus. Aluus, si sima pars iocinoris obstructionem sustinet, liquida est cremoris specie, interdum etiam (vt quidam voluerunt) subcruenta. Eadem, si gibbum visceris laborat, compressa, siccaque. Si vtrinque vitium est, aluus modò astricta, modò liquida. Si est à flatu obstructio, non solùm grauitatis sensus adest, sed & distensionis. Si acria sunt & multa quæ in cibo sumuntur, dolor ex obstructione vehementior fit, quum obturata corpora simul & tensionem perferant, & pungantur. Qui obstructione dicta laborāt, ex motu post cibum molestantur valde, ac dolent vehementiùs, nec tamen à dolore facilè leuantur. eo quod humores atque vapores ab alimentis eò delati, non possunt ita liberè iecoris substantiam subire per ductus conuenientes propter eorum angustiam. Accedit pondus ventris. Inualidi reddūtur ad exercitationem, & respiratio fit difficilis, com- *Prognostica.* presso septo transuerso. Vrina eorum decolorata. Omnis

Prognostica.

obstructio inueterata non tantùm in hepate, sed quauis alia parte, putredinem succorum diductionem impedientium adfert, febremque accendit. Quare celerrimè curari debet. Citiùs ac breui tempore in frigidis intemperaturis sequitur. In calidis temporis progressu magis, si ex vitiosis humoribus contingat. Aqua etiam intercus fit, cùm ex crassis & lentis humoribus vasa primò infrigidantur, demum ipsa iecoris substàtia propria, ad quam perpetuò hydrops sequitur, & totius corporis extenuatio, ex cuius diuturnitate fit atrophia. Multos hoc malum grauésq; casus infert. Ferè qui morbus iocinoris causa incidit, siue inflammatio, siue durus sine dolore tumor, siue hydrops, siue febris, vel atrophia, vel fluxio est, is fieri prægressis huius visceris obstructionib. videtur. Iuxta id quidam: fluxio alui, Iliaca passio, colicus dolor, icterus, frigidi humores dum

Curatio.

diu in iecoris vasis continentur, demum eius propriã substantiam infrigidant, vnde hydrops. Obstructionis curandæ indicatio prima petitur à contrario, nempe ab apertione, vel in alijs, à flatus discussione. quanuis redundante humore flatum discutientia sequi debeant eorundem purgationem. Causæ igitur salubres sunt abstergentia, nec non incidentia medicamenta, quorum cõfidenter vsus sit. Eodem spectat victus ratio, de qua priori loco, vt cœpimus.

Victus ratio.

Aër ad calidum vergat. Somno vtantur moderato ac nocturno potiùs, quàm diurno. Conferunt & modicæ vigiliæ. Quies vitetur. Exercitatio enim maximè idonea est: quæ etiam medicamentis præponitur. Alui excrementa natura vel arte, id est clysteribus leuibus, vacuentur quotidie: animique affectus immodici vitentur. Cibi sint calidiores, & qui aperiendi facultatem habeant: vt cappares, asparagi, fœniculum, porrum cum oxymelite. Carnes gustentur pullorum, gallinarum, perdicum, aliarumq; auiũ, quæ cum fœniculo, hyssopo, oreoselino, satureia, pulegio, apio, sampsucho, cichorio, intybo, bipinella decoquantur. Nec spernenda est ptisana, præsertim vbi ad calidum vergunt crassi succi. Conueniunt & prædictæ carnes elixæ cum ciceribus & asparagis, berula, foliis raphani. Vinũ vetus & tenue vtile est pro potu: vinum (inquam) albũ, aut rufum, nõ nigrum, nec dulce, nec austerũ. Reliqui aquam cinnamomi

cinnamomi bibant, aut aquam fœniculi. Vitabunt autem carnes bubulas, porcum, aues paluſtres, piſces natura magnos, polypum, & ex leguminibus lentem, oryzam, panem azymum, fructus acerbos, pyra quædam, mala cotonea, ſorba, corna, palmulas. Deniq; vitabunt craſſa, lenta, multa alimenta, motum, balneum, ſtudium, ſomnũ mox à cibo, aut poſt cruditates. In curatione autẽ per medicamenta aduertere oportet, aperientium vſum ſuſpectũ eſſe ante purgatum ventriculum & meſenteriũ, per caſſiam, vel hieram, vel pilulas elephanginas, licet celerrimus attenuantium & obſtructiones ſoluentiũ requiritur vſus. Quæ autẽ citra moleſtiã & præclarè obſtructiones ſoluunt, hæc ſunt: lupinum iecur, plantaginis radix & ſemen, hyſſopus, calamentum, pulegium, polium, origanum, fumaria, eupatorium, chamæmelum, radix acori, dracunculi, aſarum, aniſum, apium, petroſelinum, abſinthiũ, caſſia, iris, glycyrriza, rhaponticum, lupini, cappares, caſſutha, amygdalæ amaræ, ſpica nardi, ſtœchas, gẽtiana, ſcolopẽdria, rubea tinctorũ, chamædrys, centaurium, adianthum, halicacabus, intyba vtraq;, aſparagus, fœniculus, ruſcus: & plura alia. Ex quib. varia componuntur medicamenta, additis ſyrupis ex ſucco cichorij, aut endiuiæ, aut ſyrupo acetoſo, ſeu acido. Si ſucci ſint frigidiores, mel roſatum, ſyrupus ex abſinthio, de marrubio, de bizantijs, de quinque radicibus, de eupatorio, de calamento, capillorum veneris, oxymel tum ſimplex tum compoſitum ac etiam ſcillinum. Hora verò accommodatior ad eorundem medicamentorum vſum eſt, iam coctis cibis in ventre atque diductis. Valet & in eum vſum acetum mulſum, aqua mulſa ex apij decocto. Dantur & paſtilli ex tribus generibus ſantalorum, diarrhodon abbatis, interdum trochiſci de eupatorio, de rhabarbaro, de abſinthio, dialacca. Et ſi craſſiores glutinoſoréſque ſint humores, ex quibus orta eſt obſtructio, præſertim in hepatis gibbo, validiora medicamenta tribuenda ſunt. Topica quanuis ſuperiori capite explicata ſint abundè, vnguenta tamen dicemus confici ex oleo anethino, abſinthij, & ſucco eupatorij, vel endiuiæ, vel graminis, vel apij. bulliant ad conſumptionem dicti ſucci, & reſiduo addatur cæra. Quoniam verò

Medendi ratio.

non satis esse potest tenuantium ciborum ac medicamentorum ingestio, vbi multæ sunt hepatis obstructiones, sed & euacuatio necessaria est, præcipuè vbi morbus in vetustatem inciderit, etiam venæ sectio, purgatioq; adhibenda est, si nihil prohibet. Igitur fit venæ sectio, præsertim humoribus ad calidũ vergentibus, & potissimùm vbi eadem obstructio adhuc quoque fiat: ex interna (inquam) dextri cubiti vena. Nam ita curabitur quod obstructionis iam factum est, propulsabitur quod futurum est: quoniam defluxum obstruentium humorum per eam inhibebis. Vel si eadem inueterata sit, putredinem ac febrem arcebit. Alij tradunt venæ sectionem conferre omni magnæ obstructioni hepatis: præsertim gibbæ partis, præcipuè si à sanguine est, aut etiam pituita cum sanguine sit mista, aut sola. Cùm enim materias exagitet sanguinis missio, obstructioni hepatis etiam à pituita confert. Tamen si cruditas est in primis venis, vena minimè secanda videtur. Porrò purgatio quomodo facienda sit, tum formatio seu figura, tum situs visceris indicabit: per quæ scilicet loca eam facere conuenit. Nam quæ in simis sunt partibus iecoris excrementa, ad intestinum: quæ in gibbis, per venas euacuabimus. Quanquam eadem gibba si multo succo vitioso sint referta, per deiectiones & pharmaca cathartica expurgari debent. Si verò mediocri, per vrinarios meatus. Nam non nisi vacuata priùs multitudine, medicamentis quæ obstructiones expediant, vtendum erit, neque ad detergendas obstructiones accedendum, ne magis impingantur. Cùm igitur medicamento opus erit, purgatio fiat ex rhabarbaro, & agarico. Purgat enim agaricus iecur à crassorum humorum obstructione. Dantur & catapotia ex ijsdem. Et si maiores fuerint obstructiones, catapotia ex agarico, & aggregatiuis propinentur: nec non diaphœnicon, electarium indum, & consimilia. Postea ad obstructiones redeundum, & ad Topica superiori capite aduersus intemperiem frigidam recitata. Flatu distendente iecur, cum his quæ deobstruunt, miscebimus anisum, carũ, cuminum. Superponemus dextro hypochondrio, & medio ventri supra vmbilicum: (id spatium occupat iecur) oleum ex absinthio, anethinum, nardinũ, cum puluere anisi, & cumini.

& cumini. Purgatio ex hiera picra confert fœdis coloribus virginum. Pernicioſum verò eſt, quòd quidam chalybem ſeu ſtomoma in aceto tritum, & ſole arefactum, in potu præbent fœminis obſtructionem patientibus ex menſium retentione.

De Hepatis inflammatione.

CAPVT XXV.

HEPATICOS diximus paulo ante veteribus appellatos fuiſſe, qui inflammationem iocinoris paterentur. Quomodo Pleuritici & Peripneumonici lateris & pulmonis inflammationem perpetientes dicti ſunt. Quæ diuerſa eſt ſignificatio ab ea quæ vſitata eſt magis noſtris temporibus: & iuxta quam hepatici dicuntur, qui iocinoris imbecillitate laborant. Inflammatio autem quid ſit, dictum eſt ſæpius alijs locis. Et iecoris inflãmatio non aliter quàm aliarum partium gigni conſueuit. Communis enim phlegmonarum generatio eſt ex ſanguinis influxu copioſioris, quàm pars poſtulat. Sanguis enim primò vaſa maiora diſtendit, vtpote continendæ abundantiæ non ſufficientia, & deinceps minora, mox foras exudat in ſpatia inania, quæ inter vaſa ſunt, vt omnia quæ in carne ſunt loca, occupet. Imò in carnem ipſam ſeu parenchyma ſanguis ex refertis vaſis halitus ſpecie exudans, inflammationẽ gignit. Hepar enim ob id quòd multo ſanguine abundat & illo nutritur, multas & magnas venas habet, per quas magnũ ſanguinis fluxum, vel potiùs refluxum patitur. Ob id aptũ eſt ad inflammationes ſuſcipiendas. Sanguis autem qui inflammationem committit, influit quandoque ab alijs partibus: aliquando particula hũc ad ſe trahit: vtpote cùm morboſo calore & dolore excruciatur. Partes quæ mittũt, aut copia, aut qualitate, aut vtraque moleſtatæ tranſmittunt. Pars igitur affecta eſt iecur, vt dignoſcitur ex dolore cum poſitu, quando in dextro latere ad nothas coſtas dolor, à laborantibus percipitur, & cùm magnam trahunt ſpirationem, vehementiùs excruciat. Affectus autẽ quiſnam ſit inflammatio, iam ſæpius inculcatum eſt antea. Oritur hæc in iecore, quia ſanguis exuperantia, vel tenuitate

Hepatici qui.

Pars affecta.

Cauſa.

& acrimonia, vel externarum causarum impulsu, è venis immoderatiùs protumpens, in visceris corpus immoderatiùs secessit; tum extra propria vasa putrescit, inflammatur, simulque imbutam carnosam substantiam labefactat, atque corrumpit, ac primùm sanguis in putridam saniem vertitur, tumque inflammatio est. Sanies deinde caloris nativi beneficio in pus abit. Ipsa puris collectio abscessus dicitur. Erumpente pure vlcus interdum fit cauum ac sordidum. Hac mutationis serie diuersa nomina, ac proinde varias curandi leges sortita est. Sanguis autem qui cõfluit, aut solus est, aut cum bile, aut pituita. A sola etiam bile erysipelas fieri potest. OEdema autem non generatur in iecore, neque in thoracis partibus. Fit etiam dolor hepatis propter spiritum flatuosum, sed absque febri. Causæ externæ sunt nimius calor ex immodico motu, aut ex solo igne acquisitus, aut acre medicamentum, aut nimius potus vel cibus calefaciens, percussio, & torsio. Antecedentes intemperies calida, malos humores attrahens; intemperies frigida alteratricem & expultricem debilitans, vnde tumores fieri possunt. Item obstructio, ex qua humores retinentur. Dolor materiam ad iecur attrahens, iecoris imbecillitas. *Signa.* Notæ verò hæ sunt inflammationis, febris acuta & ardens, maximè si inflammatio est erysipelatis particeps: eaque febris plerumque ad vesperam & noctem exacerbatur. Dextro hypochondrio dolor est cum grauitate, qui ad nothas eius lateris costas peruenit, quandoq; ad iugulum vsque extenditur: quia hepar ob pondus tendit diaphragma, vnde membrana succingens costas diuellitur. Alij ad venæ cauæ potiùs, quàm membranarum tensionem referunt, præsertim in magnis ac duris iecoris inflammationibus. Dolent circa hepar quibus eo loco tuberculum est, quo maximè tempore colligitur suppuratio. Tussis exigua, per quam nihil effatu dignum excernitur: crebra & difficilis respiratio, sitis magna, cibique fastidium, lingua arida, & cuius color in primis quidem ruber, deinde verò niger est; frequens singultus, nausea, vomitus synceræ bilis, tum vitellinæ, tum æruginosæ, & sub vehementi morbo, ipsius etiam atræ. In caua consensus est cum ventriculo. In gibba maior consensus est cum corde ac thorace:

vnde

Vnde notharum costarum dolor similis pleuritidi qui ad iugulum quoque interdum peruenit: tussis inanis, spiratio difficilis, tumor durus ac dolens, & hypochondrij inæqualitas. Dura est deiectio, nisi ob iecoris imbecillitatem liquida descendat: eodem non trahente succum, vel ipsum non deducente ad perfectionem. Quandoque humor ita violenter subinde per aluum erumpit, vt graue eius profluuium, aut tormina concitet. Excrementa alui robusto adhuc viscere sicca & exusta sunt, ἀπεπτα ὑδη, eodem infirmo liquida & chylosa, quando non trahit è ventriculo, aut fœtida, nigra, corrupta, porracea, cruenta, quando per resolutionem caloris natiui, neque sanguinem probè conficit, & qui confectus est febrili incendio ac mora mirandum in modum corrumpit: vrina crassa est, rubicunda, ac turbida, passea, subuiridis: totum corpus sæpe auriginis colore imbuitur. Quidam vrgente accessione deripiunt, simulque acerrimum meiunt. Cùm tendit inflammatio ad suppurationem, pro dolore pondus magis, quàm antea grauat, & rigor superuenit, & febris maior, & sitis ac difficilior respiratio. Fit autem phlegmone aut in simis, aut in gibbis partibus: quamuis fieri nequeat si altera ex ipsis partibus afficitur, quin reliqua consentiat ob venarum communionem, vel propter partium continuitatem. Si gibbum visceris afficitur, tumor est euidens, qui iniecta manu & interdum visu deprehenditur: nisi æger fuerit valde carnosus, aut laborare hydrope incipiat, aut parua aut dura sit inflammatio. Dextro hypochondrio vbi iecur situm est, dolor inhæresci: mox etiam frequêtior tussis, maiorq; oritur spirandi difficultas, nec dolor solas costas notbas perstringit, verùm & ad iugulum, & ad eiusdem partis humerum peruenit. Interdum manus quoque dextra torquetur, ad hæc grauitas in affecto loco maior est. Parum vrinæ meijtur: atque cùm grandior est tumor, etiam nihil. Rarior minorque incidit singultus, molestus in latus dextrum decubitus, premitur enim pars infirma, magisque dolet. Vbi verò cauitas afficitur, apparent magis symptomata, quæ consensu ventriculi fiunt, vti nausea, vomitus, bilis, sitis, maiora reliquis erunt: ipseque homo penè singultu strãgulatur. Magis etiam si in sinistram

partem decumbit aliquis, vrgetur: nec promptè inflammati iecoris tumor tactui obuius est. Inflammatio autem si est in musculis & inter cutem, cognoscitur tactu ob tumorem: visu, quia calida rubescit, frigida sine febre est, vel dura, vel laxa. In medio ventre retinet figuram musculorum, tumor externus maior, dolor acerbior. De his alij sic: Expedit inflammationes iecoris ab his quæ in musculis abdominis fiunt interstinguere. Non paucis enim medicis imposuerunt duri tumores in ventris musculis facti, ac si internis sedibus fierent. Quæ igitur inflammationes in iecore consistunt, ad circumscriptam magnitudinẽ fiunt. Musculorum autẽ prorogatæ sunt, & in angustũ vergunt, veluti & ipsa musculorum figura. Quorum hepar suppurat, si pus purum & album fluxerit, euadunt. Nam in tunica his pus continetur. Pus si quidem intra tunicas conineatur, nihil patiente substantia hepatis vtiliter vacuari potest. Sin ad carnem vsque hepatis corruptio peruenerit ex incocta putredine, fæci olei pus simile exit quod planè lethale est. Si verò qualis amurca fluat, intereunt. Tunc enim hepatis substantia corrupta est. Si hepatis morbus in morbum lienis permutetur, bono est; malo, si contrarium eueniat. Conuexæ partes patientes, hæmorrhagia è nare dextra, sudoribus, copiosis vrinis sanantur. Cauæ liberantur deiectionibus, excrementis biliosis, sudoribus, nõnunquam & vomitibus. In hepatis inflammatione singultus, malum. Is autem iocinoris inflammationem comitatur sæpius, maximè quando ea in magnitudinem attollitur, atque efferuescit: in quo feruore stomachus ad cõsensum trahitur nonnunquam propter neruorum communicationem. Quare tum solùm compassio est stomacho cum hepate, quando maxima & pessima fuerit inflammatio. Nonnunquam etiam bile calida & multa in hisce visceris inflammationibus genita ac confluente ad intestinorum principium, atque ad ventriculum recurrente, contingit os eius morderi, atque singultire. Si inflammationem vehemens atque acuta febris comitetur, malum quoque est. Nam valenter viscus esse inflammatum ostendit. Quemadmodum si eadem febris exigua & non acuta fuerit, minus malum portendit: quia exiguam inflammationem

Prognostica.

esse

esse significat, propterea quòd inflammationis magnitudinem perpetuò febris consequitur ex proportione. Si eadem febris acutissima vehementissimaque fuerit, ac vehementissima sitis laborantes excruciet, pessimum erit indicium: quoniam inflammationem erysipelatis participem, atque ipsummet erysipelas in iocinore ortum significabit: quæ febres magna ex parte in tabem transmutantur. Si in calido & sicco corpore fit inflāmatio iecoris, potissimùm si notatu digna fuerit, citò æger morietur: propterea quòd imbecillis sit viribus: atque ijs vt pleuriticis, peripneumonicis, & synanchicis vera salus est virium robur. Interdum tamen leuis est paruaque inflammatio, vt dolor, grauitas, totúsque morbus magna potiùs respiratione, quam tactu dignosci debeat. Omnia sub hoc casu mitiora sunt. In quauis iocinoris inflammatione, si crudo etiam morbo & viribus infirmis alui profluuium oritur, malum est. Inimica etiam corporis liquatio, præcipuè si multa vel raucitas, vel simul multa tussis accedunt. Mortiferum est sanguinem excreari, vel sputum statim subputridum, vel syncere biliosum esse. Vbi morbus nō soluitur, suppurat haud rarò, oriturq; absessus prorsus exitialis. Is vbi iam fieri incipit, vt iam dictum est, febres increscunt & dolores, nihilque ferè de loco defluit. Decubitus in omnē partem molestus est. Ipse æger sæpe sine ordine, sine certa causa inhorrescit, moxque maioribus caloribus vrgetur. Facto pure dolores ardoréque minuuntur. At homo longè fit imbecillior: id quod pulsu frequenti languido, crebraq; animi defectione cognoscitur. Hęc defectio vbi rupto absessu pus effluit, increbrescit, ac penè in syncopem transit: ex quo casu vix vnquam quisquam sanatus est. Quòd si vita tum quoque manet, pus modò per aluum, modò per vrinas defluit, & interdum vomitione redditur. Nō sæpe etiam exeso viscere in abdominis cauum excidit spatium, fitq; exitialis hydrops, quo venter manifestè intumescit: & inguina pubésque multam grauitatem habēt. Vlcus si in iocinore relinquitur, nunquam sanescit, hominemq; spatio extenuatum consumit, tum aluus putrida est, sanioſa, nonnunquam cruenta, ac si ex cadauere facta esset colliquatio. Ipsa quoque vrina sanie perfusa est, maximè si in gibbis iocinoris

Victus ratio.

vitium fuit. Sed his prætermissis, victus in primis exquisitus esse debet, æquè ac si ventriculus laboret: quandoquidem hic eius visceris toti corpori commune est, accedítque omnibus animalis partibus maximum incommodum, vbi non probè coctum sit alimentum, siue non in sanguinem ritè conuersum: victus inquam exquisitus (maximè si erysipelas sit) & tenuis ac refrigerans, sanguinemq; ad fluendum inepriorem reddens. Quare aër sit frigidus natura, vel industria. Sit fuga vini, carnium, ouorum sanguinem augentium & calefacientium. Conuenit ptisana, cum qua apium decoctum fit. Ius pulli gallinacei, in quo petroselinon decoctum sit, quòd modicè vrinam mouet, si in gibbo est inflammatio. Cibi eligantur qui tenui sunt substantia, recrementorum ac mordacis qualitatis expertes, sed tamen citra morsum detergant, vt ptisana dicta, vel eius cremor: qui vim habet aperiendi & abstergendi, præterquam quòd non calefacit. Eadem ptisana in gallinaceorum iure viribus prorsus exiftentibus imbecillis datur. Similiter phasianorum, columbarum iuuenum, perdicum, turdorum, merularum, ac aliarum auium paruarum carnes gustare poterunt, eásque contusas, si vires exigent. Olera in eatum iure decocta interim assumantur: præsertim vbi inflammatio recens fuerit, & erysipelatodes, vt intybum, cichorium, senecio, sonchus, quæ vim habent detergendi, & digestionis vias ab obturatione vindicandi, cum leui refrigeratione & obstructione. Nam quæ vehementer refrigerant & astringunt, cauenda, præcipuè si in cauo iecoris consistant quia arctant os meatus bilis, ac bilem ipsam excerni prohibent. Obid malum punicum non conuenit. Potus sit aqua hordei, aqua cichorij, decoctum radicis glycyrrizæ. Ius pulli elixum cum endiuia, amygdalatum, ius pulli cum ciceribus. Vinum pro potu vitandum, vt inflammationi inimicum.

Medendi methodus.

Inchoanda verò curatio est à reuellentibus materiam fluere paratam, & malum aucturam: vt secta interna vena, vel communi, misso sanguine pro virium constantia, morbi causa, magnitudine, natura, tempore anni, regione, consuetudine. Illis verò non apparentibus secanda humeralis. Quidam vtiliter secuerunt eam quæ in medio est annularis & minimi digiti dextræ ma-

xuræ manus (ex hac tamen parum sanguinis effluit) vbi alia præcessisset, aut non esset magna sanguinis redundantia, aut vires non constarent. Et si vires ferre queunt, semel quantum satis, est detrahendum; si verò non, per vices partiendum. Venæ sectio prima ac secunda die fœliciùs fit, si dolores vrgeant. Si vires adsint, etiam septima venæ incisionem facies. Ligaturæ, frictiones item ex vsu erunt. Sequenti die à sectione venæ, cucurbitulæ cum scarificatione dextro hypochondrio affigendæ, rursumque post vnum diem apponendæ. Non pauci enim à secunda earum adhibitione opem senserunt magis, quàm à priore. Postea verò & iam inclinato morbo similiter applicari possunt, vt reliquiæ vacuentur. Deinde repellentia materiam ad hepar fluentem & fluxuram prohibentia semper sunt admouenda, astrictis poris & meatibus angustis. Sed illa sint mitiora: ne vijs hepatis contractis obstructionem in eo excites, & ne immoderatiùs refrigerando, ex phlegmone scirrhum efficias, ac ne saniem resudantem vacuari prohibeas, & in hepar regeras: ne denique bilem flauam ita compingas, & meatus χοληδόχους ita contrahas, vt bilis in folliculum fellis recipi nequeat. Sint itaque clementer frigida & styptica: quibus misceantur, quæ modicè aperiunt & tergent. Sumantur per os syrupus rosatus, ex hepatica, ex eupatorio, ex succo oxalidis, citoniorum, cum aqua solani, intybi, oxalidis, foliorum & radicum plantaginis, quę refrigerat, siccat, astringit, sanguinis profluuia cohibet, & si quid aduritur, refrigerat. Additur & aqua cichorij, scariolæ, acetosæ, adianthi albi, quæ aperiunt, & tergent. Sanguine pituitoso existente sumendum mel rosatum, cum syrupo rosato, & aqua absinthij: admouendaq; sunt cum dictis frigidis calida, absinthium, schœnanthum, mastiche. Demum ad Topica confugiendum quibus vacuetur, quod in obsessa parte continetur. neque ea conueniunt, nisi libero ab excrementis corpore. Ac neq; libera sint hæc in totum ab astringẽtibus, quòd tonus partis perpetuò seruãdus sit. Quo fit, vt eo etiam tempore quo quicquam ampliùs non influit, nec repelli quod in laborante particula continetur possit, adhuc mixtæ facultatis

esse debeant medicamenta. Nam coëuntibus vnà contrarijs indicationibus, compositum quoque medicamentum esse oportet. Fiat itaq; illinitio in hepatis regione ex oleo rosato, lentiscino, melino, & procedente tempore cũ oleo anethino, absinthite, mastichino, amygdalarum dulcium, chamæmelino. Fotus etiam fiant ex aqua rosarum, plantaginis, solani cum linteo. Sacculi item parentur ex tribus santalis, malicorio, balaustijs, rosis tritis, additis camphoræ gr. iiij. vel vj. si valentiori remedio opus est: vel ex absinthio, mastiche, schœnantho. fit & cataplasma ex farina hordeacea, fœnugræci, seminis lini cum palmulis, malis cotoneis, meliloti flore, absinthio, pauco aceto, vel vino albo addito. Et epithema ex rosarum rubrarum foliis, plantaginis, endiuiæ, floribus chamæmeli, meliloti, anethi, absinthij, decoctis in aqua pluuiali, addito succo cichorij, & aceto. Progressu temporis si in gibba visceris parte phlegmone consistat, vbi phlegmone iam concoquitur, nedũ eis quæ vrinas mouent, sed & valentioribus vti licet, asaro, nardo, phu, petroselino, meo, oxymelite simplici, syrupo de duabus & quinque radicibus. A leuioribus enim diureticis ad fortiora paulatim transeundum, ne materia paulatim concrescat in scirrhum. Et si cauum eiusdem visceris inflammatione afficitur, procedẽte tempore per ventrem vacuare licebit, idque per clysteres, vel medicamenta per os sumenda. Clysteres igitur fiant ex decocto maluarum, betæ, althææ, mercurialis, addito melle rosato, cassia, catholico. Purgans etiam medicamentum tutò datur. Sed vitentur scammoniata, nisi parua admodum quantitate. Cassia igitur, manna, serum lactis caprini, & rhabarbarum infusum, bilem vacuando sunt salubria, quia non trahunt è longinquo, nec materias exagitando ad fluendũ incitãt. Ante diem quartum solutiua pharmaca exhibenda non sunt. Etenim ad illum vsque diem humores in fluxu sunt, qui pharmaco irritati ad fluendum magis incitarentur. Ad eundem diem etiam repellentia ad fluxum cohibendum adhibenda sunt, admixtis tamen pauca quantitate discutientibus, & resoluentibus. Cucurbitulę dextro hypochondrio cum scarificatione affigendæ sunt non semel, sed bis, ter, si opus erit. Tendente in suppurationem inflammatione,

tione, coctio iuuanda cataplasmate ex decocto ficuũ sic-
carum, vel vuarum passarum, althææ, maluæ, seminis fœ-
nugræci cum butyro, oleo amygdalarum dulcium, adipe
gallinæ, anseris. Vel fiat cataplasma ex caricis cum farina
seminis fœnugræci, lini, aut ex farina fœnugræci, radice
althææ elixata, ac malaxata cum stercore columbino, si
rupturam inflammationis cupimus. Stercus etiam capri-
num hanc iuuat. Cùm enim perfecta suppuratio fuerit,
abscessus rupturam adiuuare oportet. (Abscessum quoq;
rumpes motu violento, qualis in saltu, vomitu, tussi, ster-
nutamento.) & post eius ruptionem per eandem viam,
per quam priùs transmutatio contigit, iuuanda natura e-
rit, siue per sedem, siue per vrinam, siue per os transmissio
fiat. Nam apertione facta vlcus tergere & mundificare o-
portet. bibita aqua mulsa, aqua hordei cum saccharo, &
cassia fistula. Et cum cibis miscenda sunt, quæ leuiter iecur
expurgant, & non aliunde trahunt, vt ius pulli cum cassia
fistula, aut agaricus cum iure pulli, cum ciceribus elixi. To-
to tempore clysteribus vtendũ ex decocto hordei & mal-
uarum cum saccharo, aut ex sero lactis cum saccharo &
melle. Ad finem pure expurgato, oleo de absinthio inun-
gimus hypochondrium dextrum, aut nardino cum pul-
uere càryophyllorum, mastiches, aut syrupum de absin-
thio, aut de malis cotoneis, aut decoctum eupatorij cum
spica nardi in potu præbemus: aut decoctum cinnamo-
mi, spicæ, cassiæ, cyperi in vino austero, nisi calor abunde-
atque ita iecur firmamus, & assolidamus. Vlcus etiam glu-
tinamus cum bolo armeno, sigillo lemnio. Si ratione ca-
loris, vel doloris, phlegmone iecoris excitata est, causam
pro curatione auferre oportet.

De Scirrho hepatis. CAP. XXVI.

ΣΚΙΡΡΟΣ, καὶ σκληρὸς simpliciter dictus, nullaque habita ratione humoris à quo gignitur, tumor est præter naturam durus & indolens, qui & σκλήρωμα quandoque appellatur. (Quanquam alij distinguant Scirrhum exquisitum à Scleromate, tanquam altera Scirrhi differẽtia, quòd Scleroma tumor sit non omnino durus, nec pror-

σκίρρος quid. σκλήρωμα.

sus insensibilis.) Sed medici recentiores addiderunt humoris speciem, & definierunt Scirrhum tumorem præter naturam ab humore melancholico, durum, sine vllo doloris sensu. Cùm enim quatuor sint tumorum simplicium genera, à totidem humoribus similaribus prodeuntia, vt sanguis generat phlegmonem; pituita, œdema: flaua bilis, erysipelas: ita Scirrhus ab humore melancholico originem ducere dicendus est. Huiusmodi verò tumori hepatis substantia est opportuna, quia limosa est substantia, seu quoniam limoso sanguine & crasso nutritur hepar. Pars igitur affecta præsertim ex tumore dignoscetur, duro quidem existente, ac nullo dolore prædito, & alijs notis mox declarandis. Affectus verò morbus est in quantitate primò, cùm sit in genere tumorum præter naturam, & secundò in intemperie (est enim frigidus affectus) & tertiò in soluta continuitate, vt in tumoribus præter naturam accidit. Eius causa est quiuis humor crassus & lentus, vt atra bilis gemina, & crassior sicciorque pituita. Durities sequitur horum humorum siccitatem & crassitiem. Doloris autem sensus abest propter crassitiem & lentorem. Vbi enim crassus & lentus humor partis alicuius inania spatia subierit, & neruos, neruosaque corpora repleuerit, viam intercludit spiritui animali, à quo vis omnis sentiendi proficiscitur, gummi instar omnia quibus inciderit spiracula oblinens, atque obturans. Quoniam verò non est in humoribus par siccitas, crassities, & lentor, sed alij alijs sicciores, crassioresque, magisque lenti sunt, idcirco nec tumores ab ijs excitati æquè duri sunt, ac doloris expertes. Itaque Scirrhus alius alio durior, magisq; dolorificus. Et qui planè durus est & sine dolore, is Scirrhus verus est & exquisitus, vt paulò antè dictum est. Qui talis non est, iam alterius naturæ est particeps. Verus fit ab humore melancholico, naturali quidem, & fæcis instar subsidenti in sanguine syncero, nulliusque alterius humoris participe. Altera enim species atræ bilis, quę flauæ bilis naturam refipit, per flauæ bilis admistionem Scirrhum parit dolorificum & cancrosum, quique facilè emollientium vsu irritetur. Sic si portio bilis flauæ remista est, aut sanguinis, aut pituitæ, Scirrhus est erysipelatodes, vel phlegmonodes,

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

nodes, vel œdematodes. Et hæc quidem de Scirrhosis generè dicta sint. Particulatim verò Scirrhus hepatis fit ex contumaci & inueterata obstructione. Humor enim obstructionis author, primùm quidem tenues iecoris venas implet, & infarcit auctus etiam deinde: hinc in omnem visceris substantiam redundat, & eam perinde atque venas obstruit. Quòd si rursum multo plenior est, in amplam molem quandoque distendit, tumq́ue viscus turgidum ac tumens apparet. Tempore humor siccescit, & vi caloris tenui parte dissipata, reliquus totus obdurescit, cuius permistione iecoris substantia labefactatur, verúsque tandem Scirrhus emergit. Nam cùm dura fiant aut resiccatione, aut concretione, aut nimia repletione, aut horum quapiam coniugatione: Scirrhi ex humoris frigidi repletione, simulatq́ue congelati seu concreti à vehementi frigore generantur: propter quam causam aut omnino insensiles sunt, aut exigui sensus participes. Scirrhus (inquam) hepatis fit post longas, diuturnas, atque magnas obstructiones, & post inflammationes, & ob vsum eorum quæ obstruunt & indurant. Quod alij sic explicant: Cùm iecur obstructum est, tenues mittit humores ad alia membra, & in se ipso retinet crassos, quib. dum nutritur, induratur, si vel refrigeretur, vel calefiat, vel siccetur. Frigida inculcant: calida resoluunt quod tenuius est. Sicca item digerunt. Inflammatio idem facit quod obstructio. Præterea vsus nimius frigidorum, & verè repellentium, vel astringentium, Scirrhum generat. Scirrhus etiam sæpe accidit ijs qui vino generoso vtuntur & aro- *Signa.*
matis, quibus efficitur, vt totum iecur lapidis modo indurescat. Scirrhus hepatis dignoscitur, visceris situ & figura circunscriptus, & tangenti renititur, & nisi prematur, doloris omnino expers est. Faciliùs sentitur, si quis in dextrum latus decubuit, quàm si supinus. Tum enim tumor nonnisi pressu deprehenditur. Magis etiam is sese prodit, si nondum est hydropis initium, simulq́ue gracile & expers adipis abdomen est. Facilis est decubitus dextra parte magis, quàm sinistra: quòd moles quædam veluti suffocans in ventriculum & præcordia incumbat. Vultus obscurum fœdumq́ue colorem habet. Spiritus

difficulter trahitur. Languet appetentia. Sumptis epulis homo grauatur: detractis, rectiùs habet. Vbi iam fit vomitus malum, maxillæ quodammodo laxantur: vrina non æquè largiter profluit, vt antè: tandemque totus venter, crura, pedésque intumescunt, pectus atque humeri extenuantur. Aluus aliquando multa & tenuia excernit, propterea quòd coarctata sunt ora vasorum, per quæ ex simis partibus hepatis ad gibbas alimenti fit transumptio. Verùm nunquid à crasso & glutinoso humore ac pituitoso originem ducat, aut ex ea nigra bile, quæ fæx sanguinis existit, differens ab ea quæ propriè atra bilis nuncupatur, à qua non scirrhosi tumores, sed cancri potiùs gignuntur, ex colore præter naturam interstingues: ex colore (inquam) vniuersi corporis. Nam si ex nigra bile ortus est, color totius corporis ad nigrius declinabit. Si ex crassa lentaq; pituita, ad albedinem. Aliquando plumbi colorem referunt. Pro redundante enim humore in iecore, nil mirum corporis colorem vitiari, cùm princeps sit viscus toti corpori alimenti naturam suppeditans. Ætas etiam, temperamentum, regio, anni tempus, præcedénsque victus ratio confirmabunt. Et inter Scirrhos, illum causæ antecesserunt quæ crassum succum, & melancholicum, vel pituitosum coaceruant: hunc verò, quæ bilioſum. In illo dominantis pituitæ, refrigeratiq; iecoris: in hoc bilis exuperantis, concalefactique iecoris signa elucent. Hic ferè Ictero succedit, si lentam febrem comitem habet, & hic in Ascitem præcipitat: ille citra incommodum persistit, aut cachexiã leucophlegmatiamq; infert. Scirrhus hepatis à simplici tumore distat, quòd ille nonnisi longo dierum numero, simplex verò tumor breui etiam procreetur. Ex quacunque causa in itinere orti sunt Scirrhi, omnino sine sensu persistentes, omninoq; insanabiles sunt, velut & in cæteris partibus: quanquam & sensibiles ægrè curentur. Et Scirrhi ad plures dies protracti non sanantur: quia tam vehemens medicamentum quod affectus efflagitat, iecur ferre non potest, vt cuius vehementia partis robur vniuersо corpori necessarium maximè soluat. Omnibus enim his ex necessitate succedit aqua Intercus. Pereunt plurimi longo tempore: quidam breui, qui ventris profluuio laborant. Scirrho hydrops vbi ac-

Prognostica.

vbi accesserit, nulla ægrum medicina periculo subtrahit. Atque horrendum est durum iocinoris tumorem aurigini initia præbuisse: aut vicissim hanc ex illo esse cœpisse. Quũ igitur frigidus humor iocinori impactus est, ex quo Scirrhus ortus est, is ferè nullo vitæ incommodo diu immoratur, aut certè, si in hydropem vertitur, primùm in cachexiam, dein in leucophlegmatiam transit. Scirrhus enim nondum omnino factus potest curari remedijs ritè appositis. Alter iam confirmatus, & in habitum versus, hydropem aut marasmum facit, nec curationem admittit. Igitur si curari potest Scirrhus hepatis, curetur in primis victus ratione, qualem hepatis obstructioni conuenire diximus. Rerum etiam acrium comestiones per interualla, & post exercitia ac gestationes conceduntur. Eadem exercitia tum quantitatem, tum qualitatem ciborum præfiniũt. Alimenta crassa lentaque ac coctu difficilia vitentur, pariterque dulcia omnia, vt hepati affecto aduersissima. Propotu vinum cõcedatur tenue, odorum, moderatè sumendum. Omnino si multus & crudus est succus, ratio victus tenuis imperanda est. Si copiæ, crassitudinis, aut lentoris vitio meatus obstructi sunt, attenuatoria victus ratio erit ex vsu, ac repurgans. Sic & in medicamentorum ratione, calefacientia & attenuantia vsurpantur: sed ante eorum vsum præponatur moderata sanguinis missio ex interna dextri cubiti vena. Et si copia adsit pituitosi vel melancholici succi, purgante medicamento vacuetur. Post tres dies confert hæmorrhoidum apertio. Cùm verò communis sit curandi Scirrhum indicatio, vt quod in particula est totum depleatur, id in primis perficitur medicamentis quæ in potu sumuntur, vim habentibus aperiendi atque extergendi eum humorem qui in viscere continetur. Cuiusmodi sunt quæ lapides in renibus contentos comminuere apta sunt: quibus admiscere oportet aliquid eorum, quæ vrinam mouere possunt. Omnia item quæ ad iecoris obstructionẽ spectant, huc transferenda sunt: de quibus paulò antè fusissimè egimus. De his verò quæ calculos frangunt & comminuunt, postea suo loco pluribus. Quãquam verò hic affectus à frigido humore superfluo ortus sit, & calefacientia, dictumque humorem vacuantia postulet:

Curatio.

fugienda tamen sunt immoderatè calefacientia, valideq; exiccantia, tum intrò assumta, tum foris admota. Ac propterea sola quæ calfaciunt non admodum, vnaq; exiccant nō magnopere, prosunt his affectibus sanandis, emollientia scilicet, dicta μαλακτικὰ Græcis, quæ eodem tempore præstant vtrunq;, nempe quod congelatum est fundunt, & sensim per halitum digerunt: dicuntur q; peculiariter de ijs quæ congelatione induruerunt, magisq; si in eis contentus sit humor præter naturam, vt in scirrhosis tumoribus. Ea calorem quidem habent tepidum, humiditatem verò nec multam, nec omnino minimam. Et propterea sunt modicè exiccantia: vt simile quid patiantur ijs quæ à sole funduntur, alioqui toto quod est in eo tenuium partium digesto, quod reliquum est, velut lapidosa concretio linquetur. Conueniunt ergo non quę calfaciunt vehementer, siccánque medicamẽta, vt ostensum est; sed ea tantùm quæ cum molliendo digerere modicè possunt. His autem mollientibus ac digerentibus addenda sunt perpetuò astringentia, quæ tamen ab illis superentur. Eiusmodi verò esse debent, quæ foris adhibentur, vt quæ cónstant ex absinthij coma, nardo tum Inda, tum Celtica, croco, œnanthe, masticha chia, nardino, lentiscino vnguento, mastichino, melino. Et his ammoniacum, thymiama, bdellium, althææ radicem, ceruinam seu vitulinā medullā, ac anseris seu gallinæ adipem miscere conuenit: nec minùs & aliquid eorum quæ incidere possunt, admiscendum. Primo igitur loco fiat fotus, qui recipiat absinthij p. ß. foliorum & radicum althææ ana m. j. bulliant in oleo communi. Sæpius per spongias supra hepar fomentum admoueatur. Linimenta etiam fiunt ex mucagine seminis lini, fœnugræci, althææ extractæ in aqua parietariæ, ammoniaco dissoluto oleo de absinthio, amygdalarum dulcium. Fiunt & vaporationes ex aceto in quo lapis molaris vel pyrites candens immersus fuerit. Sæpius per spongias supra hepar fomentum admoueatur. Dein ℔. olei de absinthio, & mastichini ana ʒ j. nardini & citoniorum ana ʒ ß. spicæ nardi, Indicæ vel Celticæ ana ʒ ß. croci ℈ ß. adipis anseris, gallinæ, medullæ ceruinæ, vitulinæ ana ʒ j. cæræ q. s. adde aceti parum. fiat vnguentum, quod manè & vesperi applicetur, præcedentibus semper prædi-

prædictis fotibus. Prædicto vnguento procedente tempore addes ʒj. vel ß. ammoniaci, aut bdellij humentioris, siue styracis, quæ priùs aceto dissoluantur. Ex ijsdem fiunt cataplasmata, folia ac radices maluarum excipiẽdo, & althęæ, quantitate cuiuslibet ñ j. quæ cùm fuerint decocta, contundantur, & adijciendo adipis anſetis seu gallinæ ʒij. lenti cremoris fœnugręci, seminis lini & althęæ ana ʒij. olei mastichini, lentiscini, & de absinthio ana ʒj. ammoniaci, seu bdellij ʒiij. misceantur, & fiat cataplasma cum oxymelite. Interdum addi poterit nardi spica, Indica, Celtica, cuiuslibet ʒj. assumendo & croci ℈ ß. Vsurpatur & emplastrum de mucilaginibus, & diachylon magnum. Internis etiam remedijs denuò pugnandum. Itaque tabellæ fiant ex triasantalo, rasura eboris, cornucerui dissolutis in oxymelite, in quo ammoniacum fuerit infusum. quinetiam pilulæ parari possunt ex pulueribus aperiẽtibus, mixta styrace, calaminta, & ammoniaco, additis interdum purgãtibus, interdum sine purgante medicamento.

De Ictero seu Morbo Regio. CAP. *XXVII.*

ICTERVS, Arquatus, vel Arcuatus, morbus Regius, morbus Auriginosus, Aurigo vel aurugo procede symptomate vsurpantur, vulgò Icteritia. Eorumq; nominum ratio à diuersis petita est. Icterus enim à similitudine nomen accepit, quoniam ægri colore similes fiunt aui eius nominis, quæ & Galbula dicitur. Plinius tamen Icterum auem Latinis dici Galgulum scribit. Alij dicũt eo malo correptos eius inspectione sanari. Nonnulli referunt ad quadrupedis speciem è mustelarum sylueſtrium genere: quas Græci *ικτίδας* appellant, Latini Viuerras, quæ oculos auricolores habent. Ea sunt animalcula, quibus cuniculos excludunt. Arquatus verò seu Arcuatus dictus est à colore arcus cœli seu iridis, quæ mille trahit varios aduerso sole colores: & eadem ratione Auriginosus & Aurigo ab auri colore. Regius verò à ludi lasciuia, quæ morbi remedium dicitur; vel quia splendido conclaui, iucundis sermonibus, cantu, delicijs, vita soluta curis debet curari. Varro, quia sanetur mulsa, morbum Regium dictum existimat. Ictinus

Nominum ratio.

etiam à Galeno Miluus dictus est, à quo fortasse & appellatio hæc manauit. Sed relictis nominibus ad rem ipsam transeamus. Icterus est bilios humoris per summa corporis effusio: vel, vt alijs magis placet, Icterus est effusio bilis in totum corpus. (Addit Auicenna sine putredine, quia si putresceret, tertianam febrem committeret, non tantùm Icteritiam.) Redundat enim bilis toto corpore, nec vlla omnino pars est in quam diffusa non sit, solis aliquando exceptis intestinis. Alijs totus corporis defœdatus dicitur color, quia non tantùm cutis vniuersi corporis, sed & albæ oculorum membranæ eo intinguntur colore. Neque verò vnus est locus affectus. Iecur enim interdum afficitur, interdum vesica bilis, aliquando vniuersum corpus: quę signis suis postea dicendis interstinguuntur. Affectus ipse, quæuis pars in eo afficiatur, perpetuò symptoma est ex eorum genere, quæ in qualitate mutata, seu in corporis affectibus consistunt: & sub visilibus comprehenditur, nempe in coloribus qui præter naturam sunt. Et in eo semper est frustrata segregatio excrementi bilios, quod non ritè segregatur ac expurgatur: sed per totum corpus cum sanguine diffunditur. Idque contingit vel vitio particulæ, quæ excrementum expurgat, vel ratione viarum per quas expurgat, vel vitio excrementi dicti, nempe flauæ bilis. Ex atra enim bile alius committitur Icterus, qui niger est: de quo paulò pòst. Et ab vtraque alius fit mixtus & virescens, nempe ex flaua bile mixta humori atro, aut cineritio: vnde ex viridi flauescit: vt in puellis quibusdã, quæ χλωραὶ sunt, id est ex viridi flauæ. Album dixit & Hip. lib. de Morbis, quæ quarta est differentia Icteri. Ac licet morbus Regius perpetuò sub eodem genere sit, ac bilios excrementi separatione frustrata semper fiat, non semper tamen in eo segregatrix facultas læsa est, neq; semper noxam functionum sequitur: quia nedum ob facultatis imbecillitatem, verùm & ob viarum angustiam, ac excremẽti vitium fieri potest. Id symptoma causas habet quæ morbi sunt, quæq; sunt auferendæ. Eæ autem sunt hepatis inflammatio, scirrhus, intemperies, obstructio eiusdem. Vesicæ item bilis imbecillitas: obstructio pororum præterea, per quos flaua bilis ad ieiunum descendit. Nonnunquam lapillus

Icterus quid.

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

vnus,

vnus, vel multi concreti in folliculo fellis, aut adnatum tuberculum. Nam propter inflammationem hepatis, omnino sanguis ab ipsa bile expurgari nequit. Imò vnà cum ipso sanguine bilis per totum corpus defertur. Tum enim in eodem viscere bilis copia generatur, & constipatio quædam fit seu angustia locorum, per quos ipsa bilis ex venis transfertur ad canales vesicæ bilem recipientes. Ea quandoque sola est iecoris calida intemperies, ob quam bilis copia progignitur: quæ præ multitudine expurgari nequit, & à fellis folliculo recipi. Ad huiusmodi naturalis intemperiei iocinoris permutationem humorum corruptio accidit. Quare ad hanc etiam speciem refertur Ictерus, qui à venenatis morsibus, aut potu deleteriorum nascitur, ab omniq́ue sanguinis vitio, quo sanguis deprauatur. Venena enim aut bibita pharmaca, nec per aluum reddita, huius vitij causa sunt. Nec minùs & morbus regius excitatur ex obstructione, non siquidem paruorum vasorum per iocinoris substantiam distributorum, per quæ alimenti ac sanguinis digestio in vniuersum corpus fit, sed eorum locorum, per quos transfertur bilis ad canales ipsam recipientes ex eadem vesica bilis ortos, ac per iocinoris substantiam extentos, quæ viarum angustia etiam ex eiusdem visceris scirrho contingit. Sed frequentior est obstructio illius vesicæ, quæ bilem excipit. Tunc enim bilis non patentibus meatibus per quos secerni ac vacuari debet, regurgitat in iecur & venas, sanguiniq́ue permista effunditur in vniuersum habitum. Inde tota cutis flauescit aureo colore, sed in primis oculi, in quibus propter ingenitum candorem magis conspicuus est. hic color etiam circa tempora maxime efflorescit. Et quia distinatis à natura locis non potest excerni, maxima sui parte propellitur in renes vnà cum vrina, eamq́; suo colore inficit, & crassam imputámque reddit. E contrario intestina bile vacua sunt, & eorum excrementa candida, vt dicetur. Aliquando & suppressi menses in causa videntur esse, vt in virginibus, & quibusdam mulieribus. Præterea calida & sicca intemperies totius corporis, quæ multam bilem gignit, causa est Ictери, quoniam huiusmodi intemperies sanguinem alimentitium in bilis naturam mutat: vt in Anasarca totius corpo-

xis, quæ multam bilem gignit, causa est Ictteri, quoniam huiusmodi intemperies sanguinem alimentitium in bilis naturam mutat: vt in Anasarca totius corporis refrigeratio carnem albicantem reddit. Sed id malum sensim nascitur; si quidem sensim accidit alimentum quod corrumpitur. Fit & Ictterus per morborum bilioso rũ crises detrusa ad cutem bile. Causæ supradictæ suis notis distinguũtur: de quibus paulò pòst, vbi scilicet cõmunes exposuerimus. Omnibus ictteritis communiter pigrities & tumor grauans ad motum corporis contingit, motus sensusq; hebescunt, ad dulces cibos animum habent alienatum, amaros non admodum auersantur. (Gustatus enim amarorũ non amarus, non tamen dulcis, dulcium verò amarus. Membrum amaro delibutum duntaxat propter morbi consuetudinem amaritatem nõ percipit; ideo speciem dulcescentis repræsentat.) Variis imaginibus vexantur, pruritus vniuersi corporis & sensus aculeorũ comitatur, ac difficulter exudant, alba oculorũ, partesq; faciei temporibus propinquæ, itemq; malæ pallorem ostendunt, venæ etiam sub lingua repletæ reperiuntur, & abundantem humorem significant. Color enim morbum detegit, maximè oculorum. Accedit & sitis, dolor capitis, frequens singultus, præcordiorum dextra parte durities. Si verò est ob hepatis inflammationem sanguinem in bilem mutantem, præcipua signa sunt præcordiorum dolor, grauitas, tẽsio, biliosæ deiectiones, & febris ardens, vrinę flaua bile vehementer coloratæ videbũtur: grauitasq; in dextro hypochondrio percipitur. Si citra grauitatem feruor in ipso existit, ex sola iecoris calida intemperie vitiũ gignitur. Si Scirrhus in causa fuerit, eiusdem notæ apparebunt. Quemadmodum si ex obstructione Ictterus est, sine febre permanebunt ægri, nec non & grauitas in eadem præcordiorum parte aderit, præsertim inter respirandum, nullumq; aderit scirrhi indicium. Quòd si absq; febre alba deijciantur alui excrementa, vesicæ bilis malum ostendetur, quæ propter imbecillitatem non attrahit, vel propter repletionis multitudinem idem excrementum ad intestina propellere nequit: & talia excrementa citra grauitatem deijciuntur. Si viarum ex ipsa vesica ortarũ vitio oriatur Ictterus, vtpote cùm obstructæ

Signa.

Quæ fuerint viæ per quas ex iocinore ad ipsam vesicā biliosum excrementum trahitur, vel eæ per quas ab eadē vesica propellitur, cum albis excrementis grauitatis sensus circa dextrum hypochondrium vrgebit citra febrim. Vtriusq; vrinæ sunt biliosissimæ. Color ipecie est horribilis. Etenim colore aurum repræsentant: sed non hominem decet quod in lapide pulcrum fuerit, inquit Aret. Consentaneè scribūt alij, vbi obstruetur meatus à iecore ad vesicam fellis, vrina flaua, & sæpe virens reddetur. Idem fiet si imbecillitas tractionis adfuerit, sed id sine grauitate, quæ tamen cum obstructione sentietur. Si meatus obstruitur qui à vesica fellis tendit ad intestina, præter flauam aut virentē vrinā, deiectio reddetur alba, vel minus colorata rufo, & sæpius qualis canum dura. Sin verò hoc vitiū febriente ægro repentè ac cumulatim febrem finierit, crisim testatur, materia ex alto foras erumpente. Alui excrementa & vrinæ vtraq; secundum naturā se habebunt, & ob id nullum visceris affectum declarabunt. Signa coctionis præcesserunt, morbus leuior redditur. Iudicationis ratione natura biliosum crassum humorem transfundit ad cutem, vi symptomatis, in iecoris inflammationibus, aut scirrhis. Si à causa externa fiat propter corruptionem aliquam peregrinam ex noxij medicamenti potione, aut venenatarum bestiarū morsu, si etiam ex corruptione biliosi excrementi, propterea quod sanguis extranea quadam corruptione in bilem versus fuerit, ex ægri seu astantium sermonibus intelligetur. Si non vniuersim, sed paulatim procreetur morbus Regius, neq; dolor, neq; grauitas circa ilia, neq; febris præcesserit, plurimā in vniuerso corpore procreari bilē certū est, scilicet vel propter solidarū partiū calorem immodicū, vel ratione alimenti, quod ipsis distribuitur. Vt si multo calidioribus cibis ac potibus vsus fuerit æger, ciborū vitio tribuetur occasio. Vbi hæc non præcesserint, ex calida totius corporis intēperie morbū Regiū excitari censebis. Si totius corporis id est habitus ipsius vitium est in quo humor inficitur, tum deiectionibus, tū vrinis naturali modo habentibus, color & sudor bilis speciem referunt. Neq; vitio iecoris tantummodo prouenit, sed & ventriculus, & lienis, & renes, & laxum intestinū in causa sunt. Vbi in laxo intestino & vētri-

culo coquendi facultas læsa fuerit, eruditas bilis est effectrix, & à toto halitus bile infecti gignuntur, & corpus tibi insederint, colorant: vt docet Aret. Quod ad prædictionem attinet, quibus in febribus morbus Regius ante septimum diem accidit, malum. Symptomaticus enim est iocinore malè se habēte ex inflāmatione, vel obstructione eiusdem visceris, cùm citiùs iudicatoriè bilis non possit perduci in corpus. Quoduis prædictorum affectuum cōsequatur, semper malum est: nec post septimum, si propter eosdem affectus iocinoris excitetur, periculo vacabit. Febrientibus morbus Regius superuenit, interdum quidem tanquam affectionis hepatis symptoma, quod malum est; interdum quoq; & natura post coctionem per cutem excernere contendente, sed nequeunte, velut in abscessibus omnibus fieri consueuit: quod nequaquam malum est. Imò si cum rigore fiat, morbum absoluit in biliosa febre: quoniam & natura vehementiori motu mouetur ad expellendam bilem, quæ mordacior & acrior est, vt per rigorem significatur. Et licet eadem bilis ante septimum diem iudicatoriè efferri non possit, natura irritata à copia vel qualitate ante legitimum tempus, bene tamen decretoriè effundi poterit in biliosa febre citra iocinoris affectum etiam ante septimum morbo iam concocto, potissimùm vbi per aliam viam natura eandem postea bilem excernere valuit per aluum, aut vesicam, aut largum sanguinis profluuium, vt Hipp. & Galenus memoriæ prodiderunt. Quibus in febribus morbus Regius septimo, vel nono, vel vndecimo, vel decimoquarto superuenit, bonū, nisi dextrum hypochondrium obdurauerit: sin verò non, non bonum. In præfatis namque diebus iudicationis ratione euenire solet, addit quidā è iunioribus. Si morbus Regius post febrē oritur, ex toto proderit: si post hunc febris, occidet. Hydrops insidiatur ijs quib. grauis Aurigo, longaq; fuit. Hydropis est periculum si vrina diu fuerit aquosa. tunc enim magna obstructio à visceris frigiditate prouenit. Spatio niger quoque lapillus concrescit in fellis folliculo, vt alibi iam dictum est, quem casum nunquam ferè non hydrops consequitur. Perniciosum est durum iecur fieri, aut ex hoc priùs duro natam Auriginem. Malum est in lctero prostratum

Prognostica.

ratum esse appetitum, vigilijs molestari, delinoque affici, sermonemque cum labore formare. Qui morbo Regio laborant, non admodum ventosi sunt, quoniam nec ventris imbecillitate nec pituita à quibus flatus fit, Icterici laborant. Sed cùm ferè morbus Regius apud nos ex multitudine crudi humoris ortum habeat, qui imbecillitate caloris colligitur & obstruit, nec detergitur influente bile, necessariò ita affecti erunt ventosi. Quibus verò temperatior est victus, multum exercitium, calidior morbus vel hepar, crassior bilis, intemperies calida, nisi accesserit imbecillitas, flatuosos non esse consentaneum est. Hæmorrhoides in hoc morbo fluere bonum est. Periculo obnoxius est homo si icteritia confirmata laboret, & non curetur, neque materia expellatur: subitò enim cor, tandem aliáve aliqua nobilis pars opprimitur. Vt ad curationem descendamus, qui Icterici fiunt ratione bonæ iudicationis in febribus, facilè curantur. Tum enim opus naturæ permittendum. & Ictericus abscessus postea curandus est balneis aquæ calidæ, & oleo anethino, chamæmelino, amaracino, irino, alijsq; discussorijs ac rarefacientibus cutem. (Rosmarinum herba oleo incocta discutit.) Et cum his adhibeantur cibi, qui humorum crassitudinem moderatè extenuant. Si fiat Icterus ex lethalis veneni potione aut bestiarum virulentarum morsibus, ad Alexipharmaca cõfugiendum, quæ aduersus talia describuntur, vt ad theriacen, & mithridatium. Et omnino qui ex virulentorum animalium morsibus Ictero correpti sunt, curandi sunt, sicut ij qui à rabido cane sunt demorsi. Vbi ex solidarum partium calore immodico in Regium morbum quis inciderit, (quæ tamen ratissimè contingit, & cogitatione potiùs vsurpatur causa, quam euentu aut experientia deprehenditur) cibis humidis & refrigerantibus vtendum, ptisana, intybo, seri, cichorio, vino tenui aquoso, nec non simplici frictione, exercitijs moderatis, vnctione, balneis ex aqua potabili, in qua medicamenta frigida humida decoquantur. Eadem ratione curabitur, si ratione alimenti quod ipsis partibus distribuitur, fuerit excitatus morbus. Qui autem ob calidam iocinoris intemperiem, vel inflammationem, vel Scirrhum Arquati fiunt, pro eorum affectuum cura-

Curatio.

Curatio Icteri ex vitio vesicæ bilis excitati.

tione suis locis dicta curandi sunt. Supereſt curatio Icteri, qui vitio veſicæ bilis excitatus eſt. Is itaq; curandus eſt cibis & potibus, nec non medicamentis extenuantibus: deinde his quæ bilem ducere poſſunt. Sed victus ratio ſit tenuans, aperiens, calfaciens minùs, ſi à bile eſt, quam ſi permiſta eſt pituita. Aer temperatus ſit, aut parum ad calidum vergens. Somnus moderatus ſit, nocturnus potiſſimùm. Lecto etiam, conclaui cultiore clauſo, ludis, laſciuia opus eſt, per quæ mens exhilaretur. Exercitationes ac geſtationes conueniunt per omne tempus: & ſi hyems eſt, balneũ; ſi æſtas, frigidæ natationes. Alui excrementa quotidie expurgari debent ſponte, vel clyſteribus. Nam repletio Ictericis peſſima propter cruditates & obſtructiones. Indigẽtia pariter, quia bilioſos ſuccos reddit. Clyſter propter ſtercorum vacuationem ſpirandi facilitatem inducit, inteſtina irritando ac mordendo humores ad cutis ſuperficiẽ delatos ad ipſa retrahit & reuellit, præſertim vbi acrior fuerit. Et quia aluus ferè aſtricta eſt, clyſteres etiam emollientes ſint, & ex ijs quæ reſiſtentem bilem irritent, & muſculos ac inſtrumenta excretionis excitent. Animi affectus vitentur, ſed vtantur animi laxamento ac iucunditate. Cibi ſint coctu faciles, inciſorij, attenuatorij. Ex volucrum genere maximè montanæ, phaſiani, turdi, merulæ, reliquę aues paruæ. In earum penuria gallis & gallinaceis pullis vtantur, cum quibus decoquantur aſparagus, oreoſelinon, fœniculum, ſerpillum, ſmyrnium, carduus, eryngium, daucus. Ex quadrupedib. carnes ferinæ manſuetis magis ſunt aptæ, capreolorum præſertim. A fructibus abſtinendum. Amygdalæ tamen modicè aſſumi poſſunt. Ciceris decoctum aſſiduè potatum valde confert. Et pro potu vinum ſit album, tenue, aſtringens, neq; valde vetuſtum: diluunt aqua decoctionis graminis. Vbique mediocritas optima cenſetur. Vbi meatus veſicæ fellis vtrinque ſint obſtipati, vel alter duntaxat, conſilium eſt venam in dextro cubito vel extremis manibus ſecare. Sectio enim venæ atque purgatio, potentiſſima remedia cenſenda ſunt. Nihilque aptius eſt miſſione ſanguinis in dolore viſcerum. Præcipuè verò venæ ſectio conuenit, ſi toti corpori eſt communis intemperies, & ſi non eſt ſuſpicio, ne bilis largior, calidior, tenuior,

tenuior, furiosa turgeat, cùm sanguis aliorum humorum sit frenum & retinaculum. Vena quoque secatur si est ab obstructione, præsertim cum bilis est sanguini mixta. Sic enim humores in hepate fixi agitantur, stationemque deserunt, & obstruere desinunt. Et quanquam ratione Icteri & eius causæ continentis, venæ sectio non conferat, eam tamen sæpe causa antecedens postulat, à qua cõtinens fouetur. Sanguis autem particulatim seu per vices detrahendus est, ne per coaceruatam vacuationẽ vires prosternantur. Sic humoris in corpore redundantis copia deponitur. Secta initiò basilica, secandæ posteà veniunt quæ sunt sub lingua. Ea enim phlebotomia, nonnisi inclinante morbo tempestiua est. Et si hepar in vitio est, cucurbitulę sine scarificatu dextro hypochondrio affiguntur. Sed quamuis in Ictericis venæ sectione nil commodius fit, purgationes tamen magis proprię & familiares, priùs scilicet crassitudine bilis extenuata, edulijs nimirum ac potionibus, túmque medicamentis conuenientibus. Purgationes verò in principio datæ, priusquam extenuati sint humores, ac vasa reserata extiterint, maximi mali sæpe causam præbuerunt. Ictericos igitur purgare oportet omni modo quo possumus, per vomitum, deiectiones, vrinam, sudores, atq; adeò per palatum, & nares. Nonnunquam enim vomitiones conueniunt, si natura humorum sursum inclinauerit. Præparatur autem bilis flaua, obstruens ac implens fellis vesicã, aceto mulso cum decocto radicũ apij, syr. de quinq; radicibus cum aceto, addito decocto radicum asparagi. Ante tamẽ vsum horum purgetur ventriculus cassia, pilulis alephanginis, & alijs huiusmodi. Vtilis quoq; est absinthij cremor. Imò plura alia cõueniunt ex capite de obstructione iocinoris repetenda. Peracta humorum attenuatione, vasorumq; reseratione, medicamentum quod bilem ducat, propinandum est: idq; valens satis. Nam ob ventris siccitatẽ imbecilliores purgationes inefficaces in ipsis cognoscuntur, & naturã parũ habent adminiculantẽ. Attrahere. n. vel expellere nequit ipsa vesica fellis, imbecilla existẽte separatrice ac expultrice facultate. Proinde qui purgatione liberari non poterant, his rursum valentiore ad aperiendũ data potione, pharmacũ quod vehementiùs pur-

garet, exhibuit Galenus. Sic deinde sub finem purgationi cærulea vel flaua bilis cum acri mordacitate secerneba-tur. Curatio enim intelligitur, cùm antè aluus esset durior, & iam deijcit multa quæ bilem cæruleam vel flauam referãt & acrimonia mordeant intestina: & quæ vrinæ antea spissæ, crassæ, nigræ, & quasi croco tinctæ, iam puriores, nec ita crassæ excernuntur. Verùm in tectero ab obstructionibus, non solùm vacuanda bilis crassa, sed & pituita, quæ bili permista ipsam incrassans obstructiones parit. Detur igitur rhabarbatum ad ʒij vel iij. infusum, addita drachma vna agarici trochiscati, quæ potenter obstructa liberat: vel addito electario diaphœnicon, indo, hiera simplici. Est tamẽ vitanda frequens & varia medicaminum potatio, qua fella deducere promittuntur, siue ventriflua, siue vrinalia fuerint. Si non liberentur his, rursum valentioribus ad aperiendum datis potionibus, medicamentum quod purget vehementiùs, erit exhibendum. Vnde radicis rubeæ tinctorum, chamæpithyos, rorismarini, aristolochiæ, serpilli, hyperici, singulorum ʒj. danda est. Paratur & corpus apozematis ex radicibus aperientibus, ex cichorio, agrimonia, capillis veneris, cuscuta, passulis, syr. de eupatorio, de duabus vel quinque radicibus. Rasura eboris, & cornu cerui miscentur aperientibus. Et in vsu aperientium parciores esse debemus, si febris adsit. Liberaliores, si nulla. Vt vbi rursum purgãdum est, dantur diaprunum solutiuum, electarium de succo rosarum, pilulæ aggregatiuæ. Cæterùm lumbrici siccati & sumti cũ vino albo ad saporis gratiam à nesciẽte (ne auersetur) Icterum sanant. Idem puluis cum syr. de bizantijs in pilulas formatus, & auri foljis intectus sumitur. Idem præstat stercus canis offã depasti. Et prasij decocti ex vino albo tenui vnciæ quatuor saccharatæ Icterum sanãt, vel vnciæ quatuor decocti perfecti cicerum rubrorũ, & radicis asparagi. Aperiunt & dialacca, diacurcuma, diacalaminthæ, à drachmis duabus ad drachmas quatuor. Et trochisci rhabarbari, eupatorij, rosarum, ad drachmam vnam. Cutis & oculorum color flauus tollitur partim mouentibus vrinas dictis, partim admotis, balneo ex decocto chamæmeli, meliloti, & similium, balneo sulphureo, aëre calido, cæterisq; poros aperientibus & humores tenuan-

tenuantibus, forasq; trahentibus, & sudore vacuantibus. Post balnea si affectus perseueret in facie & oculis, sternutamēta & errhina conueniunt. Ac si quis velit citissimè sanari, lauet faciem aqua destillationis peponū, vacuata scilicet bile, & castigata hepatis intemperie. Nunquam enim veniemus ad fœditatem coloris, nisi sublata causa, & curato viscere. Oculo autē conferunt sternutamenta, quia materiam excutiunt, & acetū calidū odoratum, vt eius vapore apertis poris materia exhalet. Eisdem initiò aqua rosarū applicari potest. Alijs temporibus hæc & cætera astringētia sunt noxia. Præter omnia quæ dicta sunt, suffusis bile intueri lutea iubēt quidam, vt erumpentibus papulis rubra. Bilem enim foras euocant, euocata faciliùs discutitur. Et decoctio pilosellæ, sulphur cum ouo sumtum, aliaq; huiusmodi prosunt Ictericis. Erinaceus etiam cōmendatur. Item ammoniacum, cui ad miraculū vsq; vim inesse volūt liberādi obstructiones. Constat & experientia, decoctum ligni sancti multis profuisse. Si est Icterus ob vesicæ fellis imbecillitatem, quod sine hepatis cui annexa est imbecillitate fieri non potest, ijsdem remedijs tolletur, quibus & hepatis imbecillitas, adhibitis postea quæ bilē per cutem effusam vacuāt. In materia venenosa initiò vomitus ciendus est si materia eò vertitur. Si ad intestina, clyster acris injiciendus. Si in habitum corporis, cucurbitulę cum multa flamma adhibeantur, & omnia quæ foras materias attrahunt, theriaca conuenit cum decocto corticum citri, limonum, endiuiæ, cardui benedicti, angelicæ, buglossæ, melissæ. Virginibus autem quas hoc vitium defœdat, purgatio ex hiera conuenit, imperata ex aqua cuscutæ, endiuiæ, oxymelite. Additur & agaricus, & rhabarbarū. Imperantur & triasantali, diarhodon abbatis, diamargariton, cum rasura eboris, & cornucerui: Itē radix gentianæ, diacurcuma, confectio Alkermes. Et per interualla decoctum cicerum rubrorum cum radicibus petroselini, & cichorij.

De Ictero nigro. CAP. XXVIII.

SEGREGATIONIS excrementorum à sanguine frustratio, necessariò coloris symptomata inducit, vt su-

periori capite ostensum est. Id verò symptoma quod segregationi melancholici excrementi vel nõ omnino, vel nõ ritè peractæ succedit, proprio carere nomine videtur. Ictteri tamen appellationem obtinuit vulgò, sed cum addito, & Ictterus, At quatúsve niger dici cœpit. Est autem Ictterus niger melancholici humoris in cutem, & in summa corporis effusio. Sub hoc enim coloris flos perit, fitq; pro viuido obscurus primùm, deinsubluuidus & subniger. Proinde quæuis pars in eo afficiatur, siue lien qui eum humorẽ expurgat, siue viæ per quas expurgatur, symptoma est in genere affectus corporis, & in eorum numero quæ visibilia dicũtur, ac totius corporis. Causæ huius Ictteri sunt intemperies seu imbecillitas lienis dictum succum expurgãtis, vel viarum per quas expurgatur obstructio, vel eius excrementi quantitas immodica. Hæc autẽ excrementi multitudo à geminis causis oriri potest: quarum vna est ipsa iocinoris intemperies, & reliqua ciborum vitia quæ cognoscuntur ex his quæ præcesserunt. Videndum enim nunquid victus antecessit melancholicæ naturæ, vel nunquid signa frigidi ac sicci hepatis appareant. Ferè aũt Ictterus hic lienis vitio contingit. Est enim viscus vnum ex his quæ purgant sanguinẽ ac iecur, quando in sanguine quicquid est limosum, crassum ac melancholicũ, veluti fæx in vino nigro, aut in oleo amurca, aut ima pars sanguinis venæ sectione educti, à liene trahitur per vas venosum, quod quidem elaborat, si potest. Quod verò ab ea elaboratione excidit, per alium quendam venosum stomachum lien ad ventriculum eructat: per quem sæpe recrementa ex se reijcit vomitione, vel per inferiora decedit. Vbi aduertendum est lienis parenchyma laxum esse & rarum, vt crassos attrahat succos, & excipiat: isq; vsus lienis vniuerso corpori confert. Imbecilliore igitur facta eius attractrice ob aliquã intemperiẽ, vniuersum corpus colore nigrius euadit. Imò Regij morbi qui à liene ortum habẽt, nigriores sunt, itemq; vlcerum cicatrices nigræ, & vbi suo munere vitiosè fungitur lien, coloris vitia magis ac magis ad nigrũ declinãdo, toti corpori impartit. Corpus videtur herbis candenti pallore infectis similari, interdũ plumbeum, aut etiãmagis fuscum referre colorem. Interdũ alias quoq; colorũ proprietates,

Ictterus niger quid.

Pars affecta.

Causa.

quæ

quæ licet etiam iocinore suo munere non rectè fungente accedant, tamen ob splenis vitia huiusmodi colores eueniunt. Nunquam enim lien flauum Icterum fecit, iecur frpe nigrum, tametsi hic non eque per omnia niger est, vt is qui propter lienem gignitur. Igitur Ictero atro affectos consequitur cutis nigredo, tristitia præter rationem, & mordacitas eorum quæ sunt in ventre, difficultas spirandi, cibos auersantur, nigra lotia excernunt aliquando, & per interualla quædam corpora ipsorũ tepescũt: stercora verò chalcanthi colorẽ referunt, & aluus resiccatur. Si est ab obstructione lienis, grauitas adest, & distentio, vel etiam lienem dolor exercet. Quæ si non adsunt, attrahendi potentię imbecillitas indicabitur. Eius verò imbecilliratis causæ tum simplices tum compositæ suis signis distinguũtur. Frigida enim intemperies ab omnibus cibis & potibus qui efficaciter refrigerant augebitur, ac manifestè splen lædetur, vt ab ijs quæ foris admouentur. Calida verò eam intemperiem iuuabunt. Sic de calida intemperie, & alijs sentiendũ. Si ex lienis inflammatione seu scirrho ater morbus Regius ortus sit, ex eorũ affectuum proprijs signis colligitur. Sin ab excrementi vitio gignitur, cùm ipsum fuerit multum, liene nullo proprio affectu laborante, hinc conijcies, quòd signa læsi lienis haud apparent. Præterea color corporis non adeò nigricans fuerit. Quandoq; etiã vtroq; viscere laborante. Regius morbus euenit, nigriore colore, quam pro consuetudine veri morbi Regij, ita vt bilis flaua fuligini permista putetur. Omnino ater morbus Regius si diu persistet, nec cedat medicamẽtis ritè adhibitis, malum est. Nam consentiente iocinore, hydrops succedet. Et vrina si suam seruauerit naturalem dispositionem in atro morbo Regio, salutis erit indicium. Exiguam enim indicabit lienis affectionem, nec eidem adhuc hepar consentire. Hoc genus Icteri flauo grauius est, & magis in vetustatem cadit. In eo Hæmorrhoides fluere cœpisse bonum est. Icterus niger, vbi acciderit propter lienis intemperiem aliquã, tum per cibos ac potus, tũ per simplicissima pharmaca, ac fomentorũ irrigationes quæ intemperiei contraria sunt, corrigi debet. Ea enim intẽperies curatur simili modo, quo hepatis intemperies de qua antea dictum est. Præ-

Signa.

Prognostica.

Curatio.

terea siue propter intemperiem, siue propter viarum obstructionem fiat, & multa per vniuersum corpus vnà cum sanguine nigrę bilis copia coaceruata est, consentientibus omnibus, secanda est in primis vena interna cubiti sinistri. Sit autem lata venæ diductio, quia sanguis crassus est, neq; multa copia sanguinis detrahatur. Si verò quid venæ sectionem prohibeat, aut non vnà cum sanguine redundarit permista bilis nigra, eius succi copia à quacunque causa orta sit, purgatione exhaurienda erit, priùs tamen præparata ac concocta. Præparatur autem syrupo de fumaria, vel de pomis cum oxymelite, vel aqua mulsa, & purgatur medicamento recipiente confectionem Hamech, vel electarium indum, pilulis fœtidis, pilulis de fumaria, & consimilibus. Quo humore vacuato, siue in toto redundabit, siue in parte, si propter obstructionem meatus per quem lien ad se limosum sanguinem trahit, excitatus fuerit ictterus niger, eadem victus ratione, ijsdemque medicamentis vtendum erit, quibus in obstructione iocinoris præcepimus vti. Lien tamen validiora tolerat remedia sine molestia: quibus aliquid astringentium semper admisceatur, vt tonus lienis seruetur, quo conueniens alimentum attrahat. Neque verò tam astringentia esse debent, quàm ea quæ hepatis causa sumuntur, aut admouentur, quoniam crassiore est lien substantia & solidiore, quàm hepar. Nec lienis substantia tam facilè quàm hepatis soluitur. Pars enim est minùs principalis, minusque sui conseruationem indicat. Id autem de externis astringẽtibus intelligendum venit. Nam cùm ad splenis affectus fortissima remedia instituuntur, ad iecur perueniunt, idque lædunt nimis fortiter aperiendo, vel dissoluendo. Ea igitur quæ extenuandi vim habent, eligantur, inter quæ magnopere commoda sunt acetum, & acetum mulsum, præsertim vbi nedum viscus obstructione laboret, sed induratum fuerit. Verùm cum ijsdem exhibeatur decoctum corticum radicum capparum, aut scolopendrij, radicum seu germinum myricæ. Nam quale est iocinori absinthium, tale est lieni capparis cortex, & quale iocinori eupatoriũ, tale est lieni scolopendriũ. Ambo viscera similia postulant medicamenta, sed tanto valentiora lienis, quanto crassiori vtitur alimento. Ex

to. Ex quo liquet quòd nō ob id quòd hepar sit magis patibile, lien fortiora fert medicamenta: sed nutrimenti causa hepar rubicundo & crasso nutritur sanguine, splen verò subtili & nigro. Hinc quidam infert, quòd sanguis subtilis & niger rubicundo & crasso crassior est. Porro autem acetum splenicis remediis miscetur, vel quia splen nutritur sapore acetoso, vel propter humoris quem continet crassitudinem & lentorē, vel vt medicamenta penetrare faciat. Fouere etiā oportet lienem oleo capparorū, nardino, chamæmelino, de absinthio. Nec nō cutis est rarefacienda, & humor in ea contentus discutiendus balneis, & frictionib. Si vtroq; viscere laborante Regius morbus oriatur, stante redundantia bilis cum sanguine, vena secanda vtriusque cubiti interna pro ratione maioris redundantiæ alterius bilis, ac pro magnitudine affectus alterius visceris, maior ex vno quàm altero cubito quantitas sanguinis exhauriatur. Victus etiam ratio vtrique visceri conducens esse debet. Similiter & purgatio, vbi adhuc facta venæ sectione vterq; succus per corpus redundet. Præparentur humores syrupo ex succo cichorii, & fumariæ, atque oxymelite & aqua borraginis, lupulorum, & endiuiæ. Purgentur rhabarbaro, sena, electario indo. A purgatione vtrique visceri consulatur, magis aut minùs vni aut alteri, prout vnus visceris affectus aut alter magis vrgebit, altero tamen non neglecto.

Icteri mixti curatio.

De Lienis inflammatione.

CAPVT XXIX.

ACCIDIT & interdum lienem inflammatione tentari, quanquam rariùs quàm alia viscera, quòd purus sanguis veræ phlegmones author non ita sæpe in id viscus penetret: sed sanguis crassior, limosus, fæculentus potiùs, quàm optimus, seu mediocrem crassitudinem habens, vel biliosus, eam committat. Hîc igitur Phlegmone impropriè dicta intelligenda venit. Et quòd lien afficiatur ex notis eius inflammationis, tum parti affectæ tum affectui communibus de quibus paulò pòst constare potest. Quis autem affectus sit inflammatio, sæpius iam exposuimus.

Causa.

Generatur lienis inflammatio, si quando obtigerit, duabus ex causis: Aut ex sanguinis affluxu, qui breui impetum faciens partem replet, tum ob vasorũ multitudinem, tum ob membri laxitatem: Aut certè ob facultatis expultricis imbecillitatem, ob quam sanguis melancholicus detentus ac putrescens phlegmonem parit. Affectio agnoscitur ex duro tumore, distentione, nec non ex pondere & grauitate in sinistro hypochondrio, absque inflammatione musculorum. Præterea ex eiusdem loci dolore pulsante, cum assidua vehementique febre, quæ per quartum solet insultum facere, atque incrementum: præterea ex vrinarum rubore. Ingens etiam æstus atque titis est, linguaque subnigro colore oneratur, cibi amittitur cupiditas, spiritus fit difficilis ac velut intersectus, qualis esse per iram eiulantibus pueris consueuit. Molestus dexter decubitus, & interdum sinister. Cùm prorogatur malum, os fœtet, gingiuæ exeduntur, & vlcera in cruribus fiunt, quæ tardè ad cicatricem perducuntur. Cæterùm cùm omnibus huiusmodi inflammationibus melancholia immixta sit, sæpe in scirrhum, rarò in suppurationẽ vertuntur. Aut quamuis purior sit inflammatio, nonnihil tamen ex natura loci melancholicorum symptomatũ recipit. In lienis inflammatione, si sanguis erumpat è sinistra nare, magnam fert vtilitatem. Quibus contrà accidit, nil iuuat, quòd vires citra morbi leuamen deijciat atque exoluat. Si vel abscessus, vel vlcus consequitur, non ex alijs causis neque alijs notis ostenditur, quàm in iecore comprehensum est. Quilibet lienis tumor curationem per initia non difficilimam habet. At si istrahere incipit, nunquam aut ægerrimè tollitur. Temporis enim progressu praua symptomata infert, nec nõ perniciem, potissimùm si in scirrhum vertitur. Hic victus conuenit paulo minùs tenuis, quàm quibus adest inflammatio in iocinore. Quare solo ptisanæ cremore ægri nutriantur, præsertim circa initia, aut ius pulli detur cum mica panis. Et si inflammatio proteletur, carnes auicularum, pullorum, gallinarum, conceduntur, & maximè alæ auium elixæ, & vuæ passæ, & amygdalæ. Potus sit aqua hordei in febris vehementia, aut ea remittente, & si morbus protrahatur & vires languidæ sint, aqua cinnamomi, & vinum

Signa.

Prognostica.

Victus ratio.

& vinum album aquosum & tenue. A mulsa abstinendum, quoniam bilescit, & viscerum phlegmonas auget. Abstinendum à dulcibus, quoniam ab ijs lien intumescit. Clysteres sint mollientes. Quod spectat reliquum curationis, primùm sanguis detrahendus est, nisi quid reclamet, vt ætas, vires, locus, consuetudo, aëris constitutio, magnũ ventris profluuium, aut quid tale. Secanda autem est vena interna sinistri cubiti: (Multum nanque iuuat afflictum lienem sanguinis ex sinistro brachio detractio.) & ea nõ apparente, media: qua etiam non apparente, humeraria incidatur. Quòd si nec appareat, ea quæ minimo digito vicina est, aperiatur. Alij venæ inter annularem & medium digitum sitæ sectionem opitulari putant, modò sinas sanguinem fluere, quousque vltrò sistatur. (Ita maioti interuallo fit reuulsio.) Et hæ paruæ venæ circa meridiem incidendæ sunt, quòd eo tempore mãgis conspiciantur. Præstat autem non semel quantum cõueniat extraxisse, sed in duos dies id partiri satius est. Sic enim sanguis detrahendus est, ne vitalis facultas deficiat. Atq; huiusmodi sectionem venarũ quarundam manus, tum veteres, tum recentiores commendant, & tanquam vtiles approbant. Postea verò transeundum est ad ea quæ aluum subducunt, & initiò quæ leuia, eligenda sunt. Progressu enim temporis validiores purgationes exhiberi possunt. Hac via duntaxat lienis superflua vacuari debent. Nam ea quę per renes agitur, nulla huic visceri vacuando via patet. Sed sæpius sequitur humoris melancholici per intestina profusio, vel per hæmorrhoidas, à quibus etiam lienem durum sanari scripsit Galenus. Vnde medicus naturalem curationem secutus, viam & rationem purgandi lienis instituere debet. Neque tamen negamus industria naturæ aliquando humorem melancholicum per renem & vesicam expurgari, sed nullã via communis est, nisi multiplici anfractu in venam cauam regurgitans humor eò perueniat. Phlegmonem igitur deiectorijs medicamẽtis detergimus, tum lacessimus, quò demittat deponatque superuacua. Ea verò supernè exhibenda sunt, à situ societateque sumpta indicatione. Venter autem assiduè elui debet clysteribus, maximè si venæ sectio relicta est. Sed priusquam medicamentum

Medendi methodus.

purgans exhibeatur, paretur humor ex oxymelite, syrup. de lupulis, syr. de fumaria, seu borragine, cum aqua vel decocto melissæ, lupulorum, fumariæ, epithymi, scolopendriæ, bugloſſi, borraginis. Deinde purgetur ex decocto sennæ, epithymi, vuarũ, cum cassia & catholico. Et procedente tempore nisi cesserit inflammatio, quantitatem sennæ & epithymi augebis, & addes polypodium, enicum, & eclegma indum, aut diasenam. A purgatione medicamẽta imponantur extrinsecus quę citra euidentem calorem extenuent, ne crassus in liene succus vehementiùs incrassescat: admixtis etiam astringentibus. Mixtę enim facultatis esse debent, nedum in generatione phlegmones, sed cùm nec ampliùs quicquam affluat: quanquam & in principio repellentia tantùm non disconueniunt. Communis enim est indicatio omnibus partibus, quarum munus est, vt toti corpori sint ex vsu, vt medicamenta mixtę facultatis exigant. Et tanto valentiora postulat lien quàm hepar, quanto crassiori vtitur alimento. Si moderata igitur fuerit inflammatio splenis, ex oleo dulci & vino permixto linteis vel lana excepto medicamento fotus adhibeatur, vel ex oleo rosato, omphacino, si maior sit caliditas, vel ex oleo anethino, rosato, mastichino, citoniorũ, vel myrtino, & pauco vino cum cæra fiat vnguentũ. Procedente tempore fotus fiat ex posca in qua bulliant lentiscus, pulegium, absinthium, cortex rad. capparis, aut eadem in vino austero elixentur. Vel fiat cataplasma. ℔. farinæ fœnugræci, seminis lini, & hordeaceæ, ana ℥ j. ß. caricarum aceto maceratarum ℥ j. adipis anseris & butyri recen. ana ʒ. iij. olei ros. & chamæmelini ana ℥ j. cumpauco oxymelite. Aut fiat ex farina seminis lini, farina hordei cum posca. Si inflammatio ad suppurationem vergat, adiuuare oportet (ne plura corpora putrefiant) per cataplasmata quæ pus producunt, de quibus in iocinoris inflammatione dictum est. Omnia admoueri debent tepida, & locus frigori nullatenus exponatur.

De Scirrho lienis. CAPVT XXX.

LIENIS tumores possunt esse varij, & inter eos quidam mollis est & laxus, à quo creber ac difficilis spiritus est maximè

maximè currentibus, vel intentè laborantibus, vel in dextrum latus cubantibus. In eoque manet appetentia, sed malè cibus concoquitur, vnde fluctuatio gignitur, & multa oris saliua, rugitus autem in sinistro hypochondrio auditur, & flatus suprà infraue plurimus editur. Atque huius tumoris laxi curationem alij tradiderunt. Ab ea nos hîc supersedebimus. Alius verò quidã est lienis tumor durus & sine sensu, quem Græci σκίῤῥον appellant, in quem constat lienem, vt & iecur, valde opportunũ esse. Imò magis, quòd rarioris substantiæ lien sit; nec non propter nutrimenti crassi limosíque speciem. Et qui hoc affectu laborant, Hippocrati dicti sunt σπληνώδεις, id est splenici, nempe quibus lien obduruit. Quanquam & σπληνώδεις dicuntur sine distinctione, qui ex splene laborant. Et lienosi sunt non solum qui è phlegmone non concocta nec digesta durum lienem habent cum fœdo corporis colore & defluxionibus, sed & quibuscunque lien iam diu affectus est obstructus, tumens, durus, siue à fluxione externa, siue ex proprio excremento cum flatu & scirrhosa duritie. Quòd autem lien affectus sit, ex notis mox subijciendis cognosci poterit. Quisnam verò affectus sit scirrhus, sæpius declaratum est, præcipueque præcedente capite de Scirrho iocinoris. Cum quo etiam communes habet causas, atque generationis modos geminos. Is namq; vel à principio paulatim congregatur & augetur, ac in magnum tumorem attollitur, tumque humor lieni pertinacius inhæret: (cùm videlicet viscus imbecillum non commodè repurgatum, aceruat sanguinem crassum, nunc melancholicum, nunc pituitosum; aut hepar illi suppeditat, propter esum multũ ciborum talis naturæ; aut denique suppressio est vacuationis solitæ, vt hæmorrhoidum.) vel medicorum imperitia paratur post vsum astringentium videlicet, ac refrigerantium in inflammationibus & erysipelatis curandis. Fit etiam sæpe scirrhus nullo commisso errore, sed calore vehementi dissoluente tenuem partem humoris in liene contenti, fæculenta relicta. Obdurescit etiam lien à phlegmone non concocta, nec digesta. A flatuoso quoque spiritu quandoque indurari splen videtur, atque tenitens esse. A vero tamen scirrho distinguitur, vt mox docebimus. Lie-

σπληνώδεις. Pars affecta.

Caussæ.

nosos produnt grauitas sinistræ partis, & præterquã quòd lien intumescit, simul cum eo pars sinistra dura est, & promenti renititur, & venter intentus est. In intensa ambulatione & cursu dolor ac quædam difficultas adest. Sitis præterea, oris siccitas, pedum inflatio, color plumbeus, decubitus in sinistrũ latus grauis, durities extat oblonga. Dolor ad iugulũ sinistrũ tendit, pediculi scatẽt, nocte sudor grauis, fœtet anhelitus, pudenda turgent, erumpit sanguis, gingiuæ corrumpuntur, venæ ad lienem nigricant, cutis squalescit, vlcera maligna in tibijs nascuntur, quæ omnino non sanescunt, aut cicatricem vix recipiunt. Is tumor aliàs ipsius visceris obsidet corpus, situ & partis figura circumscriptus: aliàs totum vndique sinistrum occupat hypochondrium. Idem longiori tempore quàm is qui laxus est contrahitur, duritiem, omniaque grauiora & maiora habet. De hoc tumore sic alij: Indomitus instar lapidis tumor est. Verùm si fortè suppurat, tractabilis est, & in parte summa. Vbi puris quoq; tractatio est, tactui cedit. Quando pus non ducit, tactui resistit: adest nausea & anxietas, maximè cùm instat eruptio. Incrementi notæ sunt dolores, horrores. multotiens enim horrent. nonnunquam verò non horrent, cum breui caliditate, & dolore vacant. Interdum in splene oriens latuit. Rarum & sensu carens insanitate viscus est. Tumor lienis interdum in dextram partem ad iecur vsque tota communione increscere videtur. Vnde multi falluntur tanquam non lien, sed membrana affecta esset. nam peritonæum inflammari isti existimãt. Si flatus in causa est, tactui tumor non pertinaciter resister, sed imposita manu ad tactũ cedet. Lien punctionem tensionemque experietur: citra tamen pondus, duritiem, ac grauitatem. Colon autem intestinum spleni alligatur & incumbit, quod flatibus distentum sæpe fallit. Sed dolor Spleniticus grauis est; Colicus, distendens & mollis. In splene dolor grauis, in vna parte fixus, & sinistra: in Colo acutus, mobilis, & vagus. In Colico totus venter flatibus distenditur: in splenis affectibus sola pars sinistra. Nihil æquè significare lienis aut iocinoris vitia atque color hominis potest, adeò vt ex eo quidam solo, non exploratis tactu visceribus, morbum deprehendant.

Discrimen inter Splenneticum & Colicum dolores.

Prognostica.

Splen

Splen tisus instrumentum dicitur, quoniam humorem expurgat atrabilarium. Et cursus impedimentum ex liene est. Ob id cursoribus inurebatur lien. Quibus corpus floret, lien minuitur: quibus lien augescit, his corpus minuitur, cacochymumque redditur. Ob id iure Traianus fiscum appellabat lienem. Qui distillationibus laborant, his lien minùs intumescit, quia rarò duo membra debilia sunt. In illis enim pituitosa humiditas tenuis & aquosa colligitur, non crassa & melancholica. Lienosis ventres duri efficiuntur. Lienicis dysenteria superueniens bonum, nisi sit vltra modum. Breui tempore leuata natura intelligitur nondum inualuisse malum vitiumq; visceris, vt perpetuo colligat excrementum & vicissim nutriat aluī profluuiū. Ex Scirrho lienis vbi diutinus fuerit, aqua inter cutē generatur: quia temporis processu iecur refrigeratur. Exquisitus Scirrhus omnino incurabilis est. Pueri atque iuuenes facilè calamitatem hanc patiuntur, facileque inde liberantur. Senes verò non facilè vtique læduntur: sed affecti euadere interitum nequeūt. Quin etiam seniores quidam nescientes ipsi vitio lienis absumpti sunt. Nam & pusillus tumor ipsis causa interitus fuit. Longa quoque ægritudo tabidos facit, & iuuenibus otium maximè nocet, quicunque à certaminibus exercitationibúsque corpus quieti desidiæque tradunt. Loca palustria, aquę exuberantes, salsæ, virosæ. Ex aquis palustribus, crassis, glacie concretis lienes magni fiunt, pleni, ventréque duri, tenues & calidi. Inter anni tempora, ferinus Autumnus. Scirrhus lienis eandē postulat victus rationē, quā Scirrhus iocinoris, aut quæ saltē maioris minoris q; ratione differat: vt cappāris si edatur ex oxymelite minùs diluto, lieni vtilior erit. Victus (inquam) ratio sit attenuās, obstructiones eximēs, ac detergens. Quare in cibo sumantur quæ coctu sunt facilia, & succū bonum ac tenuem generant. Acida etiā conueniunt. Fugiantur autē quæ duræ carnis sunt, quę crassos & lentes succos generāt, atq; coctioni reniuntur, & omnino quæ melancholicum succum augent. Cauenda etiam dulcia omnia, ex quibus videlicet tum iecur, tum lien intumescit. Vino vtantur albo nō potēti, nec dulci, vel decocto cinnamomi, aut scolopēdrij, aut aqua chalybeata: seu

Victus ratio.

aqua in qua ferrum sæpius extinctum sit. Quies autem cum hoc vitium augeat, labore atque exercitatione opus est: vnctiones, frictiones, & sudores, necessarij sunt. Plurimum fiduciæ in curibus est, & deambulationibus: & plerique ex ijs solis liberati sunt. Exercitatio alijs conuenit moderata. Vbi laborantes multo sanguine abundant, interna cubiti vena secanda est, neque copia multa auferenda. Ex Archigenis sententia vena secatur in brachio, & sanguine lien fricatur. Præterea cucurbitulæ cum scarificatione superponuntur. De qua re sic alij. Constat experimento venas apertas quæ ad lienem nigricant, vehementer profuisse. Veteres enim naturali quadam ratione ac beneficio constare crediderunt, superfusum sanguinem languenti membro præstare medicinam, quod etiam veterinarij crediderunt. Iisdem venis & sanguisugæ affigi possunt. Sed hæc localia nonnisi purgato corpore conueniunt. A venæ sectione succus crassus, lentus, præparatur aceto mulso, syrupo fumarię, syrupo acetoso simplici, melle rosato. hæc attenuant citra calefactionem. Purgandum enim attenuantibus pharmacis, citra tamē vehementem caliditatem, ne succus melancholicus magis incrassescat. Præparantia etiam & purgantia per initia non debent esse vehementiora: quia humor contumax est, nec initio vult irritari, sed in progressu, cùm antè sensim & sensim fuerit apparatus. Postea purgans medicamentum instituendum est pro ratione redundantis succi. Vt pituita redundante, quæ eam expurgent medicamenta exhibeantur. Idem iudicium est de succo melancholico. Corpore purgato potiones valentiores propinentur. Et topica fortiora, quàm in scirrho hepatis adhibeantur. Humor enim est crassior, membrum minùs vitæ necessarium; & si quid ore sumatur, longiùs deduci debet. Lien præterea minimè neruosa pars est, sensus hebetis, & in alto condita, & sine molestia remedia tolerat. Huiusmodi sunt cortices radicum cappa-

Medendi ratio.

ris, scolopendrium, myricæ radix atque germina. Hic & medicamenta valde amara offerimus, ac quædam ex ipsis austeris miscemus. Datur centaurij minoris succus, lupinorum decoctum, itemq; absinthij, & aqua per plures dies exhibetur, in qua ferrum extinctū fuerit, vel sola, vel cum

posca,

posca, aut cum vino mista, si febre careant ægri, aut teneram carnem habeant. Ipsius etiam stomomatis squama agrestioribus exhibetur. Præclarè hæc lienem liquefacit: vt quæ lienem consumendi vim habeat. De hac quoque sic quidam: Limatura chalybis lienem intumescentem minuit, vt aqua fabrorum ferrariorum, & semen portulacæ. Ita stomomatis ferri squama à quibusdam probatur: ab alijs verò improbatur. Nam (vt aiunt) qui ea vtuntur, aut omnino non sanantur, aut in grauiores morbos incidunt. Eis etiam qui corpora habent calidiora, præsertim scirrho non inueterato prosunt scolopendrium, rumex, anchusa, polytrichon, fumaria. Inueteratis verò scirrhis & agrestibus conferunt, trixago, gentianæ radix, calamentum, cyclamen, scordium, pulegium, viticis semen, asarum, eryngium, & similia. Vulpis hepar siccum ebibitum cum mulso vtile est. Cæterùm diuretica prosunt, quia incidunt, & aperiunt, non quòd à liene ad renes via comparata sit. In Topicis emollientia atque discutientia prævaleant, quibus admiscenda sunt, quæ astringendi vim habent. In sinistra autem parte, & infra costas nothas applicantur splenitica remedia: quemadmodum in hepatis affectibus admouentur remedia in dextra parte circa posteriora, si in gibbo sit affectio; ad anteriora verò, si in caua. Igitur lupinorum farina confert, & ammoniacum in aceto dissolutum. Porrò aceti vsus tutior est, etiam initiò, cùm naturaliter rarus sit lien, nec metuendum ne quis neruus lædatur, quemadmodum in tendonibus & neruosis musculi partibus. Si lien frigida, & stomachus calida affectione laborat, calida frigidis in cibo præmittenda sunt. Fotus igitur fiant in hunc modum. ℞. centaurij minoris, scolopendrij ana m̃. j. corticis radicum capparum ʒ ß. radicum & foliorum althææ ana m̃. ß. decoquantur in aqua. Et post fotum fit inunctio ex oleo amygdalarum amararum, irino, rutaceo, liliaceo, de capparibus, & cum medulla ceruina & ammoniaco, in aqua vitæ, vel rutæ, vel aceto dissoluto, fiat vnguentum. Vbi iam remollita est durities, lapis molaris, pyrites, aut alius lapis durissimus, aceto acerrimo candente extinguitur: linteis inuoluitur, & sæpius apponitur. Alioqui fumus excipitur. A quorum vsu

ad emollientia redeundum est, & alternatim his vtendum remedijs. Vt tumor minuetur, sic veniendum ad emplastrum de fermento, vel ad dropacem, & sinapismos, vel ad cauteria tum potentialia (vt vocant) tum actualia. Iuxta alios, emplastrum de melliloto, emplastrum diachylon extenduntur in linteo, & superponuntur: & malagma citrinum, vel ex fimo caprillo. Vnguentum dialthææ, vnguentum Agrippæ, vnguentum Aregon, axungia gallinæ, anatis, medulla cruris bouis conueniunt. Vsus est etiam ammoniaci, bdellij, opopanacis, galbani, myrrhæ. Quod reliquum est, bibere decoctum radicum scolopendriæ in vase tamaricis, curat lienis scirrhos. Ad idem facit, si vinum bibatur in eo vase. Huius visceris robur conseruat opiata ex conseruis bugloss, borraginis, mithridatio, electario lætitiæ, de gemmis, confect. Alkermes, rasura eboris & cornucerui, cum syrupo de scolopendria. Quæ bibuntur ad duritiem lienis, ea valent quoque ad obstructiones. Plura apud alios reperies iam collecta. Selectiora enim hic commemorasse, nobis abundè est.

De Cachexia. CAP. XXXI.

Malus habitus communis.

Κακχεξία Græcis, malus habitus Latinis, species est ἕξεως, cui διαθέσεως opponitur. Et habitus quidem malus communis est, quique ab omnibus morbis propagatur & emanat, vt communis ad omnia bonus habitus est, inquit Aret. Et ad concoctionem, aut ad distributionem, sanguinis creatio atque omnis naturæ functio inde prouenit. hincque facilis spiratio, validæ vires, floridus color, sed prima omnium sanitas hæc consequitur. Sed & ipse solus citra alios morbos tanquam à principio noua ægritudo gignitur. Vt si ad imbecillitatem vitiosorum corporis humorum (quæ Cacochymia Græcis dicitur) natura conuersa fuerit, id iam malus habitus est, quem Cachexiam nominant. Semper enim illa Cacochymiam coniunctam habet, cùm è contrario non sit necesse, vbi Cacochymia sit, illic esse protinus Cachexiam. Nam quoties ventrem & primas venas cruditas occupat, ea ex nausea, ructu, torminibus, frequenti borborygmo, hypochondrij inflatione cognosci-

Ex cognoscitur. Quoties verò habitum corporis, ex colore prauo, vt si meatus spirituum & caloris obsideat, tum ex pulsus inæqualitate tum ex difficili respiratione. Ex cruditate Cacochymia oboritur à serosis humoribus qui infra sanguinem subsistunt aut supra, nec à natura eiecti sunt. in solidis autem partibus cachexia, id est, deprauatio, qua omne alimētum corrumpunt. vnde multorum morborum origo est. Quanquā Cachexia est quandoq; vitiū singularum partiū, vt reliquo corpore incolumi cerebrū quibusdam melancholicis cachecticon est, & ex longa lippitudine oculi Cachexia inducitur. Sic Cachexia particularis dici posse videtur, de qua acturi sumus, nempe quæ vitio iecoris committitur, seu aquea est, & multorū morborum origo: & quæ vniuersalē Cachexiam inuehit. Habitus autē corporis nomine denotantur maximè partes, quæ primæ oculis subijciuntur, seu musculi, qui omnia ossa ambiunt: cutem complectendo, quæ etiā coafficitur: nec non partes quæ oculis nō subijciuntur, nimirū omnia interna viscera, vt sunt cor, pulmones, vētriculus, iecur, lien. & reliqua præter contenta, & impetum facientia. Est itaq; Cachexia vniuersi corporis emollitio ac velut relaxatio, seu solidarū corporis partiū deprauatio, quæ alimentū omne corrumpūt, seu qua vniuersus corporis habitus in aquositatem diffunditur. Itaq; nō vna pars, sed totus corporis habitus læsus est. Reponitur autem inter symptomata in genere affectuum corporis propriè visilium: vel si respectu essentiæ consideratur, vt est scilicet vitium temperamenti, à quo læduntur actiones nō modò naturales, sed & animales, motrices videlicet, tum morbi rationē habere potest. Est enim intemperies frigida humida, quam necessariò sequitur vitiosus color, seu decoloratio totius. Causa eius est frustrata totius corporis coctio seu nutritio, ob frigidā & humidā vniuersi habitus intemperaturam. Et hæc immodica refrigeratio ac mollities non fit, nisi iecur vel primariò, vel per consensum afficiatur, ac imbecillum redditum sit propter frigidam intemperaturam: vnde frigidior, serosior, ac pituitosior sanguis generatur. Propterea causæ antecedentes sunt longi morbi, vt febres pituitosæ, & alij morbi perducentes ægros ad iecoris & ventriculi languorem, vti

Cachexia quid.

Totus habitus affici-tur.

Quis affectus præter naturam.

Causa.

diarrhœa, dyſenteria, cœliacus morbus, iecoris aut lienis ſcirrhi, retentæ vacuationes conſuetæ, & in ſumma, quicquid poteſt ventriculi aut iecoris coctionem imbecillam reddere, ita vt ſanguis frigidior & aquoſior fiat, vapor verò humidus ab ipſo leuetur, qui extrema, & frigidiores partes impleat. Qua de re ſæpe ex immodica profuſione ſanguinis oritur, ſiue per hæmorrhoidas in viris, ſiue per menſes in mulieribus effluxerit. Hoc mali etiam ex alimentis impuris atque corruptis contrahitur. Porrò imbecillitas dicta diminutam coctionem eruditatemque parit, quæ in venas & habitum corporis (vtilioris vice alimenti) rapta apponitur, agglutinatur, non perfectè aſſimilatur. Sic (vt alij tradunt) impuritas viſcerum ſiue à ſcirrho, ſiue à corrupti humoris effuſione, ſiue ab eorum corrupta ſubſtantia proficiſcitur, vitioſum corruptumque ſanguinem profert, qui dein in partes ſingulas euectus illicque concreſcens, vitioſam efficit nutritionem, vitiatamque ſubſtantiam pro vtili diſſipata reponit. Vnde Cachexia varia eſt, alia cruda ac pituitoſa, alia melancholica, alia aliter corrupta, quę diligenter notarunt iuniores. Fit & per conſenſum ſplenis, renum, vteri, vel propter congregationem aquæ in pulmone, vt quidam volunt. Notæ Cachexiæ ſunt corpus totum cum virore albicans, vel flaueſcens, ſeu pallidum, idemque graue, inualidum, ita vt crura interdum vacillent. Cogitationis mentiſque ſegnities adeſt, animúſque deſes. Plena atque copioſa corporis moles eſt (quo diſcrepat ab Atrophia, in qua extenuatum corpus contabeſcit, & in qua nulla prorſus concoctio. Eſt tamen ſpecies tabis Celſo, aut ſaltem quia corrupto alimento non poteſt bene nutriri corpus, ferè fit vt Cachexiæ Atrophia ſuccedat.) venter flatibus eſt refertus, oculi concaui, ſomni graues, torporem afferentes. In principio coctiones impediuntur, manente etiamnum appetitu à frigido. poſtea faſtidium accedit: & reſpiratio ipſis fit rara ac debilis (ob conſenſum pulmonis ac diaphragmatis) eaque motibus & actionibus condenſatur. Deiectiones variæ & inæquales deſcendunt. Incidit interdum œdema crurum ac pedum, præſertim ſi Anaſarcam præcedat. Vrina & ſudor paucus eſt ob aquoſam humiditatem retentam. Pedes intumeſcunt & oculorum palpebræ:

Signa.

pebræ: à somno palpebræ, ante somnum pedes, sed manè à somno detumescunt. Senes hoc malo maximè capiuntur, qui maximè liberantur, inquit Aët. Sed qui neq; mortem euadunt, inquit Aret. Imò & pueri qui facilè pereunt propter vitalis facultatis imbecillitatem, & quòd ob cutis raritatem in eis facilè succi transpirant. Quod tamen alij falsum existimant. Non enim ob vitalis facultatis imbecillitatem periclitantur, cùm infantes cæteris præstent in functionibus naturalibus: sed potiùs, quòd in Cachexiam incidunt à fortiori causa. Nec cutis rara in pueris est, quod demonstrat Galenus decimo Simpl. & secundo de Temperamentis. Sed excusari potest Aëtius, qui id dixit, quòd cùm pugnantia coniungeret, nempe in aliquem morbum incidere facilè, quod significat causæ paruitatem, ac vi eius facilè interire: causam adhibuit aliam, vitalis facultatis languorem, & transpiratum succorum. Qui autem in vigore ætatis sunt, rarò incidunt, & facilè se extricant, quia iuuenes cutem habent densiorem pueris, ac perinde vapores non adeò facilè transpirantes, qui inflant palpebras & pedes, & laxant corpus, quod rarò euenit ob caloris eorum vehementiam: sed cùm semel ob cruditatem aliquam ciborum euenerit, validus & acris calor facilè arefacit membra, & flatum discutit, accedentibus victu sicco qualis eis conuenit, & exercitationibus. Non est protelanda curatio, quia in aquam inter cutem transit, cuius est principium. Proinde aër ad calidum siccum declinet. Somnus sit moderatus, nocturnus, longus, diutnúsque vitetur. Moderatis deambulationibas vtendum, gestationibus, vociferationibus, frictionibus siccis per linteola ex lino crudo: deinde per vnctionem ex oleo, cui resiccantia immixta sint, vt nitrum, sal. Vel fiant frictiones ex oleis calefacientibus, vt chamæmelino, anethino, laurino, & sale. Balnea etiam aquarum sponte calidarum conueniunt, quales sunt aluminosæ, sulphureæ. Aluus humecta sit natura vel arte, clysteribus, & glandibus. Cibi offerantur simplices, boni succi, & coctu faciles, & exiccantes. Vt turtures, perdices nouellæ, turdi, passerculi, cappares, asparagi conducunt: vt per vrinas humiditas redundans vacuetur. Omnia bellaria vitentur, nidorosa, graueolentia, humoris crassi, vi-

Prognostica.

Curatio.

scosa,& quæ difficulter coquuntur. Vinum sit album, tenue,odorum & potens. Aquæ potus fugiendus est. In summa cùm sit Cachexia in genere symptomatũ quæ in affectibus consistunt,vt ex dictis constat,eius sanatio efficientis causæ abolitio est. Quare si malus habitus ex retẽta vacuatione aliqua euenerit, prouocare eam excretionem oportet,ac venam incidere in cubito, si nil prohibeat, paulatim ac partitis vicib. per triduum sanguinem detrahendo,in ijs præsertim qui ob hæmorrhoidum aut mensium retentionem in hoc mali inciderunt. In ijs verò qui copia vitiosorum humorũ laborant, sanguinis missio noxia est. Quare purgandi sunt medicamẽto ex hiera simplici, rhabarbaro,agarico,myrobalanis,electario indo, diaphœnicо,hiera diacolocynthidos,pilulis de agarico,prout ab initio consueta aliqua vacuatio bilis aut pituitę suppressa fuit. Mirificè autẽ ipsos iuuat absinthij potio:& adhibiti dropaces. Conducũt& theriaca,& Mithridatis antidotus,diacurcuma,dialacca,aromaticũ rosatũ, conditũ de florib. rorismarini, pliris arcoticõ. Ac vtendũ erit eisdẽ antidotis, theriaca scilicet ac mithridatio,si ex immodico sanguinis ,pfluuio malus corporis habitus excitatus fuerit. Pręcipueq; eis confert victus ratio,quæ viribus reparandis sit apta. Per eam enim spes est ægros ad restitutionem in integrũ perueniturus. Perpetuo ex quacunq; causa sit Cachexia,hepati succurrendum,ipsumque roborare oportet: & partes refrigeratæ calfaciendæ sunt,& corporis habitus siccandus. Eadem enim est ratio huius, & imbecilli hepatis, & cum affectu quem præcedit,& quem sequitur. Vt si Cachexia sequitur scirrhum,& vergat in hydropem, victus ratio debet esse exiccans ob humiditatem incipientem,aut serum factum ab intemperie, & imbecillitate hepatis, & attenuans, vt semper causa oppugnetur , ne scilicet materia crassa scirrhum faciens gignatur. Eadem ratio est medicamentorum. Sed cùm habitus vergit in aquam, magis digerentibus quàm emollientibus, magisque siccis quàm fotibus ex oleis vel decoctionibus vtemur. Potest & hic affectus esse cum febre, aut cum fluxu immodico. Tum verò vtriusque habenda est ratio : nempe vt illius causa adhibeantur temperata: huius causa auertentia ex vsu sunt.

Atque

Atque optima ratione victus opus est, & exercitio, nisi fluxus est immodicus. Alioqui frictiones, fiant in partem contrariam. Partes inflatæ, aut sine alio remedio sanãtur: aut fotu vini, in quo elixetur chamæmelum, addito sale, aut alumine. Venter fouendus est oleo nardino, oleo de absinthio, oleo de baccis lauri calentibus.

De Hydrope. CAP. XXXII.

ΥΔΡΩΨ, ὕδρώπισις, καὶ ὔδεμα Græcis eodem significatu vsurpantur. Latinis quoq; Hydrops, vel Hydropicus morbus, vel Aqua intercus nominatur. Quidam tamen ὕδερον interpretantur παρέγχυσιν seu effusionẽ aquei humoris, in raritatem inanitatemq́ue carnis, quod vitium à renibus nasci voluerunt. Atq; omnino Hydropis nomen à symptomate desumptum est, quòd aquosus humor hunc affectum comitetur. Ab aqua enim nomen habet, quia in omni specie aqua colligitur. De Ascite non est dubium. In Hyposarca plus est pituitæ aquosæ, in Tympanite multi flatus sub peritonæo, tandem aqua è venis in spatiũ visceris effluit per anadosim. Apud Hipp. hydropis vox generalius vsurpatur de omnibus partibus in quibus aqua colligitur. nam secundo de morbis hydropis cerebri meminit, & Hydropis thoracis, & ab vtero. Est autẽ Hydrops tumor vel totius corporis ab humore vel ventris tum ab humore, tum à flatu. Tres enim statuuntur eius differentiæ, tum ratione materiæ, tum ratione loci distinctæ. Si per totum corpus humor effusus est, ἀνασάρκα, ὑποσάρκα, κατασάρκα, λευκοφλεγματία, σαρκίτης, ὑποσαρκίδιος, ἢ ἐπισαρκίδιος nominatur. Sin humor vẽtrẽ occupat solũ, Ascites dicitur. Si flatus potiùs, quàm humor, Tympanites. Et Anasarca dicitur, quia spongiæ modo imbuta est caro multa pituita: Hyposarca, quòd humor sit sub carne: vel Katasarca, quòd per carnẽ pituita diffunditur. Vt Leucophlegmatia, quòd pituita liuida constet, vel sui quidẽ ratione semper alba, sed quæ propter mixtionem quorundam aliorum humorum verum mutet colorem. σαρκίτης, ὑποσαρκίδιος, ἐπισαρκίδιος notam etiam habent etymologiam. Vt Ascites nomen ab eo traxit, qꝺ in abdomine tanquã in vtre aqua collecta est, quanuis non omnino sine flatu. Tympanias autẽ cogno-

Hydrops quid.

minatus est, quòd in eodem loco flatu plurimo intercluso cum pauca aqua si pulsetur, tympani modo sonat. Anasarca aqua inter cutem propriè dicta est, quanuis Celsus tria Hydropis genera eo nomine comprehendat. Præterea Hippocrates etiam duo tantum Hydropis genera videtur agnoscere, Ascitem & Tympanitem. Leucophlegmatiam vero, rudimentum Hydropis. Sunt qui ex Aretæo Anasarcam à Leucophlegmatia tanquam quartam differentiam distinguant, vt Leucophlegmatia sit, quãdo totum corpus alba, crassa, & frigida pituita impletur: ita vt totius corporis temperaturam efficiat frigidiorem, & habitum pituitosum. Anasarca verò, cùm caro in cruentam saniem colliquatur, ad speciẽ eius quæ ab vlceribus intestinorum manat. Consensus tamen est veterum ac recentiorũ medicorum, vt non plures quàm tres Hydropis species statuantur: quia vbi vitiatum est iecur, nõ amplius cibos in sanguinẽ, sed in aliam qualitatem transmutat: nempe in pituitosum humorem, vel serosam ac tenuem superfluitatem, vel flatum. Tametsi enim iecur calida & sicca intemperie laboret, vt quando acutos morbos sequitur Hydrops, tamen ex frigida intemperie semper ortum habet, admodũ imbecillo eius insito calore reddito: quo medio sanguinem gignit. quanuis (vt id obiter dicamus) à maiori frigiditate Ascites, quàm Tympanites fiat, quoniam humida materia sine aliquo calore in flatum transmutari nequit. Sic & Leucophlegmatia à frigidiori iocinoris intemperie quàm Ascites, quanto pituitosum excrementũ seroso ac tenui humore frigidius existit. Quanuis autẽ plures sint differentiæ iam commemoratę, vna tamẽ pars præcipuè in omnibus affici videtur: nempe iecur ipsum. Si quidẽ communis cuiusuis aquę inter cutẽ generatio est, vbi sanguificationis officiũ intercidat, cuius facultatis iecur instrumentũ est: siue per se, siue per consensum laboret. Refrigeratur enim perpetuò hepar, eiúsq; causa coniuncta semper est frigus. Antecedens verò vel calor, vel frigus, vt mox dicemus in causis. Fit autẽ per consensum lienis, ventriculi refrigerati, mesenterij, intestinorum gracilium, præsertim ieiuni, pulmonis, renum, septi transuersi, ex quibus omnibus communicatur malum hepati; vt si splen ob scirrhum non

Hydropis differentiæ.

Pars affecta.

purget

purget ſanguinem: aut renes obſtructi, vel imbecilliores non trahant, aut emulgentes. Sic intemperie hepati à pulmone, aut alia parte contracta, Phthiſici & Hectici Hydrope corripiuntur. Eodem modo Aſthmatici aqua in ſpatio thoracis collecta, & in ventrem effuſa. Nonnunquam vitio cyſtis fellis, & poſt Icterum ſæpe Hydrops contingit. Supra dictis etiam partibus propter vicinitatē & vaſorum magnorū ſocietatē conſentit hepar. Inde. n. venarū etiam cōſequitur debilitas quibus ad iecur alimēta transferūtur, ſicq; cumulantur in inferioribus partib. excremēta donec corrumpantur, & grauare incipiant, tuncq; profluuio alui ſæpe corripitur æger. In vacuatione immodica ſpiritu cum ſanguine exhauſto calor extinguitur: in ſuppreſſione ſanguis vel excrementa refluunt in hepar, vnde ſuffocatur.

Affectus quinpraeter naturam.

Cùm verò de parte affecta conueniat inter omnes, de affectu ipſo conſtat quòd ſit ex genere tumorum præter naturam: nempe morbus compoſitionis in quantitate aucta, & excedēte. Vel, Hydrops eſt ſymptoma ex genere eorū quæ fiunt in ſanguinis generatione fruſtrata. Vt ſymptoma vniuerſaliter dictum intelligatur, vel per vitium aquæ inter cutem, eius cauſa immediata comprehendatur, quæ eſt ſymptoma in ſanguinis generatione non peracta, vel non ritè peracta. Nam vt ad cauſas trāſeamus, communis cauſa eſt imbecillitas iecoris, vt obiter iam attigimus, eaque vel primigenia, vel per conſenſum. Primigeniæ quidem cauſæ ſunt intemperantiæ intenſæ iecoris, tumores eiuſdem imbecillam hæmatoſim reddentes, vt phlegmone ſcirrhus, obſtructio. Oritur & ſæpe ex nimia vacuatione ſanguinis menſtrui, aut hæmorrhoidum, aut ob menſtruorum retentionem, aut propter alium magnum vteri affectum. Sic & à contactu chyli frigidioris, & aquæ frigidæ potu, à calore & exercitio, à malo corporis habitu, à Lienteria, Dyſenteria, Cœliaco morbo, longa Diarrhœa. Pulmonis aut thoracis ſuppurationes interdum etiam ſequitur. Multi præterea & à podagra, & coxendicum dolore vexati, in aquam inter cutem inciderunt. Communiter omnis Hydrops ſpirandi difficultatem (quia iecoris moles circa pulmones aliquam anguſtiam facit) tumorem, grauitatem, & vitiatum colorem inducit, ex virore nimirum

Cauſa.

Signa.

albicantibus ægris fastidiunt & cibum: potum autem largiorem plurimum appetunt. febricitant magna ex parte, multum sitiunt, potissimum qui Ascite laborãt propter humores putrefactos & salsos. Et halitus acres sursum conscendentes oris amarorem excitant, etiam si morbificus humor frigidus sit. Sed tres illæ species manifestiùs distinguuntur. Leucophlegmatia toto corpore ex æquo tumet, redditque corpus laxum, ita vt spongiæ modo humorem ebibisse videatur, albicans, pallidum, & emortuo simile. Et si in carnem paulò altiùs adegeris, cauitatem ibi impressam diutissimè retinet. Et quanquam corpus molli tumore grandescit, maximè tamen tibiæ ac pedes, tum aliàs, tum vesperi maximè, & post exercitationem, aut quandiu decliues hæ partes fuerint. Is tumor habet vestigium impressi digiti, sæpe ad femora & scrotum peruenit, quique vesperi ingens in pedibus erat, manè omnem molem deposuit. Interdum pedes non intumescunt iecore nondum sanguificationem vitiante. fit autem circa pedes tumor œdematosus, triplici de causa. Primò sanguis pituitosus suapte natura deorsum fertur, vt calidior & tenuior sursum. Deinde pedes in decliui loco positi sunt, & partibus primariò affectis vicini primi, & maximè noxam persentiscunt, & excremẽta corporis facilè excipiunt. Tertio à calotis & spiritus fonte longissimè absunt. Venter ad contactum crassus est, nihilo tamẽ ferè plus tumoris huic quàm cæteris partibus inest. Spiritus trahitur ægrè, maximè sumptis epulis, febris lenta continẽter afficit, pulsus paruus, creber, & inæqualis est, deiectio cruda, & nõ sæpe subcruenta est. Vrinæ albæ, tenues, & aquosæ. Hoc genus Hydropis ferè febres diuturnas excipit, vitiosumq; ventriculi habitum, & nimiùm compressos, nimiúmve fluentes, tũ menses, tum hæmorrhoides: adhæc spiritus longam difficultatẽ, & immodicam vigiliam. Ac præcessit sanguinis pituitosi generatio, ex cibis, potibus, & reliqua viuendi norma, aliisque quæ iecur ac totũ venosum genus infrigidant. Tympanias Hydrops siccus dicitur. Humidus verò Ascites ab vtris similitudine, in quo materia collecta non est aer flatuosus, sed aquosus humor. In Tympania venter minus, quàm in Ascite habet molis, sed tenditur vehementer, vt percussus tanquam

tanquam tympanum ſonet. Idem parum fluctuat, ſed leue murmur ac quendam veluti rugitum exhibet: frequens ructus deſiderium eſt, eoq; edito leuari aliquantulum homo videtur. Pedes non vſque adeo vt in cæteris generibus tument, reliquum corpus extenuatur. Sæpe hoc malum ſuperuenit longis febribus, languoribus ventriculi, & eiuſdem ac inteſtinorum inflammationibus, & leiſthis iecoris, ventriculi, vteri ac peritonæi. Sequitur & hoc malum ſæpius ventriculi & coli inflationes. In Aſcite totum abdomen cum quodam grauitatis ſenſu intumeſcit, aqua plurima ventrem diſtendit, interdum dolores inferens vehementes: cumq; venter impellitur, ſonum collecta permotaq; intus aquæ præbet, qualis ab vtre non omnino aqua pleno redditur. Extenuantur reliqua membra, quanuis aliquando malæ, oculorum palpebræ, & pedes intumeſcant ob vaporum copiam, qui ab aqua eleuantur. In Aſcite humor modò intra ſpatium abdominis includitur, modò pars eius aliqua in ſcrotum, & in femora, ac pedes delabitur, maximeq; poſt exercitium. Sæpe etiam ad pectoris penetrat ſpatium, & intra ipſum etiam vterum: vtique cùm iã magnus morbus, & vetus eſſe cœpit. Vbi diaphragma à tumore comprimitur, ſpiritus fit difficilis, ferè vehemens adeſt ſitis, pulſus paruus, frequens, ſubdurus, atque lentus eſt, vrina perpauca meiitur, eaq; ferè craſſa & rubicunda eſt: vtique ſi à iocinore ortum primò malum fuit. Subinde febricula corrupta intus aqua naſcitur. Et hic Hydrops excipit tumores duros veteresq; meſenterij, iocinoris, lienis, vteri, itemq; ardentiſſimas febres, & ex viſcerum noxa contractam diuq; immoratam auriginem. Fereq; eos adoritur, qui propter viſcerum ruptam vel exeſam venam, crebrò ſanguinem vel vomitu, vel aluo reddunt. Cæterùm humor qui in Aſcite colligitur, à iocinore & inteſtinis, & ab omento reliquiſque partibus nonniſi aquam loco ſanguinis habentibus, in eam capacitatem exudat. Quod non minùs videtur mirum, quàm eius humoris portionem nonnunquam in femora & pedes (vt paulò antè dictum eſt) maximè poſt inambulationem, interdum in ſcrotum, veluti cuniculis ſibi inuſitatam viam parare, & nonnun-

quam in thoracis ſpatiũ atque vterum irrumpere. Quamuis alij ex recentioribus aliam comminiſcuntur viam, ſed hæc longè veriſimilior eſſe videtur. Aqua in hydropicis vel per venas in omne corpus permeat, vt in leucophlegmatia: quanquam hæc etiam habitus corporis refrigeratio ſine magno hepatis vitio ſæpe fit, quod vrinæ oſtendũt, vel anguſtis cæciſque poris, aut exeſo, aperto, rupto, fiſſo vaſe aliquo ſine ſanguine ſola, vti ſolet, per renes excidit, & in abdominis capacitatem illabitur, vt in Aſcite. Interdum etiam ex hepate ſerum redundans intra ambientẽ membranam quæ integra eſt, colligitur, & veſiculas aquæ plenas concitat. Quæ materia ab hepate manat vel per venas, atque ita potius ad inteſtina, vel per ſuperficiem & membranam in omentum exudat. Quibus verò meatibus id fiat non facilè dici poteſt. Experimenta docent naturam quemcunque liquorem coxerit, ſtillatim colare non per meatus manifeſtos, ſed per anguſtos quoſdam cæcoſque poros. Leucophlegmatia ſola frigiditate diſtat à pituitoſa cachexia, quòd in illa plus, in hac minus tumoris inſit, quódque tumidiorem habeat corporis vitiatam molem. Hydropes à tumore iocinoris orti, arida tuſſi, deiectionúmq; paucitate, & duritie diſtinguuntur à cæteris. Signa etiam diſtinguẽtia Hydropem à geſtatione vteri quædam ſunt. Ab vmbilico infrà prægnantis venter extenditur: in Hydrope infrà ſupraq;. Aqua inter cutem minùs fœminæ, quàm viri tentãtur. Pueri verò plurimùm Hydrope Sarcite corripiuntur: & is quandoque curabilis eſt. Tympanites omnino eſt periculoſus, minùs eo Aſcites. (Alteratrix facultas magis aberrat à ſcopo in Tympania, quàm in Aſcite, vt quidam aſſerunt.) omnium minimè Anaſarca. Tympanias tamen ſecundum Oribaſium alijs Hydropibus minor eſt. Prꝛterea Aſcites remedijs promptiùs obedit, quàm Tympanites. De his & alij ſic: Anaſarca cæteris ſpeciebus faciliùs curatur, quoniã naturæ vim arguit, quæ in omnes corporis partes humorem trudere poteſt. Cæteræ ſpecies difficiliùs curantur, quòd & aqua & flatus in vnum coacta ſint. Virtus autẽ vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa. Sæpe hoc malum per ſe incipit. Sæpe alteri vetuſto morbo, maximéque quartanæ ſuperuenit. Iuxta hæc ſcribunt alij, quòd in hydrope

Prognoſtica.

hydrope interdum natura contra morbum suas vires interdum excitat, atque alij alui profluuio liberantur, alijs & pituita & flatus in halitum discutiuntur, vt detumeat venter. Quidam sudore multo per laxiores poros abdominis & per fœmora maioribus guttis effluente conualuerunt. Idem rectè medici artificio tentatur. Nonnullis salutaris fuit nauigatio maritimo halitu vomitum concitante, siccante pituitam, atque resoluente. Interdum salutare fuit vlcus in cruribus modo spontaneum, modo igne comparatũ. Verum hos omnes ἰναπλάγχνους esse oportet, id est sanis firmisq; visceribus, alioqui tumore subsidente & larga per aluum effusa aqua siue sponte siue arte, paulò pòst moriuntur. Ab insania, difficultas intestinorũ, hydrops aut ecstasis, bonum, translationis materiæ ratione conuersis deorsum noxijs humoribus. Ex pulmone hydrops est à thorace. Inter initia curatio minùs difficilis. Si malum inueterauit, faciliùs in seruis, quàm in liberis tollitur: quia promptiùs his succurritur qui coguntur. Ferè aqua repletum iri timor est, cui sanguis vbertim suprà infráve erupit: itemque febris accessit, ex quo casu vix quisquam euadit. Morbo incipiente, si aluus sponte profluit, principium secundæ valetudinis facit. Securior censetur Hydrops, qui lienis, quàm qui iocinoris secutus est tumorem. Securissimus qui nullo antecedente morbo cœpit: vtique si firma sunt viscera, si nulla aut tussis, aut linguæ ariditas præcipuè à somno, quo tempore accidere illa maximè solent; adhæc si nullum cibi fastidium, eoque sumpto nulla homini molestia est: si venter mollis est, vel extenuatur: aut si excrementum fuerit molle ac figuratum: si vrina mutatione potionum, aut epotis medicamentis, ipsa protinus demutatur: si homo expers doloris & caloris, & lassitudinis est, morbumque facilè sustinet. Qui hæc omnia habet, tutò laborat. Summum periculũ significatur, si is morbus calidum siccúmque corpus ac simile iecur occupat, si ex acuto morbo cœpit, si durum iocinoris vel lienis secutus est tumorem. Sic enim nunquam, aut certè vix vnquam sanescit. Metus augetur, vbi in eodem morbo sicca tussis oritur, aut fluxio sanguinis, alteriúsve qui hominẽ non leuat humoris, maximè si spiritus manet difficilis, & ipsa in tormina vertitur

deiectio. Tum enim ægrum tertius ferè proximus dies tollit. Tutum quoque non est comitiales affectiones accedere, malè olere spiritum, itémve sputum, aut sudorem, aut vniuersum deniq; corpus: adhæc vbi febris quoq; accessit, vrinam modicam atque turbatam esse, aut vbi aqua iam medium corpus impleuit, sanguinem sursum deorsúmve aliqua parte prorupisse: præterea sublatũ morbum sæpius & breuibus interuallis reuertisse, multoque magis idoneis agitatum remedijs remittere non potuisse, stabilemq; & inconcussum corpori inhærescere. Ad extrema ventũ est, vbi sub infirmis viribus incipit profluere aluus, simulq; ingens spirandi difficultas vrget, vbi praua vlcera grandiaq; in ore, gingiuis, tibijs, aut alia denique corporis parte oriuntur; vbi veluti concretus sanguis ab aluo deijcitur: vbi vrina diuersis matulæ regionibus diuersos colores exhibet, sic vt infernè rubra sit, supernè liuida, aut contrà. Cita quoque mors occupat, si cùm quis secatur aut vritur, aqua ex ventre simul semelq; omnis effusa est. Vlcera in corpore facta aqua inter cutem laborantibus difficulter sanantur. Non fidendum detumescenti aluo, siue citata aluo sponte vel medicamentis, aut pituita in halitum discussa, aut sudore multo, aut vrina copiosa, aut vomitu, aut vlcere in cruribus. Hepatis vitio manente, & noua materia regenerata, recrudescit malum. Neque sectio neq; vstio prodest nisi quia aliquandiu symptomati occurrendo vitã producunt.

Victus ratio.

Curationis autem pars longè principalissima est victus ratio legitima, nedum in Hydrope, sed & in alijs omnibus affectibus potissimùm periculosis. Quapropter ea accuratè instituì debet. Igitur communem omnibus hydropicis victus rationem describemus. Aër vitetur frigidus atq; humidus, qualis pluuius, nebulosus. Et ad calidum siccum vergat, naturâ scilicet partis anni, vel nostrâ industriâ, luculentis ignibus excitatis, aut suffitibus aromatum. Lectus sit non valde mollis, ijs præsertim qui Anasarca laborant: substernanturque herbæ resiccantes, vt pulegium, origanum, calamentum, vitex, & consimiles. Opercula, seu operimenta quibus teguntur, apparentur duriora. Mirum est quantũ huiusmodi resiccent per somnum, vt cõstet quosdam frumenti aceruis obuolutos, & absconditos, à somno surrexisse

surrexisse firmos ac reficcatos. Somnus sit moderatus, aut paulò breuior cõsueto. Vigilia enim salubrior videtur, quia digerendo exiccat. Exercitatio quoq; apprimè confert: nisi magna ex tumore spirandi facultas prohibeat. Motus verò præcipuè iuuat, qui fit per mare, equum, & lecticam. Ambulatio quoque ijs qui viribus valent est præcipienda, & quandoq; currere, quam gestari satius est. Imò exercitatio, si æstas & dies serenus fuerit, in sole fit, capite tamẽ velato. Sin frigus est, fit in igne calefactis. Post exercitia, sudores per lintea asperiora detergantur. Obuoluendi etiam ægri in pellibus sole vstis, aut in arenam calidã defodiendi. Pariter frictiones conferunt, quæ meatus rarefaciunt, humores extenuant, ac discutiunt. Et vt alij addunt, superiores maximè partes fricandæ sunt, vt spiritum contineãt. Perfricentur verò manibus aridis ex sale in aqua aut oleo calfaciente trito. Valent hæ frictiones ad excitandum calorem natiuum, digestionis futuræ authorem. Quin & euocandus est sudor non exercitatione tantùm, sed & in arena calida, vel laconico, (vulgò stufis siccis) vel clibano, maximeque vtiles sunt naturales & siccæ sudationes. Propterea aquæ aluminosæ, sulfureæ, aut salsæ lauãdi sunt. Nonnullis enim qui Anasarca correpti fuerunt, & balneis huiusmodi assueuerunt, ea ipsa ad deterendum morbũ, tum ad habitum valentiorem reddendum suffecerunt. Aluus quoque lenis natura, vel arte seruanda est. Quòd si sponte profluat, & in hoc re modum excedat, vt sæpe fit, supprimi fluxio debebit. Cæterùm cibus sit ex media materia, sed tamen generis durioris. Sit & coctu facilis, & sufficienter coactus. Exolutus enim aptus est, vt in aquositatem commutetur. Panis clibanites est optimus, qui salem, anisum, fœniculum, aut cuminum habeat admixtum. Is etiam debet esse admodum fermentatus. Sic enim minùs astringit, vel obstruit. Ex auibus conueniunt sicciores, quales sunt montanæ, & perdices nouellæ, turtures, turdi, merulæ, alaudæ, coturnices, columbi, & reliqui minuti passerculi. Ex mansuetis & cicuribus, pulli gallinacei assi, extremæ suum partes: quanquam feræ mansuetis præponi debent. Quare ex quadrupedum carnibus commendant eas quæ non sunt pingues, præcipuè ceruinas, aprinas,

caprarum, leporum, quarum ius paretur cum rapa, caucalide, coronopo, eryngio, pastinaca, porro capitato, ac alijs præsertim hominibus ruralibus. has easdem maximè assas, si gratæ sint, assumere non est alienum. Quamuis quæ difficulter coquuntur, insalubria sint: quoniam alterabilis facultas imbecilla est. Verùm tam assatis quàm elixatis semper aromatica quædam redolentia adijciantur: præsertim cinnamomum, caryophylli. A leguminibus abstineant in totum, ab omnibus dulcibus, à bellarijs, à fructibus fugacibus, à iusculis multis, à cibis frumentaceis, ab oleribus. Inter bellaria tamen conceduntur palmulę, nuces, amygdalæ, vua passa. In vniuersum accipiant maximam ciborum partem in cœna. Quandoque etiam assatas cochleas, atque oua superassata gustare poterunt. Cibus item sit omnino paucus, vt natura aquas illas resoluat. Pro potu vinum sit tenue, album, antiquum, aut fluuum, & quod vrinas moueat. Si tamen causa sit calida, vinosum, minus conuenit. Acetum mirificè illorum sitim restinguit. Et vbi humiditati caliditas coniuncta fuerit, acetum optima medela censenda est. Aqua omnino interdicenda, & tantum potus concedendum, quantum vitam sustineat: optimaque est potio quæ vrinam mouet. Imo quidam scripsere, ne aquam quidem illis spectandam esse: quòd siti inexpleta cùm torqueantur, visa illa ad bibendum incitentur. Scimus voluntate sitim victam, vt in Iulio viatore, ex Plinio. Si intensa est sitis, parum quid delibandum solatij gratia. Dulcia vina, & vinum mulsum fugienda sunt. Ex vinis factitijs deligatur absinthites, vel quod spicam nardi recipit, vel apiatum: cæteris abstineant. Quod ad reliquam spectat curandi methodum, commune remedium est humoris redundantis vacuatio. Quanquam Ascites & Tympanites purgans medicamentum duntaxat, quod aquam educat, requirunt, Leucophlegmatia, si ex retentione hæmorrhoidum vel mensium in fœminis, vel alia quadam plethorica causa excitata est, sanguinis detractione indiget. Tum enim sanguis vtrinque vacuari consuetus, in vasa & hepar regurgitat, & calorem natiuum prę copia, & crassitie, & qualitate sæpe aliena strangulat. Sed vt dilucidior tota res sit, singulis tribus Hydropis differentijs sua coaptanda

Medendi ratio.

coaptanda sunt remedia. Atq; vt à Leucophlegmatia exordiamur, initiò vena secetur, si est ex causis prædictis. Tametsi enim sanguinis missio frigiditatis ratione haud conueniat, tamen quia copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illam effectam superet, cõsentaneum est venam secare: eam scilicet quæ redundantiam ab oppleta particula vacuet. Interim plenitudo, ac vires considerentur. Si ob copiam frigidior est sanguis, vbi calor natiuus propè extinguitur, interna dextri cubiti vena secetur, quæ plurimũ ex partibus principibus euacuat. Fœminis crura & talos scarificare docuit Galenus, & eo remedio sæpe malus corporis habitus sanatus est, prestatq; paulatim & tutò vacuare, quàm festinanter vnà cum morbo ægrum tollere. Vbi ex quauis alia causa originem traxit Anasarca, copia pituitosi excrementi per vniuersum corpus redundantis purgante medicamento vacuetur. Vtendum verò purgatione per vices à leuioribus inchoando: deinde ad valentiora transeundo. Prius tamen coquatur humor, ac viæ referentur syrupo ex absinthio, de radicibus, de eupatorio, de bizantijs, oxymelite simplici, vel scillino, syr. ex hyssopo, cum aliquo decocto attenuante & aperiente: vt cum decocto radicum apij, origani, calamenti. Quibus exhibitis purgetur puluere hieræ simplicis, agarico, rhabarbaro, sero lactis caprini, & similibus. Hiera autẽ maximè confert: quia obstructiones tollit ac viscera roborat. Iterũ propinentur quæ maiorem vim habent attenuandi ac aperiendi, & ad ea quæ valentiùs purgant veniatur, vt ad pilulas de agarico, vel ex rhabarbaro, ad pilulas aureas, rhabarbarum cum spica infusum, ad diaphœnicon, electarium indum, diacarthami. Singulis septimanis aluus deijcienda est. Postea quę mouent vrinas, præcipienda sunt, vt est daucus, seseli, cardamomum, decoctum radicũ asparagi, trifolij, decoctum absinthij. Reliquo tempore quo abstinemus à purgantibus, exhibentur quæ iecori robur addunt: quales sunt pastilli diarhodon, de rhabarbaro, aromaticum rosatum, dialacca, diacurcuma, pastilli de eupatorio, theriaca, mithridatium, iecur lupinum præparatum cum aqua mulsa. Maximum auxilium præstat vomitus. Extrinsecus adhibeantur quæ vim habent exiccandi & digerendi humorem a-

Leucophlegmatia curatio.

quofiorem. Item quæ iecur corroborant, vti oleum de absinthio, nardinum, puluis absinthij, menthæ, eupatorij, baccarum lauri, cum anisо, cinnamomo, caryophyllis. Volutationibus etiam in puluere vtendum, vt dictum est. Fluuiatiles arenæ ac marinæ communē vim habent omnium lapidum, & exiccant tumentem carnem, ægroto in eis calefactis decumbente. Fiant & cataplasmata ex hordeacea farina, fabacea, fœnugræco, baccis lauri, absinthio, origano in vino decoctis. Si corpora sint teneriora, cataplasmatis magis reprimentia addantur, vt malicoriū, rhus culinarius, mala cotonea, myrti baccæ, vitis pampini. Hæc cataplasmata reficcant, & vlceribus firmitatem reddunt. Item stercus bubulum reficcatum, vel cochleæ crudæ seu vstionē non expertæ imponantur vnà cum testis toti ventri aqua inter cutem laborantium: quamuis vt in Arthriticis articulorum tumoribus ægrè diuellantur. Agglutinantur enim, neque discedunt, priusquam humor vniuersus reficcetur. Vel fermentum etiam admoueatur sale multo commixtum: aut panis cum puluere hyssopi, fabacea farina, aqua marina, & melle coacta. Caseus quoque recens multum coaguli habens, optimè ad omnes tumentes partes impositus facit. Ac stercoris columbini & caprini, buphthalmi, & chamæmeli æquales partes tusæ, in acerrimo aceto & melle coctæ adhibentur. Et emplastra ex caricis, nitro, iride, meliloto, saluia, pulegio, cardamomo, sulfure viuo, baccis lauri, fimo columbino cum oxymelite componuntur. Cærata pinguia & resinosa, vt quæ inflent, & tumores (eo quòd diffluationem impediunt) distendant, vitanda sunt. Vnguentū Agrippæ, dialthæas, & similia conueniunt. Vbi prædictis affectio non cesserit, fissuræ circa talum internum infligantur, vt in loco quatuor digitorum spatio supra talum eminente: ea profunditate, qua quis in sectione venæ vtatur. Neq; hîc est periculum, vt in pertusione. Et si quis velit excretione plurima facta eam cohibere, nil vetat tales fissuras linamentis obturare, ligamentisq; constringere: atque rursum vbi velis laxatis ligamentis, & ablatis linamentis, gestatoq; ac moto ægro excretionem irritare. Ascites verò sic curandus est: vt in primis medicamentum purgans postulet citra venæ sectionem. Se-

Ascites extractio.

rosus

rosus itaq; humor & tenuis præparetur syrupo è corticibus citri, mçlle rosato, oxymelite: dein purgetur puluere hieræ simplicis, agarici trochiscati, rhabarbari vigorati. Et deinceps iterum syrupo de bizantijs, ex duabus radicibus, oxymelite scillino, de eupatorio, de absinthio cum aqua fœniculi, melissę præparetur, ac purgetur pilulis de agarico, rhabarbaro, cum puluere hierę, vel puluere ex Mezereo, additis kebulis myrobalanis. Itē ℥. succi ireos ʒ ij. aquæ mulsæ ʒ ij. (Purgat autem validè is succus.) ab alijs datur cum saccharo, vel ouo sorbili. Aut ℥. succi cucumeris syluestris ℈ ß. cum aqua mulsa propinetur. Brassicę quoque marinæ succus optimè aquam purgat. Sit autem pondus à ʒ j. ad ʒ ij. Idem facit coccus Gnidius. Confert & decoctum radicis sambuci seu ebuli pro aqua educenda. Sed brassicæ marinæ vsus ventriculo aduersatur, & vires dissoluit. Neq; ex vero mezereo dictæ pilulæ parantur. Et eædem in ventriculo diutiùs immorantes possunt aliquam partem lædere. Lac caprinum hydragogum est Mesue. Antimonium fortasse à quibusdam vsurpatur, hoc tempore: sed videtur reijciendum propter eius deleteriam vim, qua vētriculum malè afficit. Et hydragogis phlegmagoga permiscenda sunt. Fieri enim non potest quin propter caloris imbecillitatē multa pituita colligatur, quæ hypochondria oppleat. Diuretica deinde dantur, quæ maximè faciunt ad Ascitem, vt decoctum radicis asparagi, calamenti, pulegij, origani, addito cinnamomo. Aut ex decocto graminis, eryngij cum anisо, cinnamomo, eupatorio. Decoctum Guaiaci vel chinæ potest commodè imperari ad sudoris prouocationem. Valet & ad roborādum theriaca, mithridatium, dialacca. Interim adhibentur clysteres ex decocto ireos, ceutaurij, pulegij, rutæ, origani, cum hiera picra, benedicta, hiera Ruffi, oleo laurino, irino, anethino, rutaceo. Sic & olea, emplastra, cataplasmata quæ admouentur, sunt discutientia: & superinspergitur puluis cumini, anisi, fœniculi, caryophyllorum, ammoniaci, galbani. Valet & hîc vnguentum Agrippæ, dialthææ. Aliud fit ex stercore caprino, oleo irino, & aceto. Aliud. ℥. stercoris caprini, bubuli ana ʒ iij. pul. absinthij ʒ ij. succi ebuli ʒ ij. Fœminis pessulus quandoq; immittitur, ex anisо, cumino,

cardamono, aristolochia, pulegio. A nostris etiam ventri admouetur emplastrum de baccis lauri, mistum cum stercore caprarum, vel vaccino. Cataplasmata parantur ex farina fabacea, lupinorum, fœnugræci, loliacea, althæa, & caricis: ex stercore bubulo, cum quarta parte sulphuris. Similiter ℔. stercoris bubuli partem vnam, & caprini tantundem. Sinapismi, diaspiraton, animalium stercora calida conueniunt. Phœnigmi ex radicibus scolopendriæ, ranunculorum, & similium emplastri modo impositi, ad decem horas præscribendi sunt. Oportet vesicas configi, & vlcera aperta seruari, suppositio folio brassicæ vnctæ butyro, vel oleo. Permittitur aqua fluere ad sexaginta dies. Scarificationes quoq; conueniunt. Paracentesi quidam sanati sunt, hoc est punctura ventris in quinq; partibus facta non penetrante, eis partibus expurgata aqua. Pauci tamen liberantur apertione, nec eam licet exercere, nisi vbi alia remedia non profuerint, atque decet eo tempore constantem habere facultatem, facta scissura priùs in abdomine. Parum autem supra hanc fiat peritonæi sectio, vt abdomen operiat ipsius sectionem. Interim vires confirmare oportet. Quantum aquæ vacuatur, tantundem colligitur propter ipsius hepatis vitium confirmatum: ideo paracentesis parum proficit. Quidā cauteria admouent cruribus multa aqua plenis, & tibijs, vt portio aquæ quæ influit, vacuetur. Fit etiam suffitus per lapides ignitos, irrigatos decocto foliorum lauri, rorismarini, saluiæ, origani, sambuci. Tympanias verò prioribus similem victus rationem expostulat. In ea tamen præcipuè vitanda sunt flatuosa omnia. Exercitia multa, sitis ingens strenuè succurrunt. Postulat etiam purgantia medicamenta, & quæ vniuersum corpus emaciant, nec non diuretica. Et quæ extenuare ac digerere spiritus flatuosos possunt, cùm extrinsecus tum intrinsecus adhibere licet. Serosi enim ac tenues in eo redundantes succi, in flatuosum humorem transmutantur. Vitanda tamen sunt quæ corpus nimis emaciant, & colliquant, & ex vrinam mouentibus quę efficaciora sunt. Purgantia sint catapotia de agarico, & rhabarbaro, pilulę aromaticæ cum agarico iunctæ, diaphœnicon, diacarthamū, infusum agarici. detrahenda est pituita phlegmagogis.

Tympania curatio.

Non

Non enim fit Tympanias sine humoris cum flatu commixtione. Ac perpetuò antidotis prædictis adijciantur quę flatus dissipant, vt diacuminum, dianison. Clysteribus etiam vtendum qui valde discutiant, ex decocto cumini, anisi, rutæ, centaurij, cum oleo anethino, rutaceo, hiera picra, benedicta laxatiua, antidoto de baccis lauri. Glandes etiam immittendæ ex melle tosto, cumino, sale, hiera picra, succo cucumeris sylvestris arido & sale. Calor natiuus excitetur vsu tabellarum calidarum, aromatici, dianisi, diacalaminthes, diatrium pipereon, & similium: litu vētriculi ex oleis & fotibus. Venter foueatur saccellis paratis ex milio, sale, furfure, semine anisi, fœniculi. Cucurbitulæ quoq; toti ventri affigantur. Cataplasmata item fiant ex commemoratis, additis flatum discutientibus: vel ex stercore caprino, bubulo, columbino, farina fabacea, seseli, cumino. Fiunt etiam fotus diaphoretici, linimenta, vaporaria, & huiusmodi. Vsurpatur & emplastrum de baccis lauri, de meliloto cum stercore caprarum, cauendo regionem hepatis: quia à causis calidis hoc malū ferè suboritur. Ascites verò à causa fit quandoq; calida, quandoque frigida. Fit & nonnunquam seri collectio ex retentione vrinæ, vt si ob calculos in vreteribus contentos aqua nō descendat in vesicam, retrocedit, & habitum corporis sero replet: vt corpus tumidum appareat sine hepatis læsione. Nam si calculus deturbetur deorsum, vrina fluet, & redit corpus in suam naturam, & vt citò fit, citò curatur. Ex colliquatione item & resolutione succorum qui sunt in venis, eisdem in serosam saniem solutis, vbi renes eos trahere non valeant, subitanei flatus oriuntur, venis in vētrem mittentibus, aut toti corpori id partiētibus. Et de hac nedum sanguinis, sed totius corporis colliquatione paulò pòst. Si febris complicata est cum Hydrope, omnia valde calfacientia cauenda sunt: quia sitim augent, febrem incendunt, causas inflammatas exurunt & malum intendunt. Curatio igitur adhibenda est, vt circa id quod magis vrget insistas, altero non neglecto. Et vbi febres apparuerint, refrigerantia potiùs exhibenda sunt. Qui anasarcā à Leucophlegmatia distinxerunt: Anasarcam à serosa colliquatione, seu à resolutione succorum proximè dicta oriri aiunt. Agnoscetur autem

Febris cum Hydrope.

ea affectio colore inter pallidum & viridem, carnis mollitudine, virium collapsu, somno graui, & ciborum inappetentia, totius corporis refrigeratione, liquidis deiectionibus. Horum autem curatio difficilis est, siquidē totius naturæ euersionem emendare oportet exiccatione, calefactione iecoris, ventris, & totius habitus, per ea quæ dicta sunt ad Leucophlegmatiam facere, citra sanguinis missionem, aut purgationem: sed frictionibus, vnctionibus, vrinæ prouocatione, & potu exiccantium vti conuenit, vt iuniores præcipiunt.

De Diabete CAP. XXXIII.

PROXIMÈ à nobis pertractatum est de affectionibus instrumentorum, quæ repurgādis duobus excrementis coctionis venarum, bilioso nimirum & melancholico deseruiunt. Superest de renum affectibus agendum, qui tertium vtpote tenue & aquosum repurgant, quod vrina nuncupatur. Itaque quæ circa eius segregationem eueniant symptomata, scrutabimur. Inter quę nonnulli affectus ipsam impediunt, alij deprauant. In quorum numero ponitur διαβήτης, sic dictus ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν, id est à permeando, ob celerem vrinæ transitum seu traductionē, non aliter quàm aqua traducitur per syphonem, quem mechanici vocant διαβήτλω, teste Columella. Idē affectus appellatur διψακὸς à siti inexplebili, vel ὕδρωψ εἰς ἀμίδα, seu aqua intercus ad matellam, hydrops matellæ, seu διάῤῥοια εἰς οὖρα, id est vrinæ profluuium, propter magnam vrinæ copiam quam excernunt. Ita prout variè consideratur affectus, varia nomina sortitus est. Et Latini nullum peculiare nomen dederunt: vrinæ fluor dici potest. Diabetes igitur est affectio diuturna circa renes existens, & multū potum inducens, vna cum hoc quod quicquid bibitur, simul vt acceptum est, reijcitur. Vel Diabetes est potionis transmissio, qualis assumpta est, seu vrinæ multæ & crudæ cum magna siti effusio. Et hic affectus ex Galeno læuitati intestinorum quòd ad transitus celeritatem pertinet, potissimùm ei in qua ciborū vehemens cupiditas excitatur, persimilis est, nec non caninæ appetentiæ: vt notant iuniores.

διαβήτης.

διψακός. ὕδρωψ εἰς ἀμίδα. διάῤῥοια εἰς οὖρα. *Diabetes quid.*

Per

Per eam namque cibi validè appetuntur, sed tracti ob imbecillitatem ventriculi non retinentur. Deficiente rursum alimento alterum appetitur, quod tractum deijcitur, nequeunte ventriculo præ imbecillitate cibos retinere. Sic renes à vehementi calore trahunt potum à iecore: iecur à ventriculo. Tractus potus minimè retinetur, sed sua grauitate delabitur in vesicam. Hæc non trahit, sed recipit, sicuti neq; intestina trahunt à vētriculo, sed ab ipso per Lienterias præ imbecillitate delabuntur in intestina. Hæc verò grauata contentos cibos celeriter excernunt. Sic in renib. trahitur potus celeriter. Renum igitur imbecillitas accusanda est, & non ventriculi, aut intestinorum præsertim tenuium, atque aliarum partium, per quas potus transire solet. Affectus verò symptoma est in genere excretorum immodicè excedens à statu naturali, nedum in quantitate, sed & qualitate: idque noxam functionum consequitur ipsorum renum. Tres verò facultates læsæ sunt: attractrix primò & deprauatè, quando immoderatè attrahit. Subsequitur retentricis facultatis noxa, quæ adeò imbecilla est, vt ablata dici possit. Hanc eandem consequitur alterationis ipsorum ablatio seu extinctio. Sed plures esse possunt causæ huius affectionis, calida & sicca renum intemperies: humor bilioſus, acris, salsus, renibus impactus, quos assiduè irritat ad attractionem: (vnde insatiabilis appetentia potus, vt in canina appetentia insatiabilis ciborum cupiditas ex vitioso humore qui stomacho imbibitus est, vt dictum est.) vel morbus aliquis acutus in renes firmatus, & per crisim malignitatem suam deponens, vel ibidem latenter malignum virus relinquens: & venenum aliquod deleterium ex eorum genere quæ vesicam & renes infestant, quale est quod à Dipsade funditur. Quibus adde seri tenuitatem, & bilioſum temperamentum. Sunt tamen aliæ huius affectus species duæ, quarum alteram à colliquatione renum, alteram à totius corporis dissolutione pendere existimant. Alij alias comminiscuntur causas Diabetis, meatuum vrinæ dilatationem aut vehementem algorem aquositatem exprimentem. Et quamuis diabetici sæpius meiant, differunt tamen ab alij ἐριτικοῖς quos οὐριτικοὶ Græci vocant, nos sæpius meientes idque ratione vesicæ,

Pars affecta.

Affectus quis præter naturam.

Causæ.

nempe quum vel defluxione & multitudine vrinæ, vel frigore, vel ictu, vel casu, vel vulnere, aut similibus, nerui qui musculum claudunt, resoluuntur: tuncque præter voluntatem vrina noctu diuque effluit. Cui & vicina est alia affectio eorum qui non satis vrinam continent, sed stragulas nocte permingunt: vt senes propter siccitatem, pueri propter laxitatem & mollitiem. *Signa.* Hic igitur vrinæ fluor intelligitur, (vt ad notas veniamus) quum potio non multò pòst quàm sumpta est, nihil ferè demutata immodicè sub aquæ specie cruda meitur. Ingens sitis continuò afficit, quæ potatione sedari nullo modo potest. Potum enim auidè renes attrahunt, antequam scilicet coquatur in ventriculo, sed propter imbecillitatem non retinent. vnde vrina aquosa & tenuis redditur; (licet ingens sit calor) quia breuiore mora retinetur, quàm vt coctionem & tinctu-ram capiat. Et quod bibitur, sæpe id maiore copia meiendo redditur, quàm qua sumptum fit. Totum etiam corpus eo modo consumitur, ac velut liquescit, & in aquam resoluitur, viriumque dejectio consequitur. Non modò serum, sed & humores solidarum partium exugunt venæ, & quicquid deinceps attrahentibus renibus emingitur. Rara hæc affectio, & in ardoribus nascens. Venter aridus est. Nonnullis lumbi, coxæ, testes, maximeque pedes leuiter intumescunt. Omnia fastidiunt, animo sunt dubio, os siccum, saliuam habent spumantem & albam, præcordia grauia. Quòd si amplius increscat morbus, & calor mordax in visceribus augetur, abdomen corrugatur, venæ *Prognostica.* intumescunt. Id genus mali diuturnum est, & cum recens est, curari debet: quia cùm in vetustatem incidit, ægrè curatur, corpus liquefacit, atque in marcore consumit, vt diximus. In febribus ardentissimis accidit, in quibus est incurabilis. In alijs ægrè sanatur, quia non facilè deprehenditur. Eius principium & incrementum vix percipiuntur, sed dum ad statum peruenit, noscitur, adeò vt subitò videatur aduenire. Et quanto plures actiones ac facultates impeditæ fuerint, tanto deterior est morbus, vt in Diabete contingit. *Curatio.* Pro cuius curatione præcipui scopi sunt, vt refrigerentur renes, confirmentur, contemperetur corpus vniuersum, & humectetur: seu, vt alij volunt, humorum acrimonia

acrimonia deleatur, sanguísque ac cum eo permistus serosus humor ad motum tardior reddatur, & renum intemperies corrigatur. Itaque vitæ ratio omnino sit frigida tum actu, tum potentia, & ad humidum deuergat. Somnus solito longior sit. Quies iniungatur. Brachia oleo chamæmelino fricentur. Aluus sit lenis, cùm hîc iecur calidius euadens ventrem sicciorem efficiat. Animi affectus sint moderati. Cibi præterquam quòd refrigerent & humectent, ventrem leniant, & ad ipsum conuertant fluorem vrinę, vti lactuca, portulaca, cucurbita, endiuia, carnes veruecis, gallinarum elixæ, pedes porcorum & boum, pedes vitulini, hœdorum, castratorum, pedes & rostra leporum, capreolorum. Carnes etiam conueniunt suillæ macræ, & bene coctæ. Coctu enim difficiles eligendi cibi, non liquidi, ne in vrinam conuertantur, attenuenturque: nempe crassi ac boni succi, & mordacitate carentes. Et in quantitate necessariò exhibeantur copiosiores. Confert & caseus compactus citra salem: & pro sorbitione hordeacea farina, ptisana, amylum. Carnes cum mali punici granis edantur, aut arancij succo, aut limonum, & pyra, & mala cotonea elixa. Decet abstinere ab acribus, salsis omnibus, cutis refrigeratione & astrictione. Lac per silices aut ferrũ ignitum sciissum, seroso humore adempto, prodest, & oua sorbilia. Inter pisces, saxatiles eligantur. Nemo in iusculà inijciat anisum, cyminum, vel ea quæ vrinas prouocant. Potio sit amplior solito, vt sitim in toto fieri non permittamus, sitque ea frigida. Eligatur vinum rufum, crassum, frigida ampliùs dilutum. Vinũ enim corporis miscellam ad dulcorem permutat, & omnes humores optimos reddit. Id autem diluatur aqua ferrata. Detur & aqua hordei, succus malorum punicorum, decoctum myrtillorum, pyrorum, pomorum astringentium. Curatio reliqua est in ablatione causæ, & renum corroboratione. Si causa est humorum acrimonia, vacuentur. Intus nec multùm resiccantia, nec aquea danda sunt. Sicca habitum soluunt. Humida aquam mouent. Sed quæ crassa sunt, & emplastica, deligenda sunt. Itaque affectus circa initia si deprehenditur, cubiti vena secetur, moderatè sanguis auferatur. Vbi humores imbibiti fuerint vtendum mediocriter vrinam cientibus, *Vita ratio.*

quæ vitiatum humorem in renes imbibitū repurgare possunt. Si inueteratum est malum, neque venæ sectio adhiberi debet, neque quicquam exhiberi, quod vrinam ciear. Concidunt inueteratis vires, corpus acrius ex venę incisione redditur. Vrinam cientia in ipsis multiplicant malum. Confert vomitus multo cibo ac potu præassumpto. Materia etiam alio reuellenda, & purgāda per hydragoga, qualis est syrupus rosaceus catarthicus, cum decocto myrobalanorum citrearum, soldanellæ, plantaginis, seminis anisi, & passularum. In eandem rem valet vsus rhabarbari cum catholico, syrupo rosarum pallidarum, & similium. Valent & clysteres refrigerantes. Materia quoq; ad exudationem diuertenda est, euaporatione facta in dolio, ita vt caput extra promineat. In cuius vicem naturale etiam balneum confert. Detur à balneo vncia vna vel sesquiuncia sacchari rosati, cum ℔. ß. aquæ hordei priùs torrefacti, & oxalidis. Hæc si non suffecerint, aut ex calida duntaxat intemperie ortum fuerit vrinæ profluuium, iuxta veteres sanguinatiæ succus ex vino nigro præbeatur. Similiter decoctum baccarum myrti, pyrorum, ac symphyti maioris cremor. Conferunt & vermes terreni ex aliquo prædictorū succorum decocti. Et more nostro datur syrupus ex omphacio, è tribes, granatorum, myrtinus, ex infusione rosarum, ex succo oxalidis, succo plantaginis, portulacæ. Dantur & pastilli de spodio, vel de terra lemnia: quæ omnia serum ad motum ineptius reddunt. Fit & opiata ex conserua rosarum, nenupharis, bugloſſæ, violarum, rasura eboris, cornu cerui, margaritis, corallo, puluere diatragacanthi frigidi, exceptis syr. rosarum siccarum. Si prædicta non iuuent, & affectus augescat, non absurdum erit narcoticis vti: denturque Philonij Persici, vel Romani ℈ ij. vel ʒ j. vel nouellæ Theriacæ tantundem, cum polygoni succo, vel decocto. Dantur & trochisci à Rhasę descripti lib. 9. cap. 78. Extrinsecus ad lumbos seu renes, pectinem, & hypochondrium præsertim dextrum, illinitiones, vnguenta, cataplasmata refrigerantia adhibenda sunt. In id facit illinitio ex oleo rosaceo, omphacino, cytoniorum, myrtino, ex oleo de papauere, nymphæa cum pauco aceto ac cæra. Vel vnguentum quod recipit santalorum omnium ʒ ij. succi plantaginis &

Vnguentum pro iecore.

nis & cichorij ana ʒ ß. olei rosati & myrtini ana ʒj ß. cæræ & aceti parum. Id iecori adhibeatur. (Cęratum etiam santalinum conuenit. Renibus verò & pectini, quod ♃. suc ei lactucæ, portulacæ, foliorum pampini vitis, solani, vmbilici veneris ana ʒj. farinæ hordei ʒ ß. gummi tragacanthi infusi in aqua rosarum ʒiij. cremoris seminis citoniorum ʒjß. olei rosati, myrtini, & de nymphæa ana ʒj. hypocistidos, balaustiorum, coralli rubri, rhu obsoniorum, ana ℈ ij. aceti & cæræ parum. fiat vnguentum. Processu temporis adijciatur succus papaueris, seu hyoscyami. Cremor etiam seminis papaueris, & oleum eiusdem. Cataplasma fit in hunc modum. ♃. foliorum hyoscyami, papaueris, solani, rosarum ana m̃.j. portulacæ, vmbilici veneris ana m̃.ß. cremoris seminum papaueris & cotoneorum ana ʒiiij. farinæ hordeaceæ p. ß. santalorum, corallorum rub. balaustiorum ana ʒj. olei rosati, myrtillorũ, citoniorum ana ʒj. contundenda contundantur, misceantur cum succo solani, seu foliorum vitis. fiat cataplasma, pauco aceto addito. Ex eisdem emplastra cõficiuntur. Commodè quoque vnguentum Comitissæ renibus admouetur. Denique Diabetes ijsdem curatur remedijs, quibus vrinæ ardor, exceptis mucaginibus, syringationibus vulgò dictis, vnctionibus pectinis & perinæi, nec virga in lacte continenda. Soli renes per vnctiones refrigerandi sunt. Si à potu largiore fiat Diabetes, bibatur parciùs. Si à potus aut cibi qualitate salsa, acri, vt esu cæparum, alliorum, porrorum, ab his abstineatur. Si ab hepatis imbecillitate, in Ascite priùs dicta sunt remedia.

Aliud pro renibus.

De Hæmorrhagia renum.

CAPVT XXXIIII.

HÆMORRHAGIA renum, sanguinis renum profluuium denotat, seu mictionem cruentam, vel quę sanguine perfunditur. Neque enim hîc nobis sermo est de puri syncriq́ue sanguinis excretione ex interiori penis meatu, quæ sine vrina, nulloq; voluntatis arbitrio fit, aperta, rupta, vel exesa vena. Sed accidit interdum simul cum ipsis vrinis, vt tenuis sanguis elabatur, & propterea tenuis

Nominũ ratio quibus attribuatur.

sanguinis sanies mingatur: similis excrementis quæ in hepaticorum affectuum initio excernuntur: nisi quòd magis cruenta videtur. Hæmorrhagia quoque renum dicitur, vbi per circuitum quendam (vt in hæmorrhoidibus) renes sanguinis profluuio laborant. Imò si propter rupturam vel erosionem venarum in renibus consistentium eueniat tale sanguinis profluuium, non aliter affectus nominatur. Renes hoc affectu detineri constat, quòd hanc tenuem sanguinis saniem secernere nequeant, eáque non nutriantur, vt eorum munus est. Sunt enim renes instrumenta sanguinem purgantia, nempe id quod in eo aquosum est secernunt, atque eadem opera multum bilis flauæ ac sanguinis attrahunt, & quicquid bilioſi excrementi non admodum crassum fuerit, cum vrinis permeat: sanguis verò carni ipsorum renum aspergitur, instar fæcis cuiusdam. Et siue per circuitum manat sanguis, siue per rupturam & erosionem, non minùs renes affici consueuerunt. Est autem affectus in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam, estque cum noxa functionis tum retentricis, tum alteratricis ipsorum renum, quandoque citra noxam. Atque id symptoma varia morborum genera sequitur, prout à diuersis causis pendet. Nam morbum in intemperie cõsequitur tale sanguinis profluuium: ex quo est imbecillitas quæ ad retentricem attinet facultatem, quæ retinendo sanguinem percolat, & vrinam puram ac naturalem reddit. Sic renes oblaxitatem, & colatorij rarefactionem, sanguinem delabi permittunt: aut propter amplitudinem osculorum vasorum vrinam excolantium, (tumque dicti symptomatis causa morbus erit in via dilatata) vt si sanguis per circuitus excretus est, eorundem vasorum reserationem sequitur, ab expultrice facultate, vt in hæmorrhoidibus: quemadmodum si vena in renibus rupta est, vt in ijs qui graue onus leuarunt, aut valde saltarũt, aut ex alto ceciderunt: vel erosa est ob acres videlicet humores è supernis defluentes: (tumque ad solutionis continuitatem refertur.) Hæ vero causæ suas habent notas peculiares. Si malum est propter imbecillitatem (citra vulnus dico, aut inflammationem) sanguis admodum serosus est, & aquosus, atque is vrinæ toti permiscetur exquisitè,

Pars affectus.

Affectus quis.

Causa.

sitè, vt ea quasi dilutus & tenuis quidam sit sanguis, hic verò mox subsidat rubicundus, liquidus, ac minimè concretus: & qui hoc malo laborant, siti carent, atque dolore, & à calidis auxilijs iuuantur pariter ac siccis. Redduntur enim renes imbecilles ob intemperiem præsertim frigidam, cui etiam humida adiungitur. Si ampliores aut patentiores meatus fuerint, quiddam etiam ex sanguine venæ mittũr, aliaque itidem crassa. Si per circuitum emittitur, citra vllum dolorem expellitur, grauitas in renibus sentitur, leuantur ęgri propter expulsionem, & fortiores fiunt. Cumque talis excretio cohibetur, mala grauia sequũtur. Transitum quoque sanguinis circa renum locum sæpe percipiunt. Ac tum vrinæ admixtus sanguis reperitur, præcessit victus ratio multum sanguinem generans, ac consueti exercitij omissio, vel alicuius membri mutilatio, aut quæpiã naturalis alia cruenta excretio præter naturam retenta est. Si intus rupta vena est, sanguis vbertim, & subitò, inopinanterque profluit, simul casus violentus antecessit, & sanguinis copia adest, seruabitque naturalem sanguinis colorem. Præcessit & longus ac frequens veneris vsus, aut inæqualis ac dispar equitatio. Tuncque sanguis affatim meijtur, ac sine interuallis. Si ab erosione, tunc sensim ac paulatim excernitur, dolorque renes excruciat, & sequetur acres succos ex supernis defluentes. Antecessit & vrina flaua, & interdum pus cum vrina mingitur, & quandoq; carunculæ. De qua re sic alij. Non rarò cruor ab erosis exulceratisque renibus destillat, tumque paulatim is cum pure aliquò mistus exit, diutiúsq; durat. Si est à rupto renum abscessu, is cum pure descendit, propterea ab vlcere renum non intelligitur reddi, quòd eius mictio nõ diu trahat, sed ferè intra diem tertium cesset. Sanguis etiam reijcitur ob assumptas cantharidas. Qui propter renum imbecillitatem, aut eorum apertionem tenue sanguinis serum meiunt, initiò diligenter tractandi sunt. Nam temporis progressu extenuantur, & emaciantur, & magis ij qui plus sanguinis mictu excernunt, & qui per circuitus sanguinem fundunt è renibus, quia vbi diuturnior fuerit affectio, & cohibeatur quod pro more excerni consueuerat, grauitatem inducit, aliorumque morborum causa existit, (vt di-

Prognostica.

ctum est) sanguine ad alias partes dilabente: vnde arthritides, vertigines, deliria, insaniæ, oculorum cæcitates, & vt plurimùm metus cachexiæ aut hydropis suboritur. Consentiente siquidem tecore malus corporis habitus, & aqua inter cutem fit. Si ob ruptam venam est profluuium, celerrimè prospiciendum, ne ob nimiam sanguinis copiam excretam totum corpus inaniatur, aut infrigidetur, ac propterea in leipothymiam, syncopen, & demum in mortem incidant. Aut propter concretum sanguinem & in grumũ versum, si in vesica detineatur, timor est ne omnino vrina supprimatur, & sequatur animi defectio, color pallidus, reliquaque symptomata, quæ ad grumos vocatos sequi solent. Et qui per erosionem sanguis meijtur, quàm celerrimè curandus est, quia temporis progressu difficilioris curationis existet. Sanguinem sæpius minxisse cum febre & dolore, malum est. Tum autem præsagire licet futuram puris mictionem, eodemque tempore febres dimissuras. At rarò cruorem cum vrina ferri, idque sine dolore, sine febre, non vsquequaque periculosum, quod per lassitudines ferè incidit: quæ inde protinus soluuntur. Si est igitur ab imbecillitate, in victus ratione competunt aues montanæ, turtures, palumbi, perdices, aues montanæ, oryza cum lacte aut iure carnium, palmulæ, lentes eo modo quo ad Dysentericos paratæ, vel ad Hæmoptoicos, & alij cibi astringentes. Aqua fit chalybeata, vinum nigrum eadem dilutum, aut aqua pluuiali, potissimùm vbi vires imbecilliores fuerint. Abstineant ab omni exercitatione, venere, decubitu supra dorsum, vsu rerum calfacientium, salsarũ, acrium præsertim, vbi ab acribus oriantur humoribus. Vitent præterea vrinam mouentia. Tussis quoque sanguinis mictum detegit, & vociferatio, & ira. Quod ad medicamenta, si est cruenta excretio per vrinam propter renum imbecillitatem, aut amplitudinem osculorũ ad renes vrinas excolantium, confert ijs sanguinariæ succus, & radicis symphyti decoctum: adhæc tragacanthus, cornucerui vstum, lapidis hæmatitis ʒj. vel more nostro sumant syrupum rosaceum, myrtinum, citoniorum, cum aqua rosarũ, plantaginis, lactucæ, quib. addes ʒj. radicis symphyti, cornu cerui, lapidis hæmatitis seu boli armenij. Pastilli de spodio, de

Victus ratio.

Medendi methodus.

dio, de terra lemnia, de succino, in eandē rem faciunt. Porrò diuretica minima portione astringentib. quandoq; miscentur, nō vt vrinas moueant, sed vt astringentia ad renes deducant. Illa enim propter tardū motum nō facilè ad renes penetrāt. Commendantur etiā lactis ouini vnciæ quatuor, sex, manè cum ʒj. boli armenij sumptæ, & renes valenter roborant, modò ne dormiat, aut exerceatur postea. Alij caprinum probant. Conditur & saccharo rosato, mista interim bolo armenio, & aqua rosarum. Præterea castaneę modò elixæ, modò assæ, exempto cortice laudantur, & affuso lacte ouillo exprimuntur. Expressio cōditur saccharo rosato. fit pulticula similis lacti amygdalino. Idē è pineolis purgatis confici potest, quib. vis inest renes confirmandi. Hæc remedia sunt etiam glutinantia, ob id salubria, si vas est apertum casu, vel laceratu, vel alia ratione. Extrinsecus renibus & lumbis imponuntur, quæ ad sanguinis per sputum reiectiones descripta sunt, & quæcunq; vnà cū eo quòd astringunt & reficcant, etiam robur addunt, vt rubi folia, myrti, ac quercus, myrti baccæ, malicorium, balaustium. Cataplasma adhibendum: ℔. foliorum myrti, rubi, quercus ana m̄. ß. balaustiorum, malicorij ana ʒ iij. farinæ hordei p. j. olei rosati vncias ij. cum posca. fiat cataplasma. Emplastrum: ℔. olei myrtini, chamæmelini ana ʒj. pulueris mastiches, cinnamomi, acaciæ, balaustiorū ana ʒ j. cum resina fiat emplastrū. Conuenit & cæratū santalinum, vnguentum comitissæ, & fotus ex balaustiorum, malicorij, gallarum, hypocistidos decocto in aqua rosarū, plantaginis. Si per circuitus, vel ob redundantiam fiat, non supprimatur, nisi immodica vacuatione vires deijciat. Quod si accidat, aut si ex venæ ruptura sanguis excernitur, sanguinis impetus cohibeatur: idque aperta basilica dextra. Quemadmodum si ob casum est cruentus mictus, certè eadem dextra basilica secanda est. Sed commoda est à principio sanguinis missio, quibus ob venam ruptam sanguis promanat: ijs verò qui sanguinem excernunt per circuitum, paulo ante circuitū per diem, aut duos dies ante accessionem. Atque sanguinem partiri melius est, vt paulatim reuulsio & diuersio fiat. Potiones etiam conueniunt, quę dantur Hæmoptoicis. Loci circa renes spongijs,

imbutis irrigentur, aut linteis ex rosato, & aceto: posthæc vnguentis, & emplastris, ac medicamentis dictis capite de Spuitione cruenta. Vbi sanguinis excretio cessarit, diæta conuenit, quæ paucum sanguinem generet: maximè in ijs qui per circuitum excernunt. Si ob exulcerationem seu erosionem meijtur, aut eadem exulceratio in locis relinquatur, ad ea quę capite de vlceratione dicentur postea recurrendum. Et si bilios us, aut aquosus fuerit idem sanguis, sumptis cholagogis, & hydragogis, vel hidroticis à partibus vrinarijs hæ materiæ à sanguine vacuentur. Si purulentum est lotium tergentib. vtendum est: dein glutinantibus & prædictis astringentibus. Si sanguis concretus remanserit in vesica, danda sunt quæ sanguinem dissoluunt coagulatum, & fluentem retinent, vt est carabe, & alia huiusmodi. Si propter vsum cantharidum fluit sanguis, priùs veneno occurrendum est. Dandum lac chalybeatum. Clysteres refrigerantes injciendi. Danda & quæ venenis resistunt, vt terra sigillata, bolus armenius, & alia quæ ad sanguinis reiectionem faciunt, vt succus bursæ pastoris.

De Nephritide seu Calculo renum.

CAPVT XXXV.

Νεφρῖτις. NEΦΡΙΤΙΣ generaliter est omnis affectus quo renes laborant, siue similaris, siue organicus, siue communis.

Λιθίασις. Propriè tamen ac speciatim λιθίασις id est calculi morbus, Nephritis dicitur. Latini calculi seu lapidis morbum appellant. Et quanquam Lithiasis communis est renibus & vesicæ, nemo tamen λιθιᾷν, καὶ λιθιῶντας vsurpauit, nisi de ijs quibus in vesica molestus est calculus, vrinæ suppressionibus, vesicæ ac ventris distensionibus, & summis multis doloribus. Ita Nephriticus dolor est cruciatus renũ acerbissimus, vel vreteris (cuius sensus est eximius) à calculo vel arenulis profectus. In quo affectu renes ex natura loci laborare euidens est, & id ex signis tum parti affectæ, tum affectui communibus paulò pòst dicendis rursum patebit. At verò præter renes solam vesicam, vel colon calculo laborare quibusdam placuit. Alij multis alijs corporis partibus calculos generari concedunt, aiuntque se vidisse concretos

Nephritis quid.

Pars affecta.

concretos in capite, quandoque in folliculo fellis (qui sunt frequentes, læues, nigri, flaui) in mesenterio, in pulmonibus, articulis, iecore, liene, ventriculo, inguinibus. Adhærent etiam sæpe vesicæ, cranio, vtero. Ex ano quandoque redduntur, vbi pituita lentissima intestino hæret, quæ potest concrescere, dum satis non detergitur. Visus est & sub lingua calculus, inde auulsus strobili modo. Affectus verò est corpusculum durum toto genere præter naturam, instar lapidis seu tophi in substantia, seu finibus renum genitum: Affectus (inquam) in numero propriè in excessu toto genere præter naturam. In numero enim morbi sunt, quæcunque substantiæ præter naturã in nobis consistunt. *Affectus quis præter naturam.*

Calculus etiam morbus in via dici potest. A calculo enim via læditur: & morbi causa, scilicet solutæ continuitatis, & symptoma dyscrasiæ renum. Calculi causa materialis est humor non aqueus tantùm, vel serosus (aqua enim calore non concrescit) sed aqueus & terrenus, præsertim glutinosus, & tenax. Vel (vt alij volunt) humor crassus, lentus, ac terrenus, ad renum ventres delatus, ex cibis eius naturæ & cruditatibus genitus, modò crassitudinem maiorem, modò tenacitatem habens, modò vtramque paribus portionibus. Aliquando etiam ex purulento humore, aut ex purulento pituitoso[re]que compositio nonnunqam tophi in animalis corpore creari possunt, ac similiter in renibus lapides cõcrescere. Et vbi ex sola pituita crassa, viscida, ortus fuerit calculus, vrinarum subsidentia similis colori aliorum tophorum, qui in aquis sponte calidis adnascuntur lapidibus, cinerei erit coloris. Si sanguinis aliquid vnà cum pituita crassa, lenta mixtum est, vrinarum subsidentiæ color pro succi maiori copia euadet, nonnunquam ex pallido alboque mixtus, aut ex rubro & albo, aut ex flauo & albo. Nonnunquã & rufus erit: pariter & arenulæ quæ subsident, ipso sanguine ad colorum differentias faciente, qui ad atrius, vel flauius vergit. Sed in renibus calculi ferè tinguntur rubro, vt rubrum intelligas, & flauum, & rufum. Nam à sanguine, calore loci, & partis colore, tingi solent. In renibus quoque sunt minus duri, asperi, magisque friabiles, quàm in vesica. Causa autẽ efficiens est ignea renum caliditas, quæ tenuem humoris partem dissoluit, crassa re- *Causa.*

licta, dura, & concreta. Concrescunt primùm arenulæ multæ, dein viscidus humor eas congregat & compingit, calor omnia obdurat, non aliter quam in fluuiorum littoribus arenosis, lapides vi solis genitos videmus. Et tophi iuxta canales & aquarum fluenta generantur, fæce obdurata. quod pari modo fit in renib. & vesica. A frigore autem non generatur lapis, quòd tantum frigus esse in corpore viuo non possit, vt concrescere in homine valeat lapis. Calor autem interdum vehemens est: interdum non ita vehemens, prout materia magis apta est, vt indueretur. Quod alij sic exponunt: Si crassa est materia, sufficere potest calor tepidus: si tenuior, indiget vehementiori. Auicennas addit tertiam causam calculi, imbecillitatem expultricis ab intemperie, vel obstructione, vnde materia retinetur. His causis vasorum angustia, & diathesis quædam calculosa à parentibus propagata, à quibusdam adiunguntur. Sed locum generationis calculorum diximus esse concauitatem renum in qua concrescunt, vel substantiam. Quia volunt quidam nedum in renum sinibus, verùm & in eorum carnibus concrescere. Et si in cauis orti sunt, in solo transitu per meatus vrinarios grauissimè dolent. Si in ipsa renum carne fuerint creati, non solùm inter exeundum, verùm etiam ipso creationis tempore dolorem inferunt. Pariter & quando in renum sinus peruadunt. Modum verò generationis, quem iam semel atque iterum tetigimus obiter, si quis exponi sibi velit accuratiùs, sciat hûc ita esse: cùm renes quicquid serosi tenuísque cum sanguine in vasis permixtum est, ad seipsos attrahunt, meatibus id in renum ventriculos percolantib. latiùs patefactis, aliquid ex crassioribus succis simul illabitur. Igitur quando istud calefactum in renis cauo ad tophi consistentiam redactum fuerit, si renum vis expulsoria omne id vna cum lotio expulerit, arenosæ in ipso substantiæ fiunt. Quod si eius cauo impactum tenaciùs inhæresceat, aliquid eiusdem materiæ ex vena caua susciplens, sibique apponens plus augetur. Semper enim quod recens influit, priori circundatur, atque ita insigni magnitudine tophus grandescit: exusto arefactoque crasso & viscido humore, atque ad tophi corpulentiam redacto. Cùm verò in renum carnibus

generan-

generantur, proportione tophis in articulorũ morbis genitis correſpondent. Nam ſi idem ſanguis qui in renes deriuatur craſſior ac pituitoſior exiſtens, ſeu ad atram bilem vergens, per venas & arterias in renum ſubſtantiam feratur, quantitate, vel qualitate, vel conſiſtentia excedens, aſtringitur, detentúſque caliditatem concipit præter naturam, quę ampliùs eum denſat, agglutinat, & aſſat, aſſatumque in lapidem commutat: quemadmodũ ſi in cauitatem eorum eſſet delatus. Vtroq; enim modo lapides fieri poſſunt in renibus, cùm ſuccus tenax & craſſus tempore aliquo aſſatur in ijs, atq; exiccatur. Porrò lapidis renum ſigna ſunt, dolor renum quandoque acerbiſſimus, ac more infixi aculei pungens, quandoque grauis. Cùm in ventriculo renum figitur lapis, vel cum graui dolore eſt, vel omnino ſine dolore. Vbi incidit in vreteras, vel etiam intra renem, pungit pelliculam in exitu vreteris, & dolor eſt acerbiſſimus. Cùm mouentur vehementiùs, aut ſpinam flectunt ægri, dolorem acutum percipiunt, & ſtuporem circa lumbos & crura, ob compreſſionem nerui à lumbis, vel (vt volunt alij) venæ cauæ. Vnde videtur quibuſdam teſtis retrahi ſurſum. Ille dolor fixus eſt, non mutat locum, vt in Colico. Interdum tamen per ilia verſus coxendicem vel teſtem proximũ excurrit. Cùm lapis deſcendit, dolor acrior ſentitur in meatibus vrinarijs, maximè cùm lapis aſperior, aut magnus fuerit: hic dolor in ilijs ſentitur. Cùm in veſicam delabitur, dolor ceſſat. Et dolor vehemẽs in ilijs ad iſchion extenſus, calculum vreteris adeſſe ſignificat: poſt frequentem mictum à quodam ſenſu ardoris, paulatim aſtringitur, & ſupprimitur vrina. Incipiente acceſſione atque ad excretionem lapidis commota, nauſea, vomitus ſuccedit, præſertim à cibo, & egerendi cupiditas frequẽs moleſtat. Pituitoſi autem ſunt vomitus inter initia, per peritonæum ipſum ventriculo copulato. Vbi increuerit affectus, vomitus æruginoſus ſuperuenit ob dolores ac vigilias corrupto ſanguine, idque maximè cùm febricitauerint, & inedia macerati fuerint. A vomitibus ægri leuiores euadũt, ab acceſſionibus liberantur, ſed non ab affectu, arenulæ rubræ ſubſident, cruentum meiunt, quia anguloſus eſt calculus, vulnerat, & patentior eſt meatus ex vena caua in renem

Signa.

pertinens, vnde locium cruentum redditur: cum Nephrˈtici ab initio dilutas, puráſq; vrinas reddant. Lapide exeunte à dolore liberantur. Quandoque præter arenas mictas lapis remanet. Frequens ructus, & cibi faſtidium. Aluus aſtringitur, eademque fæce vel flatibus premit renem, & dolorem auget. Si ea ſoluitur, cum ſpiritu ſubbilioſum excrementum reddit. Et cùm quis in ægram decumbit partem, aut cibo vacuus eſt, dolores leniuntur. Cùm in cõtrarium cubat, aut cùm ſumptæ ſunt epulæ, deſcendere iam ad inteſtina incipiunt, omnino exaugẽtur. Qui huic morbo ſunt obnoxij, his multo tempore vrina ferè craſſa, ſubrubra, quæ aliàs ſedimentum habet rubrum, ſubuiſcoſum, arenoſum, aliàs turbida manet, & ſi panno percoletur, in eo ſimilem propoſiti ſedimenti ſordem deponit. Huiuſmodi vrina ſæpe multis annis, nullo vitæ incommodo fertur, ſine renum dolore, ſine vlla alia calculi nota. Verùm tandem ſubitò præter opinionem dolor acutiſſimus in renem incidit. Is dolor ex interuallis ſat longis ſæpius redit, idque interdum ſine calculi excretione, tumq; vrina craſſa ac turbida eſt, propterq; prægreſſam duram fortè equitationem interdum cruenta. Scilicet ſanguinis excretio ſæpe renis calculum patefecit, qui neque dolore, neq; vllo alio ſignificabatur indicio, adeò vt ne ſubeſſe quidem putaretur. Diligenter ab initio affectus curandus eſt, quia ſi increuerit, ob dolores & vigilias vires proſternũtur. In adultis ac inclinante ætate magis, quàm in pueris fit hic affectus, vt contrà pueri veſicæ calculis laborant frequẽtiùs, quàm ætate prouecti, ob diuerſitatem caloris, qui in adultis craſſos ſuccos cogit atq; inſpiſſat: in pueris fundit eoſdem ac diſſoluit. Rotundi, læues, faciliùs excernuntur; oblongi, aſperi, difficiliùs. Quibus vetuſti renum dolores ſunt, quoniam vrinæ itinera magis patent, grandioribus calculis torquentur, mediocribus non item. Quibus nouũ id vitium eſt, aut certè rari eius dolores fuerint, hi minimo etiam calculo cruciantur. Idem tormentum frequentius eſt pinguioribus corporibus, itemque ſenioribus. Infrequens eſt ijs qui ſæpius vomunt, & aluum non impeditam habent. In ſene nullam curationem recipit. Idem omnino eſt hæreditarium maximè. Arenulæ egeruntur,

Prognoſtica.

dum

dum lapides fiunt. Transmoto lapide & ex sede agitato, dolores quiescunt. E Lithiasi facilis est transitus in Podagram, in ijs præsertim qui diureticis vtuntur. Nephritis ægrè solubilis est, quando renes scirrhis deprehensi sunt. Renibus interdum accidunt febres hecticæ, & marasmus. Renes etiam affecti sunt quandoque ex potione aquæ frigidæ. In illo in quo est sedimen arenosum, rariùs aggregatur lapis. Iam vt curatio instituatur, hæc inprimis vitæ lex esto. Aër purus ac temperatus eligatur. Somnus sit consueto paulo longior. Quies vitanda est: deambulationes, & mediocria exercitia conueniunt: quæ pro ætatis, habitus, roborisq; ægrotantis ratione corpus exercere valeant. Equitationes, armis, lucta, pancratio certare, humum fodere, cæteræque magnæ exercitationes non conueniunt. Aluus assiduè soluta sit, modò ne instet aliud quippiam. Cùm enim hæc probè excernit, vrinæ profluunt vberiùs. Animi affectus fugiendi, quanquam in prophylactice ira concedatur. Moderatus cibus, & bonæ coctiones præcipiantur. Satietates & cruditates exasperant morbum, vel cùm non adsit, generant. Ptisanam vel eius cremorem assumant, vel carnes gallinarum, pullorum, caponum, phasianorum ius, aut iure eorum panis maceratus tribuatur. Turdi, turtures, perdices, & contusa caro gallinarum, seu pullorum offeratur. In accessione maximè conuenit ius pulli cum ciceribus elixi, beta, borrago, buglossum, pepo in iure gallinę. Ex leguminibus ius cicerum, & ptisana hordeacea. Ex fructibus amygdalæ, pistacia, nuclei pinei, vuæ passæ, cappares, melones, pepones. Ex oleribus endiuia, cichorium, petroselinum, apium, folia raphani, pastinaca, asparagi, berula, carduus. Panis sit probè fermentatus & assus in furno: recipiet autem anisum dum subigitur. Potus sit vinum album, non antiquum, nec validum, subpallidum, vnius aut duorum annorum: idque modicè dilutum aqua mulsa, & quandoque posca. Aquæ tepidę potum ante cibos laudat Alexander. Vitent autem vina crassa, & nigra, valida, antiqua, & aquam turbidam, aut arenosam: sed tenuissimam, pellucidam, per mortarios lapides colatam bibant. Est sanè aquæ potus adeò vtilis, nisi ventriculi intemperies obstet, vt plures lapide renum labo-

Victus ratio.

rantes, excluso semel lapide, abstemij nunquam iterum id mali senserint. Sed de aquę potu rursum in præseruatione. Vtrent etiam panem azymum, aut pauci fermenti, aut malè paratum, aut in cineribus assum. Præterea carnes bubulas, & porcorum, ac cetuorum, lac, caseum omnem, oua dura, frixa, pisces omnes crassæ substātiæ, vt polypum, thymum, anguillas. In summa ab ijs caueant quæ duram substantiam habent, ac ægrè coquuntur, vt à caseo. Similiter ab acribus, dulcibus, crassis, tenacibus, ac pinguibus.

Curatio reliqua. Quod reliquum est, vbi renum affectus hic subitò inuadat, & qui laborant, cibos sumpserint qui nondum cocti sint aut semicocti, ante omnem aliam curationem vomitus prouocetur: nempe vt dolores leuentur. Qua ratione etiam confestim vacuentur per clysteres, modò nil obstet: idque omnibus calculosis commune est, etiamsi dolores paulatim irruant, & non repentè incidant. In hocque affectu clysteres minori quantitate injici debent, ne renes comprimant, & dolorem augeant. Iidem fint minimè validiores, ac aliunde succorum copiam ad intestina attrahant, à quibus meatus vrinarij comprimantur, sed tantùm excrementa in intestinis contenta vacuentur. Neque clysteribus crebrioribus vtendum, sed bis aut ter: neq; vltra tempus consuetum retineantur, ne compressionem faciāt, aut angustiam renum ac meatuum. Et quia calculo laborantes flatus in intestinis habent qui renes distendūt, ideoque dolores exasperant, illi proinde iniectionibus discutiantur. Parentur autem ex decocto capitis & pedū arietinorum, vel ex decocto maluarum, trichomanis, parietariæ, sisymbrij, cardamines, cum semine petroselini, fœniculi, apij, lini, furfuris, in quo dissolue mel rosaceum, lohoc de cassia, & si opus est, confectionem de dactylis, vel electarium indum. Addantur & quæ inflammationes corpusculorum circa lapides sitorum leniant, vt est oleum anethinum, adeps gallinaceus anserinus. Ac vbi vehementissimi erunt dolores ex lapide in renibus obturato, præsertim si sanguinis copia affuerit, vel timor est ne ex ingēti dolore excitetur phlegmone, vena cubiti secetur. Quibus verò affectio inest quam propriè Nephritin appellāt, eam quæ est in poplite secare expedit, aut certè eas quæ sunt in malleolis.

malleolis. Ad deriuationē scilicet in poplite, cùm sanguis crassus non facilè retrahitur: & multo minus vacuandum, quàm ipsa repletionis copia postulat: quia non futurum speramus, vt tam citò calculus excidat à renibus, præsertim si magnus est. Quare seruandus est sanguis in eam quæ cū tempore futura est, expensam. Vena tamen poplitis rariùs secatur, vel ob incommoditatē, vel quia malè apparet, nec facilè percuti potest. A venę sectione si ęgri humore vitioso abundabunt, purgans medicamentum quod abundanti humori conueniens sit, propinandum est. Vitanda autē inter initia solutiua fortia, quæ humores exagitant: qui agitati ad renes decumbunt, & dolorem augent. Si vtroque remedio est opus, à sectione venę inchoandum est, quoniā si per sanguinis missionem corpus vacuatum fuerit, purgans medicamentum exhibitum venas, arterias, & inanes corporis regiones inuenit non oppletas: quo fit vt in totū permeet corpus, facliúsq; succos trahat. Si bilis ego redūdabit, citra venę sectionē, mel rosaceū, cassia, rhabarbarum præbeātur. Bile atra, vel pituita peccāte, catholicō, diaphœnicō, puluis hieræ simplicis, benedicta laxatiua, diacarthamum. Clysteres ex decocto nephritico parati, qui benedictam laxatiuam, confectionem hieræ simplicis recipiant cum terebinthina veneta. At neq; purgandum corpus, neque detrahendus sanguis, si in paroxysmo dolor est tam vehemens, vt ex eius vehementia syncope metuatur. Tum enim dolor is demulcendus est. Vt alioqui corpore expurgato fiant fotus. Qualis est ex decocto cressionis, berulæ, foliorum maluarum, radicum althææ, florū chamæmeli, sem. lini, fœnugræci, radicis graminis in hydrelæo, idque cum spongia. Et ea primū quæ leniunt, laxant modicū, detergent leuiter, adhibētur. Fit & fotus alius ex nasturtio & parietaria cū butyro, vel adipe porci recenti frixis. Postea progredi oportet ad ea quæ magis detergent & incidunt, ac calculū comminuunt. Insessiones quoq; parantur, quæ eandē vim habent cum fotibus, & optimæ sunt, tum quòd mitigent, tum quòd curent, scilicet ex aqua dulci, vel hydrelæo. Renum verò regio ac lumborum inungitur oleo chamæmelino, anethino, amygdalarum dulcium, adipe cuniculi, adipe anserino, gallinaceo, butyro recenti,

& cęra ſufficienti: fitque vnguentum. Additur oleum ſcorpionum: aut ex eodem oleo cum butyro recenti, & oleo amygdalarum dulcium, & cerę q. ſfit vnguentum. Poſt fotus & vnguenta vſurpantur etiam cataplaſmata ex farina tritici, ſeminis lini, fœnugræci, oleo chamæmelino, anethino, amygdalarum dulcium, reſina terebinthina, radice althææ contuſa: miſcentur, & fit cataplaſma. Saccelli quoque adhibentur ex milio, furfure, ac floribus chamæmeli, in latere pauco vino inſperſo calefacti. Cauenda autē ſunt quæ immodicè vias dilatant, ac laxant. Emollitio enim virium robur exoluit, & tantiſper eis vtendū, quantiſper lapis in rene hæret. A fotu, vnctione, ac ſimilib. præſidijs dictis, ſi dolor fixus permaneat, aut lapis in meatibus vrinarijs infarciatur, & deſcenſum remoretur, cucurbitulę leues ſuper renes affiguntur paulo infra locum doloris, dein alia paulo inferius, atque alia deinceps paucis interuallis vſque ad inguina, vt ſic calculus in veſicam deſcendat. Cucurbitulas autem, vbi dolores vehementiùs infeſtant, adhibere non conuenit: ſed ipſis aliquantum lenitis, & inflammatione non impediente. Quo etiā tempore ea quæ vrinam cient, & lapidem frangunt, exhibere tempeſtiuum eſt. Et antequam dentur diuretica, rurſus ventriculus & inteſtina repurgentur, dein ʒ ß. lithontriβu, vel Iuſtiniani propinetur, cum iure cinerum rubrorum, vel vino aruiſio. Atque interuallis repetere oportet remedia, leniendo, laxando, excludendo calculum. Si tranſlatus eſt in veſicam calculus, nec aliter extrahi poteſt, ad inciſionem confugere oportet. Quæ autem opitulantur calculoſis, ea ſecant & abſtergunt manifeſta qualitate, qualia ſunt amara. Tamen à longo eorum vſu abſtinebunt. Nam licet factos calculos comminuant, promtè alios aſſant, dum renum intemperiem augent. His ſi vti opus eſt, bis vel ter vtendum eſt. Sed quomodo lapidem comminuunt, quæ tepidam facultatem habent? Tepida ſeu minùs calida calloſas & tophaceas conſiſtentias incidunt, vt ſunt radices regiorum aſparagorum, & rubi, betonica, polium, acetum ſcillinum, cicer nigrum, ſaxifragia, cardui decoctum cum apio. Secundum recentiores datur bolus ex ʒiij. terebinthinæ lotæ, & ʒij. benedictæ ſimplicis. Terebinthina

ad cau-

ad cautionem calculi potiùs, quàm ad expulsionem imperatur. Datur & cassia cum saccharo violaceo, & liquiritiæ decocto. Si cassia extrahatur vapore decocti herbarum malacticarum vim maiorem habet. Decoctum item corticum raphani propinatur. Sunt qui singulare remedium calculo frangendo putent lignum Guaiacum, virtute abstergente, leniente, incidente. Et in calculosis vitanda sunt quæ nimiùm siccant, quæq; sunt crassarum partium. Obesum corpus magis tenuantia, gracile minùs perferre potest. Oleum scorpionum illitum conterit lapidem. Quin etiam Trallianus sanguine hircino, renes, pubem, perinæum inunxit. De eo sanguine scribunt alij, quòd incalefactus præexistentes lapides soluit, atque ita per lotium excerni facit, vt etiam alij ampliùs non gignantur: præterea dolorem sedat. Vbi hæc non suffecerint, valentiora alia sunt quæ occulta vi agunt, lapis Iudaicus, cicadæ siccæ sine pennis ac pedibus contusę, & passerculus troglodytes conditus, ac præparatus. Leporis pellis in ollam conijcitur, & vbi vsta fuerit, accepta teritur, & ex ipsa cochleariũ vnum præbetur. Datur & asplenij decoctum. Ex compositis assumuntur dialacca, diacurcuma, theriaca, lithontribon, mithridatium, dianisum. vel Recipe ossium mespilorum ʒj. diatragacanthi, quatuor seminum frigidorum, maiorum, glycyrrizæ rasæ, seminis saxifragiæ ana ʒ ß. milij solis, ruſci, bipinellæ, asparagi ana ℈j. sem. althææ ʒj. cum saccharo fiat puluis, de quo datur ʒj. superbibat vinum album. Calculus non modò conterendus, sed & deturbandus est. ℞. sem. bardanæ, melonum, althææ ana ʒ ß. cicerum rub. p. ij. Citrium vnum in minutissimas partes variè sectum coquatur in ventre gallinæ exenterato. Iusculum sorbendum datur per duodecim dies manè post vsum terebinthinæ. Dantur & potiones ex oleo amygdalarum dulcium, succo limonum. Fiunt & alia iuscula ex malua bismalua, violaria, cum radicibus aperientibus & cicere rubro, quæ imperantur purgato corpore, ijsque portio citri per taleolas incisi iungitur. Doloribus vehementibus perseuerantibus stuporem inducere conuenit, bibito medicamento Philonis, aut recenti theriaca. Et quia delapso in veſicam lapide dolor cessat, sed præ magnitudine quan-

doque figitur in meatu vesicæ, atq; impedit vrinæ exitum, procurãdum vt statim expellatur. Corpus concutiatur tenuatis coxis,& supino corpore,in cauitatem vesicæ transponatur,& vrina exclusa rursum commoto corpore deducatur,donec prompte permeet. Nam quandoque ob id figitur,quòd longior sit,& transuersim accedat. Quòd si neq; sic lapis excernatur,catheter immittatur,aut maluæ caulículus,aut scirpi pars tenera alba, quæ ad radicem est,atque exclusa vrina tentandum lapidem in vesica contentum conterere. At si in penis meatu infigatur,multa vrina priùs retenta,conandum impetu compressione facta ipsam excernere. Si neque sic pellatur lapis,periculum est ne Ischuria pereat æger. Vbi doloris vehementia ac vigilia infestabunt,& magnum vitæ impendeat periculum,viribus consentientibus rursum cum his quæ torporem inducunt, succurrendum: vt dando Philonij, vel Thériacæ nouellæ ana ʒ j.cum ʒ ij.vini albi oligophori. Et de curatione hactenus. Præseruatio, ne alij renascantur calculi, sic habet. Si obesa fuerint corpora, tenuis victus imperetur. Si corpora gracilia atque calidiora fuerint, neque extenuantem victum, neque medicamenta, quæ extenuare possunt,requirunt; sed studendum, vt bonam temperaturam concihemus,& extenuantibus citra magnum calorem vtamur. In locis temperatis degant,& frigora magis deuitẽt,quàm æstus. Deambulationes & mediocria exercitia conferunt. Ventrem semper laxum habere oportet. Somno vtantur moderato,neque cultricis indormiant ex anserum plumis confectis. Hæc siquidem renes valde calfaciunt. Caueant cibos duræ substantiæ, & qui ægrè manducatione atteruntur. Item eos qui multam substantiam habent, plurimumque nutriunt, & qui aceruatim digeruntur, antequam perfectè coquantur, ac supernatant, & ægrè per aluum subeunt, & inflant. Item eos qui meatus obstruunt, aut aliàs diutiùs corporibus insident. Sit cibus boni succi, moderatus, ratusq; leguminum omnis generis, frumentaceorumque vsus. Panis azymus, animalium partes pingues & albæ, vt extremitates, intestina, aues aquaticæ vitentur. A caseo item omni, & præsertim glutinosiori, item à lacte, & ab ijsquæ ex his parantur, caueant. Omne enim

enim lac est eis incommodum præter asininum. Præ omnibus verò satietatem vitare oportet, seu cibum largiorem, & ab hoc venerem, somnum, laborem, balneum. Vino vtantur tenui valde diluto, veteri. Dulcia vina sunt valde nociua calculosis, vt & nigra. Omnia denique crassi succi, ac nimis calida seu acria nocent. Hac ratione cauetur, ne materia calculi aggregetur. Et horum pars initiò curationis iam dicta, hîc etiam repetita placere potest. Secundo loco materia deducenda est ad intestina, ne ad renes ruat: vt per cassiam, terebinthinam, à semuncia ad vnciam, pane azymo inuolutam, vel iure capi solutam, & liquatam. Vel pilula vna alephangina indies, vel alternis diebus sumitur. Vomitus quoque à cœna omnibus calculosis confert, vt etiam ante omnem cibum bibere aquam tepidam, cuius vsu temporis spatio igneus renum calor à tepore aquæ extinguitur. Alij probè facere aiunt, qui in medio cibi aquam aut vinum refrigeratum bibunt. Paulus à balneo ieiuno ante vinum aquam temperatam potandam exhibet, tanquam omnium præsentissimum remedium ad arcendos calculos. Similiter vbi inter prandendum frigidam superbibunt, approbat. Oxymel quoque cum quodam simpliciore vrinam ciente, velut adiantho, apio, gramine cõmendat. Quod etiam recentiores cõfirmant. Interim si sanguis abũdauerit, vena secetur, atq; iteratò mittatur sanguis potiùs, quàm vna vice depleatur. Si etiam vitiosi redundant succi, conuenienti purgatione ducantur. Rursum per interualla bibantur quę vrinam cient, tam simplicia, quàm cõposita. Tertium enim est, vt si quid materiæ ad renes peruenerit, illic nõ sinatur figi, sed extrudatur diureticis, vel decocto cicerum, liquiritię, & sacchari. Idem polletius galli decrepiti saccharatũ, & aqua lactis caprini, & parietariæ decoctum vel aqua, vel succus residẽdo purgatus, & saccharatus. Postremò calor renum mitigandus est (præter vsum aquæ paulò antè dictũ) oleo violato, rosato, nymphæato, amygdalino, admoto renibus inter duas telas cærato Galeni refrigerante, vel santalino, post quartã partẽ horæ ablato, & aliquoties in die dum refrixit reddito. Tepidũ tamen aëre frigido applicandũ est. Vitentur astringentia, ne vijs astrictis materias retineant. Aëri

externo lumbos aperimus: pelles, plumas, calorifica cætera lumbos tangere prohibemus.

De Renum inflammatione.

Cap. XXXVI.

RENES inflammatione tentantur, vt cæteræ corporis partes, præsertim vbi in carnosam eorum partem copiosus sanguis confluit: qui postea eam distendit. Eaque propriè Nephritis appellatur: quæ admodum rarò accidit, quòd firma eorum ac prædura caro ægrè fluxionem admittat. Renes affectos esse dolor cum positu indicat, & alia signa pòst dicenda testantur. Quis autem sit affectus inflammatio, iam sæpius ostensum est. Porrò inflãmationis renũ causæ sunt humores quãtitate vel qualitate peccãtes, & ad ipsos renes fluentes ob ipsorũ intemperiem, vel in attrahendo robur, & in expellendo imbecillitatem ob dolorem. Ictus etiam, casus, vulnus, attritiones, medicatæ potiones, equitationes assiduæ, & vehementes cursus, labor aliquis grauis. Ab alijs causę non dissimiles afferuntur: vt repletio in toto corpore, aut membris communicantibus, excoriatio lapidis, retentio vrinæ in renibus, à qua distenduntur. His aũt signis sese prodit hæc inflammatio. Assiduè febris tenet, & sine certo ordine. ea modò increscere, modò minui videtur. Dolor grauis ac pulsans cum vehementi ardore paulò nothis costis altior, in dorso versatur: qui ad hepar vsque distenditur, si ren dexter affectus fuerit, & deorsum vsque ad vesicam, & pudendum, lumbosque, & coxendices, pectinem, ac femora, consequitur & stupor propinqui cruris. Sinistro rene affecto, circa easdem regiones dolor aderit parte sinistra, sinistriq; cruris consequetur dolor. Is aliàs continenter fatigat hominem, aliàs interualla, quibus mitescit, habet, & adeò in quibusdam effrenatus est, vt animi occupentur defectione. Est præterea capitis dolor, mentis alienatio, vomitio bilis syncerę, & vrinæ reddendæ difficultas, neque rectà erigi possunt ægrotantes, neque pedibus ingredi, siue sternutatio, siue alia concussio irruat: vehementique dolore lancinantur, frigent eorum extrema, suræ, ac pedes, meiuntque assiduè

Nephritis propriè dicta.

Pars affecta.

Causa.

Signa.

assiduè ac laboriosè, in principio quidem tenuia & aquosa, in quibus nil subsidet. Inflammatione verò in peius proficiente omnia fiunt vehementiora, accediq; nausea, morsus stomachi, vomitus bilis, & quidam vsque ad animi deliquium anguntur, & exudant. Inter hæc, ingens est cibi fastidium, venter comprimitur arctissimè, ex quo is inflatur, & flatus sursum per os assiduè extrudit. Facilior ægris in latus infirmum decubitus est: facilior supinis, quàm pronis. In vniuersum ventris egestio, & vrinæ multa excretio dolores ipsos præcedunt, accedítque ægris dolor pulsatilis retro iuxta primam dorsi vertebram, præsertim si in cæteris renum partibus vrget magis, non in carne; vt si est in tunica quæ renes obtegit, vel in ventre interiori, arterijs, & venis quæ ad hunc terminantur. In quibus etiam dolor est acutus, scilicet ob productiones vasorum vrinariorum. Quòd si in carnosa renum parte magis vrget dolor, grauis esse dicitur. Ita conciliantur veteres, qui hunc dolorem modò acutum, modò grauè nominant. Quòd si ad suppurationem renum inflammationes vertãtur, cuncta symptomata & accessiones extẽduntur, & febres cum horrore irruent, atque id maximè circa vesperam, cruntque inordinatæ, & dolores cum horrore interpellato ac vario infestabunt: quia dum pus conficitur, dolores fiunt, ac febres. Crebrum simul meiendi desiderium, maiórque difficultas erit. Tumor item circa ilia quodammodo apparebit, & vehementis caloris sensus ægrotos circa renes affligit, minguntque rufa & pura. Et si in sanam partem inclinat æger, ex affecta grauitatem maiorem se sentire fatetur, quàm antea quàm inflammatio in absessum peruenisset. Perfecta suppuratione febrium & dolorum accessiones minores contingent, & grauitatis sensus magis circa affectum renem infestabit: ac tempore rupturæ magis exacerbantur, ad quam etiam cum ipsis vrinis puris excretio consequitur. nonnunquam renum caruncuiæ, & sordes, atque excrementa, & pondus minuetur. Id profectò genus morbi concoctione proba maturuisse, iamq; penitus sanatum esse finitis doloribus cognoscitur, & vrina multa, crassaque, in qua quod subsidet bonum est, vimq; finiendi morbi habet: quoniam ipsa maximè iudicat & se-

Prognostica.

cernit morbum: quemadmodum vrina aquosa, pura ac perlucens ægrè morbum secerni significat. At verò periculum nuntiatur, si frequens bilis vomitus est, longeq; magis delitium terret, si simul etiam extrema inalgescunt. Certa mors est, quũ ren nimio tumore disrumpitur. Conferunt renum passionibus hæmorrhoides superuenientes, vtpote quæ fæcem sanguinis vacuare sunt natæ. Renum abscessus facilè vertuntur in lapidem. Cum suprà dictis cõsentiunt alij qui scribunt, quòd vbi erupit abscessus, vrina crassa, turbida, suberuenta profluit, cum qua si pus album, læue, æquale, & odoris non mali fertur, certam bonæ valetudinis spem facit. Si ad intestina diuertit, aut alioqui cũ vrina redditum malè olet, liuidumque est & inæqualiter mucosum, malum est: ex eoque grauis intus exulceratio significatur. Ferè tum quoque caruncułæ exiguæ ex putri renum substantia, quasi capilli cum vrina efferuntur. Iam autem non sæpe curata perperam inflammatione elapsis maturationis temporibus, febris omnis dolorque cessant, durus verò tumor cum multa loci grauitate relinquitur. Cuius rei indicium est quòd sine resolutione materiæ, sine suppuratione, dolores conquieuerunt: & quòd diu vrina aquosa & pauca fertur, quodq; coxæ & quæ his sunt partes inferiores stupent, impotentes fiunt, atq; emacrescunt. Is profectò casus extra omnem spem medelæ est. Itaque interposito spacio in hydropem vertitur, & occidit. Curatio inflammationis renum, similem postulat victus rationem ei, quæ inflammationi hepatis dicta est conuenire. A primo die abstinere debẽt ęgri multo cibo, nõ tamen in multos dies inediã extendere. Etenim vrinæ puriores & acriores per inediam redditæ, vehementissimos morsus infligunt. Quapropter initio sorbitionibus tenuibus morsus lenientibus ægrotos nutrire oportet. Huiusmodi sunt ptisanæ succus, & aquæ calidæ potus, aqua hordei, seu ea in qua semina coriandrorum incocta fuerint. Assumant alimenta coctu facilia, & quæ parum alere possunt: vt sunt lactucæ, endiuia, cucurbita. Malua inter olera maximè confert. Vbi virium robur exigitur, suprà dicta in iure pulli elixentur. Amygdalatum præterea eisdem conuenit. Inclinante malo panis in iure pulli edẽdus, & alæ auium elixæ,

Victus ratio.

& parum

& parum carnis pulli parui elixi, aut perdicis nouellę. Cum carnibus & piscibus petroselinum, fœniculum adijciatur, aut anlygdalatū cum seminibus cucumeris & melonum, eodem tempore conuenit. Conferunt & vitelli ouorum cum saccharo. Venter clysteribus molliendus ex decocto violarum, hordei, & saccharo. Conquiescere oportet in renum morbis, cubare molliter, aluum si non respondet, ducere. Quod reliquum est, sanguinis missio fiet inflammatione incipiente sanguinis impetum reuellendo, secta vena interna cubiti lateris patientis, fietq; repetita. Sanguis etiam mittendus est, vbi vehemens est dolor, vel omnibus succis ex æquo redundantibus, seu sanguine exuperante. Cùm verò iam sanguis partem obsederit, venam malleoli interioris eiusdem partis deriuationis ratione incides: quemadmodum & si recens non fuerit phlegmone, nec sanguinis adsit multitudo. Ante sectionem verò clyster adhibeatur ex maluæ decocto, aut seminis lini, fœnugræci cum oleo & melle. Eius autem copia non multa infundenda est, ne repleta intestina comprimant renes, & vbi stercora prodierint, oleum anethinum, cum butyro quibusdam adipibus in his eliquatis, anserino quippe aut gallinaceo, injiciantur. Aut ex maluarum, betæ foliis, & hordeo decoctum paretur: cuius ℔. ℔. j. in colatura dissolue butyri recentis, & adipis anseris seu gallinacei cuiuslibet ʒiij. cassiæ vel catholici ʒj. mellis ros. col. ʒij. Mercurialis, parietaria, beta & huiusmodi herbæ hîc sunt reijciendę, nisi cum detergere oportet, vel abscessum rumpere. Nimis enim detergentia initiò multùm exasperant. Præterea si humor præsertim acris & biliosus cum sanguine redundarit, à venæ sectione purgationem adhibere conuenit, quæ humorem præpollentem educat, vbi priùs humorem contemperaueris: vel si crassus fuerit, extenuaueris. Inter initia enim crudis humoribus existentibus, & inflammatione ipsa feruescente, nequaquam medicamentum purgans exhibendum. Vehementiora etiam medicamenta vitanda sunt, tum quòd calida sint, tum quòd trahant ad partem affectam. Imò hîc vel ipsa cassia suspecta est quibusdam, quòd caloris aliquid habeat. Igitur ea duntaxat quæ leniunt dentur, vt tamarindi, mel aëreum, saccharum vio-

Medicamentorum ratio.

qua mulsa iuuat. Cùm verò pus in parte colligitur, celerrimè suppurationem, ac puris eruptionem adiuuare oportet. In quem vsum conferũt spongiæ aqua & oleo assiduè imbutæ, fotus gratia admotæ. Eædem imbuantur decocto foliorum & radicum althææ, chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, & sæpius calidæ admoueantur. Eundem vsum præbebit cataplasma ex farina hordeacea, cum ficuum & althææ ex aqua mulsa decocto. In solium quoq; ex emollientibus herbis malua, althæa, chamæmelo, lini semine, fœnugræci paratum descendere summopere confert. Perfecta suppuratione si ruptura moretur, in potu proximentur diuretica, vt dictum est: quale est fœniculi, pulegij, origani decoctum. Hæc enim rumpunt suppurationem, & pus per vrinam expurgant. Quæ si non contulerint, acriora enemata adhibẽda ex decocto cucumeris syluestris radicis, vel alliorum, vel raphani. Hæc in muria macerare oportet, parumq; olei admiscere, quo iufusa lubrica reddantur. Iubendiq; sunt ægri, vt hæc diutiùs contineant. Consueuerunt enim ipsam suppurationem rumpere. Post puris eruptionem lac cum melle præbendum est, & alia quæ in vlceribus curandis proximè dicentur. Suprà dicta verò ab Aëtio, Paulo & Alexandro petita imitati sunt recentiores. Secta enim vena iubent cucurbitulas affigi lumbis cum scarificatione, vbi per cataplasmata dolor non sedetur. Cataplasmata verò quæ superponunt, fiunt ex farina seminis lini, farina hordei, & rosaceo. Aut fit linimentum ex vnguento rosato, & santalino pari mensura. Dolore verò aucto, additur oleum de papauere, aut parum medicamenti Philonij. Vel ℞. vnguenti rosati ʒj. vnguenti populeonis ʒʃ ß. olei chamæmelini ʒij. Morbo inclinante, aut humore iam partem obsidente, fiunt emplastra ex farina seminis lini, asaro, chamæpitby, & eruo cum passo. Eodem tempore conficimus emplastra ex farina seminis lini, erui, ireos, paribus mensuris cum oleo laurino, irino, & galbano. Interim præcipiunt ægrum bibere decoctum cichorij, aut syrupum de endiuia, cum aqua melonis. Vitanda autem sunt quæ cum acri calore vrinam cient. Vbi suppuratio fit, adiuuant & suppurationẽ, & eruptionem. Iuuant (inquam) clysteribus ex decocto caricarum, radicum althææ, cum

oleo amygdalarum dulcium, & axungia gallinæ, aut decocto maluarum, radicum althææ, oleo chamæmelino & butyro vaccino. Emplastra quoq; superponunt ex fictubus cum radicibus althææ oleo elixis, & malaxatis. Cumq; rupturam suppurationis cupiunt, emplastra conficiunt ex caricis, folijs maluarū, stercore columbino, melle, aut cum caricis, radice ireos, terebinthina, adipe gallinæ. Mulsum quoq; cum rutæ decocto propinant, vt rupturam accelereret. Clysteribus oleum irinum, & sat copiosum addunt. Rupto absceſſu vlcus mundare præcipiunt, & carnes renum reficere, roborare, & malignam putredinem coërcere. Abluit renes aqua mulsa, syrupus capillorū veneris cum decocto radicum fœniculi, & cichorij decoctū cum melle despumato, aut decoctū pulegij, origani cum melle. Quæ præbenda sunt post absceſſus rupturam pro puris expurgatione, sequenti capite rursum exponentur diligentiùs. Si transit inflammatio in scirrhum, atq; obdurantur renes nimiùm refrigerati, aut tenui inflammationis parte resoluta, (quod ex pondere dignoscimus, & doloris hebetudine, & quoniam renes suspensi videntur, & cruris perpetuus accidit stupor maior quàm antè, & vrina minor redditur, & facilè inde malus corporis habitus sequitur.) curatur emplastris ex farina seminis lini, oleo anethino, axungia gallinæ, aut caricis, farina fœnugręci, decocto radicum althææ, & medulla cruris vituli. Clysteres fiunt ex decocto maluarum, caricarum, & melle, addito oleo chamæmelino, & de lilio albo, aut decocto radicum althææ, seminis lini, oleo chamæmelino, axungia gallinæ liquata, & sale. Vrina mouetur aqua mulsa, ex decocto radicum apij, aut decocto capillorum veneris, aut syrupo de radicibus sine aceto.

De Renum exulceratione.

CAP. XXXVII.

QVOD ἕλκος, & interdum ἕλκωσις Græcis dicitur, à Latinis vlcus seu exulceratio nuncupatur: & pro varijs partibus varia nomina sortitur: vt si renibus accidat, vlcus renum dicitur, de quo in præsens. Est autem vlcus renum, solutio

solutio continui in carnosa substantia renum & paren- *Vlcus renum quid.*
chymate contingens, cum sorde & sanie. In quo renes affectos esse nemo dubitat, ex dolore cum grauitate circa lumbos, & si dexter ren afficitur, in dextra parte dolor sentietur: si sinister, in sinistra. Affectus vero est sub morbo communi dicto comprehensus, vt notum est. Ideoq; fit vt præter lumborum dolorem cum grauitate, sine impedimẽto (quod in vlcere vesicæ non accidit) vrinã reddant, cui pus mixtum permiscetur, carnosis particulis innatantibus, aut pilis quandoq;. Huiusmodi exulceratio sæpe inflãmationem suppuratam sequitur, vel dolorẽ vehementiorem; quandoq; etiam sine absces̃u præcedente, instrumẽta per quæ vrina fertur, exulcerationi patent, vena erosa à materia acri & exedente, vel purulenta, biliosa, salsa. Crebrò etiam à calculo intus coërcito, qui vel pondere renem contundit, vel attritu imminuit, exeditq;, præsertim si calculus acutus & inæqualis est. Potest & aliquando exulceratio ab externa causa excitari, vt ab assumtione alicuius medicamenti acris, & vim habentis renes erodẽdi atq; exulcerandi, aut ex illato vulnere, vel casu venas disrumpente. Siue igitur alijs de causis, siue ob calculum (vt sæpius fit) exulcerantur renes, id cùm contingit, vrina crassa, turbidaque, & per labores plus coloris habet. In hac sedimentũ per quietem fit crassiusculum, tumq; reliqua vrina ferè inclarescit. Si recens vlcus simplexq; est, cruor cum vrina fertur. Si cauum ac sordidum est crassior vrina fit, & alba, fœtida, vereque purulenta, lacti non admodum dissimilis. In hac autem ipsum subsidet pus. Vbi altiùs vlcus insedit, & sine modo sordidum est, in fistulam abit. In hac ipsa quam proximè dixi vrina, crassamentum quoddam subsidet viscidum & cohærens, nariũ muco, aut oui candido persimile. Inter hæc ipse sæpe ren ita pereditur, vt pus membrana eius ambiente tanquam marsupio, multique item calculi obuoluantur. Hinc etiam in venas pus delatum malum efficit corporis habitum, qualis antecedere leucophlegmatiam consueuit. Interdum etiam inter peritonæi membranas fluctuat, non sæpe etiam eo ipso tota ventris lumborumque regio impletur, & subinde vomitu, vel aluo syncerum redditur. Hæc signa sic ab alijs describuntur. In *Pars affecta.* *Causa.* *Signa.*

quauis renum exulceratione per omnem penè morbi decursum vrina modò non ægrè meiitur, modò guttatim destillat: assidueq; ad meiendum quodam irritamentò inuitat, dolor lumbos exercet cum aliquo grauitatis sensu, atque interdum exiguum pus cum vrina veluti ab vlcere excernitur. Similiter ramentum nonnunquam cum vrina expelli videtur per partes quasdam ipsius vrinæ inæqualiter dispersum, mediam commixtionem seruans in eius commixtione, ac interim sanguis cum vrina ipsa excernitur, qui erosi iam vlceris indicium est. Nam sanguis aut pus si mingitur pluribus videlicet diebus ac mensibus, aut renum, aut vesicæ exulcerationē significat. Et ea quæ cum vrinis excernuntur, si velut catunculæ paruæ cum vrina crassa vnà exeant, propriè renum exulcerationem significabunt, quia vocatum ramentū vlceris, essentiæ verò proprietas affectæ partis proprium indicium est. Propterea signa causas distinguentia hæc sunt. Si disrupto abscessui exulceratio succedat, eiusdem ruptionis seu exesionis notæ præcedent. Lapidis quoq; signa adfuerunt, si ex eo pererodente exulceratio contingat. Si acres & mordentes succi in causa sunt, vrinæ permixti per renes pertranseūt, & eorum succorum redundātia manifesta est, ijdemq; dolore & calore renum, atq; vrinæ acredine cognoscuntur, iisq; vrinæ color accedit rufus, aut flauus. Ex temperamento etiam, ætate, habitu, anni tempore, & reliquis noscuntur, nullumq; aderit signum rupti seu erosi vasis, aut ruptionis abscessus, aut lapidis. Externæ verò causæ quænam sint, ex assidentium seu infirmi loquela conijcies. Quoniam verò perseuerantis vlceris notæ ex vrinis deprehenduntur, de his annotarunt hæc iuniores. Si pus cum vrina mediocriter mistum est, ex abscessu superiorum locorum dirupto simul cum vrinis manat, sed non multis diebus, nec mensibus, vt in renum vlceratione. Si pus exactè commistum est, à supernis aliunde partibus est. In vlceribus renum pus cum vrina miscetur, quod à pure cum vrina excreto in vlceribus vesicæ discernitur odore. Nam ab vlcere vesicæ fœtet pus: ab vlcere renum, haud fœtet. Vesica enim cùm sit exanguis & neruea, pus concoquere nequit, vt renes. Ad hæc pus ab vlcere renum vrinæ primùm miscetur, dein subsi-

det,

det,& cum vrina tantùm exit. Pus ab vlcere veſicæ, vrinæ quoque permiſcetur & ſubſidet, ſed ſine vrina etiam exit. Diſcernitur & à pure veſicæ,quòd pus veſicæ viſcoſum magis & tenax ſit, quia à parte neruoſa defluit. Renum pus craſſum, ſed minùs viſcidum eſt. Parum certum eſt quod Practici tradunt, pus renum magis vrinæ permixtum,veſicæ minùs. Nam in vtriuſque vlcere redditur permiſtum, poſtea in fundo reſidet. Id tantùm verum eſt in penis vlcere,in quo priùs redditur pus: deinde lotium quaſi ſine pure. Sæpius etiam pituita putris,aut ſalſa, vt in ſenibus, aut pus acre permiſcetur vrinæ, eamque acrem reddit. Pituita illa differt à pure.Pus enim præcedit dolor,cruor:idq; grauiùs olet, minùs viſcoſum eſt. In pituita contraria. Nam rarò dolor eſt à pituita, niſi cùm putris,ſalſa, frigidior eſt. Multoties ex vlcere renũ prouenit fiſtula, quæ nullo modo ſanatur,& ille cuius ren diſrumpitur,moritur.Si abſque inflammatione ſit vlcus, faciliùs curatur. Si cum inflammatione,nunquam. Renum vlcus niſi citò cicatrice ducatur, difficiliorem reddet curationem. Si eſt ab eroſione præſertim,non curatur,licet recentia vlcera, non adeò ægrè vt diutina curari poſſint. Earum partium opus indeſinens eſt. Quiete opus eſt,ſi quid ſanari debeat: & quia excrementum exacerbare natum eſt. Partes etiam illæ ſunt ſpermaticæ.Itaque ſubſtantiæ portio vel putredine, vel attritu exeſa, neque reſarciri vnquam, neque coaleſcere poteſt. Renum & veſicæ vitia difficulter in ſenibus ſanantur. Pro curatione, aër ad calidum ſiccum inclinet,& in actiuis ſit temperatus, aut paululum ad calidum vergat. Frigidior enim vlceribus mordax eſt. Somnus moderatus ſit, aut cõſueto longior,cùm immodicæ vigiliæ obſint.Quies magna ex parte iniungenda eſt. Ac proinde vitẽt omnem delaſſationem,ac efferuentem geſtationem, maximè quę ſit in equo, & omnem vehementem concitationem, vt è conuerſo perpetuum otium nocet. Deſiſtendum etiam à ſaltu.Et loco exercitij decumbentem oportet molliter fricare ſingulis diebus, maximè verò conuenit frictio tibiarum. Aluus mollienda eſt mollibus ac lenientibus clyſteribus, vbi quotidie fæces non excernuntur. Animi affectus immodici inhibeantur, vt ira. Similiter & coitus in

Prognoſtica.

Victus ratio.

senibus præsertim, & imbecillis vitetur. Cruditates quoq; summopere cauendæ sunt: & ne quid crudum in cibo accipiatur, neque quod ægrè coquitur; aut inflationem parit. Vitanda tamen sunt maximè, quæ facilè acescunt, & quæ crassi humoris sunt, quæ ægrè secernuntur, quæ vtiq; nam mouentia & calida sunt, quæque ampliùs ventrem perturbant. Vitanda etiã sunt quæ accepta ampliùs astringunt, & magis resiccant, & non nutriunt, & quę stomacho inimica sunt, & quæcunque bilem ac pituitam gignere possunt. Vitent & sitim multam, inediam. Detur igitur ptisanę cremor, & eademmet ptisana, amylũ, similago lota cum lacte cocta, lac ouis permixtum, ius gallinę. Oua gallinarum tepida & mollissima, si edantur, valde proficiunt. Oua quam primùm posita, sorpta, & assumpta plurimùm adiuuant rosiones ac dolores, qui circa vesicam oriuntur. Acribus infestantibus humoribus alimenta conuenient. quæ refrigerent humores, & renes contemperent, vt lactuca, endiuia, cucurbita, rumex, pepones, malua, portulaca, asparagus, cucumis, omnia bene cocta. Insipida quoq; leuiter dulcia & glutinosa, vt animalium pedes ex vsu sunt. Albumen oui per se, aut cum vitello datum dolorem mitigat. Sed optimum est semper addere saccharũ rosaceum ad detersionem. Cruda olera tam renum quam vesicæ vlceribus inimica sunt. Pane vtantur recenti bene præparato. Carnibus gallinarum, pullorum, phasianorum, caponum, perdicum nouellarum, turturum, turdorum, aliarumque auium carnem teneram habentium, & non antiquarum. Ex pedestribus, conueniunt pedes hœdorum. Ex piscibus, aselli, gobij, locustæ, & fluuiatiles cancri, alijque squamosi & saxatiles. Lac asininum, serum lactis cum melle, aut lac bubulum. Ex bellarijs vua non incommoda est. Similiter conueniunt nuces pineæ recentes duabus aquis maceratæ, pistacia, amygdalæ mundatæ siccæ, non vetustæ, sed præmaceratæ, & decorticatæ. Eduliorum varietates, superfluaque condimenta omnia nidorosa, graueolentia, & putria inhibenda sunt. Sint omnia quæ in cibo sumuntur mediocris multitudinis, etiamsi vtilia esse ferantur. Abstinendum ab alimentis salsis, & acribus. Multus potus ac meracior, ac ieiunis potus omnes incõmodi existunt.

existunt Potus sit aqua hordei, aut radicis glycyrrizæ, aut vinum subnigrum modicè austerum probè dilutum. Potus etiam sit lac ouinum, vel caprinum, vel amygdalinum, vel vinum rubrum dilutum aqua hordei, vel liquiritiæ decocto. A frigidæ potu in totum abstinendum, cùm frigidum vlceribus sit inimicum. Aqua pluuia non corrupta omnino alijs melior existit, quæ tamen actu non nimis sit frigida. Confert & pro potu aqua mulsa, vbi vlcus non fuerit ex vitiosis succis & mordacibus ortum. Balnei ratus sit vsus. Naturales verò & sponte natas aquas experiri nō inutile fuerit, maximè aluminosas & sulphureas. Frigida lauare commodissimum est. Supra modum vlcerationes ægrè sanabiles tum internas, tum externas destruit. Conferent & naturales aquæ post matutinam deambulationem potatæ. Medendi verò ea est ratio, vt si ex iam dictis acribus & mordacibus humoribus renum vlcus profectum sit, ab eorum humorū purgatione auspicemur, ipsis priùs coctis ac præparatis. Perutile enim est aluum lenire, ne ad partem affectam excrementa deducantur. Ea causam antecedentem vacuant, vel auertunt. Cauenda verò fortiora medicamenta, quæ humores agitant, & à quib. fieri potest fortior ad renes defluxus. Atque hîc bolus præferendus est potioni, quia potio faciliùs means ad renes, quàm bolus, acrimoniam auget. Bolum autem bis in mense vorare oportet, quia forma spissa commodiùs per ventrem descendit. Conueniunt itaque leuientia, saccharum violaceum, cassia fistula, syrupus ex infusionibus rosarum, catholicon, diasebesten. Quæ verò morsus acrium humorum obtundunt medicamenta, hæc sunt: malua, intybum, rumex, portulaca, semen melonum, cucumeris, cucurbitæ, serapium violaceū, rosaceum, nymphææ, & eorum sacchara, serum caprinum, decoctum hordei, vuarum passarum, glycyrriza, quæ quidem perinde ac succus eius mirificè confert. Syrupi quoq; iuxta recentiores conueniunt ex malua, cichorio, endiuia hortulana, portulaca, violis, nymphæa, rosis, papauere. Vomitu etiam eos vacuare licet, vbi ad eum fuerint parati. Imò si quis omni mense audacter vomat, forsan & vlcus renum, & quicquid inde mali contingeret, dissoluet. Quare vomitum mouere decet, bibito

Medicamētorum ratio.

agarico in aceto mulso, aut decocto seminis raphani. Atque (vt scribunt alij) meliùs vomunt à cibo, si os ventriculi oleo liliorum inungant, & aquam tepidam bibant cum oleo. Sin difficulter vomunt ægri, vomitu abstinendum. nam quæ vomitum excitant, vlcus irritant. Postea ad ea quæ vlcera repurgant veniendum: inter quę maximè conuenit lac, præsertim cum melle, idque asininum potissimùm, aut equinum. Sit autem recèns mulctum, aut calidum, animali in domum ęgri deducto. Namq; & aliorum vlcerum internorum optimum est pharmacum, & graui puri maximè amicum, & corpus probè nutrit. Confert & mulsæ aquæ potio, nec non ptisanæ cremor, fœnugræci decoctum. Vlcus etiam terget serum lactis vaccini potum, mucago seminis althęæ cum iusculo pulli omni manè pota: hydromel coctum cum aqua althęæ, & potum. Paratur & decoctum ex hordeo cum corticibus torrefacto, adiantho, glycyrrizæ radice cum vncia vna & media melonum, & cucumeris. Pus per ductus conuenientes educendum his quę sine manifesto calore detergent, & puris acrimoniam obtundunt. Cuiusmodi est mulsio ex amygdalis dulcibus, quatuor seminibus frigidis contusis in aqua hordei, addito saccharo rosato. Eodem spectat hydrosaccharum, & vsus terebinthinæ venetę sæpius lotæ in aqua parietarię cum puluere diatragacanthi frigidi. Sunt prętera pastilli de halicacabo opportuni. Et ex his quę vrinam mouent, simpliciora iam dicta ad repurganda renum vlcera bibantur. Post mundificationem consolidandum vlcus est bibito bolo armeno, cum aqua cichorij, aut paulò antè dictis pastillis. Pus enim per vtinã reddentibus bolum prębebant veteres, aut ferularum combustarum cinerem, quantum tribus digitis comprehendi potest. Exhiberi autem poterit cuiuslibet eorum ʒ j. cum mulsa aut lacte, pręsertim vbi mũda fuerint vlcera: (quod palàm fiet, si neq; pus excretum sit fęculentum, sed subalbum, lęue, æquale, & paucum.) Nam hoc tempore pro his quę vrinam cient, quę exiccant, astringunt, ac cogunt alimenta, tum medicamẽta, simulatq; ea quę conglutinant, adhiberi debent: quale est quod recipit vuę passę, fisticorum, pinei fructus, & amygdalarum dulcium torrefactarũ, cuiuslibet ʒ ß. semi-

ß. seminis althææ & halicacabi ana ℈ j. seminis lactucę, & hyoscyami ana ℈ ß. amyli tragacāthi ana ℈ ß. radicis dulcis ℈ ij ß. seminis melonum, & cucumeris ana ʒ iij. boli armenici seu cineris ferularum combustarum ℈ ij. sacchari dissoluti in aqua rosarum, & capillorum veneris q. s. fiant morsuli. Præter bolum armenium, gummi, tragacantha, amylum, terra lemnia commendantur. Ad vlcera renum & vesicæ confert & vsus decocti radicis chinæ orientalis, post euacuationem factam videlicet: quo tempore vtile erit aliqua ratione mouere sudores, vel ingressū stufarum, vel etiam decocto guaiaci, quod præterea vlcera terget, & copiam vrinæ minuit. Ob id iuuat in omni vlcere renum & vesicæ. Trochisci Gordonij, cum hordei decocto (si quis vlcus renum purificare velit) & cum lacte caprino (si glutinare) dissoluuntur & bibuntur. Eorum est descriptio. ℔. quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum, seminis papaueris albi, seminis maluarum, seminis gossipij, seminis portulacæ, seminis citoniorum, baccarū myrti, tragacanthę, gummi arabici, nucum pinearum mundatarum, pistaceorum, penidiarū, glycyrrizæ mundatæ, mucaginis psyllij, amygdalarum dulcium, hordei mundati ana ʒ ij. boli armenij, sanguinis draconis, spodij, rosarum, myrrhæ ana ʒ ß. excipiantur hydromelite, & fingantur trochisci qui sint ponderis ʒ ij. singuli. Trochiscus vnus quotidie sumendus est dissolutus, vt dictum est. Extrinsecus quæ renes exiccare ac roborare possunt vnguenta, cærata, cataplasmata seu emplastra, ex oleo myrtino, citoniorum, ros. mastichino, poligoni, plantaginis succo, mastiche, thuris cortice, bolo armeno, santalis, hordeacea & fabacea farina, ac consimilibus conficiuntur. Fit etiam emplastrum ex farina hordei, farina erui, myrrha, & resina terebinthina. Aliud: ℔. myrrhæ, thuris, mastiches, boli armenij ana ʒ j. succi plantaginis aridi ʒ ß. picis & resinæ q. s. In parte externa iuxta renes, maximè si cum inflammatione vlcus sit, ℔. succi plantaginis & solani ana ʒ iiij. olei rosati ʒ iij. aceti ʒ j. lithargyri tenuissimè puluerati ʒ ß. cerussæ lotæ ʒ j. tutiæ ʒ ij. sanguinis draconis ʒ j. pulueretur pulueranda, & reducantur ad formam lithargyri nutriti.

De Stranguria seu stillicidio Vrinæ.

CAPVT XXXVIII.

στραγγυρία Vnde dicta.

ΣΤΡΑΓΓΟΥΡΙΑ, vrinæ stillicidium denotat, ἀπὸ τῆ στραγγίζειν, quod est colare, & vi guttulas exprimere.

Stranguria quid.

Stillicidium verò vrinæ excretionem significat, stillatim guttatimq; redditæ: qua cum assidua ad mictendum irritatio coniuncta est. Quanquam cùm aliquis parum & frequenter mingit, Stranguria quoque est, etsi guttatim non meiat. Rursum Stranguria aliàs quodam conatu, sed dolore nullo: aliàs vehementi dolore & irritatione fit. Quæ nullo fit dolore, cum Ischuria magnam affinitatem habet, & tantùm leuiores causas obtinet. Quæ cum dolore acri, tum Ischuriæ, cum Dysuriæ permistas causas habet. Quòd enim guttatim stillet, cum Ischuria: quòd ardeat ac stimulet, cum Dysuria conuenit. Porrò Stranguria solius vesicæ proprium est symptoma, ipsius scilicet actionis lætionem ostendens, quæ nimirum est vrinæ excretio. Nam cùm actio vesicæ naturalis sit, non voluntaria, in Stranguria immoderatiùs expultrix facultas ipsa mouetur. Quare affectio erit in genere excretorum immodicè, deprauatum motum excretricis vesicæ facultatis insequens. Neque enim pro consuetudine vrina redditur, sed paulatim & guttatim destillat, assiduaque ad mictendum irritatio adest, vt dictum est. Vesica autem interdum nō proprio ac primario affectu laborat, sed interim ex accidenti ac per consensum, vt paulò pòst subiungetur. Duæ autem in vniuersum causæ sunt vrinæ stillicidij, acritudo, & potentię retentricis quæ est in vesica, imbecillitas. Vis enim excretrix irritatur ad immodicum motū, quoties retentrix facultas ex multitudine excrementorum, acrimoniáue, vel ex propria imbecillitate laborat. Acrior vrina redditur, vel admixtione acris materiæ, vt bilis, vel pituitæ salsæ, vel puris per vesicam euacuati, vt à renibus suppuratis, aut ab alijs partibus, quę cum vrinis humorum suorum vitia ac pus, vbi abscessus infestauerit, transmittere possunt: vel quia talis vrina effluit è venis à praua ratione victus, aut quia intemperiem calidam vel siccam acquisiuit. Idque aliquando per consensum, vicinitatis ratione. Participat enim intempe-

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

rie &

rie & inflammatione partium proximarum, à quarum etiam tumoribus premitur, vt intestini, vteri. Retentrix verò imbecilla redditur ab intemperie qualibet, sed præsertim frigida, vt quando musculus collum vesicæ claudens relaxatur. Quod etiam accidit senibus: sed ea impropriè Stranguria appellatur. Ad vrinæ stillicidium refertur etiam inuoluntarius mictus, qui accidit ob vulnus, vt in his quibus calculus extractus est, ob ingentem dolorem, vt in partu difficili, atque etiam ob ossis sacri luxationem. Causæ singulæ suis notis distinguũtur. Si ob acrimoniam bilis vrinæ stillicidium accidat, vrinæ biliosiores sunt, totiúsq; corporis habitus, eædem flauæ, rufæ, & corpus extenuatur, cæteraq; bilis signa adsunt. Salsa pituita dignoscitur, quando vrina alba est, cinereum sedimentum in fundo matulę residet, fæcis modo. Si ob purulentos renes, aut aliud eorum vitium vrina purulenta erit, púsque cum vrina subactum subsidebit, accedit fœtor, præcesserũt signa vlceris renum, aut meatuum vrinæ, vel inflammatio, vel aliarum partiũ affectiones. Pus & interdum transmittitur sima parte iecoris inflammata, & (quod rarum est) ex pleuritide. Fiunt & acritudines à quibusdam intemperaturis, & præcipuè ab ea quæ est ob caliditatem, tum ab ea quæ est secundum caliditatem & humiditatem: tertiò ab ea quæ est secundũ caliditatem & siccitatem, earumq; intemperaturarum signa nota sunt: quemadmodum & si intemperies est quæcunq; sit, à qua est imbecillitas, signaq; eius apparebunt. Ac præsertim relaxatio, quæ intemperiem frigidam sequitur, dignoscitur ex redundantia pituitæ, vrinæ crassitudine, albedine; vrina descendit sine dolore, acredine, morsu: præcessit otium, potus frigidæ, balneum, sessio in lapidibus frigidis, aut tempore frigido. Similiter si ob instrumentales affectus vesicæ imbecillitas orta est, vel ut si inflammatio, erysipelas, aut abscessus, aliquidue tale in ea orta fuerint, vel vlcus aliquod. Vel per compatiendi rationem vesica patitur, vtero videlicet vel recto intestino inflammatis, vnde stillicidium fit. Nam & vesica participes est intemperaturæ, & inflammationis, & premitur & angustatur à tumoribus præter naturam qui in illis existunt: cuius rei paulò antè meminimus. Si ob

Signa.

Prognostica.

vrinæ acrimoniam stillicidium est, ad meiendum assiduè cogendi sunt ægri, & plurima aqua calida exhibenda in potu: quia si acre recrementum diutiùs in vesica moretur, partes ipsas corrodit, & vlcerat. Si senioribus talis affectio eueniat, difficulter sanabitur, veluti quodlibet aliud renũ & vesicæ vitium: potissimùm vbi ex frigida intemperie cũ frigidorum humorum redundantia ortum habebit. Si vrinæ stillicidio vóluulus acceſſerit, primis diebus septem hominem tollit, nec febris quoq; interuentu fluere vbertim vrina cœperit. Si à sanguinis grumo est, qui intus impegit, horrendum est grauissimis casibus. Natiuus enim huiusmodi perit color, pulsus fit paruus, frequens, languidus, idemque subinde concidit. Accidit rigor, febricula, nausea, animi defectio, frigidi sudores, & alia quæ concreto intra vesicam sanguine contingunt. In nonnullis vrina sine acrimoniæ & doloris sensu effluit, quod vitium senibus familiare est, vt diximus, nec curatur. Idem si per febres acutas incidit, viribus iam infirmis, pestiferum est. Critici fiunt interdum abscessus ad vrinas stranguriosi. Sæpe humores praui qui in venis continebantur, non solum per intestina, sed etiam per vesicam expurgãtur, quorum morsus stranguriæ causa est, vt in crisib. quarundam febrium, Hippoc. abscessum stranguriosum vocat. Si vrinæ stillicidium eueniat ob luxationem vertebrarum spinæ (vt ex Galeno notarũt recentiores) immedicabile malum est. Igitur pro varijs causis Strangurię, curatio eius instituenda est. Si ab acrimonia vrinæ prouenit, nempe à biliosis succis, vtendum eis quæ contemperant, alterant, & humectant. Quo circa aër ad humidum vergat, & sit in actiuis intemperatus. Somnus sit moderatus, vel consueto longior. Vigiliæ immodicæ vitentur. Quies imperetur. Aluus sit lenis natura, vel arte, hoc est clysteribus lenibus. Animi accidentia, ira præsertim, fugienda. In summa vitentur quæ bilem coaceruant. In cibis vtilis est ptisana vel eius cremor per se, interdum & cum lacte, vbi magna pars acrimoniæ finierit, quoniã lac facilè corrumpitur, si qualitate sicca & acri prępollente multum exhibeatur. Eadem ptisana paretur cum iure pullorum aut gallinarum, seu etiam cum amygdalarum cremore. Sit etiam vsus lactucæ,

Victus ratio.

portulacæ,

portulacæ,bliti,ſpinacij,atriplicis,bugloſſi,maluę,biſmaluæ. Pepones quoque crudi, aut elixi frequenter accepti vrinæ ardorem & ſtillicidium calidius ſæpe ſanant. Sit fuga calidorum,acrium,ſalſorum,aceti. Inter piſces, ſaxatiles eligantur. Pro potu aqua præbeatur dulcis,calida: aut aqua hordei,aut decocta aqua dulcis cum pauco ſaccharo permixta,ſeu radicis glycyrrizæ decoctum. Optimum eſt lac ipſum calidum potatum,& amylum itidem potatum cum lacte, itemque lac cum palmarum decocto ſorbendum. Vinum non niſi dulce & optimè dilutum concedendum: & eis tantùm qui alio potu vti nõ valent, propter eius conſuetudinem,vel imbecillitatem. Si his redundans ſuccus non contemperetur, eiúſque acrimonia obtundatur, bilis nimirum,vel ſalſa pituita vacuetur manna, caſſia, rhabarbaro,ſaccharo violaceo, ſyrupo ex pluribus infuſionibus roſarum,aut violarum,myrobalanis citreis, & ſimilibus. (A ſcammoniatis abſtinendum.) Hæc enim ſæpius ſumpta paulatim bilem,vel materias ſalſas ac nitroſas à partibus vreticis ad inteſtina deriuant. Idem præſtat ſerum lactis caprini,& lac ipſum caprinum. Quia verò idem multam ex ſe vrinam facit,eamque mitem, ſic vrinæ acrimoniam obtundit. Supra modum etiam conducit terebinthina lota in aqua roſarum,aut intybi,nucis magnitudine, aliquando duarum,triumve accepta. Hæc non ſolùm citra noxam ſoluit aluum,atque adeò humores acres ab vrinarijs meatibus auertit. Et præcipuè ſi pituita ſalſa in cauſa eſt,ſumatur frequenter terebinthina lota in aqua plantaginis ad tollendam eius acrimoniam. Ad cutem etiam auertuntur humores per balneum aquæ dulcis. A purgatione,& ante eam, ſyr. violatus,de glycyrriza,ex infuſione roſarum,ex nymphæa, portulaca, papauere, aut bugloſſi ſucco temperandi gratia prodeſt. Sunt qui poſt purgationem quærunt an vreticis vtendum,& quidam audent, alij negant. Certè non in vniuerſum quæ vrinam moueant, interdicenda ſunt. frigida namque conuenient vrinam attemperantia,& meatus ipſos excalfactos, cùm bile iam purgata parum eius reliqui fuerit,vel pituitæ ſalſæ. In hũc etiam vſum cremor ſeminis citruli, cucumeris, vel melonis competit,cum aqua hordei,aut radicis glycyrrizæ de-

cocto. Vel pastilli fiant, qui recipiunt seminis melonis citruli, cucumeris ana ʒ ij. vuæ passæ, & succi radicis liquiritiæ ana ʒj. seminis lactucę, portulacæ ana ℈ ß. amyli ℈ j ß. sacchari in aqua rosarũ dilloluti quantũ satis: fiant pastilli qui præbeãtur. Vel fiat puluis ex semine melonis, cucumeris, cucurbitæ, peponis, cum succo radicis dulcis, aut pulueris ipsius, & saccharo: cuius cochlear vnũ exhibemus cum aqua endiuię. Clysteribus quoque inijciendum decoctum maluæ, althææ, violarum, nymphææ, cum cassia ad aluum leniendam, ac temperandam humorum acrimoniam. His additur mel rosaceũ cum oleo violaceo. Fiunt & clysteres ex decocto hordei, violarum, cum oleo rosato, nymphææ, & saccharo. Hi diutiùs retineri debent, si quidem vrinæ ardori conducunt. Fiunt & fomenta circa pubem ex decocto foliorum maluarum, violarum, althææ, rosarum, chamæmeli, fœnugræci. Inungendæ etiam partes circa vesicam oleo violato, de nymphæa, de papauere, amygdalarum dulcium, rosato. Renes verò lenire oportet vnguento rosato, immixto cum cærato refrigerante. Eodẽ remedio linienda est regio hepatis atque vesicæ, aut etiam oleo violato, rosato, nymphææ. Si acrimonia adhuc augeatur, etiam per colem lac ipsum cum amylo in vesicam inijciatur. In eandẽ rem inijcitur decoctum papaueris albi. Confert itidem lac ipsum, caprillum potissimùm. Vbi dolor est vehemẽs, acrimoniam mordacem vrinæ remittes, vel per vnctuosa, vel sensum tactus partium vreticarum modicè stupefaciendo. Ad id valet syrupus violatus cum aqua lactucæ, portulacæ, solani, intybi, aut si valentiore opus est, syrupi violati ʒ j. cum semi vncia syrupi papaueris: vel cum vncijs tribus decocti seminum quatuor frigidorum maiorũ. Sunt qui seminis hyoscyami albi, vel papaueris albi ʒj. cum prædictis aquis exhibent. Trochisci halicacabi sunt efficaciores. Immittitur lac humanum, caprinum, ouium: Albumen oui agitatu multo fractum, donec lentum esse desinat, per se, vel cũ papaueris decocto, vel cum lacte. Mucago seminis psyllij sex horis macerati, aqua frigida omnem acrimoniam obtundit. Virgam quoque tenere iuuat in lacte calido, vel decocto papaueris albi. Inungere ventrem inferiorem, & perinæum oleo salicum,

violato,

violato, nymphæ, addita pauca caphura. Decoctum foliorum vitis, salicis, malvæ, violæ, prodest infessu, aut fotu ex vesica. At si vrinę stillicidium ob frigidam vesicę intemperiem fieri contingat, ijs quæ calfacere possunt, & in victu & medicamentis vtendum: cibis quippe ac potibus valentioribus, vino quoq; calido, & condito. Inter olera conueniunt daucus, apium, fœniculum, seu oreoselinon. Pro potu vinum, aut artemisiæ & scordij decoctum. Conuenit item theriacam præbere in potu, fouere, ac ægrum in rutæ aut sampsuchi decocto desidere, imumque ventrem contegere, ac calefacere: aliquando & per sedem oleum rutaceum infundere. Confert & aquis naturalibus pro balneis vti, & reliquis calidis vnguentis. De qua re sic alij. Si vrinæ stillicidiū est à relaxatione, fouere oportet pubem & perinæum oleo irino, nardino, laurino, rutaceo, quibus additur castoreum. Glomerem quoque semine anethi, & floribus chamæmeli plenum, & folijs rutæ, vino calenti madefactum, perinæo & ano applicare. Frictiones etiam partibus ijsdem adhibendæ sunt. Conueniunt & sinapismi, & malagmata ruborem inducentia. Si ex alia quapiam intemperie vrinæ sit stillicidium, vt ratò contingit, suo contrario curabitur: vt si aliud membrum sit primò affectum, & id ipsum per vesicam expurgetur, aut vicinitatis ratione per consensum offendat, illud priùs curari debet, ita tamen vt neque vesicam negligamus. Si ob vesicæ vlcerationem stillicidium vrinæ fiat, curatio ex proprio capite petenda est.

Curatio stillicidij vrinæ ab intemperie frigida.

De Dysuria. CAPVT XXXIX.

ΔΥΣΟΥΡΙΑ Græcis dicta, vrinæ difficultas Latinis nominata est: ab eo quod videlicet æger meiere cupit, sed cum vi vrinam reddit. Dysuria igitur est vrinæ difficilis, & interdum cum dolore excretio. Neque enim ambo symptomata semper cõcurrunt (quanuis sępe) sed si alterũ modò adsit, rectè Dysuria dicitur: cùm duæ Dysuriæ species constituantur, vna μετ' ὀδυνης, altera μετὰ δυσχερείας, ὡς μόγις σπεργεῖν πλὴν κύσιν. Siue itaq; cum dolore, siue citra dolorẽ, sed cũ difficultate aliqua quis meijt, adeò vt vesica

Δυσουρία quid.

vix operetur, Dysuriam nominabimus. Proinde Dysuria similis Dysenteriæ dicitur esse: & Dysuria sic penis & vesicæ, vt Dysenteria intestinorũ difficultas est. Alij Dysuriam describunt meiendi desiderium cum vrinæ difficultate, eamque trifariam considerant, nempe cùm tenuiter meijtur, vel quum in meiendo æger longam moram trahit, vel cum meiere incipit, & in meiendo perseuerare non potest.

Pars affecta. In hac affectione quòd nedum vesica, sed ipsa sola laborat, ex eius functione oblæsa liquet. Hæc autem est vrinæ excretio. Atque ita læsa est vesica, vt imbecilla & velut torpens sit reddita. Et si cum dolore mictio fit, ex dolore cum

Affectus quis præter naturam. positu idem conijcitur. Quòd sit etiam symptoma in genere retentorum, vel excretorum immodicè manifestum est ex ipso quoque excretionis modo. Namque cum dolore aut saltem cum difficultate mictio fit. Cæterùm in ea difficultate vrinæ, expectat quidem vesica, atque aliquando diutiùs quàm oporteat, vt vrina colligatur (quod non fit in Stranguria) sed cùm excernenda est, percipit æger dolorem, aut tantam difficultatem, vt sæpe nisi locum vesicæ comprimat manu, aut diu & magno conatu enitatur, liberè non profluat. Actus meiendi qui partim naturalis est, partim voluntarius, imminui videtur in Dysuria: vt in Ischuria supprimi, & in Stranguria deprauari. Dysuriæ si

Causa. dolorem pro symptomate habeat, causæ sunt inflammatio, abscessus, vlceratio, spiritus flatulentus, inæqualis intemperies, vsus medicamentorum acrium, vt empetri, laueris, & aliorum diureticorum. Si pro symptomate difficilem motum habeat sine dolore, causa erit imbecillitas potentiæ excretricis ob frigus vesicæ, aut colli, vel tumor præter naturam, vel obstructio à crassis & viscidis humoribus infarctis, & adhærentibus ceruici vesicæ aut vrinę permistis. Inflammatio, vel abscessus, præsertim si grauitas accesserit, ex proprijs eorundem signis dignoscetur. Cùm

Signa. vlceratio est, pus cum dolore excernitur citra grauitatem, idque cum rosione vehementi. Si spiritus copiosus & flatuosus, cum distensione sola dolor percipitur in vesica. Inæqualis intemperies quanquam calida, & frigida, & sicca esse possit, sæpenumerò frigida existit. Etenim vesica exanguis est & frigida, & propterea à causis frigidis promptiùs

ptiùs quàm aliæ partes afficitur: vt in Aquilonis flatu euenit. Reliquæ etiam causæ infrigidantes præcesserunt, atq; ex ætate, temperatura, vrinęque tenuitate, & albore conijcies. Vt si à reliquis intemperaturis excitetur, ex proprijs earundem indicijs percipietur: vt contingit in ardentissimis ac siccissimis febribus. Ex eisdem intemperaturis non inæqualibus, nec dolorem inferentibus, potentiæ imbecillitas si est, non aliter dignoscuntur quàm prædictæ, præsertim si frigida est, quanquam vbi cum frigiditate simul pituitosus humor redundabit, vrina præter alborem crassa erit, & aderunt alia signa redundantis pituitæ. Si verò tumor erit quidam scirrhosus, vel œdematosus, promptè quilibet ex eorundem humorum indicijs indicabit. Si vrinæ difficultas in ardentissimis, ac malignis febribus fiat, mala est. Nedum enim vesicam affligi, sed indicium est omnes partes neruosas affectas esse. Ex alijs causis orta tanto salubrior erit, quanto magis dolore vacabit. Ex frigida intemperie excitata senibus est periculosior, vt cęteri morbi frigidi. Quæ cùm frequentior sit Dysuriæ causa, ex qua scilicet vesica est imbecillior, adeò vt eius actio lædatur, per ea quæ calefaciunt, curatur. Quare aër ad calidum declinet. Somnus & exercitiũ iniungantur. Cibi in quantitate modici sint & boni succi, qualitate ad caliditatem vergentes, qui & vrinæ ciendæ facultatem habeant. Propterea cum eis vtendum est oreoselino, apio, fœniculo, asparago, dauco, pastinaca probè cocta, & similibus: ijdemq; cum aromatibus præparentur, vt cinnamomo, caryophyllis, macere, galanga, zingibere, & aniso. Vino etiam vtantur calidiori, imò eo quod cum aromatibus compositum est, quale est quod œnosacchar appellant. Cõuenit & aqua mulsa cum aromatibus parata. Medicamẽtis etiam vtantur, quæ calfaciendi ac vrinam ciendi vim habent: quale est scordij & artemisiæ decoctum, hyssopi, pulegij, fœniculi, origani, thymi cum aqua mulsa: Decoctum radicum eryngij, cyperi, ameos, cinnamomi, nepithæ, crestæ marinę vulgò dictæ, carthami, extremitatum caulium, & similia dicta capite de calculo renum: Aquę raphani, crestæ marinæ, pentaphylli, florum maluæ, cyperi, erythrodani, sabinæ, fabaceorum, scolopendrij, alkekengi. Vrinam quoque

Prognostica.

Curatio si est ab intemperie frigida.

Victus ratio.

commodè cient cancri, & erinacei terreni. Carnem illorum exiccare oportet, & drachmæ pondus in potu accipere. Conueniunt & à proprietate viuerræ genitale, testa oui repurgata, à qua pullus exierit, aselli, vermes terreni, vesica tauri, & capræ. Præterea summè conferunt theriaca, mithridatium, diagalanga, diacinnamomum, diacalamentum, dianisum, dialacca, diacurcuma, aurea Alexandrina, quæ dantur ʒj pondere cum vini albi ℥ ij. Extrinsecus fouenda est vesica decocto pulegij, sampsuchi, origani, foliorum rutæ, chamæmeli, fœnugræci, fiatque decoctum nedum in aqua, sed & in vino albo, & duabus partibus aquæ & vna vini. Addes & parietariam, sisymbrium, berulam, & cressones. Ex quibus & balnea seu insessus parabis. Vel has herbas friges in sartagine ex oleo, vel butyro, & emplastri modo pectini & perinæo admouebis. Eædem partes illinendæ sunt oleo chamæmelino, rutaceo, irino, nardino, de castoreo, de scorpionibus, de keiri, de lilio, de cucumere asinino, in quo sexta pars castorei, vel galbani, vel opopanacis coxerit. Clysteres quoque conueniunt, quales superiori capite descripti sunt. Si cum frigida intemperie simul pituitosi succi etiam in toto corpore redundarint, purgentur agarico, puluere hieræ simplicis, cassia, catholico, diaphœnico, carapotijs fœtidis, de sagapeno, cũ agarico permixtis. Quanquam alij laudant mitiores pilulas, vt pilulas hieræ, alephanginas, nempe ante fortiores: quæ conueniunt post syrupos attenuantes & incidentes, detergentésque, vel decoctiones similes. Si in vesica duntaxat redundent prædicti succi, benefaciunt oxymel compositum, & mulsa. Si pituita est in collo vesicæ detenta, injicienda erũt detergentia. Si est Dysuria à flatuoso spiritu, medicamentis intus & extra adhibitis vtendum, quæ flatus discutiant, eaque ex capite de coli dolore, & alijs locis petantur. Ex cæteris intemperantijs orta meiendi difficultate, perpetuò earum contraria medentur. Si crassus humor, siue calculus, siue grumus, siue aliud eiusdem generis obstruens vrinæ transitum impediat, catheterem indere ex vsu est: nisi particulæ inflammatio prohibeat. Quandoque hypersarcosis meatum claudit, & crassam pituitam retinet, tunc cathetere extrahenda vrina, & via dilatanda, vel can-

Topica.

vel candela cærea. Deinde carnositatem extenuare oportet, & minuere medicamentis appositis in extremitate candelæ. Si in ardentibus febribus malignis fiat Dysuria, fouendæ sunt partes imi ventris, pectinis, inguinum, & perinæi cum oleis, superfusionibus, fotibus, cataplasmatis, quæ laxandi ac humectandi vim habeant, cum exiguo aut nullo calore, quale est oleum chamæmelinum, anethinum, oleum commune dulce. Fotus & insessiones etiam ex maluarum, althææ, fœnugræci decocto parantur. Et si aluus astricta fuerit, injiciatur prædictorum decoctum, oleo communi, anethino, chamæmelino, amygdalarũ dulcium addito. Si difficultatis vrinæ causa fuerit inflammatio, abscessus, & vlceratio, vel quiuis alius tumor præter naturam, eorum curatio adhibenda est.

De Ischuria, seu Suppressione Vrinæ.

CAPVT XL.

ΙΣΧΟΥΡΙΑ Græcis, vrinæ suppressio Latinis dicitur. Ea est (vt nomen indicat,) cùm in totum vrina supprimitur, ac cohibetur, sed id vesicæ, non renum affectorũ gratia contingere accipiendum est. Nam si nullo penitus neq; dolore, neque tumore, neque tensione folliculus lotij tentatur, renes, aut vreteres obstructione, aut inflammatione, calculóue occupantur. Quandoque & serum sanguinis supra renes detinetur, aut non tractum, aut non colatum. Interdum vreteras penetrat, sed non vesicam. Itaque si vesica vacua est, in meatibus vrinarijs, vel renibus causa requirenda. Et quia renes aliquando præ imbecillitate nihil attrahunt, vel admodum languidè, fit vt serosus humor diuertat ad ventrem, vel in habitum corporis, vnde hydropis genus. Impropriè igitur Ischuria dicitur, si vesica vacua est, & nil omnino continet. In Ischuria enim plena est, sed nihil excernitur. Quodque vesica affecta sit, indicat eius actio læsa, quippe vrinæ excretio quæ nulla fit, tumorq; apparet in pube, qui satis testatur vesicam oppletã esse. Propterea Ischuria dici debet symptoma in genere retentorum immodicè, ac præter naturam. Nascitur autem ab imbecillitate expultricis, vel meatus vrinarij

Pars affecta.

Affectus quis. Causa.

obstructione. Imbecillitas verò ab intemperie prouenit, vel morbo organico, vel solutione continui, vel deniq; ab obtuso sensu vesicæ. Frequentiores autem sunt imbecillitatis causæ, intemperies (eaque frigida) & obtusus sensus. Propter enim intemperiem frigidam vesica ea quæ in ipsa continentur, arctè amplecti ac exprimere non potest, & expultrix ipsa laborat, cùm scilicet vesica relaxatur, & fibris resolutis, vrina nõ expellitur. Vesica enim interiorem membranam habet contextam omni fibrarum genere, quas dum intendit, vrinam continet. Si solùm transuersis agit, exprimit. Quare eius actio in totum naturalis videtur. In obtuso sensu vesicam impletam lotio, ægrotus non sentit: citra tamen expultricis facultatis eius læsionem, cùm videlicet proprij nerui afficiuntur, qui à lumbis & osse sacro ad vesicam perueniunt. Vesica enim est, vt quodlibet aliud naturale instrumentum, neruorum particeps, quò ea quæ molestiam exhiberent, sensu dignosceret. His verò sic affectis & resolutis, vt vesicæ sensus torpeat, quòd immodicè repleatur, accidit. Tuncque immodicè extenta vesica propter vrinæ multitudinem, quam in se continere non sentit, præsertim inter dormiendum, seipsam contrahere non valet, nihilque excernitur contractrice eius facultate læsa propter immoderatam tensionem. Idem symptoma etiã contingit ijs qui in concione, oratione, aut forensibus negotijs, aut coram præstantioribus assistere coacti sunt. Fit enim tunc quoque, vt vrina vesicam distendat, & meatus à multitudine vrinæ comprimatur, & angustior reddatur: & vt fibratum comprimentium vis soluatur, quo tempore vrinam exprimere nequit, vel nobis ipsis conantibus. Contractrix enim nisi præcedat, expultrix officium non facit. Quo etiam loco notandum impropriè resolutionem vesicæ dici, tam si fiat in eius essentia vel corpore, quàm proprijs neruis ad eam distributis oblæsis: quoniam tunc non motus, sed sensus duntaxat ipsius aufertur. Quapropter rectiùs obtusus sensus, quàm resolutio diceretur, & eo casu Ischuria generatur, vt diximus. Altera causa est Ischuriæ angustia & conuenientia meatus vrinarij, colliq; vesicæ, clauso eo ob tumorem præter naturam, vt ob phlegmonem, scirrhum, aut aliquem tumorem mole sua opprimen-

opprimentem meatum, vel multam siccitatem à febribus ardentissimis sicciſſimísque contractam: (Tum enim infirma excretrix transuersis fibris exprimere non potest. Ibi & corrugato collo vesicę fit interceptio.) vel eodē obstructo à grumo, pure crasso, lapide, topho, tuberculo, vel carne meatui adnata, crassa pituita. Si ex imbecillitate orta fuerit suppressio, sic percipies. Si ita figuraueris hominem, vt decliuis sit ceruicis vesicæ positus, ac manibus tumorem præter naturam compresseris, vtique expelletur vrina: quemadmodum si nihil profeceris, vrinæ fistulam constipatam esse agnoscis. Verùm nunquid expultrix facultas fuerit oblæsa, an vesicæ sensus torpidus ob proprios eius neruos affectos, id distingues. Nam si est propter aliquam intemperaturam præsertim frigidam, à qua excretrix læsa est, vt dictum est, ex proprijs intemperaturæ indicijs colliges. Quòd si nullum tale fuerit indicium, præcesseritque læsio aliqua spinalis medullæ, vt si ipsius vertebræ luxatæ fuerint ad externas partes, eo loco quo ad vesicam proprij nerui distribuuntur: similiter si quomodolibet prædicti nerui fuerint affecti, ita vt animalis facultas ad vesicam nō pertingat, ex obruso seu resoluto eius vesicæ sensu causari vrinæ suppressionem censeto, proprijs neruis affectis, atq; ipsa vesica propter immodicam repletionem immodicè extensa. Et si sanis accidat suppressio, propterea quòd longo tempore propter vrgentiam vrinam retinuerint, ex loquela id percipies, & quòd nullus alius affectus præcesserit. At vbi ex occluso vesicæ ore Ischuria est, nempe ab inflāmatione, vel scirrho, vel abscessu, vel alio quouis tumore præter naturam, ex horum affectuum notitia patebit. Si ob caruncula aliquam ab vlcere innatam vesicæ ceruix obstruatur, ex præcedentibus notis vlceris, & quòd ea parte superexcreuit caro, & quòd immisso cathetere tangitur, & rumpitur, ac deinde sanguis manat, & simul caruncula & vrina secernuntur. Verùm si fuerit tophus seu callus in vesicæ ceruice innatus, præter id quod longo temporis spatio ex crasso lentoque humore paulatim nasci potest, neque fortè vlceris signa præcedent, neque ortæ caruncula signa aderunt. Si à lapide meatus obstruatur, ante vrinæ cohibitionem, lapidis indicia apparuerunt, vrina

Signa

videlicet aquæ similis, in qua subsidēt sabulosa. Insuper quòd pudendum sæpe scalpant taliter affecti, postea vrina repentè supprimitur. At si nulla lapidis nota præcedente sanguis effluxerit, par est vt grumus aliquis vrinæ fistulam obturet. Quocirca demissa per colem fistula, paulum vrinæ redditur: qua extracta in ipsius ore grumi apparet indicium. Quanquam contingit, vt vbi vlcerata fuit vesica, paulatim in ipsa grumus concrescat, vel non præcedente sanguinis fluore: ad grumos autem qui in vesica continentur, veluti etiam ad alios qui in intestinis, ventriculo, atque thorace, animi defectio ac color pallidus sequi solet, pulsus paruus, obscurus, frequénsque apparet, & laborans cum anxietate resoluitur, adeò vt mirari aliquis possit, quænam sit eius euentus causa. Si pus eundem meatum obstruxerit, renes aut vesica, aut alia quæpiam pars superior vlcerata, quæ per vesicam expurgari potest, antè affectu aliquo laborauit, per quem tale tantumque pus colligi poterit, tenuéque pus cum vrina quandoque effluit. Quemadmodum vbi ob crassum lentumque humorem obstruitur meatus, eiusdem humoris redundantis indicia aderūt: vti præcessit otium, aquæ potus, cruditates, & alimenta crassam pituitam aceruantia. Conniuente iam dicto meatu ex immodica siccitate, exiccantes causæ præcesserunt, vt febres ardentes. Vrinæ suppressionem quæ ob sauciatam spinam, aut casum, aut vertebræ luxationem, vel ob lethales accessionum concursus oborta est, impossibile est curare. Quare cautè remedia adhibere oportet. Quoniam verò ex ijs qui paralysi exolutam vesicam habent, alij præter voluntatem vrinam emittunt, alij lotium non excernunt, minùs periculo sunt obnoxij, qui præter voluntatem eam emittunt, ac magis hi quibus detinetur. Nam suppresso lotio vesica & lumbi eis distenduntur, simulque pectinem, & femora tumefacta habent, & cùm nō eijciunt, subiecta membra mortificantur, neque ita longè pòst moriuntur. Omnino retenta vrina in corpore, & in venosum genus effusa, mortem adfert. Ex concreto sanguine seu grumo, pernicios fit retentio. Nam & putredo partium seu marcor sequi solet. Quanquam quidam solutis grumis à medicamentis datis quos postea cum vrina

Prognosis.

rina excernunt, sanari possunt. Lethale est, si vsq; ad quintum diem vrina retinetur, odorem eius ore & naribus emitti. Præterea singultus propè mortem euenit, & quibusdam serum sanguinis per ventrem secernitur. Victus autem ratio præcedenti capite descripta est. Sed curatio per medicamenta sequenti methodo comprehenditur. Si propter imbecillitatem (citra tamen casum) Ischuria est, primò figurandus est æger modo quo dictum est: vt sit decliuis ceruicis vesicæ situs, manibúsque tumor comprimatur, & vrina expellatur. Musculi quoque abdominis, maximè medij, ęgrotantis manibus seu alterius comprimantur. Deinde assidui fiant insessus seu fotus ex fœnugræci, seminis lini, althææ, rutæ, sampsuchi, artemisiæ decocto cũ oleo. Et loci ex rutaceo oleo calido sæpe per diem & noctem, & maximè post insessus irrigentur, & perfundantur. Epigastrium, scrotum, perinæon, pudendum foueãtur decocto parietariæ, sisymbrij, calamenti, apij, fœniculi, chamæmeli, & similium. Cucurbitæ item locis affigantur, & cataplasmata imponantur ex cruda hordeacea farina, ex vino dulci & mulso, præsertim si obtusus fuerit vesicæ sensus. Fiat & vnguentum ex oleo irino, laurino, nardino, costino, rutaceo, ex scorpionibus. Vnguentum etiam conuenit dialthææas, vnguentum Agrippæ, oleum irinum, & laurinum cum pauco castoreo, aut vino, in quo calamintha & pulegium bullierint. Insessiones quoque fiunt ex decocto pulegij, calaminthæ, cum sale & sulphure. Si obtusus est vesicæ sensus præter ea quæ dicta sunt, excitare oportet vesicæ actionem nitro aut nitri spuma ad meatum admotis, aut cimicibus contritis, quibus titillatio commouetur. Aut iuxta alios pediculus immittendus est vrinario meatui, vel pulex, vel pili minutim concisi: sed vt quidã volunt, loco pediculorum vel pulicũ satius est immittere salem, vel ex melle aut pauca hiera iniectionem moliri. In sanis si ob negotiorum importunitatem accidat Ischuria, auxiliari oportet ambabus manibus supra imum ventrẽ admotis, ac vrina lentè expressa. Huic etiam retentioni atq; imbecillitati ex distensione fibrarum vesicæ à multitudine vrinæ prodest catheterem immittere. Sed vrinam ducentia non bibant, ne multitudine eius vesica distendatur. Magis

Curatio

his confert caſtoreum, itemque in potu theriacam aſſumere. Carnis quoq; erinacei in ſole exiccati drachma vna ex vino detur. Et vermes terreni tres aut quinq; triti ex vino mulſo, aut aqua mulſa præbeantur. Extrinſecus artemiſiæ folia pectini & imo ventri illinantur, & perdicium herba trita & affuſo oleo feruefacta, & veſicæ impoſita. Adhæc poſt vacuationes ſinapiſmi tum pectini, tum lumbis optimi ſunt; à quibus cærata quæ partes mitigent, & malagmata odorata imponantur. Quibus etiam eſt obtuſus veſicæ ſenſus, ſedes illinenda eſt decocto origani, thymi, anethi, centaurij, cum oleo rutaceo, pauco addito caſtoreo. Infundimus & per colem oleum rutaceũ, de ſcorpionibus, uardinum, irinũ, addito caſtoreo, vt actio reuocetur. Si propter inflammationem, aut alium tumorem os veſicæ occluſum eſt, ex proprijs locis repete quid agendũ. Si ob carunculam, aut callum, per emolliẽtia aut relaxantia remedia curetur. Vbi ea non ſuffecerint, ænea fiſtula vel argentea demittatur, vt dilatet meatum. Vt alijs placet ſi caro meatui adnaſcatur, aut tuberculum, & ſuppurationem admittat, ſuppuretur: ſi nõ ſuppuretur, catheterem immiſſo euelli debet, ac rumpi immiſſo ſcirpo, aut ex cæra ſimili confecto inſtrumento. De eadem re ſic alij ſcripſerũt: interdum caruncula in meatu vrinario ex vlcere ab acri vrina facto meatum vrinæ intercludit, aut certè multæ membranulę ex eadem cauſa natæ difficultatem vrinę adferunt, adeò vt in ipſo itinere reſtitet vrina, & veluti quodam paruo filo meiere videantur, nõ plena mictione. Itaq; caro ſupercreſcens veſicæ atteratur. quod certè iniectionibus cathæreticis conſequi non poſſumus: quòd in ſpatium veſicæ ferantur, nec longiorem in ductu vrinario moram contrahant: præterquam quòd earum vſus non eſt tutus, quòd partes ſanas atque ægras afficiant. Propterea inuenta eſt quædam ratio commodior per linimenta, & cærata, quibus turundas & catheteras ferreos illinunt priùs tectos tenui linteolo, ac vnguenti aſſiduitate ægram carnem ſuperfluam atterendo, ea vrinæ difficultate liberant. In parandis linimentis ſuis, pulueribus cathæreticis vtuntur, ſed correctis. Quidam parat hunc pulueren, quo ſe multos iuuiſſe dicit. ℞. viridis æris, auri pigmenti, vitreoli,

aluminis

aluminis Rochæ ana ʒij. omnia hæc aceto acerrimo perfusa inter duos lapides porphyrites quàm accuratissimè ducantur, & in puluerem tenuissimum reddantur. Dein soli æstiuo exponantur: & explicata rursus aceto affuso ducenda vt priùs, & soli æstiuo exponenda, donec puluis subtilissimus euadat, & medicamenti acrimonia extincta sit: quod octo dierum spatio perficitur. Recipe olei ros. ʒiiij. lithargyri ʒij. coquantur ad emplastri consistentiam, addendo sub fine prædicti puluris ʒij. fiat emplastrum, quo obducatur id quod in meatum vrinarium indetur. Alij parant pulueres ex antimonio, corallis, balaustijs, alumine vsto, argento viuo, atque incorporant cum vnguento rosato. Nonnulli sabina vtuntur puluerata, & cum emplastro de mucilaginibus permista: cuius magna vis est in exedendo. Si ex lapide vesicæ ceruix obstructa est, conandum vt lapis ex meatu recedat, supino figurato ægro, vt crura reliquo corpore sint sublimiora, tumque multifariam ipsum concuties: quibus peractis iubebis, vt æger vrinam reddere tentet. Si adhuc vrina supprimatur, rursus concute, sed vehementiùs, & demissa ænea fistula lapidem è ceruice repelle. Et per eandem vrina prolectanda est, ventre manibus presso, aut etiam suctione minister eam trahat, aut ore, aut syringa. De his alij hæc annotarunt: Calculus vel paruus est in meatu vrinæ contentus, vel magnus, & meatum occludens. Immissione fistulæ in vesicam protruditur. Si multùm infra collum vesicæ non est, vtile erit digitis comprimere penem parte inferiore, & sensim deducere ad extremum vsque pudendi. Aliquando ita est infarctus parti, vt neque intrà, neque extrà propelli possit. Tunc fotibus dilatantibus fouere partem oportet, & succum raphani cum pauco aceto extracti syringa injicere vt frangatur, vel succum limonum, & hyperici. Si hæc non proficiant, nouaculâ partem dissecare, & inde extrahere oportet. Vbi grumus vesicæ fistulam obturabit, medicamentum quod lapidem terat ex oxymelite, atque ipsum oxymel in potu dandum. Decoctum sarmentorum vitis, artemisia quoque in potu prębenda est: leporis coagulum, aut hœdi, vnumquodq; cum aceto mulso. Si nil proficies, catheter adhibeatur, per quem vbi vrinam eduxeris, rur-

sus prædicta in potu exhibeantur. Si neq; sic grumus dissoluatur, perinæum infernè dissecare oportet, iuxta Aët. In grumo dissoluentia sanguinem satius est per syringam injicere, quàm per os assumere, & nonnisi postquam coaluit vena. Carabe in retentione vrinæ à crassis humoribus, sanguine concreto, & à pure retento, aut vesicæ imbecillitate, data cum vino præsens est remedium. Si pus obstruit, per relaxantia, nec non per incidentia ac detergentia intus & extrà curatur. Si crassa pituita in causa est, fomentis, insessionibus, cataplasmatis suprà dictis cura credēda est. Oxymel simplex diureticum, scilliticum cōuenit cum decocto radicum aperientium. Per syringàm aqua mulsa injicienda, & catheter immittendus. Balnea in crassis lentisque humoribus, & in calculo possunt vsurpari. Purgationes etiam vniuersales possunt institui, ex hiera, electario indo, diaphœnico. Si vrina supprimitur ob inflammationem vicinarum partium, vt sedis, vteri, hæ affectiones suam habent curationem.

De his qui in se ipsis mingunt, & vrinam continere non possunt. CAP. XLI.

SI præter voluntatem vrina excernitur, vt fit in dormientibus, oritur symptoma quo qui laborant, οὐρηῦντες Græcis, hoc est in seipsis meientis, appellantur: Affectus verò ipse ἀκράτειος ἴκκρισις τῆν οὔρων id est, vrinæ incontinentia Latinis nominatur. In qua afficitur vesica non secundum propriā essentiam seu corpus, sed secundum musculum sphincterem, seu constringentem eius ceruicem. Cuius tamen actio voluntaria cùm læditur, nō perpetuò ipso musculo per essentiam affecto læsio excitatur, sed quandoque per consensum, neruis scilicet per quos animalis facultas ad ipsum fertur oblæsis. Musculūm enim affici dicimus per cōsensum, cùm priuetur eo, quo præsente munus suum perficiebat. Id verò est animalis facultas. Et cùm vnica perit actio volūtaria, vel solum musculum qui ipsam efficere solet, vel neruum ipsius affectum esse putandum est. Verùm nunquid musculus, an qui ad ipsum peruenit neruus, vel ambo simul affecti sunt, non facilè quis dignoscet,

Pars affecta.

nisi

niſi quæ præceſſerint, comprehenderit: vt ſi muſculus intemperie laboret frigida, ex cauſa procatarctica quæ præceſſit, conijcies: quia æger lauit in frigida, ſedit diu ſuper lapide. quemadmodum piſcatori accidit qui in fluuio piſces venabatur, adeò hic circa ſedem & veſicam infrigidatus fuerat, vt ipſi inuito & excrementa & vrina effluerent. Quòd ſi nullum ſymptoma antecesſerit in loco in quo is muſculus poſitus eſt, neque talis aliqua cauſa præceſſerit externa infrigidans, proprios eiuſdem muſculi neruos affectos à quapiam interna cauſa circa os ſacrum ortos coniectabis. Affectio hæc ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, perpetuò noxam functionis, nõ ſiquidem naturalis ipſius veſicæ, ſed animalis prædicti muſculi, quæ ablata eſt, inſequens. Nihil enim in retinendo veſicæ opitulatur, animali facultate motrice voluntaria priuatus ac deſtitutus. Huius affectionis cauſæ ſunt, quæcunq; poſſunt prohibere animalis facultatis tranſitum ad prædictũ muſculum, ſeu ad neruos qui ad eum deferuntur. Eæ autem ex capite de reſolutione petendæ ſunt. Alij referunt ad nimiã vrinæ acredinem, ob quam veſica mordetur, & ad excretionem cogitur. Addunt & imbecillitatem muſculi veſicam claudentis, ob quam facilè ab vrina grauatur. Addunt & luxationem vertebrarum ſpinę. Propter mollitiem neruorum etiam & laxitatem accidit pueris, vt noctu permingant ſtragulas. Eorum enim corpus multa madet humiditate. His cauſis annumerant quidam facultatis retentricis imbecillitatem, nimium potum, hepatis imbecillitatem non valentis ſegregare aquoſitatem, itemq; nimiam renum caliditatem, vel frigus. Taliter affectis accidit ſomnus inſomnijs plenus atq; grauis. Somniant enim ſe vigilantes quærere, quo in loco vrinã deponere poſſint honeſtiùs, ſibiq; loca diuerſa proponunt, è quibus vnum cum labore conquiſitum eligant. At verò interdum tam vehementer ab vrina premuntur, vt totũ animũ, totamq; phantaſiæ actionẽ veſicę explicãtes, minimè ad externa cognoſcenda cõuertantur. Si ex aliqua cauſa externa generatur iã dict⁹ affectus, muſculo infrigidato, citiùs curatur quàm ſi citra manifeſtam cauſam proueniat, læſis eiuſdẽ muſculi proprijs neruis circa os ſacrum. Eos qui vrinam ſine

Qua affectio præter naturam.

Cauſa.

Signa.

Prognoſtica.

voluntate emittunt, ob ceruicis veſicæ vulnus, aut caſum, aut vertebræ luxationem, ſuperuenientibus quæ mortem fatentur notis, nulla medicina periculo ſubtrahit. Si ob laxitatem muſculi claudentis veſicam eueniat, pueris frequentiùs accidit, cruditatum ratione. Quoniam verò ſæpius ex frigida prædicti muſculi, & neruorum ad ipſum pertinentium intemperie affectio hæc originem ducit, vel per ſe, vel cum ſuccorum redundantia, propterea aër ad calidum vergat. Somnus moderatus ſit, vt & vigiliæ moderatæ. Otium & vita deſidioſa nocent. Exercitium verò moderatum confert. Aluus deijciatur natura, vel arte. Animi affectus vitentur, præter iram, quę prodeſt interdum. Cibi ſint boni nutrimenti, vt pullorum, gallinarum, phaſianorum, aliarum auium paruarum carnes, quæ cum aromatibus perpetuò ſunt condiendæ. Similiter in earum iure hyſſopi parum, ſaluiæ, ſampſuchi, ſatureiæ, ſerpilli, fœniculi, ſeu oreoſelini decoquatur. Eiſdem carnibus vtantur aſſatis. Nam cibi ſicci eis competunt magis. Pro potu aqua mulſa detur, vinum ſubrubrum aſtringens. In ſumma victus ſit calidior & ſiccior, niſi acres & mordaces vrinæ apparuerint. Quòd ſi ita erit, curabitur bile purgata, & iecore refrigerato, atque renibus, & aquæ hordei potu, & peponum, ac ſeminum quatuor frigidorum, atque lactucarum eſu. Sin erit ob laxitatem muſculi claudentis, communia habebit auxilia hoc vitium cum Iſchuria orta ex torpido veſicæ ſenſu, ſeu eius reſolutione. Et ſi reſolutionis cauſa frigidi & craſſi ſuci fuerint, medicamētis vtendum erit alterantibus & purgantibus, quæ capite de reſolutione dicta ſunt. Ac vitanda ſunt quæ refrigerant, potiusque calidis fouendi ſunt ægri, ac roborantibus. Mel roſatum antè cœnam detur pueris. Id enim cruditates emendat. Bibant præterea myrthæ ℈ ß. pulueris calaminthæ ℈ j. in vino albo, aut aqua mulſa: aut ſeminis rutæ ʒ ß. in vino, aut gutturis galli veteris vſti ℈ j. cum vino, aut teſticuli leporis abraſi in vino odorato ſumentur. Foueantur pubes, perinæum & os ſacrum decocto ex nerualibus cypero, calamo aromatico, ſaluia, maiorana, hyperico, calamento, origano, primula veris, floribus anthos, chamęmeli, & poſt fotū illinantur oleo laurino, irino, anethino, & myrrha, mixta

Victus ratio.

aqua

aqua vitæ: aut oleo vulpino, & castorei momento. Adhibeatur emplastrum de meliloto, mixta portione vnguenti Agrippæ, styrace. In his remedia sunt partim quæ qualitate musculum corroborant, partim quæ occulta proprietate morbum tollunt. A perfrictione cum prædictis oleis, cimolia cum vino cataplasmatis modo pubi & perinæo admouenda. Siquidem per cataplasmata, malagmata, per rubefacientia ex sinapi apparata curare oportet eos qui præter voluntatem vrinam emittunt. Similiter ex arenæ iniectione à sole feruefactæ, aquisq; naturalibus maximè sulphureis & bituminosis, primùm quidem calidis, deinde frigidis curandi sunt, nec non partes exercendæ & fricandæ. Vrinam ducentia prohibeantur. Prosunt & pulmo hœdi, leporis cerebellum, ericij caro, cerebrum aquilæ, lingua anseris, vesica porcina per se vsta, & in potu exhibita. Simili modo ouilla. Cinerem eius ex posca præbeto. Similiter castorei drachmam vnam. In summa cùm erit hoc malum inueteratum, hos curato velut eos qui præter voluntatem ob resolutionem vesicæ vrinam emittunt, vt diximus. Differunt enim hi ab illis in eo, quòd per somnum saltem hæc accessio contingit. Illi quibus ob musculi colli vesicæ resolutionem hoc accidit, etiam dum vigilant, eo modo afficiuntur. Vrinæ acrimonia demulcēda est idonea vitæ lege, abstinētia vini imperata, lactis vsu, syr. refrigerantibus. In laxitate musculi, fotus astringētes conferunt ex balaustijs, cortice granatorum, centaurio minore, absinthio, maiorana, saluia, & cęteris calidis. Post fotum illinatur perinæum ol. mastichino, myrtillorum, addito pul. iteos, cyperi, rosarum.

De Calculo Vesicæ. Cap. XLII.

Λιθίασις Græcis appellata, lapidatio, vel calculosus affectus Latinis dici potest: & propriè de generatione lapidis in vesica debet accipi; quamuis & lapis in renibus oriri possit: quia λιθιῶντες verè sunt quibus molestus est in vesica calculus, vt capite de lapide renum iam meminimus. Quidam lapidem vocant quando grandior est: calculum, quando minor, fragmenti cuiusdam lapidis in-

Pars affecta.

Quis affectus.

Causa.

ſtar. Arena tanquam cinis, materia eſt vtriuſq;. Quòd autem veſica in Lithiaſi laboret, ex ſignis tum partis affectæ, tum affectui communibus, & pòſt dicendis, colligere eſt. Quòd etiam morbus ſit in numero addito, atq; in exceſſu toto genere præter naturam, euidens eſt: eumq; immediatè nocet virtuti expultrici veſicæ. Quòd ſi obſtruit, ita vt vrina non exeat, tunc pertinet ad cauſam morbi officialis in via, vt loquuntur. Porrò calculi veſicæ prima potiſſimaque cauſa eſt vrinarum craſſitudo multa in veſica collecta, & in vnum coiens, quæ cum ſemel aliquando non apto tempore excreta, intus diutiùs remãſerit, concreſcendi coagmentandiq; initium capit. Eo autem principio facto facilè quicquid iterum craſſi in veſicam delabitur, priori agglutinatur, maiorque inde tophoſus callus redditur: quemadmodum extra, & in calidis aquis ſponte naſcentibus, & in vaſis vbi calefit aqua, quotidie lapis concreſcere cernitur. Hinc eſt quòd aquæ impuræ, & multo limo refertæ, item quæ duriores & vehementer frigidæ ſunt, lapidis generationem adiuuant. Et quòd vrina retenta lapidẽ generare ſoleat, indicio eſt quòd ſcribere aſſueti, ludo, lectionibus, eo morbo corripiuntur. Hæc autem ratio generationis lapidis veriſimilior videtur, quàm altera eorum qui exiſtimant omnem calculum veſica concluſum rudimentum quoddã à renibus traxiſſe, à quibus per Nephriticum dolorem excidens in veſica aliquandiu hæret, ac plerunq; perſiſtit, illicq; allatarum ſordium adhæſu coagmentatur. Nam vt in renibus calculi ex multis arenulis fieri videntur pituita ſimul viſcida cõiunctis à calore, ſic veſicæ calculi fiunt ex pituita multùm viſcida & craſſa, in veſica indurata, & augmentum accipiunt, & veluti cortex quidam ſupra lapidem generantur; ita vt videantur ex multis tunicis confecti: ob id ægrè frangũtur ferro, vel medicamẽtis. Quanquam & interdum calculus à renibus ad veſicam deſcendit, ibiq; ob craſſitiem retinetur, & temporis progreſſu augetur, alijs humoribus craſſis & lentis, qui ſe illis in veſica coniungunt, induratis. Ac qui primùm genitus eſt in renibus & in veſica retentus, minùs rotundus eſt, & in medio arenoſus, in ſuperiori parte velut teſta concluſus. Quare ſi præceſſit Nephritis, & calculus reiectus non eſt, danda o-

pera,

pera, vt calculus ex vesica expellatur. Dictæ causæ nempe vrinarum crassitiei ac lentori accedit secunda, vt efficiens; calor videlicet qui ad coagmentandum lapidem non parum facit, licet non ipse, sed materiæ qualitas ipsius compactionis causa existat. Quiuis autem calor etiam mediocris, vt in pueris sufficit ad huiusmodi materiam inspissandam. Senes etiam tametsi nõ paucum humorem crudum coaceruent propter coquentis potentiæ imbecillitatem, (non propter edacitatẽ vt pueri) quia tamen calorem non adeò fortem habent, vt ex materia crassa vaporem resoluens lapidem generet, propterea in illis calculi rariùs generantur. Nam quanuis scripserint quidã ob easdem causas generari lapidem in renibus & vesica, lapides tamẽ renum ac vesicę, neq; eodem colore, neq; eadem figura, neq; eadem substantia, neque in eodem sexu aut ætate similiter concrescere constat. Nam vesicæ calculi ferè maiores sunt, non alio colore quàm albo aut cinereo, & in pueris fusam crassitiem exceptam ob robur caloris natiui & virtutis naturalis in vesicam renes excernũt: præterquam quòd mollia & humida corpora puerorum & fluxilia sunt; quod plurimùm iuuat ad excretionem materiæ crassæ. Quæ quia in senibus & adultis non adsunt, illis frequentiùs generatur lapis in renibus, quàm in vesica. Viarum item angustia tanquam adiuuans est causa. Signa verò lapidis præcipuè in pueris hæc sunt. Circa initia generationis vrina aquæ similis est, vel vt alij referunt, sero lactis, in eaq; subsident fabulosa quædam, & tensio fit virgæ, alioqui non cõueniens ætati. Vbi iam genitus est lapis, difficultas meiendi adest, vnà cum mictionis assidua cupiditate, fitq; quoddã veluti stillicidium, sic vt vix posse cohiberi videatur. Quæ tamen vt primùm cœpit prorũpere, vix tota intercipitur, inciditq; hoc modo interciſa mictio. Inter hęc dolor toto colis meatu, sæpeq; is sola in glande est post extremam mictionem grauissimus. Quandoque vrinæ est retentio. Promptiùs in nonnullis si recti sunt quàm si supini cubant, vrina exprimitur, vtiq; si grandior intus calculus hæret: alij inclinati mingunt, colemq; contrectant, atq; extendendo remediũ quærunt. Fœminæ extrema pudenda manibus crebrò scabunt, & admoto ad ceruicem vesicæ digito, calculum

Signa.

subinde sentiunt. Atque vt pueris sæpius accidit quàm adultis, ita viris sæpius quàm fœminis. Titillatio in præputio ex motu lapidis & arenæ, vel etiam lapilli parui ex attritu. Grauitas est in perinæo & pectine, ac dolor infra os pubis. Certissimum signum est, si meiendo aliquid egerunt: aut egerendi cupiditate tenentur. Cùm sedent, vel sedendo cõcutiunt alterum pedem, dolorem sentiunt iuxta anum in ima parte pudendi. Nonnulli iubent ægrum equitare, saltare, exerceri vehementiùs, inde exhiberi lapidem comminuentia, & subsidentiam in vrina inspici. Sed cauẽdum ne exercendo in vrinæ ardorem incidant. Minor calculus sæpius in vesicæ ceruicem impingit, vrinamque pertinaciùs retinet, quàm is qui maior. Hic enim apto corporis positu, vel intromisso instrumẽto, inde nõ difficillimè extruditur. Nonnunquam summæ vesicæ adhærescens calculus, & quasi ex illa pendens, vix vllum ex signis manifestè exhibet, & visi sunt qui nullo dolore diu illum gestauerunt. Omnibus hæc signa modò mitia sunt, modò sæuiora. Vrina quandoque subcruenta, quandoque alba & crassa: in qua sedimentum purulentum, & narium mucori simile. Horum signorum plurima spectantur in cauo & sordido ceruicis vicere. Sed ex causis antecedentibus internoscenda sunt. Si digitus in anum aut certiùs catheter in vesicam immittatur, quod coniectura dubium incertúmque fuerat, sensu explorabit, confirmabitque. Tamen in quibusdam cathetere probari non potuit, quibus mortuis calculi inuenti sunt. Quare ne catheteri semper fidendũ.

Prognostica. Graue est tormentum calculi vesicæ, quod & diu trahit, & quibusdam interuallis sæpius recurrit. Non leue periculum in quouis calculo vertitur. Immensis enim fractus doloribus, & propter obstructum iter suppressa nimirum vrina, extingui homo potest. Haud raro animaduersum est à vesicæ calculo data, vel Tenesmi, vel procidentis intestini recti principia fuisse. Si genitus calculus in vesica per chirurgiam curari debet, pueri ad decimum quartum ætatis annum propter corporis mollitudinem facilè curationem recipient. Senes, quòd corpus ipsorum contumax sit, vix consanescunt. Mediæ ætates etiam in hoc medio modo se habent. Qui maiores calculos habent, facilè sanantur

nantur: quoniam inflammationibus assueuerunt. Qui minores, difficulter sanantur contrarias ob causas. Lapis renum & vesicæ est ex ijs quę hæreditantur. Karò accidit mulieribus, quando meatus vesicæ earum ad exteriora breuior & latior est, paucorũ anfractuũ. Quæ ratio potiùs facit ad facilem expulsionẽ, quàm ad lapidis generationem. Sed fortè ratio potior est, quòd mulieres non vsque adeò vehementem habent caliditatem, vt materia in lapidem verti possit, vel quia â menstruis omnia superflua expurgantur. Curatio autem communis est calculo renum. Ac præsertim eadem victus ratione vtendum quam ibi præscripsimus, potissimumq; cauendum est à lacte, nec nõ ab aquis impuris, & multo limo refertis, ac vehementer frigidis. In pueris etiam magnopere contendendũ, ne statim à cibo nullo ordine moueantur. Omnino vesicæ lapis vehementiora postulat remedia, quàm calculus renum, (quia durior est, & longiùs ab ore per quod remedia sumuntur, abest. Accedit & cum alijs succis remediorum mixtio, & lapidis dyspatheia propter eius à succo crasso obductionem) & vesicæ admouenda sunt, quæ alioquin renibus admouerentur. Præcipuè verò per extenuantia medicamenta occurrendum est, ne multa materia crassa congregetur. Priuatim igitur competunt fœniculi sylvestris radix & semen, sion, adianthũ, rumicis radix, lapides spongiarum, lapis Iudaicus, asplenon, lapis ab ægro cum lotio electus, tritus, & potatus, cortex capparis, abrotani semen, hyacinthi, violæ albæ, apij, petroselini, vermes terreni recenter cocti, triti, & cum vino dati. Horum vnumquodque datur cum vino albo decoctum, aut siccum insperſum, aut melle coctum. Danda & in potu quæ vrinam cient, calidioribus corporibus minùs calida, velut cucumeris semen, apij, petroselini, violæ albæ. Habentibus verò frigidam intemperiem calidiora, vt meon, phu, acorũ, & similia. Sanguis etiam hircinus ad calculos tum renum, tum vesicæ præsens remedium est. Quidam eum commendant extrinsecus illitum, & super vesicam impositum. Quòd si nec per adhibita pharmaca lapis in vesica atteri possit, vbi meatum obturans vrinæ suppressionem inducat, eo modo curari debet, quo diximus capite de Ischuria ex calculo na-

Curandi ratio.

ta. Et vbi ex multifaria concussione curari non valeat, catheterem immittere oportet. Compositum medicamentum est optimum quod recipit lithospermi, seminis apij, fœniculi, seminis pæoniæ ana ʒ ij. adianthi, corticum radicis capparorum, radicis graminis ana ʒ j. gummi pruni ℥ ß. omnia in tenuem puluerem redigantur, & misceantur mellis despumati ℔ ij. accipiat quotidie ieiunus ℥ ß. In officinis parantur lithontribon, & electarium Iustini. Si dolor valde molestat, pubes & perinæum inunguntur oleo scorpionum, & vnguento Agrippæ. Ventri etiam injiciuntur clysteres ex decocto fœnugræci, maluæ, radicis althææ, melle, oleo anethino, & sale. Suffitum & iectionem per fistulam argenteam ex sanguine hirci, lupi, & aliorum lapidem frangentium quidam tentauerunt successu parum prospero, quòd lapis in paruas particulas confractus, harum inæqualitate & magnitudine plus molestiæ exhibuerit vrinario meatui, quàm lapis integer vesicæ. Et reuera eorum quæ per catheterem injciuntur, vis est ferè imbecillior, quàm vt in concretum lapidem agant. Si hæc non suffecerint, (vt certè imponunt qui se præstaturos pollicentur, vt in vesica conteratur, & dissoluatur) ad sectionem transeundum erit: præsertim si grandior euaserit calculus, vt præ magnitudine per meatum vrinarium naturæ præsidijs cõuenientibus adiutæ conatu depelli non possit. Executandus igitur lapis à lithotomo perito, eoque extracto vesica hydromelite abluenda. Sectio non fit, nisi constantibus viribus. In huiusmodi sectione etiam lunæ motum obseruant. Nam in plenilunio quo humores commouentur, rarò chirurgiam exercent, sed frequenter sex aut septem dies post plenilunium. Obseruandum & consiliũ Hippocratis de æquinoctio & ortu occasúve magnorum syderum: quòd magnæ in eo fiant mutationes. Præterea cœlum frigidum vitandum, & impensiùs calidum. Et in consilio secandi, videndum qua parte sit, & an sine periculo eximi possit, an pertinaciter hæreat, an sit in meatu virgæ & anfractu colli eiusdem. Contusio ab asperiore, & longiore operatione, inflammationem, gangræ-
nam, mortem deniq; multis adfert.

De in-

De inflammatione Vesicæ.

CAP. XLIII.

VESICA ipsa cùm permultas habeat venas, easq; amplas & magnas, per quas sanguis affluit, non minùs quàm aliæ partes internæ inflammationem pati potest. Hanc tamen negant quidam substantiæ vesicæ contingere, quia tenuis & exanguis est, sed tantùm cervicis eius sphincteri musculo insidere. Quòd vesica affecta sit siue in substātia, siue in dicto musculo, ex signis paulò pòst dicendis, quæ partem affectam simulque affectum ostendunt, colligitur. Quo etiam in morborum genere reponatur, & qui sit eius generationis modus, nempe ex sanguinis affluxu, ex alijs locis notum est. Eius causæ sunt suppressæ hæmorrhoides, menses retenti, ictus, saltus, longa equitatio, frequens veneris vsus. Ac præcedit eam plerunque magna quædam exasperatio vel ob dolorem vehementem ab vlcere, vel à calculo, vel ab vsu acriū medicamentorum. Notæ verò quibus deprehēditur, sunt cum febre continua ardor, rubor, distentio: nimirum à pube ad vmbilicum: infrà, perinæum; suprà, pecten atq; pubes latè dolent. Est & vrinę reddendæ impotētia, quæ sæpe ægerrimè excluditur, aliàs tota cohibetur, maximeq; cubante ægro interdum maximo conatu destillat. Catheter præloci angustia immitti nequit. Præterea egerendi appetentiæ velut in tenesmo fieri solent, & quod egeritur tenue est, & subsidentiā non habet. Aliquando inflationes sequuntur, & aluus astricta est, intestino recto ob inflammationem vesicę compresso. Accedunt & mentis alienatio, vigiliæ, vomitio bilis synceræ, extremorum frigus. Pertrara est vesicæ inflammatio, pueris magis familiaris, à calculi tormento illatis iniurijs. Metum minuit vrina purulenta, cui sedimentum læue & æquale adsit. Si dolores in hoc morbo non soluuntur, neque vesica mollescit, periculum est ægrum primis circuitibus periturum. Nulla spes euadendi est, vbi febris acuta diutiùs immoratur, simulque vrina & alui deiectio prorsus retinentur: aut vbi vrina nullam exhibet notam coctionis, vnaque dolores in dies magis ingraescunt. Inter quæ sæpe lethalis gangræna oritur, ex qua vix vnquam

Pars affecta.

Quis affectus.

Causæ.

Signa.

Prognostica.

quisquam euasit. Proinde inter morbos vesicæ grauissimus & maximè mortifer est inflammatio. Si suppurat, (quod graue est) omnia fiunt atrociora. Si antè erumpat quàm pereat æger, miteſcunt omnia, ipsaq; vbertim vrina cum pure fertur. Quandoq; absceſſus per perinæum viam sibi patefecit, qua parte vrina elapsa per anum omnis ferebatur. Si vesicæ inflammatio superuenerit vlceri, periculum est de lethargo, vel delirio. In curatione pauco cibo ac potu contenti sint ægri. Dentur cremor hordei, & alimenta alia quæ refrigerant. Ius pulli cum lactuca, violis, malua, mica panis in iure, amygdalatum. Sed inclinante morbo licebit alas auium elixas edere. Dentur & fructus, qui vrinas acres & ventrem leniunt: vt pruna, poma, sebesten. Pyra astringentia fugienda, & quæ multam habent vim detergendi, vt ficus, passæ. Potus sit aqua hordei, vel aqua in qua cinnamoni aliquid decoctum fuerit, aut decoctum radicis dulcis. In medicamentorum vsu id inprimis obseruandum, vt aluus leui clyſtere subluatur, ac paulò pòst oleum chamæmelinum, anethinum, aut in quo semè lini & althæa incocta fuerint, injiciatur. Atque statim initio, si nil prohibeat, vena interna cubiti secetur. Sequenti die vena malleoli seu tali tundatur, rectitudinem seruando, vacuationis gratia cum deriuatione. Et si paucus sanguis est, aut magna ex parte morbus est factus, è poplite tantùm trahatur. A sectione venæ in decocto seminis lini & fœnugræci in hydrelæo, pauco addito aniso, & dauci semine, insideat æger. Et si imbecilla erit vesica, ad expellendam vrinam ægrum ipsum aut aliquē ex astantibus scitè ac placidè pectinem premere oportet. Cùm enim vesica non satis robusta sit ad expellendam vrinam, ideo eius iuuanda est expulsio: sed id non fiat vltra modum, ne dolor intendatur. Deinde vesicam irrigare oportet oleo anethino, seminis lini, aut eo in quo althæa cocta fuerit. Vesica etiam porci aut bouis, semiplena oleo chamæmelino, aut prædicto decocto, adponitur. Fiunt & fomenta per aquam & oleum cum spongijs. Vbi hæc non suffecerint, cucurbita cirea pectinem cum scarificatione affigetur. Atque interim aduertendum est hanc curationem conuenire cum inflammationis renum curatione, nisi quòd minùs astringen-

Curatio.

stringentia & refrigerantia vesicæ sunt admouenda: ne ἰσχουρίαι symptoma valde frequens & molestum superueniat. Vesica enim neruosa est, & frigidum neruis inimicum. Frigida quoque humores inflammationem facientes discuti prohibent, & concoqui. Si vero dictis medicamentis malum adhuc non cedat, præstabit papaueris calycem simul cum oleo incoquere & adipem anserinum, & gallinaceum in ipso simul eliquatum infundere. In vehementibus quoque doloribus, opiatis medicamentis vtendum ex opio, myrrha, & croco compositio medicamento lanæ illito, & in podicem indito. Similiter cataplasmatibus vtendum ex hordeacea farina, capitibus papaueris, hyoscyami folijs, mandragoræ succo. Si vrinæ suppressæ periculum vrgeat, necessariò ad catheterem confugiendum; non quòd affectionis molestiam tollat, sed vt vrgentem suppressionem corrigat, & à præcipiti periculo liberet: quanquam in viris periculo non careat, in quibus scilicet dolorem exacuit, & inflammationem auget. Mulieribus ipsum adhibere nil absurdū. breuis enim in ipsis meatus existit, & recta à situs, vt citra dolorem hoc molimen admittat. Post vrinæ prolectationem, rursum ad eadem mitigantia auxilia redeundum, vsque quo inflammatio soluatur, aut suppuretur: vt in aliarum partium inflammatione dictum est. Vbi ad suppurationem vergit inflammatio, absceſſus si non disrumpitur, opitulandum pro eius disruptione; quo disrupto ad curationem vlceris transeundum: de qua mox. Recentiores ferè similem curationem propositæ inflammationis vsurpant, & quædam adijciunt. Statim enim à missione sanguinis, clysteres præscribunt. qualis est qui recipit lactis libram vnam, olei violati vncias tres. Vel Recipe seri lactis libram dimidiam, succi cucurbitæ vncias quatuor, albuminis oui fortiter agitati vncias duas: misce. Aliàs injciunt clysteres ex decocto maluarum, violarum, hodei cum oleo rosato, & chamæmelino, aut ex decocto maluarum, fœnugræci, & hordei cum oleo rosato, & axungia gallinæ. Cassia quoque additur. Ac pro topicis in principio hæc adhibent: Recipe olei rosati, omphacini, ana vncias duas, olei violacei vnciam vnam cum semisse, aquæ rosarum parum. Hoc imbuti pan-

ni frequenter admoueantur. Partes etiam vicinas liniunt oxyrhodino, vt renes, & partes superiores ventris. Deinde parant cataplasma: Recipe radicum bismaluæ libram vnam, violarum manipulos duos, prunorum, dactylorum ana viginti numero: coquantur in aqua cisternæ, contundantur, & cribrentur: adde farinæ hordei vncias duas, olei rosati vncias duas, misce, fiat cataplasma. applicetur regioni vesicæ. Quo etiam loco notant præferri linimenta, epithemata, perfusiones, cataplasmatis & emplastris: quoniã hæc suo pondere grauant, & dolorem augent. Tamen inclinante morbo cum dolor ac tentio remissa fuerint, cataplasmatis sine incommodo licet vti. Si dolor maior fiat, & morbus procedit, Recipe olei amygdalarum dulcium, violarum ana vncias duas, olei chamæmelini, & de semine lini ana vncium vnam, butyri recentis, & pinguedinis porci ana vncias tres. fiat linimẽtum, quo vngatur regio vesicæ. Vti quoque par est vnguento resumptiuo. Accedente statu etiam cataplasmatis discutientibus sic vtuntur, vt farina fabarum & orobi misceatur. Fouetur & pars oleo chamæmelino, nardino, de scorpionibus, vnguento Agrippæ, Martiato liquatis in oleo chamæmelino, & axungia. Cæterùm vrinæ meatus detergendus est, vt aliquid vrinæ reddatur, & id quod à parte inflammata exudat. Sufficit injcere serum lactis cum pauco saccharo, vel decoctum hordei cum saccharo. In declinatione danda sunt per os etiam quæ leuiter detergunt cum emulsione quatuor seminum frigidorũ, quæ non sua acrimonia, sed aquea & tenui substantia vrinas moueant.

De exulceratione vesicæ. CAP. XLIIII.

INTERDVM etiam vlcus exercet vesicam, eius quidem amplitudinem occupans, alàs in eius ceruice, iuxta vrinæ meatum existens. Rursum leuior quandoque vlceratio non modò corpus vesicæ, sed & vreteras ipsos occupat, ac velut superficiaria est, qua interior duntaxat pellicula abraditur. Alia profundior est. Vesicam affici ex dolore vehementi in pube & imo ventre, alijsque signis infrà dicendis (quanquam & affectui communibus) conijcere est: quem-

Pars affecta.

Affectus.

admodum

admodum etiam affectum ipsum in soluta continuitate reponendum esse vel medicinæ tyrunculis cognitum est. Porrò vlcera vesicæ fiunt à causis externis vulnerantibus, à lapide, ab acribus & salsis humoribus, nec non ab excrementis cum vrina transmissis, quæ abradunt, & tandem ipsam exulcerant, aut ob ruptam suppurationem seu abscessum, aut tuberculum quod præcessit. Fiunt & propter scabiem, vel propter vsum cantharidum. Accedit & alimentorum acrium & salsorum vsus, vt vini meracioris, atque medicamenta eius naturæ. Fiunt & in vrinæ ductu exulcerationes sordidæ atque cauæ: cuiusmodi hoc seculo frequenter lues venerea protulit. Agnoscitur vlceratio in amplitudine vesicæ ex dolore perpetuo, qui circa pubem sentitur, vt dictum est. In vesicæ autem ceruice si vlcus fuerit, tempore mictionis tantùm, & potissimum vbi meiere cœperint, aut desierint, dolor percipitur, qui quanto vrina acrior est, tanto erit maior. Vlcerato item vesicæ profundo seu interiore membrana, aliquanto crassior cuadit vrina, modò sanguine, modò puré perfusa, & cùm paulò altiùs vlcus insederit, plærunque pelliculæ tenues instar foliorum & laminarum cum vrina excernuntur, & hæ magis crassæ, albæ, magnæque sunt. Sin verò iuxta vrinæ ductum vel fistulam vlceratio erit, minùs albæ, magisque tenues ac paruæ redduntur. Quoniam verò in vretere etiam vlceratio quandoque contingit, dolor inter renem & pubem affligit, & pus capillorum specie natat in lotio. Ab ea rursum vlceratione quæ in vesica est, vel prope collum, præter antè dicta, vrina contineri nequit, assidua meiendi cupiditas vrget, neque laborans erectus stare potest, ingens cruciatus & indesinens vesicam, pubem, perinæum obsidet, maximè verò mictionis tempore, nisi adeò sordidum vlcus fuerit, vt ab vrinæ acredine non tangatur. Si vlcus serpendo depascatur, præsertim in ceruice vesicæ, subcruenta, sanioſa, & fœtentia excernuntur. Et vt aiunt alij, Vlcera serpentia ex ichoribus manantibus tenuibus deprehenduntur, atque coloris prauitate, & squamularum cum pure mixtione, & maximo fœtore. Vel vt alij quidã: Si sordidum vlcus fuerit, fæculenta meiendo redduntur & mucosa, crassamque subsidentiam instar farinæ habent.

Causa.

Signa.

Cæterùm pus quod resudat & effluit ab abscessu, inflammatione, vlcere, non semper sanguini permiscetur, quandoque sanguinolentum est. Imò in renum abscessibus pus solum certis interuallis cum vrina excernitur. Vtrunque exactè vrinæ permixtum aut residens, sed post longũ tempus, vrina crassiore reddita, è renibus est, præsertim si dolor fixus in lũbis præcesserit, aut calculus reiectus fuerit, aut ex vreteribus exulceratis transitu calculi, vel in illorũ cauitate, orta post vlcus caruncula. Sed copiosius est pus è renibus, quàm vreteribus. Citò verò subsidens, viscidum, muco permixtum cum squamulis minùs carnosis è vesica prorumpit. Sine vrina è pene profluit. Neq; tamen è renibus, aut vesica semper exit. Ab omnibus enim ferè superioribus partibus, miro naturæ artificio, & quòd sit corpus confluxile, modò per intestina, modò per vesicam vacuatur, etiam integris renibus & vijs vrinæ. Et quamuis dicantur carnosa ramenta è renibus esse, furfuracea à vesica reddi, non est tamen id perpetuum. In febre enim ardente & colliquante à tunica venarum ita exesarum acrimonia (quomodo à cutis superficie pituita salsa & mordente erosa) furfures redduntur. Aliquando in eadem febre ardente ab adusto sanguine, præsertim crassiori ac melancholico, ac veluti in cinerem resoluto, in vrina mediocriter habente, & ægroto non febricitante, à vesicæ scabie & prurigine oriuntur furfures. Si à venereo seminis profluuio vlcus natum est, quædam veluti filamẽta in vrina versantur, primùm tenuia, mox ita crassa, vt spissam quoq; vrinã faciant: tandẽ crassus & viscidus veluti mucus, quale oui candidum est, subsidet. Quę proximè dixi filamenta, longo pòst tempore, quanquam vlcus curatum est, cum vrina feruntur.

Prognostica. Omnes ferè qui vesicæ vlcere laborant, indesinente dolore, febribus, vigilijs, & colliquatione perimũtur, alij citiùs, alij tardiùs. Vlcera vesicæ insanabilia sunt, quoniam vesica neruosa est. Periculosiora ex erosione, quia modica spes est restaurandi. Vlceribus existentibus in eius ceruice, quando non neruosa eatenus & exanguis est velut eius cauitas, sed carnosa, haud ita periculosa sunt. Vlcera renum aliorumque vrinæ itinerum, promptiùs quàm vesicæ sanescunt. Insanabilia etiam sunt vlcera vesicæ,

quia

quia vrina quæ natura acris est, assiduè contingit, aq; erodit, nec glutinare permittit. Etsi enim plurima excernitur, semper tamen ex vrina aliquid in vesica relinquitur, quod vlcera contingit. In senibus nullam penitus curationem habent: in alijs ætatibus difficilimam. Curatio tamen aggredienda est, per quam si nil aliud eueniat, saltem accessorij dolores minuantur. Æger igitur vt decumbat persuadendus est, & in lecto quiescat, maximè si febres adsint. Deinde remedia intermittentibus febribus adhibenda sunt. Quale est lactis potus, quod asperitates lenit, & exulcerationes eluit, aliásque affectiones terget: sitque lac asininum præsertim, vel caprillum, adiecto melle rosato. Omnino ea sit victus ratio, ex qua vrina acris nõ fiat, & propterea mordeat ac irritet vlcera. Et summatim in victu alimenta conuenient quæ bonum succum generent, calorem si quis abundet, temperent: veluti cùm ab ardore vrinæ malum cœperit. Tunc autem conuenit lactuca, cucurbita, pepo. Abstineant ab acribus, salsis, & vreticis omnibus, quæ propriè talia sunt: à potu copioso, vel meraciori. Bibant potiùs aquam hordei, decoctum radicis dulcis. Venter lenis seruetur. Si febre vacant, conuenit deambulatio ad excernendum pus. Exercitatio, vigilia, inedia, alimentorum varietas nocet. Si ob acrium humorũ fluxionem exulceratio fiat, ij primò parandi sunt, ac deinde purgandi. In potu detur syrupus de endiuia, aut succus radicis dulcis cum decocto cichorij. Purgentur autem electario rosato, cassia, electario indo. Si vlcus cum inflammatione aut vehementi dolore complicetur, priùs occurrẽdum est ijs affectibus: deinde vlcus agglutinandum. In eum vsum mulsa diluta in vesicam infunditur: vel lac cum melle, aut cucumeris semine, seu candido oui liquore cum pompholyge. Vel decoctum paretur ex hordeo non decorticato, plantaginis folijs, radice liquiritiæ cum pauco melle. Si acrimonia consequatur & mordacitas, optimum amylum addatur, vel seminis althææ, maluarum, cucumeris, fœnugræci cremor: item & seminis papaueris. Si vlcera sordida fuerint, magis quæ repurgandi vim habent, pharmaca infundenda sunt, augendaque mellis quantitas. Vlcera sordida etiam mundantur lacte seminum frigidorum cum

Curatio.

melle, aut lacte asinæ cum melle. Si vlceratio pascendo serpat, subastringentibus actu quidem calidis vtendum, vt ob calorem partes circumdolentes leniendo iuuent, & ob potestatem ipsorum vicinos locos exulcerationem depascere prohibeant. Sunt hæc vua passa, palmæ, gallæ, malicorium, alumen, acacia & hypocistis. Vtendum & ijs quæ per catheterem inijciuntur medicamentis. Quare in vesicam infundatur lac recens mulctum per se, aut cum amylo, aut rosato tepidum. Si nil horum adsit, aqua dulcissima tepida assidue infundenda, mordacitatis potissimùm instante tempore. Per sedem quoque ptisanæ succus, aut decoctum ex semine lini, cucumeris decorticati, fœnugræci, malvæ, aut lac cum rosaceo infundendum. Atque vbi clysterem adhibere vis, ei qui vesicam habeat malè affectam, non supinum ipsum decumbere oportet: non enim permittit vesica infusum intra transire, vt pote recto intestino incumbens: verùm in genua parum reclinare hominem oportet, atque ita infusum adhibere. In hac enim situs figura vesica secedit, & intestinū laxat, quo assumere queat. Frequenter & in aquam calidam desideat æger, & in decocta relaxantia. Nam hæc dolores leniunt. Cùm verò expurgata fuerint vlcera, iuuare oportet, vt ad cicatricē perducantur: atque id per infessus astringentes, & eiusdem facultatis emplastra, fomenta, & irrigationes. In quem vsum confert medicamentum ex amylo, sarcocolla, & cerusa: quod erit generosius, si vltum plumbum, ac thuris cortex adijciantur. Si multo tempore exulceratio durat, tunc sanè interualla & remissiones ægros apprehendunt. Quare in illius exacerbationibus lenientia admoueantur. In remissionibus verò si non mansuescat malum, crustas circa pubem infligere oportet, aut per medicamenta, aut per ferrum, sinereque vt multo tempore vlcera semper effluxionem expurgent. Aptè etiam dantur in potu lenientia, si vehementes sint dolores, vt pastilli de halicacabo cum opio. Mitigant etiam dolorem semina cucumeris, malvæ, papaueris albi, tragacanthum, amylum, pineæ, amygdalæ. Quod reliquum est, vires roborentur: siquidem doloribus, & puris vacuatione vires languent, & ægri contabescunt: & dolores mitigandi sunt ex decocto seminis lini, &

ni,& fœnugræci,& inſeſſionibus ex ijſdem. Pubi & perinæo ſuperponuntur œſypus lota, anſeris axungia, butyrum,ſtyrax. Et hæc quidem veteribus placuerunt. Iuxta recentiores,in potu accipiant ſyrupũ de endiuia, aut ſuccum radicis dulcis,cum decocto cichorij, aut paſtillos diaphyſalidos ad ℈ ij. vel ʒ j. Bibitur etiam lac aſininum, & perfecta mundificatione caprinum. Lac de ſeminibus frigidis cum ſaccharo,mundificat vlcera,veſicæ iniectum. Fiunt enim iniectiones ex detergentibus ſine morſu,vel decocto hordei,vel decocto corticis fabarum Poteſt & injici decoctum guaiaci. Hæc fiuntin vlcere ſimplici. Vlcera autem cum lapide non curantur, niſi lapis auferatur: & eius extractio valde periculoſa eſt propter vlcus. Cura palliatiua (quam vocant) vlceris & lapidis eſt, vtendo quibuſdam emplaſticis & viſcoſis,vt lactis vſu cum amylo, de quo ſuprà. Si vlcus eſt à cantharidibus,& eę recens aſſumptę fuerint,fluxumque ſanguinis faciant,multo lacte aſinæ vel alio,acrimoniam earum,vimque obtundere oportet. Peculiare remediũ eſt terram ſigillatam,vel bolum armenium cum lacte amygdalarum, vel cum eorundem oleo, vel cum lacte aſinæ,vel capræ ſumere. Expurgat enim venenum,& partem reſiccat vlceratam ſine morſu, & ſanguinem conſtringit.

De Gonorrhœa. CAPVT XLV.

Gonorrhœa quid.

ΓΟΝΟ'ῤῥΟΙΑ Græcis ἀπὸ τῆς γονῆς ἢ τοῦ γόνυ, id eſt, à genituta vel ſemine, Latinis effluuium ſeminis dicitur. Eſt autem ſeminis aſſidua excretio citra pudendi tenſionem. Quanuis enim ſemen à reliquis corporis excrementis diſcrepet,quòd vtile quidem ſit ac benignum, cætera verò inutilia conuenit tamen in hoc cum illis,quòd & ipſum ſemen,& illa vel à continentibus corporibus excernuntur,vel ſponte profluũt ob imbecillitatem. Atqui tempeſtiuè excernere, ſicut & continere cùm oportet, naturæ eſt officium: quæ ſi ſecus eueniant, dicuntur fieri præter naturam. Itaq; Gonorrhœa eſt ſeminis excretio, quæ continuè naturalibus nõ intentis,ex retentricis facultatis imbecillitate prouenit,& ſine veneris, ſine nocturnis imaginibus in ea ſemẽ ſic profunditur, vt interpoſito ſpatio tabe

Alia Gonorrhœa deſcriptio.

Gonorrhœa impropriè dicta.

hominem cõsumat. Porrò Medici & ęgroti Gonorrhœam etiam vocant, quando ob inflammationem paratatarum reijcitur cũ dolore aliquid seminis boni, vel corrupti, quod expurgatur. Sed id potiùs referri debet ad caput de Ardore vrinæ. In hac affectione vasa spermatica laborant. Succus enim spermaticus congeritur in vasis spermaticis dictis, quæ flexus multos instar capreolorum retinuerunt variè scilicet implexorum, in quibus naturaliter & generatur & retinetur semen. Quare non pudendi, sed spermaticorum

Pars affecta.

Quis affectus.

instrumentorum affectio erit. Affectus autem hic symptoma est in genere excretorum immodicè ac præter naturam: seu quantum ad materiam exeuntem symptoma est de genere exeuntis mutari. Id autem consequitur ad retentricis facultatis imbecillitatem seu potiùs resolutionẽ.

Causa.

Facultatem imbecillam reddere possunt quæuis intemperaturæ, præsertim humida & calida: seu quæcunque vasa continentia humectant & relaxant. Cumque adest ea partium spermaticarum infirmitas, nec concoqui, nec retineri potest semen tantisper, dum coquatur atque crassescat: sed crudum certè, aquosum, liquidum ac tenue, nec prorsus album. Imbecillæ etiam partes sunt, in quas longa consuetudine humores confluunt abundantiùs. Fit & interdum Gonorrhœa ob irritationem à copia seminis factam, vbi vniuersim & cumulatim semen emittitur calidum ac multum occurrens, quod grauat facultatem vasorum seminariorum: vt in ijs qui diutiùs venerem exercere consueuerunt, & crebriore vti concubitu, demum continentiùs, & puriùs, innocentiúsque degunt. Quemadmodum & seminis acrimonia, vel tenuitas in causa est, ob quam tenuitatem semen aquosum & flatulentum in vasis contineri cùm nequeat reijcitur. Euenit & interdum, vt alia dispositio partes ad expulsionem moueat, nõ aliter quàm naturalis excretoria facultas solet, & ea conuulsio quædam est siue vniuersalis, siue particulatim excitata, cùm quasi quid simile conuulsioni vasa spermatica patiuntur: eaque potissimùm à flatuoso spiritu ortum habet. Plures igitur causas habere potest vera Gonorrhœa, cui finitima est alia impropriè dicta, ac non vera, in qua scilicet virus album ac subcitrinum à vasis spermaticis sine sensu excidit vigilanti pariter

pariter ac dormienti. Cuius causa est vasorum spermaticorum atque testium imbecillitas non simplex, sed ex venenata lue contracta: quæ efficit vt quidquid in vasis colligitur, in tetrum fœdumque virus faceſſat. Id interpoſito ſpatio admodum ſit putre atque acre, adeò vt ipſum etiam exulceret penem. Vlcus verò iam factum eſſe oſtendit dolor, qui colem cùm is erigitur ſic afficit, vt veluti fune ſubſtringi videatur. Idem dolor per mictionem cùm ea fieri incipit vel deſinit, ſe prodit, ſic vt difficultas vrinæ, vel calculus ſubeſſe putetur. Gonorrhœa igitur propriè cognominata, ex eo quòd ſemen profluit aquoſum, atque citra coeundi potentiam, & citra ſenſum, cognoſcitur. Quandoque verò cum aliqua voluptate promanat. Corrumpitur etiam ſenſim vniuerſum corpus & gracileſcit, præſertim circa lumbos. Os quoque ventris quibuſdam reſoluitur, & toto corpore non ſolùm relaxantur, imbecilliq́ue fiunt, ſed & ſicci, graciles, pallidi, cauíſque oculis cernuntur. Si à copia ſeminis eſt, talis coaceruatur in eis qui venerem exercere conſueuerunt. Seminis acredinem agnoſces, ſi tentigo accedat, ſi pudendum erigatur, aut intumeſcat, ſi cumulatim & cum aliqua delectatione fundatur, & ſi fœtidum ſit. Ex ſeminis etiam colore, flauitie, ac ſubſtantia, quando biliоſius ac tenuius apparebit, iudicabis. Idem etiam tum victus, tum ſuperior vita manifeſtabunt, nec non mordax ac præcalidum ſemper ſentietur. Si citra vniuerſalem conuulſionem ipſa vaſa duntaxat patiuntur, ea diſpoſitio non alio modò generatur, quàm quæuis alia particularis conuulſio. Si enim intento pudendo contigerit, conuulſioni quodammodo ſimile malum erit: quemadmodum ſi non intento pudendo euenerit, retentricis in ſeminarijs vaſis imbecillitatem conſequitur. Porrò licet omnibus ætatibus oriatur profluuium ſeminis, maximè tamen contingit pubertatem tranſgreſſis circa decimum quartum annum. Id non ſolùm viris, ſed & mulieribus accidit. Quanuis in fœminis ægrè tollatur affectio, & in eis frequés eſt. Cum vterino quidem fluore conuenit, quòd humor aſſiduè promanet: verùm diſtat quòd multo hic ſit humor craſſior, quòd vix vnquam deſit vlcus ab acri virulentoq́ue natũ excremento: ad hæc quòd fuſis menſtruis, hæc fluxio

Alia Gonorrhœanetha.

Signa.

Prognoſtica.

Diſcrimen inter Gonorrhœam muliebrem & vterinum fluorem.

non desinat, quum veri fluor in ipsis menstruis, & paulo pòst cessare sit solitus. Ratò perit aliquis hoc morbo. Interdum tamen hominem reddit effœminatum, mollem, segnem, timidum, extenuatum, incuruum, imbecillem, vt obiter iam dictum est. Vniuersum pro curatione tum cibis, tum medicamentis refrigerantibus, exiccantibus, & astringentibus vtendum, potissimùm si seminis adest copia, & facultas retentrix imbecilla est. Curatio namque communis est cũ ea, quæ omni fluxioni adhibetur. Quare aër ad frigidum siccum vergat. Somnus sit moderatus, & in frigido cubili capiatur, in latus scilicet alterum decumbendo, vt forma supina vitetur, ne lumborum arteriæ supercalefiant. Vitetur puluinarium copia, & lectus valde mollis. Quædam etiam herbæ substernantur, vt portulaca, nymphæa, solanum, lactuca, rosæ, vitis folia. In quiete & animi tranquillitate contineantur ægri: quanuis post prima tempora exercitijs ægros committere conuenit, quibus totum corpus, partésque affectæ confirmentur. Alui excrementa quotidie sponte reddantur, vel arte, vt clysteribus vim refrigerandi habentibus. Abstineant à spectaculis & lectionibus quæ rei venereæ vsum in memoriam reuocant, imò omnem veneris cogitationem excludant. Cibis vtantur qui ægrè corrumpuntur, & difficulter permutantur, ac resiccandi potestate valent. Quare lentes præbendæ cum aqua & aceto, & lac seminis cannabis, & semen ipsum cum sale tostum, & pyra assa, & auellanæ tostæ. Si est ab acredine, vtendum lactucis, endiuia, cucurbita. Vitandi etiam cibi flatuosi, ac simul valde calidi. Nam vt cibi benè nutrientes, flatuosi, ac totis substantijs familiares, & calida medicamenta ac flatuosa generant semen, sic & semen extinguunt ipsum exiccantia & refrigerantia omnia, quæq; totis substantijs sunt contraria. Quæ enim refrigerantia id cogunt, incrassant, & stabile reddunt, tum edulia, tum medicamenta, vim habent supprimentem, nõ autem corrumpentem: vt lactuca, cucurbita, mora, cucumeres: quæ resiccant, prorsus ne esse quidem semen permittunt, vt nymphæa, vel etiamsi calida sint natura, velut ruta, eius semen. Qua de re vbi tenue, acre, ac biliosum quod emittitur fuerit, infrigidantib. magis quam siccantibus

Curatio.

tibus tum cibis, tum medicamẽtis vtendum. Nam hi contemperantia refrigerantiaque exigunt, vt genitura sensim crassior & temperata reddita, non amplius effluat. Cùm prædictis cibis viticis ac cannabis semen præsertim tostũ, lactucæ semen ac folia, lactucæ semen & cauliculi, nymphææ radix & semen præbenda sunt. Potus sit aqua frigida fluuialis, vel in qua ferrum sæpius extinctum sit, vel aqua cinnamomi. A vino, & acrium rerum vsu abstineant. Exercitationibus, frictionibus vtantur validis, & balneis aquæ dulcis, & temperatis: quanquam & ijs quæ medicamentaria qualitate prædita sint, velut sunt in Albulis aquæ sapore subsalso, & tactu lactei teporis: modò eorum caliditas actualis fuerit tepida, aut infrigidetur. Quod reliquum est, etiam conducit ab initio sanguinem mittere secta vena interna cubiti, si sanguinis fuerit copia, & veneris præcesserit insueta abstinentia. Deinde venter purgandus est cassia fistula, & similibus. Lumbi etiam inungantur rosaceo, omphacino, ac pauco vino cum linteis lineis, aut oleo nymphææ, violaceo, vnguento rosaceo, & similibus. Aut spongiæ posca imbutæ adhibeantur. Deinde cataplasmate vtendum ex palmulis, malis, acacia, hypocistide, œnanthe, rhoë. Fiunt & insessiones ex lentisco, rubo, myrto in vino austero diluto. Per interualla quoque adhibeantur vnguenta ex cæra, & rosaceo, & succo aliquo astringente ac refrigerante. Tamẽ ab assiduo refrigerantium vsu cauendum. Intrò etiam assumant quæ semen extinguunt, vt sunt viticis semen torridum, atq; folia seu flores, cannabis semen, lactucæ, seu nymphææ semen & radix, quæ cum vino nigro austero in potu exhibeantur: aut ex aqua chalybeata præbeantur: aut in qua portulacæ aut sanguinariæ folia decocta fuerint, in ijs potissimùm quibus semen biliosum & acre reperitur. Quibus etiam confert cortex radicis halicacabi cum eadem aqua exhibitus. Ruta quanuis calida, à tota substãtia, nõ solo temperamẽto semen coagulat, & corrumpit. Plumbi quoq; lamina multis locis perforata lumbis alliganda est. Cuius duritiem si ferre nequeant, ex prædictis herbis quasdam arefactas sibi substernant. Diacyminum, dianisõn, diacalaminthes à recentioribus commendantur. Aut huiusmodi pastilli: ℞.

Medicamẽtorum ratio.

seminis rutæ, agni, & vrticæ ana ℈ j. seminis lactucæ, portulacæ, plantaginis, papaueris albi ana ℈ j. seminum coriandrorum, & cannabis torrefactorum ana gr. iij. diacalaminthes ʒ ij. cornucerui vsti, seminis rosarum, santalorum & corallorum rubrorum ana gr. vij. seminis melonum ʒ iij. sacchari dissoluti in aqua rosarum q. s. formentur pastilli, quorum vnus cum vino nigro præbeatur. Puluis alius. ℞. seminis lactucę, portulacę, seminis viticis ana ʒ ij. anisi, cymini, foliorum & seminis rutæ ana ʒ j. calaminthes ʒ ß. Huius pulueris ʒ ß. bibitur in seminis fluxu ob acredinẽ: ob relaxationem verò, cum aqua cinnamomi. Eisdem ferè remedijs curantur qui nocturnas pollutiones patiuntur. Nam ab eisdem causis malum oritur.

De Priapismo & Satyriasi.

CAPVT XLVI.

Priapismus vnde dictus.

PRIAPISMI nomen à Priapo deductum est, quem Poëtæ arrectum pudendum seu colem habuisse fabulantur. Coles autem vel mentula, est corpus neruosum, vndiquaq; fistulosum ac durum, excepta ea parte quam glandem vocant. Id protinus vbi animal ad coitum insurgit, distenditur à facultate naturali, quæ illum attollere potest. Eas enim actiones quarum gratia à natura institutæ sunt, partes protinus ab initio citra doctrinam aggrediuntur, cùm vsus requirit. Et cùm sic extensus fuerit, à vaporoso spiritu ab arterijs influente in tumorem attollitur. Ita verò comparatus est nõ modò coitus causa, sed vt semen quàm longissimè iaculetur. Quando igitur nullo præcedente ad libidinem stimulo atque desiderio, aut acquisititio calore, talis pudendi extensio ad longitudinem fit, Priapismus appellatur. Quare Priapismum describũt colis arrectionem, & incrementum permanẽs citra libidinis stimulum, cum inflammatione quadam & dolore consistens. Permanens verò additur, quia quibusdam supinè decumbẽtibus, aut aliter concalfactis renibus, inflatur colis, sed affectio non est permanens, & acquisititius calor est. Quòd si cum colis tumore seu augmento, eiusdem colis palpitatio cõtingat, affectum appellare Satyriasim consueuerunt, à satyrorum salacitate,

Priapismus quid.

Satyriasis.

salacitate, seu propter inexplebile coëundi desiderium, & quòd satyri semper arrigere dicantur. Quanquam verò duo prædicti affectus apud plerosq; confunduntur, tamen verisimilior est eorum sententia, qui Satyriasim dicunt esse vitium in cole, quo is continenter erigitur cum quadam lasciua palpitatione, multaque libidinis opinione. In Priapismo arrectum est pudendum sine veneris desiderio, ac quodam quasi tetano distentum. Pars igitur affecta est colis, siue præcipuo & proprio affectu, siue secundario & per consensum afficiatur. Id ex eius actione læsa confirmatur: de qua dictum est paulò antè. Affectus ipse morbus est in magnitudine seu quantitate, nempe ex inflationum genere, ac præter inuitam arrectionẽ ipsius pudendi, inflammatio & dolores contingunt, quales tetanici habent, qui reliquis membris distenduntur. Eius causa est plenitudo nerui fistulosi, vel arteriarum, aut etiam vtriusque cùm ex priori conditione mutantur. Ea verò plenitudo fit, vel ob arteriarum ora immodicè patentia, vel ob vaporosum spiritum in fistuloso neruo ortum. Crebriùs autem fit ob arteriarum ora patentia: quippe cùm faciliùs sit ea distendi, quàm flatuosum spiritum in neruo generari. Flatus autem à crassis humoribus oritur vi caloris acrioris, & à semine retento. Et flatulentus spiritus fit in his qui acribus cibis vtuntur, à venere abstinent, aut lumbos cinctura comprimentes calfaciunt, aut super lumbos cubant. Quidam è recentioribus volunt fœminis ob easdem causas hunc affectum accidere, & ob mensium retentorum flatuosam substantiam. His enim & rigidum fit sæpe collum vteri sine veneris appetentia, non aliter quàm dum venerem appetunt. Alij ridiculum putant dicere eas tentigine laborare. Fit etiam Priapismus in ijs qui coitu incaluerunt, & tunc videtur lassitudo tensiua. Fit quoque frequenter ob penis vlcera, quæ cum calfactione sunt, tumóque distenditur: vel quia inflammatio est in glandulis paratis: vel vlcus est in summo pudendo, ad quod curandum acria ponuntur. Satyriasis causam nonnulli tradiderunt pulsum testium, ac veluti singultum quendam colis cum intentione ac tentigine, qui sequitur inflammationem receptaculi seminalis. Quemadmodum & alij Satyriasim mulierum describe-

Satyriasis.

Pars affecta.

Affectus.

Causa.

runt, ad quam ingens sequatur pudendorum pruritus cum dolore, ita vt mulier assiduè locis manus admoueat, atque adeo intolerabili veneris desiderio cõtabescat, & salsi humoris effluentis acrimoniam ac mordacitatem percipiat.

Signa. Qui Priapismo laborant, perinde atque ij qui distensione neruorum correpti sunt, dolent. Inflatum enim & distentum pudendum conuulsionis modo afficitur. Si in fistuloso neruo flatuosus spiritus genitus fuerit, ex continua quæ præcessit titillatione dignoscitur, quemadmodum vbi supra modum arteriarum ora fuerint patefacta, ac propterea spiritus multitudo ad colem effluat, nullum tale symptoma præcedere solet. Ex quacunque causa patefiunt vasa, colem ipsum secundariò & per consensum laborare notum est, vt si spiritus flatuosus adest, ipsum propriè ac præcipuè infestat. Priapismus agnoscitur in fœminis, quando vteri stomachum distentum sentiunt cum dolore, iuxta os pubis: sine pondere, sine febre, sine vteri præfocatione, cũ veneris appetentia, cum quadam vteri palpitatione: atque ita cum Satyriasi confunditur. Accidit hoc vitium iuuenibus magis, quàm alijs ætatibus. Neq; ipsum est disjicien-

Prognostic. dum. Nam ex præcipiti perire solent, nisi auxilium confestim auferatur. Cùm verò moriuntur, ventre inflantur, & frigidum exudant. Quidam ex præcipiti pereunt, ob conuulsionem pudendi. Victus & pharmaca sint attenuatoriæ facultatis citra manifestam calefactionem.

Victus ratio. Victus (inquam) qui flatui aduersetur & siccet, abstinendumque à calidioribus cibis, qui materiam in spiritum resoluant, aperiantque arterias tendentes in pudendum: nec duntaxat ab eis cauendum, sed & ab his qui viscosum humorem pariunt, aut multum semen efficiunt. Quinimò primis diebus in inedia seruentur. Dein cibum sumant paucum, generis frumentacei, leuiter attenuantem, nec omnino inflantem, vt dictum est. Eósque in aquæ potu continere, seu in aqua in qua coriandri semina præparata fuerint incocta, sitimque inducere oportet. A vino abstinendum. Exercitium & frictio spiritibus rectè discutiendis proderunt. Motu autem & exercitio vtantur potissimùm paruæ pilæ, ac frictione partium superiorum. In latus decumbãt, substernendaq; in strato sunt ea quæ ad seminis profluuium

aliàs

aliâs dicta sunt. Similiter à spectaculis, narrationibus, turpi consuetudine, imaginatione, àc commemoratione eorum quæ ad venerē excitare queunt, penitus arcendi sunt. Nam qui præter victum calidum humidū, quo semen rursum gignebatur, etiam turpibus desiderijs non cessarunt, hi quoq; post mortem rectum intentumq; habere pudendum deprehensi sunt. Nulli venus prodest, nisi quibus ex huius abstinentia semen abundare conijcimus. Victus itaque summatim sit infrigidans, qualis ad Gonorrhœam dictus est. Quanuis inclinante malo, aut attemperato calore, expediat calidis & siccis medicamētis vti, quæ flatum discutiant. Ptisana hordeacea, seu puls ex hordeo conuenit eis, vel puls ex lentibus. Potus sit aqua hordei, vel chalybeata. Quod ad medicamenta spectat, antequam ad ea deueniamus, quoniam iuuenib. accidit hic affectus, ea propter his sanguinis missio est salutaris. Quare propter dolores ac inflammationes ab hac affectione prehensis venam secare conuenit, potissimùm si à venere præter consuetudinem abstinuerint, & multo semine abundent. Secetur autē interna dextri cubiti vena: vtpote quæ celerrimè & plurimùm ex ijs quæ principes sunt partibus, vena hæc corpus vacuat. Secatur etiam media, & retentis mensibus ea quæ est in malleolis interna. Si vitiosi succi redundabunt magis in corpore purgentur. Vomitoria tamen potiùs conueniunt, quàm aluum subducentia. Si vomitoria respuit æger, aut ad ea fuerit insuetus, leuiora cathartica propināda sunt, quæ leniendo purgent, vt mel aëreum, saccharum violaceum, syrupū rosarum pallidarum, vel leuibus clysteribus aluus leniatur per maluæ & betæ decoctum, pauco mercurialis succo admixto. A nimiùm acrib. & fortiorib. abstinendū, ne inflammationes exacerbentur. Neminùs cauenda sunt quæ facultatē ciendæ vrinæ obtinent. A sanguinis missione ac purgatione cæratum ex simplici rosato factum, accum aqua frigida subactum, pudendo & lumbis imponatur. Lumbis etiam quæ euidenter refrigerant, adhibenda sunt, vt semperuiua, solanum, portulaca, hyoscyamus. Coles & perinæum aliquo leuiter refrigerante illinantur, vel argenti spuma, cimolia, cerussa, si aceto, vel posca, vel aqua sint diluta.

Medicatio.

Verùm ipſi affectæ particulæ medicamentum admouendum, quod pro caloris abundantis portione refrigerare debet. Alioqui valde frigida cauere oportet, præſertim quę aſtringunt, & torporem inducunt, ne affectus difficilis ad diſcutiendum reddatur. Optimum eſt medicamentum, quod ℥. olei roſati ʒj ß. chamæmelini ʒ ß. ſucci ſolani, vel ſemperuiui, vel portulacæ ʒ ß. argenti ſpumæ & ceruſſæ ana ʒ ij. cæræ & aceti parum, fiat vnguentum. Dentur & quæ à proprietate valent, nymphææ ſemen ac radix, viticiſque ſemen, atque etiam rutæ. Ea potui exhibenda ſunt. Sed ruta viridis obſonijs admiſcetur. Calfacientibus his & exiccantibus in fine magis vtendum: quippe quæ reliquias humoris prorſus abſumunt. Dentur & quæ genituram infirmare poſſunt & extinguere, de quibus capite ſuperiori. Si prorogabitur vitium, cucurbitulæ cute ferro inciſa pubi defigendæ ſunt: præſertim ſi ſanguinis multitudo adeſſe adhuc videatur. Et hirudines etiam admouendæ eodem caſu. Fiunt & à iunioribus epithemata ex aqua roſarum, puluere ſantalorum, & pauco aceto. Ceruſſa quoque cum ſtillatitia aqua roſarum vtilis eſt, & ſemen peponis ac cucurbitæ: & ſucco portulacæ & ſolani caphura miſceatur, & in his lintei madefacti lumbis ſuperponãtur. Decocto autem rutæ ac viticis calido genitalia foueantur: ſeu folia rutæ, & vitex in aceto macerata, deinde elixa & malaxata lumbis & pudendo emplaſtri modo imponantur. Si ob copiam ſeminis & ſanguinis affectio ſit, vena poplitis ſecetur. Foueatur pars aqua frigida, ſucco plantaginis, nenupharis, & ſimilium. Si fiat propter medicamenta venerem irritantia, abluatur pars aqua tepida, & foueatur poſca: ceſſabitque affectus. Si ob vlcus, interim abluatur, & refrigeretur iniecta aquã nenupharis, myrti, plantaginis. Si poſt immodicum coitum accidat, oleo roſato vel oxyrhodino pars foueatur. Obambulet per frigida loca, abluat pedes frigida, & refrigeret renes. Cõueniunt vnguentum album infrigidans, cęratum ſantalinum, vnguentum populeonis, vnguentum album ex ceruſſa. Intus non eſt inutile dare tabellam diagalangæ ad diſcutiendos flatus, ſi ab illis malum fiat. In Satyriaſi mulierum à principio vena ſecãda eſt: alimentum detrahendum, pubi & lumbis illinenda quæ vehementer

vehementer refrigerant, ac contrahunt. Recentiores quidam vt confundunt pruritum vteri cum Priapismo eiusdem, sic pruritus curationem tradunt, à quouis humore vsto pendeat. Eam qui desiderabit, illos consulat.

De impotentia Genereorum.

CAPVT. XLVII.

IMPOTENTIA ad rem veneream exercendam contingit quibusdam, quanuis ea vti cupiant, contrarius scilicet affectus ei qui præcedenti capite declaratus est. Sunt autem illis ignaua & impotentia genitalia membra, quæ Græci ἄπρακτα vocant. Quare in ea affectione laborat ea pars (nempe pudendum) cuius proprium munus est, vbi ad coitum consurgit animal, media eius naturali facultate quæ ipsum attollere potest, vt protinus distendatur. Affectio autem ipsa symptoma est noxæ functionum naturalium, ac eiusdem pudendi propriè ablatæ. Excitatur vt plurimùm ex pudendorum resolutione, quæ ob frigidam aliquam intemperiem in eis exortam efficitur, vel ob seminis inopiam. Potest & excitari renum præsertim occasione, aut aliquarum partium principum, vt hepatis, lienis, eerebri. Præterea nonnullis accidit ob membrorum generationis malam conformationem. Nam quidam sunt qui ob virilis membri breuitatẽ generationi inepti sunt. Nonnulli etiam semen recta eiaculari non possunt, ob idque ὑποσπαδίαιοι id est subuulsi, Græcis dicti sunt, quibus glans non recta, sed sub cane perforata est. Canis autem vel caninum vinculum vocatur id, quo cutis membri genitalis cum glande colligatur. Quod vitium à prima generatione contrahitur. Pudendorum autem resolutio comprehendit testium refrigerationem, & vasorum seminariorum, & relaxationem nerui fistulosi coli insiti. Ad testium verò refrigerationem sequitur seminis parcitas & aquositas, nec non flatuosi spiritus inopia, vt ad nerui fistulosi relaxationem sequitur impotentia erigendi membrum genitale. Nam qui membra frigida habent, nõ possunt alimentum sufficiens attrahere, aut in semen conuertere. Causę autem quæ infrigidare aut humectare possunt colem ac testes,

Pars affecta.

Affectus quis.

Causa.

ſunt otium, nimia ventris pinguedo ſeu omenti moles, pe-
tus aquæ frigidæ, vſus medicamentorum refrigerantium,
qualia in rerum inflammationibus, vel teſtium, vel Pria-
piſmo admoueri ſolent. Seminis quoque inopia fit, pro-
pterea quòd ſemẽ extinguatur ex ſenio, ex morbo, ex cau-
ſis omnibus, quæ inſitum ſpiritum roburq́ue diſſoluunt:
ex incantamentorum maleficijs, & ex medicamentis quæ
Signa. genitale ſemen, aut proprietate, aut qualitate manifeſta
perimunt. Si eſt colis reſolutio, tum ex præſentibus, tum
ex ijs quæ præceſſerunt, dignoſces, nempe ex corporis na-
tura, temperamento, ætate, præcedẽte victus ratione. Præ-
terea ſemen emittunt ſine erectione, ac ſine ea venerẽ ap-
petunt, & tentiginem ſentiũt. Seminis inopia cognoſcitur,
quando conantes cum labore paucum ſemen emittunt, &
id cum animi deliquio, & facultatem naturalium interci-
dentia. Præterea ex notis, quę frigiditatem cordis ac teſtiũ
demonſtrant. Seminis frigiditas dignoſcitur ex tenui & a-
quoſa ſubſtantia, & infœcunditate. Si impotentia eſt vitio
Prognoſti- alicuius partis nobilis, ægrè corrigi poteſt. Curatio qualis
cum. eſſe debeat, notum eſt. Namque tam alimenta, quàm me-
Curatio. dicamenta illis conueuiunt calfacientia & inflantia, nec
non ſeminis gignendi potentia prædita. Quare cibi offe-
rantur qui bene nutriant, ac flatuoſi ſint, totiſque ſubſtan-
tijs familiares. Medicamenta quoq; calida ſint, & flatuoſa
abſq; deſiccatione. Talia enim ſemen prouocant, quod &
ipſum excrementum eſt benignum, ac flatulentũ. Sed vt
ad cibos reuertamur, carnes conueniunt gallinarũ, capo-
num, perdicum, phaſianorum, iuuenum columbarũ, tur-
dorum, merularum, nec non reliquarum auium monta-
narum: maximè perdicis oua, ac galiorum teſticuli ad coi-
tum excitant. Cum his carnibus nullus acidus ſuccus mi-
ſcendus eſt. Acetum enim & acida omnia ſemẽ extinguũt,
& flatus generationem coercent. Conueniunt & bulbi, ci-
cer, fabæ, nux pinea, paſtinacæ radix, rapa, porri, erucę, tum
folia tũ ſemẽ maximè agreſtis, cardui radix, orminũ, ani-
ſum, fœniculum, amygdalæ dulces, grana pini, polypodes,
concharũ genera: vua quoq; dulcis recens, erucę ſemẽ tri-
tum, cum vitellis oui in puluerem redactum, & aſſumptũ
commendantur. Vinum bibant odoratum & ſubrubrum,
vitentq;

vitentq; omnino aquæ potū. Infernas corporis partes exerceant. Equitatio eis confert. Dormiāt lectis mollibus ac super dorsum. Lumbos cingāt, modicè cōprimentes fascia panni tincti cocco. Lectionibus ac spectaculis assideāt, quę ad coitum cohortantur. Odorent sępe moschum, gallliam, & ambrā. Abstineant ab omni sanguinis missione & purgatione, nisi alio morbo laborauerint. Inter medicamēta scincus & satyrion, vt inter alimenta medicamentosa lini semen, & eruca locum habēt. Testes vulpis sicci: partes etiā renes scinci amplectentes, maior bulbus orchis herbę tentiginem faciunt, & pudendum cerui aridum vnius drachmæ pondere præbetur. Iuniores præscribūt diamoschum, diambram, diasatyrion, diatrium pipereon, dianthos, diagalangam: cuiuslibet ʒj. vel ij. dantur cum vncijs quatuor vini. Naturalia continuè vnguento confricantur ex olei liliacei & de castoreo ana ʒj. piperis, pyrethri, cyperi, myrrhæ, sulfuris viui ana ʒj. moschi granis iiij. Huiusmodi vnguento testes, perinæum, lumbi, os sacrum illinuntur. Cor item calefit linimento ex gallia & ambra in oleo de styrace, vel belzuino. Testes & genitale ex ijsdem liniūtur, aut oleo de scinco, aut vulpino, aut irino, nucis moschatæ, cum myrrha & castoreo. Vinum mulsum postrema mensa bibitur. A proprietate valet genitale cerui. Valet & in eum vsum pastinaca melle condita, addito zingibere, pipere, & caryophyllis.

De suppressione mensium.

CAPVT XLVIII.

QVAM vocant mensium suppressionem Latini, Græci ὑποχὼ ἐμμήνων ἢ καταμηνίων appellant. De ea prius quàm agamus, nonnulla de vtero, deq; mensib. ipsis dictis, in gratiam studiosorum præfabimur. Vterus inter partes animalis destinatas generationi pręter colem & testes (de quorum affectionibus proximè tractauimus,) à natura conditus est, tanquam aptum concipiendi instrumentum, & ad fœtus augmentum opportunū. Et quanuis ea pars in mulierib. est imperfectior, intus scilicet posita, quæq; ab imbecillo calore foras propelli non potuit, cùm & ipsamet mulier viro sit frigidior atque imperfectior,

hanc imperfectionem tamen magna vtilitas est consecuta. Nam cùm mulier alimentum quòd confeciſſet, propter innatam frigiditatem totum diſcutere non poſſet, ſanguis multus generationi & alendo fœtui deſtinatus, à natura ratis ſtatiſque diebus ſemel in menſe excernitur per venas quæ vtero committuntur: non quòd ab vtero trahatur, ſed quia eò mittitur, niſi in fœtum abſumatur in ijs quæ conceperunt, quæque præſertim ætate florentes ſunt, quia in ſenibus cùm vires ſint imbecillæ, ſatis eſt ſi alimentum ad proprium vſum conficiatur. In ijs autem quę augentur, nil ſuperfluum relinquitur, quòd nutritione & auctione ſimul illis opus ſit. Inde itaque menſtrui, vel menſium nomē deſumptum eſt, non à propria quidem ſubſtantia, ſed ab accidente; quòd ſingulis menſibus eius ſanguinis excretionem natura moliatur. Vnde multi contendunt non eſſe præter naturam, niſi quantitate. Nam ſi in eo maleficia reperiantur quæ Plinius commemorauit, ea illius corruptioni & diuturnæ moræ in vtero, cum è vaſis excidit, accepta referri debent. Neque hæc purgatio fit, quòd ſanguis ſit vitiatus. Alioqui mulieres læderentur tempore impręgnationis & lactationis, & fœtus qui ſanguine menſtruato augetur, nouem menſibus nutritur. Imò & poſt natiuitatem nutritur lacte, quod ex menſtruo ſanguine fit. Hoc autem euenit ſanguini, quod ſemini propter aëris alterationem. Nam extra vaſa putreſcit, & naturam venenoſam induit. Quòd autem ſingulis menſibus excernatur, vt alij volunt, huius periodi cauſam nemo vel ad vitioſam qualitatē, vel ad ſanguinis redundantiam referat, ſed in naturæ vim, quę omnia certis legibus adminiſtrat, vel in ſempiternos lunæ curſus, quæ vt luminum varietate tum creſcens, tum decreſcens menſem dimetitur, ita hominis maximeque fœminæ humores rata ordinis conſtantia regit ac moderatur. Effluit autem is ſanguis duarum heminarum Atticarum menſura, idque duobus aut tribus diebus. In ijs quæ plus ſanguinis habent, ad quinque, ſeptem dies, rarò ad duodecim: in ijs quę ſanguinem craſſum, aut venas exiles, etiam plures dies vacuatur. Maiorem copiam faciūt ratio vitæ plenior, otium, temperamentum, frigiditas, tenuitas ſanguinis, acrimonia, amplitudo vaſorum. Initio & in fine pauciores

pauciores sunt,& tenuiores. Intermedia purgatio plures habet crassiores. Porrò aliæ singulis mensibus purgantur: nonnullæ vno, aut pluribus mensibus intermissis. Interponuntur viginti duo dies,aut ad summum triginta.Multis desiderio coitus quo tenentur, menstrua ter in mense citantur,donec concipiant. Quibusdam mulieribus cùm albæ & molles fuerint, diutiùs solent menses permanere, tum de ætate earum intelligendo, tum etiam de diebus quibus purgantur: quemadmodum contrario modo affectis, nigris (inquam) durisac gracilibus contrarium euenit.Excessus,& defectus in vitio est. Si excessus,tenues fiũt fœtus marcescit.Si defectus, crassæ fiunt, nec facilè concipiunt:quamuis constet multas concepisse,antequam fluerent menstrua. Naturalis purgatio cessat quadragesimo, aut quadragesimo quinto,aut sexagesimõ ætatis anno.Incipit decimo quarto,vel decimo quinto, quo tempore cessat incrementum.Quibusdam verò vigesimo ob pituitam & sanguinis paucitatem.Porrò prægnantibus menses supprimũtur,vt & sterilibus.Resistunt etiam lactatione.Cantrices,saltatrices, mulieres calidioris temperaturæ, fortibus exercitijs vtentes & agrestes non purgantur. Cita & festina mensium eruptio,vitæ breuitatem indicat,ob alteratricis potentiæ imbecillitatem: nisi præcox à venere sit. Coitus enim viam familiarem mensibus reddit. Atq; profluuium mensium decrescente luna contingere putauit Aristoteles.Iunioribus in cõiunctione & plenitudine profluere menses omnibus in confesso est. Quibusdam prægnantibus vsque in postremum gerendi tempus menses eueniunt, sed eis accidit, vt proles infirma procreetur. Quamdiu lac emanat,menses magna ex parte non exeũt. Natura enim ita fert, vt humor pluribus locis erumpere non soleat.Nam & marisca habenti deteriores fiunt purgationes.Itaque menses dicuntur impurioris & crudi sanguinis per vterum vacuationes, quæ si secundum naturam supprimantur,nulla inde molestia mulier afficitur. De ea suppressione hic nobis non est sermo. Sed si menses non appareant quo tempore solebant, idque vel totius corporis vitio,vel vteri præsertim,semper hæc affectio,vtero tribuenda est,vel primariò,vel secundariò & per consensum.

Menses quid significent.

Pars affecta.

Namque à toto corpore tanquam quod est superfluum ad vterum transmittitur. Quare vterus afficitur, cùm ad eum quæ antea venire solebant cùm haberet secundum naturam, non perueniunt. Per se afficitur vterus propter nimiam eiusdem membri pinguedinem. Compressio enim venarum cum sequatur, menses aliquando vacuari prohibentur. Quòd autem hoc vitium in genere sit retentorum immodicè, omnibus in confesso est. Cùm itaq; subsistant menses peculiari vitio vteri, id accidit ei propter intemperiem frigidam, vel calidam. Hæc consumit, illa sanguinem tenaciorem reddit, vasa vteri obstruit. Vel in causa est densitas vteri atq; duritia connata, vel acquisititia. Itẽ angustia venarum eius à principio congenita, vbi scilicet hac parte fœmina malè est formata, aut eorundem vasorum compressio, quæ ex his quæ circumiacent fit, cùm videlicet corpus pinguescit. Nonnunquam etiam propter calhum in ore vteri obortum, aut carnis excrescentiam. Quibusdam cicatrices vlcerum quæ in vtero antecesserunt, vasorum ora à quibus sanguis in vterũ ferebatur obstruxerunt. Quibusdam post abortum ore vteri exulcerato, ac deinceps ad cicatricem ducto, coitio vel compactio superuenit. Sic ob inflammationes, ceruicis distorsiones, suppressio superuenit. Quibusdam etiam à natura data est membrana circa vteri collum, aut orificium, vt in ijs quæ ἄτρητα, id est imperforatæ nominantur. Interim quoq; menses ipsius sanguinis occasione qui ad ipsum deuenit, retinentur, quoties pituita crassa vel lenta sanguini permiscetur. Totius autem corporis culpa retinentur, tum propter plura exercitia, tum victus rationem, tum propter succorum ad alias partes inclinationem. Et si hæc sint mediocria, minor erit quàm pro naturæ modo purgatio: vt si per nares vel sedem sanguis delatus ac vacuatus fuerit. Alijs etiam quòd è thorace multum sanguinem reiecerint. Alijs quòd è dissecta vena potissimùm ex cubiti venis plurimũ sanguinis promanauerit. Quædam verò ob plenitudinem nõ purgãtur. Sudoris quoq; multitudo, assidui vomitus, alui profluuia, ac pustularum omne genus quæ in cute efflorescunt, idem sæpe efficiunt. Propter etiam acutos maximosq; morbos, & obalimẽtorum vel paucitatem vel multitudinẽ menses

Quis affectus.

Causa.

suppri-

ſupprimuntur. Addendæ ſunt cauſæ externæ, vt aſſiduæ curæ, immodicus timor, mœror ingens, (in quibus rectrix facultas aliò occupatur) ingreſſus in aquam frigidam, crurum in eadem lotio, eſus lactis, aceti, aut rerum acidarum interim dum menſes purgantur: ictus, flagella, quoniam in partem aliam auertunt. Quod igitur præter naturam menſes detenti ſint, ex pluribus indicijs dignoſces. Vt ſi mulier quæ neq; grauida, neq; peperit, lac habet, huic mẽ ſtrua defecerunt. At nullo apparente in mammis lacte, & ſi præter naturam retinentur, aderunt hæc indicia: grauitas toto corpore moleſtat, faſtidia cibi incidunt, horror inæqualis cum febre quandoq; inuadit, mulier tota triſtis & inquieta eſt: os vteri clauſum eſt cum quadam duritie, quo ſigno differunt ab ijs quæ conceperunt. Quibuſdam dolor cum grauitate, modò in vna, modò in altera parte. Dolor in coxam tranſit, ac crus ipſum quod è regione eſt, per inceſſum claudicat. Præterea lumborum, femorum, ſcapularum, colli, ſincipitis dolor ſequitur: qui etiam oculorum radices infeſtat. Febres ardentes, vrinę craſſę, turbidę, cum quadam ſanie nigricantes, velut admixta fuligine. Si longiori tempore menſes ſupprimantur, nullamq; medicus vacuationem mulieri promoueat, tumor aliquis in ilibus exoritur, oſtendens ex internis partibus quandam eſſe inflammationem. Nonnullis in extrema ilium parte panus excitatur. Vrina interdum in nonnullis difficulter redditur, interdum & planè ſupprimitur, pondus incumbit vtero, commouẽtur morbi. Faciei color vitiatur, ſpurationes pituitæ fiunt. Calidam intemperiem quæ ſanguinem diſſoluit, & corpus extenuat, bilis quoq; abundantiam agnoſcimus ex corporis calore, & pallido colore, extenuatione, ſiti, vrinæ rufedine, & vbi ſanguis aliquando purgetur, eius tenuitate, calore, acredine, morſu inter purgandum illato. Frigiditas ac ſanguinis craſſitudo agnoſcitur ex corporis frigiditate, nimia pinguedine, ſubalbido colore, intumeſcentia œdematoſa, vrina tenui, aquoſa & ſuppallida. Seu ſi à pituita copioſa & venarum ora obſtruente eſt ſuppreſſio, videre eſt ægram ſomnolentam, ad omnem motũ pigram, colore candidam, plumbei coloris,

Signa.

pituitam assiduè excreantem, & aliquando vomentem. Vrina quoq; aquosa esse solet. Idem est iudicium, si à melancholico succo supprimantur: vt in ijs quæ graciliores ac nigriores sunt, ac magis quæ magnas venas habent. Hæ enim crassiorem sanguinem ac magis melancholicum colligunt. Sic si ob vteri affectionem, vt ob cicatricem, carnositatem, aut membranam, sua signa præcesserunt.

Prognostica.

Alia item ex ægrotantium sermonibus, corporum habitibus, & victus ratione coniectari possunt. Mulieribus quæ non pro more purgantur, sanguinis reiectationis & syderationis periculũ imminet. Quædam etiam ex longa menstruorum retẽtione in melancholiam, vel insaniam, morbum comitialem, resolutionem neruorum, caliginem oculorum, tussim, dyspnœam (ob plenitudinem venarum, vel oppresso corde ab humore in pericardio.) durum viscerum tumorem, hydropem, podagram, tremorem cordis, syncopen, sterilitatem, vteri suffocationem, vteri tumores vt cancrum, scirrhum, erysipelas, tumorem aquosum, flatuosum, & similes delabuntur. Quapropter proroganda eis vacuatio non est, cùm menstruorum suppressio offendat, maximè si à partu supprimantur. Nam non abundantiam modò, sed insignem etiam pariunt humorum prauitatem. Et mensibus à partu suppressis vteri inflammantur. Quibuscunque vteri cicatrices oscula vasorum in vtero excæcarunt, & propterea menses detenti sunt, penitùs incurabiles sunt: vt si pellicula circa collum aut osculum fuerit adnata, nisi illa perforetur, aut resecetur. Menstruis deficientibus sanguis è naribus fluens, bonum: præsertim si acerbissimi in capite fuerint dolores. Si mulieri cessent purgationes, neque rigor, neque febris superueniat, & fastidia accidant, iudica ipsam in vtero habere. Si diutiùs quàm par sit suppressionem mensium ferant, vix curantur obductis & induratis meatibus. Pro causarum varietate, curatio itidem variatur. Si substiterint menses gestationis tempore, item per aliquot periodos à partu, aut per lõgam inediam, aut longos morbos, quia non sine ratione, ideo non prouocandi sunt. Si nulla existẽte causa suppressionis legitima omnino nihil fluxerit, aut fluxionis periodi raræ sunt, aut si tempestiua fuerit fluxio, pauca tamen, naturam

Curatio.

tum

tum iuuare oportet. Si propter plenitudinem non purgantur, alijs consentienbus vena secanda est. Imò copiosa sanguinis missione sanantur. Propterea tum cubiti, tum tali venam secare oportet, neque ijsdem proroganda vacuatio est, si magna fuerit plenitudo. Solæ tali venæ alioqui inciduntur. Alij multum sanguinem detrahi nolunt. Copiosior enim sanguinis vacuatio aliam vacuationem impediret. Tempus secandi venam est, tribus vel quatuor diebus ante consuetum mulieris circuitum anteuertens. Quantitatem sanguinis nedum plenitudinis quantitas, sed & virium robur metietur. Sæpius tria vascula detrahuntur. Atque vbi quidpiam non vrgeat, eandem sectionem iterare conuenit potiùs, quàm semel vniuersum vacuare, aut in eodem crure, aut in altero. Aliquot diebus etiam ante sectionem victus extenuans imperandus est, ex ptisanæ succo cum aceto, vel oleribus ad eundem vsum idoneis. Sanguine vacuato medicamenta quæ menses prouocant, adhibeantur, de quibus infrà, & cucurbitulæ pubi atque inguinibus affigantur. Si ob nimiam caliditatem citra humorum redundantiam non purgantur, licet victus ratio illis præscribi possit, vt menstrua purgatione opus non habere possint, tamen quia conceptioni penitus aduersaretur, conceptus gratia purgationes sunt necessariæ. Eas igitur humectare oportet. Quare aër ad frigidũ humidũ declinet, somnus sit longior. Quies imperetur: ira, mœstitia, timor, alijq; animi affectus vitentur. Humidiori cibo ac potu vtantur, ptisana, eius cremore, amylo ex lacte, oleribus, lactuca, cucurbita, peponibus, borragine, hordeo. Carnes sint gallinarum, caponum, pullorum, aliarum auium, quæ teneriores sint, & veruecis elixę, & agnorum, hœdorum, porcellorumque. Ptisana quoque in iure prędictarum carnium paretur ex lacte. Pisces teneras carnes habentes gustari possunt, ficus, vuæ maturæ, pepones, cucumeres concedantur. Oua gallinarum tremula, aut sorbilia ex vsu sunt. Potus sit aqua, aut vinum album, tenue, dilutum, non vetus. Balneis aquarum dulcium vtantur. Summatim renutritoria, & quæ hecticis confert victus ratio salubris est. Leuis sanguinis missio fiat incisa vena dextri cubiti interna ad ʒ ij. aut ij. Si vna cum intemperie calida

bilioſus humor abundabit, congruis medicamentis purgetur, vt rhabarbaro, caſſia, ſyrupo ex infuſionibus roſarum, vel violarum. Purgatoque corpore cucurbitulæ pubi atq; inguinibus affigantur: fricti ones & vincula infernis partibus injiciantur: poſtea medicamenta quę ſanguinem atq; vterum alterare poſſunt, ſiue aſſumpta, ſiue admota, adhibeantur, vt balneum aquæ dulcis, inſeſſus ex maluarum, althææ foliis, violarum, chamæmeli, hordei. Pubes & inguina inungantur oleo amygdalarum dulcium, oleo de cucurbita, cum adipe anſeris, ac butyro recenti. Fiunt & pelli ex contuſis maluarum, althææ radicibus, hordeo, ſaccharo rubro, adipe anſeris, vel gallinæ, ac priuſquam immittantur, in oleo amygdalarum dulcium, vel de cucurbita intingantur. Hoc etiam tempore cremor melonum, cucumeris, vel aqua hordei cum corticibus paretur, aut aqua capillorum veneris, vel in qua radix liquiritiæ decocta ſit. Eodem tempore ſumat tripheræ magnæ ſine opio ℈ ij. conſeruæ cichorij. & adianthi ana ʒ j ß capiat cum iure cicerum rubrorum in balnei egreſſu, & mox à ſaphena ſanguis mittatur. Fit & peſſus alius, ſed magis in cauſa frigida. ℞. tripheræ magnæ ſine opio ʒ j. myrrhæ ʒ ij. galbani, gummi ammoniaci ana ʒ j. excipiantur ſucco helxines, & artemiſiæ. fingatur peſſus ex panno lineo raro, qui filo coxæ alligatus in vterum demittatur. Interdum & craſſior eſt bilis à qua fit obſtructio: tumq; ex cholagogis & phlegmagogis mixtis inſtituitur purgatio, ea lege vt meſaraicæ ſemper vacuentur etiã, priuſquam obſtructiones liberentur, ne excremẽta in corpus cõuehantur. Si melancholicus humor in cauſa ſuppreſſionis menſũ fuerit, præparatus ſyrupis, vacuetur confectione Hamech, atq; alijs melanogogis Balneo deinde, compoſitionibus, vnctionibus & peſſis dictis in retentione menſũ à bile vtendum eſt. Si frigida corporis intemperies prohibebit menſes fluere, calidioribus tum cibis, tum medicamentis vti expediet. Fortiora exercitia ac plurimi labores iniungentur. Vinum fuluum, odoratum, vetus exhibebitur, ac minimè dulce. Inter medicamẽta porrò eligenda erunt, quæ calore ſuo ſanguinem diſſoluunt, vt thymum, pulegium, calamintha, dictamnus, abrotanum, nepitha, ſabina, aſarum, cinnamomum,

mum, iris, aristolochia. Et si humores frigidi redundarint, præparentur extenuanti victus ratione, cibisq; semper ac potibus aliquid odoratum admisceatur: tum etiam incidentibus & tenuantibus medicamentis, vt rosato melle, oxymelite, (modò vterus affectus non sit, aut alia quæpiam pars neruosa) syrupo de duabus radicibus, de hyssopo, de artemisia, de matricaria: vel decocto hyssopi, pulegij, calamenti, origani, seu abrotani ex aqua mulsa. Medicamentum purgãs detur ex hiera Galeni & agarico compositum. Et si validioribus egeas, pilulis fœtidis, ex sagapeno, aggregatiuis, de benedicta, de agarico, & alijs vtere. Et quando vnica purgatione humor expurgari nequit, rursus laborans mense proximo vacuetur. A purgatione vno aut altero die balneo conuenienti lauetur, à quo inungatur venter, & sese mox in lectum componat, ac sumat medicamentũ ciens menses. Sumendis enim medicamentis tempora duo sunt, maximè idonea, alterum quidem cùm tempus purgationis appetit: alterum post balneum, fomentationem, aut inunctionem, vt calido adhuc & soluto corpori medicamentum occurrẽs vires suas efficaciùs ostendat. Probè facit opopanacis, sagapeni, myrrhæ, aut castorei ʒ j. si exhibeatur. Mirificè conducũt & pastilli è myrrha. Nonnulli fermentum ad auellanæ magnitudinem dissolutum cum pauco croco propinant: alij pituitosis mulieribus dant ligni guaiaci decoctum cum dictamno, aut hyssopo, aut artemisia. Nostro more etiam statim à balneo melicratum propinatur è pulegio, calamento, vel syrupo de prasio, hyssopo, calamento, de bizantijs, de duabus aut quinque radicibus ad ʒ j ß. cum aqua cuscutę, decocto cinnamomi. Quòd si fortius volueris, castorei ℈ j. aut eo plus adijcies. Balneum verò fit, ex artemisiæ, melissophylli, nepithæ, chamædryos, chamæpithyos, thymi, foliorum lauri, pseudonardi, rorismarini ana m. iij. chamæmeli, meliloti, florum rorismarini ana p. iij. radicum valerianæ, radicum rusci, radicum asparagi, radicum apij, radicum petroselini ana ʒ iiij. seminum lini & fœnugræci ana ʒ iij. florum sambuci pugilli quinque decoquantur in sufficienti quantitate aquæ, in qua maneat per horam. Ex eo dum egredietur, vngatur venter infra vmbilicum parsque posterior ei

oppoſita & renes vnguento ex olei de lilio, amygdalarum dulcium, butyri recentis, medullæ cruris vituli ana ʒ j ß. mucaginis althææ, & ſeminis lini & fœnugræci ana ʒ ij. cæræ parum. fiat vnguentum. mox ſe componat in lecto, & ſumat theriacæ vel mithridatij, tripheræ magnæ ſine opio ana ʒ ß. aut iure cicerum rubrorum & porri excepta bibantur. Atque hoc, itidem & balneum diebus quatuor aut quinque repetantur. Si in balneo lauari recuſat, recipiat dicti decocti fumum per infundibulum. Quibus peractis appetenti tempore eruptionis incidatur ſaphena pedis dextri, ſanguiſque ad ʒ ij. vel iij. detrahatur. Si non permittat, vt vena incidatur, cucurbitulæ feminibus ac poplíti affigantur, aut fiant ſcarificationes malleolorum, ſiue ſcalpello, ſiue per hirudinum applicationem: potiſſimùm ſi mulier albidior, aut carnoſior fuerit: vt cui paruæ ſunt venæ, & quæ ſanguinem tenuem aceruat. Præterea dicto balneo arte parato præferendum eſt balneum naturale, ſi haberi poterit. Fiunt & ſaccelli ex artemiſia pulegio, chamæmelo, calamintha, ſauina, maiorana, qui calfacti in latere irrorato ex pauco vino albo applicentur, & ijs ſæpius foueantur partes circa vterum. Inſuper ſuffitus ora vaſorum aperit obturata, humorum craſſitudinem extenuat, obſtructiones incidendo liberat. Tamen quæ fortiter ſiccant, vel calfaciunt, materiam abſumunt, & ex eorum vſu ſanguis craſſior euadit: quemadmodum & illa in ijs quæ feruido ſanguine abundant, minùs conueniunt. Fiunt autem ſuffitus ex benzoin, ſtyrace calamita, nigellæ Romanæ ſemine, & agni caſti, pipere, & cæteris aromaticis quæ vim aperiendi obtinent: ex quibus fit puluis qui in foculum immiſſus fumum reddit excipiẽdum per infundibulum in locis muliebribus: aut fiunt trochiſci, qui terebinthina excipiuntur. Ad hæc ſudor minimè ciendus eſt, quia auertit & impedit menſium purgationem, alio deriuando materiam. Quapropter balnea vel ſtuphæ conueniunt duntaxat, vbi ſanguis craſſus eſt ac lentus, vt humores liquefiant. Sed id fieri debet abſq; magna ſudoris prouocatione. Neque etiam opiatæ multùm aperientes conueniunt, quia plus reſiccant, quàm iuuent. Fit quoque inunctio in imo ventre, pube, inguinibus, quæ recipit olei liliacei,

liacei, irini ana ʒ. olei amygdalarum amararum, de cappa-
ribus, ſucci rutæ, ſauinæ, artemiſiæ, ana ʒ iij. ladani ʒ vij.
cum cæra fiat vnguentum. Peſſis quoque vtendum primò
mitioribus, deinde validioribus. Mitiores fiunt ex adipe
anſerino, gallinaceo, ſaccharo rubro, pauco croco: quibus
interdum mercurialis herbæ contuſæ parum adijcere po-
teris, aut tantundem artemiſiæ, maioranæ, rutæ, ſauinæ,
pulegij quandoque. Si validioribus opus erit, myrrham,
bdellium, galbanum, ſtyracem, ariſtolochiam, & rubeam
tinctorum, abrotanum, calamentum, reſinam terebinthi-
nam adijce. Eiſdem contuſis, in linteo ſerico, vel lineo te-
nui ad formam humani digiti inuolutis, oleo irino aut li-
liaceo priùs infuſis, mulieris pudendo immittantur. Alli-
gentur cruribus, vt promptiùs auferantur, vbi opus erit.
Prædicta omnia motum naturæ adiuuant, aut ſi ignauior
eſt ad expellendum, proritant. Mitigant ardorem lac, oui
albumen conquaſſatum, oleum violaceum, aqua roſacea.
Si ab externis cauſis menſes retinentur, facilè curantur. Si
à proprio affectu vteri, ad propria capita recurrendum, &
curato malo quod detentorum menſium cauſa fuerit, ad
menſium prouocationem progrediendum. Pinguiores
mulieres victus ratione extenuante curantur, exercitijs
velocibus, medicamẽtis quę exilius corpus efficiunt, vt eſt
aſſidua ventris deiectio, vnguenta euaporãdi vim haben-
tia, & ſimilia. Quæcunque propter gracilitatem non pur-
gantur, ſiue per morbum, ſiue alia de cauſa id acciderit,
priùs reficiantur, & caro per idoneam victus rationem re-
ſtituatur. Si carnoſæ euaſerint, ſpes eſt menſes ſponte
erupturos eſſe. Quod ſi non euenerit, tunc potionibus, fo-
mentis, alijsque dictis medicamentis eos prouocabimus.

De menſibus immodicis, ſeu nimio ab vtero ſanguinis profluuio. CAP. XLIX.

MENSES copioſiores, & vltra conſuetum tempus
fluentes, Græci ὑπερκάθαρσιν καὶ αἱμορραγίαν ὑσ-
τέρας nominãt. Nos menſes immodicos ſeu immoderatam
menſium purgationem appellamus. Moderati enim eſſe

debent ij in muliere sana, duatum heminarum Atticarum mensura. Quanquam paulò plures, aut pauciores, & qui buſdam ad duos, vel tres, alijs ad quinque, ſeptem, vel plures etiam dies fluant. Nullum enim purgationis tempus ſtatum ac ordinatum eſt, vt nec omnibus eadem quantitas, quemadmodum ſuperiori capite oſtenſum eſt. Idem teſtantur alij, quibus immoderata, morboſa ac ſterilis dicitur menſium purgatio, quæ vltra naturæ vitæq; modum extenditur, & è qua copioſior ſanguis, quàm pro multitudine diutiùs profluit, vel quę etiam crebrior eſt, & non ſtato circuitu redit. Menſium ſuperfluus fluxus erit, cum amplius non fit ad animalis commodũ, & cum nocumentum ex eorum fluxu ſubſequitur. Nonnunquam plus iuſto purgantur, & potiſſimum quæ humidioris ſunt naturę, tuncq; fit eum bona tolerantia, neque is ſiſtendus eſt. Subſiſtunt lactantibus vtero gerentibus, puerperis. in grauidis tamen primo aliquando menſe prorumpunt, cum tunc os vteri non ita firmiter ſit conſtrictum. Subinde in grauidis etiam poſtquam arctiſſimè os vteri conſtrictum fuerit, aut menſes aut quid ſimile menſibus per ramos venæ cauæ profundi conſueuit, qui inſeruntur ceruici, oriq́ue vuluæ ad eum modum quo hæmorrhois in recti inteſtini extremitatum quaſi terminatur. In hac verò affectione vterus laborat, quia menſes in venas vteri mittuntur tanquã ad infirmiſſimas partes, qui eiſdem mulieribus valentibus exiſtentibus, antequam concipiant, ſalubres fiunt purgationes. Vterus (inquam) laborat aut per ſe ſolũm, aut ſimul cum toto corpore, vel aliquibus partibus eius, vt dicetur. Affectus ipſe ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, non tamen toto genere præter naturam, veluti ſunt reliqua profluuia ſanguinis. Nam præter eam quæ mulieribus per vterum erumpit, cæteræ ſanguinis pluſculæ vacuationes toto genere ſunt præter naturam. Illa autem vacuatio ſola multitudine ſeu quantitate, præter naturam dicitur. Eius cauſæ eædem quæ in alijs ſanguinis profuſionibus quærendæ ſunt: nempe quæ vaſa aperiunt, diſrumpunt, exedunt. Quædam enim ſanguinem ita calfaciunt, extenuant, vel quoquo modo exagitant, vt prompte ora venarum patefaciat, præſertim ſi imbecilla

Pars affecta.

Affectus quis.

Cauſa.

cilla sunt, tantoque impetu efferatur, vt vix possit naturæ robore cohiberi. Quemadmodum plethora tanta plerunque exuperat, vt non solùm ora venarum, sed ex ijs venas tenues disrumpat interdum, quod ferè accidit mulieribus, quibus menses diu suppressi, postea confertim aut concitatiùs erumpunt, & quibus abortus aut veri aut irriti fœtus quauis ex causa contingit. A partu quoque laboriolo ac difficili, cùm vel grandior fœtus, vel obliquè situs, nimio conatu excluditur: in quo vel rumpuntur venæ, vel nimis dehiscunt, quemadmodum & ab euidentibus causis quibuslibet violentis immodicus sanguis emanat. Quod contingit obstetricis vnguibus irritato vtero, vel à lapsu, & similibus. Sanguinis quoque tenuitas, vel copia, causa est adapertionis. Frigus etiam vehemens disruptionē interdū præcedit, (dolorq; aliquis aderit) vt apertionē calidę dispositiones, vsus balnearū multarū, inhabitatio terræ calidæ. Similiter alimenta & potiones eiusmodi antecedunt, nullusq; aderit dolor. Erosio fit abacribus mensibus, vt quibus succus biliosus vel salsus redundat, ab eaque non confertim, sed modicus, & paulatim, & cum maximo dolore fertur. Si sanguis tenuis est, & calidus, tunicaque oris venarum ratefacta, tunc sudoris instar transmittitur. Ex frequenti concubitu, nec non ob retentricis imbecillitatem immoderati fluxus fiunt, à noxijs quoque humoribus & venenatis, putridis, mordacibusque sæpe excitatur hoc malum. Cùm verò menses sunt immodici, sequitur color fœdus, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur prosternitur, vitiatur ciborum tum concoctio, tum cupiditas; atque omnia huiusmodi fœminas infestant, quotquot immoderatam sanguinis vacuationem sequi consueuerunt. Crebri item oriuntur febriles ardores. Postea & totum corpus molli tumore inflatur, ex quo gignitur hydrops. Rursum ruptæ aut patefactæ intus grandioris venæ indicium est cruor profusè effluens. Si minor vena læsa est, paulatim is, nec multus fertur. Copiæ sanguinis signa sunt plethora, faciei rubedo, venarum latitudo. Eadem copia noscitur, quòd copiosè fluentibus mensibus ab initio, nil mali sentiebant, nec languebat facultas. Sanguinis acredo

deprehenditur dolore, ardore, febre, acrimonia, fœtore, & pallido aut flauo colore. Propterea erosio dum fit, dolor & acrimonia sentiuntur, sensim sanguis manat, & pus miscetur, & ichores fluunt, cum fœtore, & coloris prauitate. Tenuitas sanguinis colligitur, quòd sine dolore manet, aut calore, estq; ipsa tenuis & substantia decoloratus, sicut & fœmina ipsa, cuius naturalis temperies, vel ascititia frigida est. Atque vt de mensibus certius feratur iudicium, præsertim de eorum qualitate, animaduertendum est ab alijs sic distingui: vt naturales debeant esse sanguini recèns mactati animalis similes. Quòd si albi, sanioſi, & loturæ carnium similes sunt, à pituita oriuntur: pallidi, flaui, & acres à bile: nigri, crassi, pauci, à melancholia. Iam atra bilis est, cùm veluti acerum effusi radunt, fermentant, & grauiter exulcerant. Alij carbunculo similes existunt, caliginosi, acres, turbati, salsi, purulenti. Mēstrua vt humidioribus fœminis diutiùs durant, sic etiam hę citiùs, nisi illa profluunt, intumescunt, & hydropem accersunt. Sic quoq; si immodicè fluant, idem contingit. Vtrumq; enim ad extremam frigiditatem ducit. Quapropter menstruæ purgationis immodica vacuatio nō spernenda est. Profluuia sanguinis quæ grandiores partus sequūtur, nō ita periculū minātur, quia sua sponte cessant. Si propter abortum fiant, repentinū quoq; periculū inducūt. Mensium profluuium immodicum ex quacunq; causa fiat, animi deliquium minatur, & syncopen interim, ac mortem: quamuis naturalem partum sequatur: vt in reliquis accidit immoderatis profusionibus sanguinis. Profluuia sanguinis ab vtero, quanquam non profusione ipsa periculosa, at certè ob diuturnitatem non sine periculo. In fluxu muliebri, si conuulsio & animi defectus obuenerit, malum. Si menses plures fiunt, accidūt morbi: & si non fiant, ex vtero morbi contingunt. Si propter vlcus aut erosionem fiat immodicus sanguinis fluxus, vel difficulter, vel non curatur propter humorum circa vterum collectorum malam complexionem, id est, vnde continuo quasi menses fluunt, vulneraque & vlcera maxima cum difficultate sanantur. quia semper habent multas superfluitates sanguine mixtas, & propterea frustrà medicamenta offeruntur. In curandi methodo, aēt deli-

Prognostica.

Curatio.

gatur

gatur temperatus, aut parum ad siccum frigidumque vergens. Motus & exercitium caueatur, & quies iniungatur. Brachia tamen earum fricentur. Animi affectus immodici vitentur, ira præsertim. Cibus sit quantitate moderatus, vel paucus, si vires ferant, actu & potestate frigidus, si stomachus ferat, exiccans, astringens, succi boni. Micæ panis è posca: oryza itidem è posca, ouum sorbile, molle, frigidum. Carnes sint sylvestres potius, quàm domesticæ: assæ potiùs, quàm elixæ, vt phasianorum, perdicum, columbarum, merularum, turdorum, passerculorum, aliarumque auium, & inter quadrupedes cuniculorum, capreolorum. Si elixis vtantur, in earum iure polygoni, plantaginis, oxalidis folia decoquantur: aut fructus astringentes, vt citonia, struthia, pyra, sorba, mespila & huiusmodi. Vinum pro potu vitetur. Eius loco sit aqua in qua ferrum sæpius extinctum sit, aut in aqua oxalidis, polygoni, plantaginis, aut oxalidis folia decoquantur, aut myrti fructus. Aut ipsa posca vtendum, eáque tepida, non frigida. Aut iulep rosatum offeratur cum aqua cocta & chalybeata. Somnus sit temperatus. Ægra iaceat in lecto supina, cruribus sine dolore eleuatis, & thorace magis depresso. Quod ad reliquam curationem, artus & partes extremæ potissimùm superiores constringantur. Quanquam & inguina vinculis excipi possunt, Paulo & Aëtio testibus. Cucurbitulæ magnæ sub mammis apponantur. Et vt sistas, primùm aduerte causam immoderati fluxus: linteolo excipiatur sanguis. Rubentibus itaque menstruis, & si erit abundantia sanguinis, cæteraque non repugnarint, venæ sectio fiat in cubito, reuulsionis gratia, præsertim venæ interioris, & exigua sanguinis quantitas auferatur, ac si opus erit, iteretur. Atque hæc profluuio à quauis causa quadrare possunt. At si ob apertionem sanguinis profluat, per ea quæ obturant curare oportet: si ex eorundem vasorum ruptura, quæ conglutinant adhibenda. Obturant autem osculum dilatatum astringentia. Glutinant ruptum eadem, & quæcunque ipsis in compositionem miscentur citra mordacitatem resiccantia, & glutinosum quoddam habentia: vt terra lemnia, sphragis, aster Samius; quæ ad omnem flu-

xum sanguinis iuuant. Dabis igitur in potu secundum veteres balaustium ex posca, aut hypocistidos, vel acaciæ succum, vel lycium. Item succum plantaginis, polygoni itidem ex posca: vel drachmam vnam cornu cerui vsti, & tantundem corallorum rubrorum, lapidisque hæmatitis scriptulum vnum. datur & drachma vna vel duæ radicis symphyti ex posca eadem. Vel nostro more propinatur syrupus rosarum, granatorum, myrtinus, citoniorum, cum aqua rosarum, plantaginis, acetosæ, portulacæ. Adduntur trochisci terræ sigillatæ, vel electri, vel è spodio à scriptulis duobus ad drachmam vnam, vel portio lapidis hæmatitis, coralli rubri, ferri scoriæ, tryphetæ Phænonis. Vel opiatæ & condita parantur ex conseruis rosarum, symphyti maioris, corneolorum, ex myrobalanis emblicis conditis, ex trochiscis de carabe, terra sigillata, bolo armenica, corallo vtroque, lapide hæmatite, cornucerui vsto. ex his (inquam) aut nonnullis cum aliquo syrupo vel saccharo fiunt opiatæ, vel condita. Vteri loca extrinsecus perfunduntur, seu fouentur ex dicta posca tepida, aut oleo rosato, vino pauco admixto.

Topica. Cataplasmata parantur ex hordei fabarumque farina, radice symphyti, foliis polygoni, plantaginis, acacia, alumine, hypocistide, gallis, ac similibus. A nostris vnguentum comitissæ, vel santalinum pauco addito aceto adhibetur, vel emplastrum contra rupturam, vel aliud ex Taurocolla in aceto soluta. Inspergitur & puluis astringens ex rosarum foliis & flore, malicorio, balaustijs, gallis, hypocistide, acacia, bolo armenio, sanguine draconis, & eiusmodi alijs. Extrinsecus etiam fiunt fotus ex decocto plantaginis, thapsi barbati, bursæ pastoris, caudæ equinæ, summitatum rubi, radicis symphyti maioris, malicorij, gallæ, balaustiorum, acaciæ, hypocistidos, ros. rubrarum, seminis citoniorum, sumach, & similium. Fiunt & insessus ex eodem decocto, vel ex foliis myrti, rosarum, plantaginis, polygoni, symphyti, virgultorum rubi, ac lentisci decocto. Balneum egressa, vngat renes & ventrem ab vmbilico ad pectinem, partemque posteriorem ei oppositã, & vtatur aliquo electario astringente: vel loco balnei, ipsius decocti fumum recipiat in vterum per

infundi-

infund bulum. Et quoties aluum non dejcit, ſumat drachmam vnam pilularum de bdellio. Peſſulorum quoque vſus non eſt contemnendus, qui ex foliis plantaginis, polygoni, ſymphyti radice contuſis, pauca addita manna thuris, hypociſtide, ac balauſtio, cum eiuſdem plantaginis ac polygoni ſucco conficiantur. Adijciatur interdum pulvis gallarum, ac aluminis ſciſſi, vel acaciæ, cum ouorum toſtorum lutcis, & quandoque cupreſſi folia, aut rubi, pariterque & cytini. Cùm vſus exigit, linteo ſerico aut lineo tenui excipiantur, & ad formam digiti humani redacti in roſaceum intingantur, ac ſubdantur. Suntque peſſuli penitus vſque ad vterum immittendi. Per metrenchytas etiam infunditur plantaginis, polygoni, ſeu ſolani ſuccus: ſimiliter acaciæ, hypociſtidos: vel decoctum in aqua pluuiali malicorij, gallarum, balauſtij, hypociſtidis, ac foliorum lentiſci cum polygoni ſeu plãtaginis ſucco, aut etiam acacia. Tibiæ ad genua vſq; contineãtur in decocto aſtringente. Galenus profluuium ſanguinis ex vtero quaternis diebus iam profluens, cùm nullo alio ſiſti potuiſſet remedio, plantaginis ſucco vtens prorſus ſanauit. Quanquam id medicamentum ad ea quæ ex eroſione excitantur, ſanguinis profluuia, ſit vtiliſſimum. Eidem ſucco addi poteſt bolus armenius vel ſanguis draconis. Si hæc non ſufficiãt, Philonij, vel Athanaſiæ drachma vna, cum aqua plantaginis ſumpta, ſanguinem moueri ineptiorem facit. Sed viribus validis adhuc detur, ne calor natiuus imbecillis extinguatur. Peſſi cauſtici fugiendi ſunt, niſi vlcera ſint depaſcentia: tunc leuiora tententur, vt paſtillus Paſionis aqua plantaginis ſolutus. Sed vt ad eroſionem veniamus, ea magna ex parte in ceruice vteri cõtingere ſolet: diſcerniturq; per excretam ſaniem, ſi fuerit profunda. Si circa os ceruicis conſtiterit, non ſolùm per hanc, ſed per tactum quoque cognoſci poteſt. Vlceratio vbi adhuc fiat, ſeu augeatur, propter redundantes in toto corpore vitioſos ſuccos, ij priùs apparati purgentur. Qua de re ſi bilioſi fuerint, detur ſyrupus ex infuſione roſarum, ſyrupus myrtinus, ſyrupus citoniorum, acetoſus ſimplex, oxyſaccharum ſimplex cum aquis plantaginis, polygoni, oxalidis. Detur & medicamentum ex myrobalanis citrinis, in a-

Curatio ſi ex eroſione proueniat menſium profluuium.

qua plantaginis & oxalidis, & rhabarbari drachma vna vel scriptulis quatuor. Si salsa pituita, syrupus è corticibus citri, mel rosaceum, cum syrupo myrtino, vel ex absinthio, & medicamentum sit ex corticibus myrobalanorum Kebularum drachmæ quatuor, agarici trochiscati drachma vna vel scriptula quatuor. fiat decoctum in aqua plantaginis, in quo vnciæ duæ syrupi ex infusione rosarum dissoluantur, & exhibeantur. Intus sumenda incrassantia, & acrimoniam sanguinis obtundentia: vt syrupus de papauere, iuiubinus cum pauca quantitate syrupi de rosis siccis: album oui fortiter agitatum & calfactum per se assumptum, vel cum puluere gummi tragacanthi, vel arabici: mucago seminis citoniorum dissoluta in aqua plantaginis. Erosio verò per renutritionem erosorum curatur, quæ fit per cibos boni succi, & medicamenta sarcotica, hoc est carnem gignentia. Iniectiones atque pessaria ex rebus stypticis cõposita, multum hîc momenti habent, eo quòd citius ad locum affectum perueniant quàm ea quæ per os sumuntur. Gossipium alicubi materiæ conuenienti immergatur, tenuiq; integatur panno, eamq; longitudinem habeat, vt ad ostium vteri perueniat. Fiat igitur clyster vterinus primò ex succo plantaginis, & si sordes adsint, ex succo apij, vel prasij, vel brassicæ cum melle, ex aqua hordei cum melle, ex lacte si dolor fuerit. Vrgente ardore & dolore, addemus folia hyoscyami & papaueris alijs exiccantibus & detergentibus medicamẽtis. Sæpe tamen nedum iniectus plantaginis succus huiusmodi profluuium supprimere valet, verùm etiam fortiùs medicamentum admiscendum erit, aliâs aliud pro affectionis respectu, vt si vas magnum & amplum fuerit, austeris medicamentis opus erit, vt balaustio, acacia, hypocistide, gallis, malicorio & alijs. Si paruum, conferent aloë, manna thuris, cortex pinus, terra lemnia, lapis hæmatites, quæ nedum eum succo plantaginis, verùm etiam vino austero nigro & senecionis succo subdita, & iniecta conferunt. In summa, quæ mediocriter & sine morsu detergent, purgant, atque exiccant, commoda sunt, vt quæ sunt sarcotica. Ab ijs collectica seu glutinantia differunt, quæ plus siccant, nec detergent, & quodammodo astringunt. Pars igitur affecta

leui-

leuiter detergenda est: deinde emplastica frigida quibusdam astringentibus admixta sunt adhibenda, quæ albumine oui excipiuntur. Stercus porci, addito puluere rosarum contra fœtorem, ad formam cataplasmatis redactum imponitur. Cinis etiam testæ ouorum tenuissimè tritæ exiccando, sanguinis fluxum impedit à quacunque causa. Si per diapedesin fluat sanguis ob tenuitatem vel copiam seri, purgetur brassica marina, sena orientali, decocto fumariæ, succo rosarum, & similibus. Saccharum rosaceum antiquum conuenit cum puluere boli armenici: pastillorum de spodio drachma vna cum aqua plantaginis: lapidis hæmatitis drachma vna in decocto rosarũ rubrarum, aut balaustiorum. Quando syncope accidit sanguine in veteri capacitate grumescente, qui veneni induit naturam, propter vapores tetros ab eo in cor sublatos, vtendum ijs quæ vires recreant, & grumum sanguinis dissoluũt. Quare potiones cardiacæ instituantur, & boli, quibus aliquid coaguli leporis misceatur. Si ab vlcere aliquo interno depascente fiat, mundetur cum aqua mellis. hinc cum thure albo, terra sigillata, aliisque sanetur. Si propter rupturam alicuius vasis fit, cum vino rubello astringente glutinantia injciantur, & subdentur purgato prius corpore. Præstantissima sunt succus plantaginis, bursæ pastoris, tam sumptus quàm injectus, quibus nonnihil gummi arabici & tragacanthi misceatur.

De fluore muliebri.

CAPVT L.

POTE γυναικεῖος Græcis dictus, Latinis fluor muliebris, seu profluuium muliebre appellatur, quasi mulieribus proprium ac peculiare: vulgus menstrua alba nominat, vel fluorem album, quanquam varius sit. Est autem hic fluor vniuersi corporis perverum expurgatio, vel veteri diutina destillatio. Qui fluor à mensium profluuio discrepat, quòd non purus ac syncerus sanguis, sed corruptum quid prodeat, idque continenter, aut certè nullo ordine, nulloque circuitu. Quibusdam enim fluunt huiusmodi excrementa quotidie: alijs post mensium purgationem,

Fluor vteri quid.

nonnullis inter duas purgationes tantùm. Et omnino hæc purgatio serosa est, vt interdum referat bilis serum, quandoque velut ichor est pituitæ, & frequentius quàm sanguinis, melãcholici succi ratiùs, & si ab eo excitabitur, fit cancer. Proinde id excrementum modò citrinum aut pallidum, adeò acre ferè & adurens, vt quascunque partes attigerit, erodat, aut leuiter exulceret: modò liquidum & albicans est, lactis sero aut ptisanæ cremori simile. Atque id rursùm modò tetrum est & graueolens, modò odore nullo molestum. Cùm autem vterus ipse in hac affectione minimè laboret semper, licet per eum corpus expurgetur, vt aliquando solet per renes, vel per aluum, non alicuius corporis partis determinatæ affectio dicetur, nisi proprio vteri vitio fiat. Quanquam & ipsa symptoma sit in genere excretorum immodicè, præsertim in qualitate. Vitiosum enim est quod expurgatur. Generatur autem ex Galeni decreto libro de differentijs symptomatum, vel ex complectendi functione imbecilla, vel expultrice immodicè concitata, vel ambabus simul læsis, vel quòd totus sanguis tenuis serosusque existit. Sanguis verò talis fit, vel ex sanguificæ facultatis operis frustratione, vel eius quæ tenue ac serosum separat seu excernit, quæ quod serosum est in sanguine vniuersum non expellit. Incidere etiam potest aliquando ex retentrice ipsa opus suum immodicè vrgente, seu aquosum sanguinem retinente, & cute inspissata, dum per eam sudor elici non potest: & renibus occlusis, adeò vt quod in sanguine serosum est, attrahere nequeant. Recentiores autem causam quæ corruptum humorem assiduè gignit, aliàs in vtero, aliàs in toto corpore, vel partibus principibus consistere aiunt. Quum enim mulieribus viscera refrigerata, vel obstructa, vel scirrho dura, cruditates, malum habitum ac leucophlegmatiam inuexerunt, corruptus humor in varias partes effusus, sæpe in vterum procumbit, & illac decurrens corpus expurgat. Ita causam referunt in malorum humorum redundantiam in toto corpore. Altera causa est ex vtero longè quidem rarior, eaque vel intemperies ferè frigida, vel imbecillitas ab vteri gestatione, à partu, à contusione, ab alia causa externa contracta; vel erosio, vel vlceratio ex inflammatione, aut ex

Pars affecta.

Affectus.

Causa.

aut ex abscessu derelicta. Iis causis oblæsus vterus, & alimentum malè conficiens, excrementa gignit, quæ foras elabuntur, & excidũt. Cùm igitur ab vtero vitium est, perinde est ac si vlceratio esset. differt tamen ab vlcere, quia quas vlcus infestat, pus reddunt crassius, fœtidius, albius. Vlcus irritatur coitu: quæ tales menses patiuntur, nullam sentiunt molestiam in coitu. Maior copia seri & substantiæ, quàm puris emittitur. Præterea ex toto corpore accedit per interualla. In fluore muliebri loci continuè madent humoribus colore variantibus, & vbi iusto plus fluor perseuerat, laborans decolor est, cibum non sentit, eumq; fastidit, in obambulatione difficulter spirat, oculos habet prætumidos, nunc cum dolore, nunc citra illum, aut cum exulceratione, aut sine illa; vlceratione (inquam) inflammata, aut sordida, aut pura. Corpus extenuatur, nisi aqua inter cutem succedat. Ea excrementa cùm retinentur, dolor in lumbis & spatulis sentitur. Infert & hic fluor inenarrabilem tristitiam, & pedum tumorem. In aliquibus perpetua est distillatio: in alijs per interualla redit. Cognoscitur cuius humoris ichor sit à colore, vt dictum est. Si purus est & rubeus sanguis, qualis è dissecta vena, vteri erosionẽ indicabit: nec tale profluuium muliebre appellari debet. Sed si à sanguine seroso fiũt tales purgationes, nempe cùm mulieres vtero gerunt, vel suppressi sunt menses, tũc quod loco mensium redditur serosum excrementum, vtrunque rubescit, & tale est qualis esset aqua pauco sanguine tincta. Si à bile est fluor, color est flauus, subpallidus, humor acris: quam acrimoniam mulieres sentiunt potissimùm in parte externæ proxima, & pterygijs. Color totius bile redundare videtur, maximè quando per consensum totius fit: quod ex moribus & victus ratione etiam deprehenditur. Nam quæ acribus vescuntur alimentis, & quæ natura sunt negotiosæ, hanc affectionem patiuntur. Si est à pituita, vt magna ex parte accidit, aut si serosus est. qui est pituitæ soboles, color totius corporis albidus est, & magna quantitas defluit, sed minùs acris. Sunt otiosæ & desides, quæ hoc affectu laborant. Si corpus est plenum sanguine atro, purgatio fusca erit. Scrutabimur autem hosce colores, si linteola in ipsis madefacta soli exiccanda exponemus. Color

Discrimen inter fluorẽ muliebrem & vlcerationem vteri.

Signa.

enim inde patebit. Cognoscitur hic fluor fieri vitio vteri, (quod tamen rarum est) si reliquæ partes bene habeant, & præcesserit retentio mensium, vel immodica purgatio, vel alia vteri affectio. Si discernere velis num sanguificæ virtutis vitio fiat, vel eius quæ seposum & tenue separat seu excernit, consule ea quæ capite de hepatica affectione, aut de renum affectibus conscripta sunt. Inspissatam cutem ex te ipso cognosces, neque magno labore retentricis aut expultricis facultatis læsionem percipies. Si muliebri profluuio conuulsio vel animi defectio superueniat, malum. Ætate vigentes rubra fluxio infestat: declinante ætate, alba: Et vtraque si suæ ætati acciderit, facilè curatur; si alienæ, d fficulter. In omni fluxu muliebri os vteri aperitur, & velut relaxatur. Quibusdam etiam vterus ipse procidit: vt vsque ad pudendum muliebre prolabatur. Diligenter hæc affectio curanda est, neque localibus remedijs confestim reprimendus est fluor. Nam aliquæ in hydropem, aliquæ in neruorum affectiones, aut oris ventris, aut capitis vexationes collapsæ sunt. Cæterùm hæc eadem affectio ægrè curatur, quia pars illa recipit excrementa aliquatum partium ob situm inferiorem, & multitudinem venarum, & propter consuetam naturalem purgationem. Post eiusmodi purgationes fiunt vlcera in vtero rodentia & virulenta, à biliosa: putrida & sordida, à pituitosa materia: carcinomata, à melancholica. Menstrua alba dicta puellis etiam eueniunt, & magis si cibo vtantur humidiori. Hæc incrementum corporis impediunt & extenuant. In eandem sententiam scribunt alij hunc affectum non ætate maturas tantùm, verùm etiam virgunculas afficere: quas pallor decoloratus inuadit: quo etiam puellam octauo ætatis anno aiunt se vidisse, ac diu postea grauiterq; afflictam esse. In curando, cùm affectus maximè sit humidus, toti corpori conferunt quæ citra immodicum calorem exiccant. Proinde transfert Galenus vniuersam victus rationem ad duo: ad potus paucitatem, & corporis frictionem ex melle solo multùm cocto, sed refrigerato, post fricationem corpore peruncto. Itaque victus ratione astrictoria, & ad siccum vergente, nec nõ aliquatenus crassefaciente vtemur: Imò magis vel minùs exiccantibus ac astringentibus cibis pro di-

Prognosti ca.

Victus ratio.

pro diuerso humore redundante, vel calidis aut frigidis magis. Carnes sint gallinarum, perdicum, turturum, aues montanæ, agrestia animalia. Potus sit aqua anisi, aut in virium defectu vinum crassum & astringens, seu austerum. Abstineant ab humidis, vt iusculis, & ab ijs quæ humorem & serum generant. Frictionibus brachiorum & superiorũ partium vtantur, atque quiete. Si mulier rubro fluore vexatur, primùm ei sanguis per venæ sectionem vacuetur, nisi quid obstiterit: idque partitis vicibus, vt in his qui sanguinem reijciunt. Vena cubiti secetur, quę non solùm materiam ad vterum fluentem diuertit, sed muliebris fluoris detentionem, aut constrictionem tutam efficit. A sectione venæ lumbis & inguinibus mollia lintea imponantur frigidis succis imbuta. Locetur mulier coxis acclinibus, cruraque extendat ac inter se complicet, ad vteri partes contrahendas. Ac si copiosè sanguis feratur, coxæ, pecten, lumbi spongijs posca madefactis intingantur. Si modicè destillat, lana succida vino & rosaceo imbuta adhibeatur, & extremæ partes deligentur. Hæc fiant in principio, & post circuitus: ante exacerbationem, & in ipsa exacerbatione. Commodæ etiam sunt potiones sanguinem reiectantibus vtiles. Reliqui vitiosi succi redundantes siue biliosi, siue pituitosi aut serosi fuerint, quàm primùm expurgandi, diuertendi, atque deriuandi sunt. Sic & Galenus Boëthi vxorem primò medicamento purgante curauit: secundo loco diureticis: tertio his quæ per cutem euocabant. Itaque si bilis flaua redundabit, hiera cum rhabarbaro, myrobalanorum decocto, ac syrupo ex pluribus infusionibus rosarum purgabitur. Sin fluor erit pituitosus, nedum hiera, agarico, myrobalanis, sed & insignioribus phlegmagogis vacuabitur, vt catapotijs ex sagapeno, fœtidis: ac priùs exhibebuntur quæ pituitam parant, vt aqua mulsa, & huiusmodi: quemadmodum & seroso humore abundante, ex hiera & agarico catapotia dabuntur, vel potio ex decocto myrobalanorum Kebulorum cum syrupo ex infusione rosarum. Postea vretica propriè dicta exhibeantur, quæ solas mouent vrinas: quęque non modò sanguinem extenuant, sed fundunt, ac secernunt, non secus atque lac quod coagulatur à valido calore, seroso & tenui

Medendi ratio.

seorsum segregato, crasso verò in sese coeunte. Fusio ac segregatio conferunt, vt renes facilè attrahant quod in sanguine aqueum ac tenue est: qualia sunt quæ solas mouent vrinas absq; eo, quòd menses aut lac moueant. Eadem renes occlusos liberant, si id quoq; talis muliebris profluuij causa fuerit. Nec minùs humor per frictiones foras euocandus est. Atq; feliciter decoctum sarzæ parillæ, vel radicis chinę, vel ligni sancti imperatur. Si ex cute inspissata talis affectio erit, ijsdem frictionib. ratefiet, quę primò mollibus linteis, & demum asperis faciendæ sunt. Hæc enim omnia fluxionem auertunt. Vbi hæc non suffecerint, & muliebre profluuiũ perseuerarit, exhibeantur dicta cap. de profluuio mensium: & potissimùm eligantur quæ non admodum efficacia sunt, vt balaustium, rubi fructus, flos, equisetum potum ex aqua & vino. Similiter Samius aster, terra lemnia, coagulum leporis, hœdi, ouis, vituli, aut cerui. Vua etiam immatura, piceæ cortex & myrti, pæoniæ grana quindecim assiduè pota, aut corallorum ʒj. è vino nigro. Et si cum dolore deferatur, asininũ lac (quiuis fuerit succus) præstat. Confert & stercoris eiusdem asinę succus: similiter & alicæ aut ptisanæ succus, & rosaceum vel per se, vel cum lacte infusum. Ac ne ab humore transeunte vlcus excitetur, sanies profluens assidua aqua calida eluatur, & ipsis locis moderatè astringentia adhibeantur, quæ simul abstergant. Deinceps rosaceum, melinum, aut myrteum oleum illinatur, & aqua etiam pura, alicæ etiam, & oryzæ succus infundatur. Iuxta neotericos huic fluori inter initia non resistendum expurgante se corpore, sed vbi perseuerat, & corpus sentit noxam, toti corpori prouidendum. Et post purgationem vterum abluere oportet decocto hordei aut lentiũ, cum pauco saccharo, vel melle. Deinde supra ventrem & renes ponenda sunt emplastra constringentia, vel remedia illa quæ ex bolo armenio, aliisq; sistentibus sanguinem, & resiccantib. componuntur. Et ne vterus recipiat, iniectioni oportet addere rosas siccas, vel syr. rosarum desiccis. A purgatione item laudatur balneũ naturale, sulphureum, & aluminosum, manè & vesperi per decem dies. Vel arte paratum, ex decocto foliorum lauri, origani, calamenti, pulegij, mentastri, sabinæ, artemisiæ, melissæ,

meliſſæ, nepithæ, betonicæ, ſampſuchi, radicis erythrodani, ruſci, cyperi, aſparagi, graminis, ſpicæ nardi, iunci odorati, ſeminis rutæ, dauci, aniſi, fœniculi, ſeſeleos. Vel prædicti decocti fumus recipitur per infundibulum. Toti corpori exiccantia auxilia ſunt admouenda, quandoquidem hoc malum humidum eſt. Quanquam etiam hæc videntur conferre, ſi morbus aliquis veteſt, vt eius immoderata refrigeratio. Fit & peſſulus ex artemiſia, ſabina, ſampſucho, diptamo, abſinthio, cortice olibani, & pauca colocynthide: ex quibus fiat puluis, qui mercurialis ſucco exceptus linteo inuoluatur, & immittatur. Quotidie mutetur. In declinatione, vt planè humor exiccetur, fiat peſſus ex acacia, balauſtijs, glandibus, mentha, olibano, ſpica nardi, quę excipiantur ſucco polygoni. Alij in fluxu pituitoſo tanquam frequentiori vtuntur opiata, quæ Recipit conſeruæ anthos, ſtœchados ana ʒ iij. conſeruæ acori ʒ j. pul. diathodon abbatis, aromatici roſ. diagalangæ ʒ ij. cornu cerui, coralli rubri vſti ana ʒ iſſ. conchularum vſtarū & lotarum in vino ʒ vj. cum ſyrupo conſeruationis corticis citri fiat opiata. Aut fiat puluis: ℔. cineris ſpongiæ priùs lotæ, raſuræ eboris & cornu cerui ana ʒ ij. roſarum rubrarū, corticis citri ana ʒ j. galangæ, cyperi ana ʒ ß. ſacchari roſati tabulati ʒ iij. vtuntur & fumigijs ex gallia moſchata, ſtypra, ladano, hypociſtide, nuce moſchata, caryophyllis, mucagine tragacanthi. Emplaſtris quoq; vt emplaſtro pro matrice, aliiſq; Syrupus ex roſis tranſmarinis vim maximam habere creditur ad ſiccandum fluorem eiuſmodi. Vtuntur & mulieres puluere roſarum albarum ad menſes albos vel pallidos cū vino aſtringente. Ex iiſdē roſis poteſt parari cōſerua. Interim dum hæc fiunt, parti quę hoc effluuiū fouet, conſulendū, hepati quidem remedijs cap. de affectibus hepatis explicatis. Si caput fuerit autor fluxionis, ei quoque prouidendū. Nam vt dyſenterię & diarrhœę fiunt à fluxione à capite, humore decumbente in inteſtina, ſic & mulieribus fit defluxus in vterū. Vbi hic fluxus ceſſauerit, à veloci ambulatione, à multis pectinis & lumborū frictionibus, ab acrium eſu & calfacientibus, à flatuoſis, ab his quæ vrinam prolectant, diu abſtinendum, & balneis rarò vtendū: neq; venter mouendus eſt, neq; ſpiritus retinendus. Hęc enim omnia malum reuocant.

De præfocatione seu strangulatu uteri.
CAPVT I.

ΥΣΤΕΡΙΚΗ πνιξ, ἡ ἄπνοια τῆς ὑστέρας Græcis dicta, Latinis præfocatio seu strangulatus uteri, vel spirationis ob uterum priuatio, nomen à parte læsa, & superueniente symptomate desumpsit. Est autem hæc præfocatio, uteri ad superiora recursus (quanquam & in latus retrahi queat) ob quem recursum fit respirationis defectus. Nam cùm in eo affectu uterus principalissimas partes in consortium perducat, uterúsque secundum omnes positionis differentias loco moueri possit, nisi tamen sursum feratur, suffocationem non inducit. Itaque & partes supernas respirationi inseruientes affici, & suffocationis causam ab utero sursum ferri oportet. Partes autem præcipuè sunt, cor, diaphragma, & cerebrum: ad quas affectionis noxa peruenit: nempe ad cor per arterias; ad cerebrum & diaphragma, per spinæ membranas & neruos. Quòd uterus primò ac præcipuè in hoc uitio afficiatur, omnes consentiũt, cùm solis uiduis, & ijs quibus menses supprimuntur, huiusmodi affectus eueniat. Quanquam dum retrahitur, uteri corpus non affici si quis dixerit, sed peruersione laborare, cùm aliàs aliorsum trahatur, non absurdum dicere videbitur. Si est cum uteri peruersione hic affectus, morbus est in situ & figura. Et in hac uteri strangulatione quæ cum eius peruersione fit, idem uterus frigida intemperie laborat, qua dumtaxat eum laborare asserimus, cum citra eiusdem peruersionẽ affectus hic excitatur. Licet oriri haudquaquam possit, quomodolibet generationẽ habeat, nisi intemperies hæc principibus partibus impertitur cordi, vel cerebro, seu utrique primùm, & deinceps ab eis uniuerso corpori, præsertim in prima eius differentia. Tres enim statuuntur differentiæ. Prima, cùm sine sensu & motu iacent, cum obscuro paruoque pulsu: nonnunquam sine ullo, sed cum insensibili transpiratu. Altera, cùm sentiũt quidem & mouentur, integraque sunt ratione, cæterùm animi defectione & difficili respiratione laborant. Tertia, in qua cum his brachia & crura contrahuntur. Uterus igitur intemperie frigida afficitur. Quapropter & hic morbus fla-

Uteri præfocatio quid.

Pars affecta.

Quis affectus.

bus flatuosa perfrigeratio dicta est: quibusdam syncope frigida. Quantum ad suffocationem ipsam, symptoma est actionis læsæ virtutis cordis propter morbum intemperaturæ frigidæ eiusdem. Interim autem simul cum intemperie malè situatus seu figuratus est uterus, vt diximus, pro magnitudine & diuersitate causarum, ex quibus oritur. Sursum autem ascendit uterus, vel quia inflatur, & intumescit, vel quia plenis venis quæ ad ipsum pertinent, reuellitur. In qua passione quasi sine sensu & motu, quasi mortuę iacent, in eaque nihil est quod respirationem intercipiat: sed inflatus uterus primùm intestina, dein mutuo cõtactu ventriculum & diaphragma comprimit, adeò vt dilatari nequeant. Causæ autem duę statuuntur, retenta menstrua, & semen cohibitum. Sed fortasse magis à semine retento contingit, vt pote magnam vim obtinente: quippe quod est in mulieribus humidius ac frigidius. Semen enim in utero paulatim coaceruatũ, aut etiam sanguis menstruus, vitioli redduntur, ac perfrigerantur. Neque tantùm menstruus sanguis, vel conclusum semen, sed alius quiuis humor in hanc venenatam malignitatem corrumpitur. Imò sunt qui vix putent duntaxat, vel à menstruo, vel à semine suscitari, cùm & eas quæ bene purgentur, & uterũ gestent, & viri consuetudine fruantur, plerunque fatiget: quumq; multas eodem cœnobio degere videamus, quæ diu consuetum veneris vsum intermiserunt, nullo hysterico symptomate. Quare quiuis humor hoc modo corruptus eius generis vaporem ex loci natura venenatum expirat: vnde mira illius & summa veneni pernicies exoritur. Hinc fit, vt tametsi viris diu suppressæ sint hæmorrhoides, aut veneris vsus sit intermissus, nulla tamen hysterici similia symptomata contingant. Est ergo causa mali uterus humore aliquo, aut semine vitioso, aut putri, acri, mordaci, vel frigido aliquo vapore nobiles partes offendens. Et materia prout per vias manifestas vel cæcas ad partes superiores rapitur, varia edit symptomata pro diuersa eius in diuersas partes actione: vt si diaphragma vel cor percellit, apnœam & asphyxiam parit. Si in neruosum genus & meninges, conuulsionem: Si in cerebrũ, deliria, multaq; alia symptomata grauissima quasi à veneno in nobis genito inducit. Sym-

Causa.

promata autem hæc etsi quandoque ob partiũ principuũ læsas functiones accidant, ad vterum tamen cui per neruos, arterias, & venas consentiunt, primariò referri debẽt, si easdem partes principes noxa cætere deprehenderimus.

Signa. Cùm itaque accessio propinqua est, comitatur sic affectas torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, pallida facies, tristis quidam aspectus. Instante strangulatione sopor grauis ac profundus, mentis ac sensuum apprehensio cum vocis interceptione, pulsus parui ac debiles fiunt, & aliquãdo penitus intercipiuntur: quibusdam neq; sensibilis respiratio permanet. Vel iuxta alios, incipit esse difficilis spiritus, crebet, ac breuis, idemq; pòst paulùm ita arctatur, vt veluti vinculo præstrictæ fauces videantur. Aliquæ alijs integris actionibus manentibus magnam habent respirationem. Stomachi etiam dolore vexantur, & saliuam vomunt, si in stomacho aut capite humiditas sita est. Interdũ etiam sic exanimat affectio, vt tanquam comitiali morbo prosternat. Inclinante accessione corpus firmari incipit, malæ rubescunt, oculi post multam grauitatem attolluntur: & vbi malum ægram relicturum est, humiditas quædam ex locis muliebribus excurrens tactu percipitur, & intestina murmurant, ac ipse vterus paulatim laxatur: ac sic exurgens ægra, intellectum & sensum recipit. Obstetrices quoq; seu medicæ, quæ ipsas accuratè tetigerunt, fatentur circa vterum notas quasdam apparere. Nam ceruix eius inclinata videtur: interdum quidem veluti sursum retractus sit totus vterus, interdum verò veluti ad latus trahatur. Nam simul cum vtero ceruicem quoque ipsius retrahi necesse est. Hæc & alij addiderunt. In præfocatione vteri quædam rident, deinde incidunt in delirium, mox in lachrymas prorumpunt, postremò tanquam mortuæ collabuntur. Aliæ initio lachrymantur, turbantur mente, & postea rident. Quidam inter iuniores præfocationis vteri symptomata iam tacta depinxerunt & fusiùs, & clariùs. Quum leuis & exigua est mali causa (inquiunt) ex vtero sublatus vapor viscera ventriculumque feriens, nauseam quandam mouet, cui ratò succedit vomitio: sæpe tædium & cibi fastidium, interdũ cum murmure ventrisq; rugitu, interdum citra hæc. Quum vapor in diaphragma, thoracisque

essque partes effertur, respirationem breuem crebramque tanquam compresso pectore facit. Simul cor obsidens, leuem interdum animi defectionem inducit: qua tamen vix pulsus immutatur. Metus hinc atq; desperatio, ac plerunq; vt mox se interituram putet. Malum altiùs in fauces inuadens, eas quasi vinculo constringere, aut manu præcludere videtur, prorsusq; spiritum intercipere, magno suffocationis metu. Vbi cerebri arcem conscenderit, aliàs furorem vterinum, cum garrulitate, iracũdia, inquietudine mouet, aut alia desipientiæ genera, metus horroresq; plena: aliàs quasi vaporem ac soporem inducit, quo mulier corruens velut attonita iacet, sine motu, sine sensu, respiratione adeò parua & rara, vt interdum nulla esse credatur, tanquam ipsa iam mortua extinctaque sit. Pulsus tamen nihilominus constat, validusq; est, interdũ obscurus, paruusq; vt ne percipi quidem possit. Audiunt quidem & vident, sed loqui nõ possunt, quia materia non mittitur sufficiens voci: aër scilicet qui respiratione trahitur, & reijcitur expiratione, ob dilatationem & compressionem thoracis. Quibus verò signis præfocatio hæc distat à cognatis affectibus, ita cognoscitur. In syncope & animi defectu pulsus cessat. In suffocatione vteri pulsus remanet, sed exiguus est, rarus, & languidus. In syncope sudor frigidus apparet, & color pallidus admodum, similis coloris mortui. In præfocatione minùs pallidæ redduntur. Vultus tumet, ac rubet. Fit suffocatio ob gratos odores naribus attractos, & his suffocantur mulieres, nisi parte inferiore adhibeantur. Differũt & hystericæ ab Apoplecticis, quòd partes resolutas non habeant, neque sensum amiserunt: quanuis obtusum habeant. Nam cùm pili extrahuntur, vel punguntur, sentiũt, & manu adhibita circa collum indicant se suffocari: quod in Apoplexia non fit. In Apoplexia etiam stertor est, qui in vteri strangulatu nullus est. Cum Epilepsia conuenit & hæc præfocatio, ab illa tamen differt, quòd partes nõ conuelluntur, neque oculi vertuntur, nec nerui distenduntur nisi in admodum grauiter affectis, velut in tertia differentia dictum est: & nisi quando suffocatio vteri Epilepsiam facit. Tunc enim conuelluntur, & quandoque post accessionem insaniunt, videturque potiùs

Discrimen inter præfocationem vteri, & alios affectus quodammodo similes.

mania per consensum uteri, vel melancholia. Praeterea in Epilepsia spuma circa os est, quae in solo strangulatu uteri non adest. Interdum nõ ignorandum hunc morbum non tantùm ob uteri retractionem fieri, vitioso scilicet humore in eis vasis collecto: sed saepe ob stomachi repletionem utero affectum communicari. Interdum & iocinoris lienisue causa, vasa quibus uterus suspenditur, retrahuntur. Sed cùm in hystericis spiratio interdum intercipiatur, dubium esse potest quo pacto viuant, si non spirent. Exiguus calor in hystericis arteriarum cordisque officio conseruari potest, quae actio transpiratio dicitur. Et quanuis respiratio quae fit ab ore & naribus, abolita fuerit, tamen ad vitam sufficit dicta transpiratio. Corpus enim hystericarum refrigeratur, quia semẽ & sanguis menstruus vitiosi reddunt ac refrigerantur, quibus refrigeratis uterus taliter afficitur, à quo demum ad cerebrum & cor frigiditas transmittitur, vel tenui quadam substãtia, veluti aura ab excrementis ad iam dictas partes principes ascendente: vel continuitate partium traducta alteratione per quandam veluti diffusionẽ, medijs corporibus, cum quibus uterus praedictis partibus communicat. Sanè ex minima humorum mole tanta consequuntur symptomata. Atque vt Phalangij ictu aut morsu canis rabie correpti corpus variè afficitur, & prauus humor in digito pedis Comitialem excitat consentiente cerebro, sic vniuersum corpus simul alteratur, & grauia symptomata, eorumque species oriuntur variae, pro multitudinis qualitatisue ratione cùm menstruorum, tum seminis. Nam vbi crassa vel acris eorum natura fuerit, conuulsiones: si atrae bilis naturam habuerint, inducere possunt moestitiam, quemadmodum & animi defectiones ad fortes extensiones, & refrigerationes, & stomachi aestuationem sequi consueuerunt. Haec enim affectio oritur utero perfrigerato dum menses prodeunt, vel propter aborsum, vel sanguinis eruptione ab utero ab aliquo repentè suppressa. Mulieri quae uterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio bonum est. Deterior est suffocatio ex semine orta, quàm ex suppressis mensibus. Periculosa est in qua tum spiratio, tum pulsus abolentur, quia nonnullae ex eis pereunt, licet quaedam etiam

Prognostica.

seruatae

seruatæ viſæ ſint. Accidit hoc malum omni tempore, ſed hyeme vel autumno magis, iunioribus præſertim, ſalacibus, ſterilibus, præſertim ſi vi medicamentorum tales factæ fuerint, non autem ab ætate. Affectus hic vbi inuadere aſſueuerit, comitialis modo diuturnus, & per circuitum repetens efficitur. Singulis tamen acceſſionibus præceps periculum infert: vt non ſolùm eadem die, ſed & intra paucas horas interimat. Lethalis eſt, vbi ſummum corpus frigido ſudore imbuitur: poſt quem ſyncope incumbit, & mors. Minùs graue vitium, in quo cætera adſunt omnia, ſolo illæſo ſpiritu. Eo rurſum minùs graue, in quo ſenſus motúſque non tantùm ſpiratio integritatem habet, cætera aſſunt. Multæ à malo hoc ſe recolligunt. Nonnullæ in ipſis acceſſionibus ſubitò, aut paucis poſt horis moriuntur, vbi pulſus crebriores & inordinati fuerint; deinde in totũ abolentur: poſtremò frigidus ſudor faciem irrorat: de quibus paulò antè. Curatio demum ſic inſtituenda eſt. Acceſſionis tempore, ac etiam vbi eadem conquieuerit, cibum nullum aut paucum præbere oportet. Ægra ipſa ceruice ac ſcapulis accliuibus collocetur: femoribus ac inguinibus decliuib. Vacuatio enim procurari debet eius quod commodè vacuari non poteſt, niſi vterus ipſe ad naturalem ſitum redeat, ita vt ceruix eius recta incliner. Extremæ partes deligentur ac fricentur, crura præſertim ac pedes, idq; ex ſale, aceto, & ſimilibus. Eaque ſunt facienda, quibus animo deficientes recuperamus. Inguinibus & coxis cucurbitulæ imponantur. Naribus ea quæ fœtidum odorem habent, vteris autem odorata admoueantur: aut quæ laxare & calefacere poſſunt medicamenta. Vtendum ijs quæ ſpiritum vitalem ac animalem moueant, vterum deorſum compellant, & in eo ſi qua materia corrupta contineatur, excludant. Indatur ergo naribus caſtoreum, ſagapenum, galbanum, ſingula ex aceto trita ac naribus illita: aut acetum acerrimum calfactum, in quo calamentum, thymus, & alia huiuſmodi acria incocta fuerint. Hæc craſſos cerebri vapores attenuare poſſunt, aut frigiditatem propellere. Et inſpirata thoracem ac pulmonem expurgant, & ſtomachum roborant. Suffiantur & nares ſulphure, funiculo lucernario recens extincto, aut pennis auium vſtis, præſer-

Tempore acceſſionis curatio.

tim perdicum, ſoleis antiquis, cæparum & alliorum corticibus, capillis proprijs exuſtis. Quidam etiam matulam vrinariam inueteratam, pannos ſulphureos incenſos naribus apponunt, vel ſinapi tritum cum aceto, aut rutam viridem contritam: aut eadem cum melle excepta indatur. Sternutationes etiam excitentur caſtoreo aut pipere naribus per ſpecillum admoto. Vellicandæ nares, & aures, & maximè pili, qui pudendis adnaſcuntur. Os ægræ aperiatur. Medius digitus ad vomitum proliciendum intromittatur. Mulier ſuper omnia magnis vociferationibus excitetur. Vterum infernè per pudendum ſuffias, ſtyrace, belzuino, cinnamomo, ligno aloës, ſantalis, macere, caryophyllis, zibetha, moſcho, alypta, aut gallia moſchata. Illinantur & intra pudendum quæ laxandi, calfaciendi, diſſoluendi vim habeant, vt oleum muſcatelinum, irinum, nardinum, rutaceum, aut in quo cyminum, vel aniſum decoctum fuerit. Dein obſtetrix ea digitis excepta vſque ad os vteri immittat, ac leuiter & diu confricet, vt hinc irritatus craſſus humor prouocetur, ac calfactus excernatur. Inguinibus & infra vmbilicum ſacculos herbarum calidarum admoue ex pulegio, amaraco, chamæmelo, meliloto, caryophyllis, & ſtyrace plenos. Caſtoreum, euphorbium naribus inſufflentur. Peſſi etiam parentur ex his quæ vim habent calfaciendi, laxandi, & flatus diſcutiendi, quorũ formulæ capite de menſium ſuppreſſione traditæ ſunt: niſi quòd odorata quædam injicere poteris, vt lignum aloes, caſiam, cinnamomum, moſchum, ambrã, & Zibeth. Terreſtris teſtudinis hepar tritum in peſſo ſubdito. Hoc etiam tempore in ſedem glandes indantur ex ruta, cumino, agarico, ſale gemma, hiera, ac melle præparatæ: aut ex cymino, ruta, & caricis. Proderit & clyſteribus ſtercus ſubducere. Vnctionibus item & alijs quæ flatus diſcutiunt, vtendum, quæ capite de coli dolore præſcripta ſunt. Præcordia faſcijs vinciantur, & diſtentis manib. os vteri cõprimatur: illinanturq; imus venter, ac inguina, & faccelli in ijſdem locis adhibeantur. Inſeſſiones quoq; parentur in decoctis baccarum & foliorum lauri, pulegij, calaminthæ, marrubij, artemiſiæ, conyzę, ſauinę, centaurij, dictamni, ſampſuchi, fœnugræci, althææ, chamæmeli, ariſtolochiæ, iridis, ſerpilli.

serpilli. Atq; in sessionum tempore, cerebri cura fit, rosaceo videlicet & aceto caput irrigetur. In aceto serpillũ & ruta, & interdum castoreũ decoquatur: ac narib. prædicta odoramenta assiduè adhibeantur, præsertim castoreum cum aceto. Post hæc ad castorei potionẽ transibimus: quod assiduè potum ab hoc morbo penitus liberat. dandumq; quotidie ʒj. pondere aliquando cum mulsa, quandoq; cum artemisiæ decocto. Prægnantibus si respiratio intercíderit, exterius quidem ad corporis temperaturã præsidia applicari possunt. Potiones autẽ & quæ vtero imponuntur aut infunduntur, penitus euitare oportet: sicut & clysteres, & sanguinis missionem. A singulis enim istorũ, abortiendi periculũ infertur. Cucurbitula cũ multa flamma regioni vteri applicatur ad flatus discutiendos, tum emplastrũ cæroneũ, vel ex galbano & assa fœtida apponitur ad formam scuti: & in parte acuta apponenda sunt aliquot grana moschi. Nam ita gratũ odorẽ inspirat in vterum. In medio etiã emplastrorum ex alto trahentiũ ponitur aliquid theriacæ aut mithridatij propter venenũ. Emplastrum verò pro matrice non conuenit, quia astringit, & materiã retinet. Vbi accessio conquieuerit, vt ab ea præseruetur ægra, aut si diuturnus affectus fuerit, plerunq; à venę sectione initium facimus, præcipuè si menstruę purgationes fuerint detentę. Secatur autẽ vena tali. Si est à semine corrupto, non secatur vena, ne hac phlebotome id in venas trahatur. Si adsit plethora, vena iecoraria inciditur. Si nigella est mulier, saterit malleoli venam aperire. Sin alba & mollis, scarificatu vel sanguisugis vteris. Si cum menssiũ suppressione crassi & frigidi succi redundabunt, præparẽtur, & purgentur hiera cũ agarico, pilulis fœtidis, de sagapeno: dein detur diatriõ pipereon, diospoliticõ, & diacalaminthes. Singulis aũt admisceantur quæ semẽ minuũt & abolẽt, vt viticis, rutę, cannabis semina, nymphææ radix, ac reliqua suprà cõmemorata. Castorei quoq; drachma vna datur modico anisi adiecto. Diambra, diamoschũ, mithridatiũ offerãtur. Balnea quoq; naturalia prosunt, post quæ vnctiones approximẽtur pectini, inguini, lumbis, ex oleo liliaceo, irino, rutaceo, nardino, viticis, rutæ semine, costo, casia, exiguaq; cæra paratæ. Multùm etiã cõferunt deambulationes, gestationes in

Præseruatio ab accessione.

curru,naui,iumento. A motu gestationis prodest vociferatio,lectio clara,modulata,ac concinna. Item vnctio,frictio,& exercitatio per congrua interualla repetita. In vniuersum vbi ex redundante semine generatur hęc affectio, tum victus,tum medicamenta exiccantia conferunt, siue calida,siue frigida. Similiter his vtendum quæ totis substantijs semen extinguunt. Ad vteri strangulatum valet drachma vna agarici in potu accepta: item plantaginis semen& succus cum vino. Confert & acetum scilliticum absorptum. Post alia remedia,dropaces & sinapismi extremæ spinæ,& ventri apponuntur. Si ob flatus multos in vtero collectos fiat suffocatio vteri, recurrendũ ad caput de inflatione vẽtris. Vbi ægra ad se redierit, cardiacis est recreanda antidotis,mithridatio,theriaca,& pulueribus dictis capite de Syncope. Hæc etiam præcipiunt iuniores,vt prouideatur ne in accessionem incidant. Conuenit vti alimentis exiccantibus,cuiusmodi sunt turtures, perdices, turdi, atque eæ carnes sint assæ. Abstineant à piscibus, lacte, amygdalis, nucleis pini, nucibus, eruca, napis. Aquam bibant elixam per se,vel cum aniso. Ventre sint leni. Frictionibus crurum vtantur, exercitationibus, vt longiùs incedant,aut gestentur in iumento,non in curru (vt volunt) ne vomitus concitetur,& vteri præfocatio. Vitent omnia quę venerem excitent,vt fabulas, lectiones, aspectus, choreas. Ijs tamen quæ mœstæ sunt,læta nuntia sunt afferenda: & cantilenis exhilarandæ,& prata ac hortos lustrabunt: vitent & omnia quæ flatus humoréque malignos atq; melancholicos generant. Vomitus commouendus est per aquam mullam. Purgentur diaphœnico,hiera diacolocynthidos,aut hiera simplici. Pessi fiant ex odoratis,vti styrace, oleo nardino. Si est ex seminis corruptione, si nubilis est, tradatur viro. Interdicantur vinum, carnes, oua, & cætera sanguinem & semen augentia. Imperentur labor multus, & ieiunium. Vsus sit agni,rutæ,dauci,cumini. Metrenchytæ vacui syphonem collo vteri immisisse, mox internum pulsorium retraxisse, vterũ deorsum reuellit. In prægnantibus (de quibus iam supra) cautius agendum. neq; enim in illis mouendi sunt menses. vtantur semine cumini, cinnamomo, croco, semine dauci. Interim etiam, quia

vires

vires paroxysmi vehementia sæpe franguntur, opiatis, vel conditis cardiacis vtentur.

De Vteri prolapsu, seu procidentia.

Cap. LII.

DE vtero sursum aut ad latus conuerso paulò antè pergimus. Sed citra suffocationem vterus ferri sua sede potest, ac modò ascendere, modò descendere, vel prolabi, & interdum in latus alterum inclinare. Quæ affectio reclinatio dici potest. Hi omnes motus vtero accidunt, quòd ligamenta laxa habeat, propter quorum laxitatem huc illucque deerrare potest: vbi rei iucundæ desiderio tenetur, vel rei à sua natura alienæ declinatione ducitur. Ascensio adeò in quibusdam vehemens est, vt ad ventriculum etiam vterus velut globus aliquis efferatur, eumq; grauiter premat: indeque manu depelli in suum locum possit. Vbi id vitium incidit, fœmina præcordijs dolet, vrgente spirandi difficultate & animi defectione, idque illæsa & incolumi mente. Vbi descendit vterus, grauem in pudendum sentit molem incumbere, quæ digito explorari tangique quando pudendo occurrit, potest. Si supina est, vel aluum deijcit, rectum vrgeri intestinum sentit; si prona, difficulter meijt. Sed longè grauior morbus est, cùm euersus vterus foras prouoluitur: quo tempore ingens dolor pectinem fatigat, orituráque subinde neruorum distensio atq; tremor. Cùm igitur vterus deorsum versus prolabitur, procidentia nuncupatur, quando scilicet ita euertitur, vt exterius emineat. Neque propterea à suis appendicibus totus exolutus excidit: quia si ita procideret, restitui non posset. In hac procidentia aliquando collum, aliquando fundum procidit in vuluam. Et vbi collum excidit, videtur veluti glans viri rubens, quæ se extendit in ore pudendi cum suo foramine. Fundus autem cùm procidit, inuertitur. Quòd autem hic affectus sit morbus in positu, seu positione, manifestum est. Causæ autem prolapsus sunt externæ quidem, vt si ab alto delapsa sit mulier, & in coxas deciderit, ruptis pellicu-

Procidẽtia vteri quid.

Partes affectæ.

Quis affectus.

Causa.

lis ac ligamentis, quæ vterum continent, ac vicinis partibus connectunt, eo malo corripitur; ob violentam etiam

secundinæ extractionē; ob inartificiosam fœtus eductionem, vt in abortibus. Nimia item spiritus detentio, immensa oneris leuatio, aut plagæ vehementiores animi affectus; vt si liberorum amissio, aut hostium incursus nuntietur, aut ob periculosam nauigationē, aut eiusmodi causam toto corpore mulieres soluuntur, ita vt vterus simul prolabatur. Internæ causæ sunt plurimi humoris ac lenti defluxus, ac partuum frequentia; ob quæ appendices, ex quibus vterus dependet, laxantur ac soluuntur: aliquando etiam ob musculorum ac membranarum vterum sustinentium resolutionem; quod inclinata ætate fieri solet. Omnis enim procidentiæ causa est musculorum aĉ ligamentorum quibus vnaquæque pars continetur firmaturque laxitas, imbecillitas, ac resolutio, siue ab interna, siue ab externa causa. Eadem est sententia eorum qui scriptis prodidere vterum excidere relaxatis vinculis, refrigerato vtero, collecta mucosa substantia, à qua laxantur ligamenta vteri. Senibus magis excidit, & his quæ ex instituto vitæ nudos pedes in frigida continent, aut diutiùs in frigido lapide sedent, vel aërem frigidiorem excipiunt, maximè in puerperio, vel tempore menstruorum. Atque totum vterum decidere posse, quidam è Græcis negant, contra quos experientia facit, atque auctoritas Arabum. Animaduertendum etiam quòd vterus ligatur parte inferiori fortissimis ligamentis, quorum si alterum relaxetur aut cōtrahatur, trahitur ad partem dextram vel sinistram. Parte superiori firmatur vasis spermaticis, & venis, quæ quia facilè rumperentur, nisi firmissimo aliquo vinculo firmarentur, natura peritonæo muniuit. Si peritonæum relaxetur, deuoluitur in partem inferiorem, aliquibus magis, aliquibus minùs, quibusdam extra apparet, alijs in collo. Causæ igitur sunt relaxatio ac ruptio aliquando vinculorum ad ossa pubis, nonnunquam peritonæi. Relaxatio fit ab humiditate, aut rupto peritonæo, aut tensis inferioribus ligamentis. Quod tamen fieri non posse existimant quidam. Sic enim traherentur ad ossa pubis potiùs. Id quod procidit (procidit autem secundum os vteri) struthiocameli ouo simile est, iuxta maioris ac minoris differentiam, prout violenta euersio contingit, & in principio pluri-

Signa.

plurimus sanguis erumpit. deinde consequitur dolor hypochondriorum, lumborum, imi ventris ac pudendorum: & periculosum est, ne perfrigeratis locis conuulsio inferatur: quamuis progressu temporis vbi affectio inualescit, & loci calloſi facti sunt, neque conuulsionis periculum imminet, neque dolor infestat. Causarum dignotionem partim ex ipso, partim ex ægræ & assidentium sermonibus agnosces. Rarus est hic affectus, & minimè periculosus. Ex quacunque causa fiat, cùm adhuc recens est affectio, conari oportet vt vterus contrahatur. In principio enim facilè dirigitur, & rectè locatus permanet, in vigoris ætate præcipuè. Nam in ætate prouectioribus contrahitur quidē, sed ex leui occasione rursum prolabitur. Si multùm procidit ob difficilem partum aut peritonæi rupturam, non curatur. In victus ratione cibi boni succi exiccantes, & minimè flatulenti offerantur. Potus sit vinum album, antiquum, odoratum, aut decoctū anisi. Venter etiam est lenicndus ac lubricandus, ne si cum difficultate egerendum sit, simul vterus procidat. (Cauendum tamen vnicè, ne venter nimiùm subducatur. Exoluuntur enim, relaxanturq; propinquę partes, & vteri loca procidunt.) Et abstinendum à iusculis, nisi cùm aluus irritanda erit, quia propter decubitum & vsum astringentium constringitur. Quare occurrendum cassia, prunis, clystere tergente. Mulier quieta in lecto seruetur super dorsum cubans. Corporis omnē agitationem, vociferationes, tussim, & maximè sternutationem vitet. Quod reliquum est, vt in proprium locum reponatur vterus (aluo soluta priùs clystere, atque vrina excreta, si in vesica collectum sit lotium,) laborātem figurare oportet supinam coxis altioribus, reflexis, poplitibus ac cruribus disparatis: deinde prolapsam partem oleo tepido ac butyro, vel decocto betæ, maluæ, fœnugræci, seminis lini, aut similium fouere. Post hæc lanam cōuolutam figura ac crassitudine muliebri pudendo correspondentem accipiemus, tenuique linteo circundabimus, & hypocistidos & acaciæ succo vino diluto intingemus, ac vtero apponemus, & citra violentiam totum quod prolapsum est reprimemus: quoad tota moles intra sinum recipiatur. Deinceps lanæ hapsus superponatur, vino

Prognostica.

Victus ratio.

Curatio reliqua.

astringente imbutus: atque totus pecten spongijs ex posca expressis intingatur, & mulier reclinetur, crura extensa & coaptata habens, ita vt alterum alteri incumbat. Inde cucurbitulæ agglutinentur cum flamma copiosiore, vmbilico, & vtrisque ilibus. Naribus odorata olfacienda admoueantur. Infernè autem graueolentia. Tertia die lana adhuc intra pudendi sinum existente, mulier in vino nigro austero tepefacto, aut in mori, lentisci, rubi, aut malicorij decocto insideat, & post insessionē rursus supina coxis altioribus locetur: & sublata ex pudēdo priore lana, alia rursum eodem medicamento imbuta subdatur. Emplastrum quoque supra vmbilicum & lumbos affigendū: cuiusmodi est emplastrum contra rupturam, vnguentum comitissæ, emplastrum de mastiche, vnguentum rubrum desiccatiuum. Cataplasmata item deforis imponantur ex palmulis, polenta, lenticula, ac malicorio cum oxymelite. Atque hæc tribus interpositis diebus rursum fient. Vbi veteri crebrò collabuntur, posca abluantur: in eademque insideat mulier diutiùs, & deinceps omnia relata fiant. Vbi prolapsus vterus progressu temporis intumuerit, plurimoq; humore refertus fuerit, vt præ tumore reduci non possit, betarum decocto rigatur: deinde acetum infunditur, & sal tenuissimus inspergitur, & postea sedato tumore eodem decocto perfusus detruditur, & fiunt quæ suprà dicta sunt. Si processu temporis propter incuriā puttuerit quod prolapsum est, idipsum auferetur nullo periculo. Vt si ob assiduam vrinæ irrigationem & sordes inhærens pars prolapsa exulcerata fuerit, amputatur, aut inuritur quod inutile erit. Imò totus vterus nonnullis abstitisse est etiam nostris temporibus, nempe quibus puttuerat, vt nostri testantur. Ouum puttidum emplastri modo impositum vuluæ, illico in locum suum eam impellit. Fit & pessarium ex assa fœtida, myrrha, thure albo, ac mastiche. Extremum remedium est Zona Hippocratis, quæ à cingulo Zonam habeat à parte posteriore per perinæum adductam in anteriorem partem ad idem cingulum. Iuxta pubem arctè colligatur. Alij è subere ouales formas inductas cæra, & quasi pediculo alligatas mittunt in sinum pudendi, atque alligant coxis. Inunguntur oleis, & vnguentis astringentibus. In veteri reclina-

reclinatione, de qua circa initium capitis dictum est, si morbi magnitudo id admonet, & vires consentiant, vena interna cubiti patientis lateris secabitur. Pars dolens fouebitur oleo irino, susino, anethino, additis odoratis, si inclinauerit sursum, aut in latus. Si verò deorsum, conuenient suffumigia, & vt vterus aliquem humorem emittat, & ad naturalem situm redeat, pessus immittendus ex lana, imbutus oleo susino, & styrace, & gallia, nisi deorsum inclinauerit. Tunc enim vmbilico odorata superponenda, ac læues cucurbitulæ sunt affigendæ.

De Mola. CAP. LIII.

AD reliqua vteri vitia pergamus, quibus accensetur Mola, μύλη Græcis dicta à grauitate ac motu difficili. Vt enim mola grauis est ac ægrè mouetur, ita & hic affectus Mola appellatus ad eius similitudinem, & grauat, & difficulter mouetur: licet nonnisi per accidens moueatur. Mola ergo tumor est carnosus, non in substantia, sed in capacitate vteri genitus: seu informis quædam caro, & inutilis concepta; quamuis interdum rudimentum quoddam formæ, sed inchoatum duntaxat habeat. Cute & membranis obducitur. Intus venis abundat compluribus, sine ossibus tamen, sine intestinis, sine visceribus. Alimentum enim per venas prolicit, nutriturque plantarum more, & incrementum sumit, vt interdum quasi octimestris fœtus distendat. Hæret nonnunquam acetabulis firmissimè, vt hanc aliquæ quatuor vel quinque annos, & interdum totam vitam vtero gestarint. Ac plerunq; leuiùs inhæresces, tertio quartóve mense excidit, nondum ad iustam magnitudinem perducta. Quamuis Aëtius & Paulus Molam esse affirment induratum tumorem vteri, qui modò in vuluæ ostiolo, interim in tota ipsa prominet, & interdum fœtus modo in lucem editur. Verùm non omnis vteri tumor induratus Mola est, sed inutilis ille conceptus carnosus, qui vtero gestatur. Est enim Mola aliena à natura, nec mulieri vtilis, quum ipsam grauet, ac laborem inferat, mensesque impediat. Neque verò vtilis est etiam pro generis propagatione, vt naturalis conceptus: alioqui diuersas figuras re-

μύλη.

Mola quid.

cipit. Mola itaque imperfectus est, atque incoctus conceptus. Ea verò semper carnosa est, non etiam vt quidam falsò opinati sunt, flatuosa. In ea affectione vterus laborat, vt ex mensium suppressione, præter naturã tumore, ac ipsius vteri dolore constat. Affectus verò est in compositione, speciatim in numero toto genere præter naturam, velut lapis in vesica: quum inutilis sit, & molesta. Quanquam in eius generatione aliquid sit eorum quæ secundum naturam sunt. De eius generationis modo, & causis, variæ sunt sententiæ. Eorum tamen inter recentiores probabilior est opinio, qui hanc putant efformari ex semine viri & mulieris à spiritu genitiuo, & calore. Indicio sunt membranæ, quibus integitur, ligamenta, superfœtatio fœtu alligato, incrementum, motus tremulus cum tumore vteri. Quæ omnia concepti fœtus speciem per initia exhibent. Neque quisquam vnquam sine coitu Molam concipi obseruauit. Causa igitur efficiens est spiritus, qui opificis vicem gerit. Materia eius est modicũ semen cũ multo crasso & spisso sanguine menstruo concreto & indurato: vel (iuxta Hipp.) morbosum semen viri cum mensium copia. Forma, modò perfectior & animata, (Nam & animala quædam species Molæ esse videntur, quòd eodem modo, & ijsdem de causis generentur.) modò rudior & expers vitæ, licet augeatur & increscat. Primùm enim rudis quædam moles gignitur, in qua si natura vitio materiæ, quasi in itinere intercipiatur, consistit, nec aliud quicquam addit. Sin vlterius nullo vitio repugnante progrediatur, paulatim perficit, vt iam videatur stirps: deinde animal. Cuius pro materiæ quantitate & temperamento variè figura immutatur, & corporis effigies. Hinc fortasse ex molis aliæ rudiores, aliæ propius ad legitimum fœtum accedentes, aliæ varijs animalium imperfectorum figuris effictæ conspiciuntur. Finis semper est generatio humanæ naturæ, ad quam perfectionẽ diuina illa facultas architectatrix corporis nostri, vteri vitio, colluuie humorum, materiæ ineptitudine, & caloris imbecillitate præpedita, peruenire non potuit: nonnunquam etiam alterato optimo semine ab aëre externo, aut vteri intẽperie, aut frigore. Noscitur porrò hic affectus ex tumore duro circa vteri partes, detractione

Pars affecta.
Affectus quis.
Mola.
Causa.

ctione seu contractione hypochondriorum seu partium subiacentium ac gracilitate corporis, appetitus prostratione, coloris vitio, mensesque supprimuntur, & mammæ intumescunt, (neque tamen in mamillis lac gignitur, licet illæ vel earum papillæ turgescant.) stomachus subuertitur, lumbi grauantur, ventérque attollitur, facies decolor est, adeò vt primò conceptus veri suspicionem de se præbeat. Temporis verò progressu discernitur. Nam Molam dolor punctionis sensum inferens subsequitur, nec motus in ea percipitur, nisi quòd per compressionem dextra & sinistra mouetur, cùm manibus Mola comprimitur, & ex accidenti quoque, cùm mulier de vno latere in alterum vertitur. Vel iuxta alios, fœtus blandè ac leuiter mouetur: Mola aut grauitate figitur, aut impetu quodam pronoluitur, vt lapis in quodcunque latus mulier decumbat. Postea toto corpore imminuto, ac ventre amplato hydropis imaginem præ se fert. Discernitur tamen ab illo per tumoris duritiem, & quòd neque tympani sonum, velut in hydrope reddit. Nonnunquam tamen tempore procedente iecur refrigeratur, & hydrops superuenit à sanguinis copia qui non purgatur, extincto calore nativo. Mulier ad incessum grauior euadit, eique quasi quoddam pondus propēdet ex vtero. Subinde informis hæc caro, aut multus sanguis cum humoribus intus cumulatis, nec rarò etiam flatus excluditur. Quibus quales inter pariendum esse solent dolores atq; pressiones, ab eo flatu oriūtur. Hæc affectio magna ex parte insanabilis redditur. Sunt qui scribant aliquando sanari dysenteria. Omnino eius curatio parui facienda non est. Si curatur, primis mensibus curatur. Procedente tempore, aut nunquam, aut ægrè admodū, quoniam vehementiùs vtero adhæresci, & quoniam maior moles ægriùs extruditur. In victu instituendo aër sit temperatus in actiuis. Somno vtantur moderato. Exercitium potissimum partium infernarum fugiant, quandoque verò moderata deambulatio, gestatio confert. Sit aluus lenis quotidie, immodici animi affectus omnino vitentur. Cibi tribuantur quantitate moderati ac boni succi, & vipi potione vtendum moderata. (Sit autem vini odorati potus, optimeque diluti,) cū quibus interim quæ laxandi viribus prædita sunt, permisceas,

Prognostica.

Victus ratio.

& ea etiam quandoque quæ extenuandi vim habent. Si plethora adsit, interna cubiti vena secetur. Secatur & circa initia vena malleoli, post dictam sectionem, multo videlicet sanguine redundante. Si frigidorum crassorumque humorum adsit copia, præparentur, ac deinde purgentur, & ex alijs capitibus hæc petantur. Postea ad particularem curationem veniatur. Vtendum igitur medicamentis (siue intus siue extrà adhibeantur) quæ aperiendi, laxandi, mollendi, mitigandi vim habent, & sanguinem concretum dissoluendi. Sic enim plurima sanguinis atri & grumescentis excretio sequitur. Fiat ergo intestus ex decocto maluarum, althææ, chamæmeli, seminum lini, fœnugræci, melliloti, fiatque decoctio in aqua, & hydrelæo, & processu temporis lauri folia, pulegium, thymum, hyssopum, saluia, artemisia, polium ac centaurium permisceri poterunt. Ex eorum decocto exiguo vino albo addito, fotus cum spongijs fiat, post quos imus venter, pecten, inguina inunguantur. Recipe olei irini, liliorum alborum, anethini ana vnciam vnam; butyri recentis, adipis anserini ana drachmas quatuor; ladani vnciam vnam semis; cæræ & vini odorati parum. adijciatur & cremor seminis lini, althææ, fœnugræci, ammoniaci, bdellij in vino dissoluti. Fiunt & cataplasmata. ℔. radicum & foliorum althææ, maluarum, farinæ fœnugræci, seminis lini, hordei ana manipulū vnum; olei amygdalæ vtriusque, & liliorum alborum ana ℥ j. cum aqua mulsa, & pauco vino fiat cataplasma. Pessi subdantur ex œsypo, butyro, adipe anserino, medulla cerui, melle, caricis, vuis passis, cum oleo irino, sampsuchino, amaracino, hisque interim addantur rutæ, saluiæ, artemisiæ, maioranæ folia contusa. Nam quæ menses euocant, propinanda sunt medicamenta. Vtendum est & alijs aperientibus, aut fœtus mortuos, & secundas reijcientibus. Pessi etiam parantur ex radicibus cyclamini recentis, ireos, aristolochiæ, ex elleboro, styrace, calamita, ex sabina, scammonio, agarico, colocynthide: aut puluis horum cum melle redigitur in formam pessi. Hæc tamen non sunt temerè danda, nisi prægnita Mola. Pessi valde proritantes non ita frequenter vsurpentur, ne exulcerent. Fit & emplastrum ex commemoratis medicamentis cum opopanace, & felle tauri.

Valent

Valent quoque ſternutationes, & vaporationes ex trochiſcis de myrrha cum vino. Valet emplaſtrum diachylon, dialthæas, vnguentum Agrippæ, extra aut intra vterum. Et dropaces ex galbano, myrrha, ſtyrace, & reſina, aut ex ſinapi, ficubus, & melle emplaſtrum, cum ſale. Suffitus etiam ex aqua marina, aut decocto pulegij, thymi, hyſſopi, ſcordij, centaurij, baccarum lauri, per arundinem aut infundibulum recipiatur. Diacyminum aſſumatur, aut dianiſum cum vino, aut dialacca cum aqua mulſa, aut rubeæ decocto. Aut ireos & acori decoctum cum melle bibatur. Proſunt & apozemata, & ſyrupi menſes mouentes, vt ſyrupus de artemiſia, de hyſſopo, de duabus, de quinque radicibus, cum decocto gentianæ, marrubij, pulegij, & thymi in vino.

De ſterilitate. CAP. *LIIII.*

STERILITAS ſeu infœcunditas, eſt impedimentum ſeu priuatio conceptionis, tempore potiſſimùm quo ea perfici debet. Eadem aut viri, aut mulieris, aut vtriuſque ratione accidit. Sed quamuis de ſterilitate virorum paulò antè mentionem iniecimus, cap. πόθεν τῶν ἀπράκτων videlicet, addentur tamen & hæc ijs quæ iam cõmemorata ſunt, tanquam ſcitu digna: nempe quòd viri aut teſtibus carent, aut genitali, aut id iuſtam longitudinem, quæ eſt ſex digitorum, non attingit, vel ὑποσαδιαῖοι quaſi ſubuulſi ſunt, & rectà ſemen proijcere nequeũt, aut ob frigidam intemperiem ſemen pauciſſimum & infœcundum generant, aquoſum videlicet ac frigidũ, aut craſſum, & ob nimiã caliditatẽ torrefactum. Obeſi præterea infœcundi ſunt, quia ventricoſi, & ſemen ad profundiores vteri partes iaculari non poſſunt. Et nimiùm graciles, & qui genitale erigere nequeunt, & quibus ſeminis meatus occluſus eſt carne, vel cicatrice. Steriles & infœcundi ſunt etiam impuberes, & ſenio confecti, quòd his tenue & aquoſum languidúmque ſit ſemen, & qui (vel ætate matura) morbo acuto, vel etiam diuturno conficiuntur, qui vel humores corrumpat, vel ſpiritus principes offendat. Ad horum tondicionem accedunt, & qui citra manifeſtam corporis actionumque

Sterilitas quid.

vitæ offensionem principum partium, vt ventriculi, iecoris, lienis, ac pulmonum latenti vitio, intemperie, obstructione, aut scirrho tenentur, maximè si vel cachexia, vel leucophlegmatias, vel ictetus, vel tabes ac corporis extenuatio, vel lenta febris, vel alia quædam cacochymiæ soboles sit consecuta. Viri enim ita affecti semen non proferunt, aut prorsus euanidum, & infœcundum, vtpote nec ex vtili materia productũ, nec spirituũ benignitate, perfusum. De his sic alij. Obscœnarũ partiũ vitia quæ sterilitatẽ in viris accersunt, numerantur quidẽ pudendi paralysis & atonia gonorrhœa, vasorum spermaticorum obstructio, coarctatio, & contusio testium, pudendi exilitas, & quæuis mala cõformatio. Sed his omissis, de sterilitate mulierum hic agemus potiùs. In qua vterum affici palam est, tanquam concipiendi instrumentum, vt ex eius actionis, vel vius læsione haud dubium est. Sterilitas autem symptoma est in genere functionum ablatarum. Concipiendi enim actio quæ propria est vteri, ablata est. Eius autem causæ sunt variæ: sed vna præcipua, nempe vteri semen suscepturi intemperies. Temperati enim vteri ad conceptionem sunt idonei. Malè autem temperati, si parum à bonitate recedunt, difficulter concipiunt: si verò nimiùm, steriles mulieres fiunt. Si frigida fuerit intemperies, ex ea vterus fit spissior, & angusta ora vasorũ quæ ad ipsum pertingunt vterum, adeò vt neque secundæ possint adnasci ad iam dicta ora, neque si hoc fiat, aliquando potest bene nutriri conceptus, cùm vel nullo modo fiant his purgationes, vel omnino paucæ & vitiosæ, solo tenuiore & aquosiore sanguine perlabente. Hæc eadem ora facilè obstruuntur, cùm & totum corpus scateat frigidis humoribus. In his & contingit semen maris refrigerari. Ob nimiã verò humiditatem nõ concipiunt, quia extinguitur in talibus genitura, quemadmodum in terra palustri cerealia semina. Atque in habentibus immodicam vteri caliditatem contingit sterilitas, eo modo quo valde calidæ terræ semina mandantur, velut in æstibus sub cane. Propter defectum quoque alimenti ficciores non concipiunt. Nam ipsis tale quid accidit, quale vbi arenæ aut argillosæ terræ semina committuntur. Morbi quoque instrumen-

Pars affecta.
Affectus.
Causæ.

strumentarij conceptionem impediunt, vti breuitas vteri, aut angustia, aut laxitas, aut distortio, crassitudo, aut gracilitas eiusdem, osculi angustia, aut clausio, cicatrice post vlcera genita, aut membrana obcæcato meatu, aut nimia eius amplitudo. Vlcera quoque, & tumores, mensium suppressiones, & profluuia, & aliarum humiditatum, conceptionem impediunt. Prætetea violenti concubitus ad conceptionem sunt inualidi, amor ad prolem conducit, sicut maris ac fœminæ pulchritudo. Ætas puerilis impedit; aut si conceperint, non speratur tutus partus matri, aut proli. Quare ante annũ decimum octauum abstineant puellæ à venere, nisi corporis proceritatẽ habeant, lumbos latos, pectus angustum, nates prominentes, & manus latas. Si plures menses, aut pauciores sunt, non concipiunt mulieres. Flatus quoq; in vtero existentes conceptionem impediunt. Quos insequitur tumor, extensio, & quandoque cum dolore pungitiuo ad alterũ, sæpe verò ad vtrumque inguen. Quandoque etiam flatus per muliebre pudendum erumpit. Interdum strepitum ac sonitum circa vterum sentiunt. Contingit etiam, vt per aliquod assumptum pharmacum mulier non concipiat. Eiusmodi medicamenta ἀτόκια, ἐκβόλια, καὶ φθόρια nuncupantur. Intempestiuus quoque congressus caussa est sterilitatis, cùm conceptionis sit tempus vel incipientibus, vel cessantibus menstruis, ac præcipuè cessantibus: cùm ora aperta sint, & menstruum nõ multum, neq; vniuersum, sed paucum & paulatim effluit. Vnde efficitur vt ob asperitatem vuluæ semen adhæreat, satisq; alimenti ex sanguinis confluentis paucitate habeat. Intemperies itaq; ipsæ sua signa peculiaria præ se ferunt. Coniectamus vterorũ frigiditatem ex suppressis mensibus: neq; enim præ nimia crassitudine, aut paucitate commodè feruntur. Sed & stupidus sensus circa pectinẽ, lũbos, ac crura percipitur. Aliquæ etiã crurũ impotentes sunt: & earũ partiũ frigiditas est. Victus quoq; præcessit frigidior, ac crassi succi. Ac si prorsus perfrigeratæ fuerint, ne venerẽ quidem appetũt, & vteri oscu-

Signa.

lum contractum habent. Caliditas agnoscitur ex pilorum copia, calore partium ventris inferiorum & lumborũ, sanguinis menstrui pallore, & calore, & ad venerem prom-

ptitudine. Coniectatur etiam vteri caliditas ex reliqui corporis caliditate, & ex menſium paucitate, cum dolore prodeuntium, ita vt pudenda mulieris exulcerent: ſed & quæ prodeũt, nigriora ſunt, & ob nimiam puncturam nullum ordinem ſeruant: Sequitur & hanc intemperaturam inſignis ſalacitas, & totius corporis ſiccitas. Propter defectum verò alimenti, vteri ſicciores non concipiunt. Et ſiccitas ſignificatur, ſi humor in coitu haudquaquam deſtillat, ſi exiguum ac craſſum erit menſtruum, ſi aderit quoq; totius corporis exiccatio. Humidam intemperaturam indicant in coitu humor diſtillans, tenuius, decoloratum, & copioſum menſtruum. Os vteri laxatur. Et quia accidit, quòd ex vitioſorum humorum redundantia mulier non cõcipiat, quis vitioſus humor peccet, ex his quæ diximus cap. de ſuppreſſione menſium inueſtigabis. Si ob cicatricem vaſa fuerint excæcata, ex præcedenti vlcere cognoſces, vt ſi ob membranam oſculum obturantem, aut ob nimiam eiuſdem oſculi anguſtiam, vel amplitudinem, ſiue quòd ceruix obliqua fuerit. Cæterùm ſi medicamenta ſterilitatem inducentia vaſa vteri excæcent, incurabilem affectionem faciunt, licet quædam potiones cæcitatem inducant, cui ſi protinus ſubuenias, mederi poſſis. Quæ præter naturam craſſæ ſunt, non concipiunt, priuſquam extenuentur. Si vlcera in vteris fuerint obortа, & ſi menſes ſano modo prodeant, plerunque incurabilia ſunt. Et propterea in ventre tales non concipiunt, quamdiu vlcera habuerint. Gignendi facultas tollitur his qui à varicibus tenentur. Quæ ſecundum aures venæ ſunt ſectæ, ſterilem reddunt bona ſeminis parte à cerebro per eas delabente: quamuis in curando difficili morbo exigua habeatur ratio ſterilitatis. Mulieres etiam ſexagenariæ & octogenariæ viſæ ſunt cõcepiſſe. Vbi igitur ob frigiditatem mulier non concipit, vniuerſa victus ratio eligatur ad calidum vergens. Cibi boni ſucci exhibeantur, attenuantesque, ac omnibus alimentis admiſceantur quæ purgationes irritare poſſunt, vt olera odorata, acria, ſcandix, crithmon, fœniculum, gingidium, apium, ſmyrnium, aſparagus. Speciatim verò elige victus rationem cap. de menſium ſuppreſſione præſcriptam. Atque vbi frigidi ac craſſi ſucci cum frigida intemperie

Prognoſtica.

Curatio ſterilitatis ob frigiditatẽ.

perie redundarint, post eorum coctionem ac præparationem purgante medicamento vacuentur. Vomitus quoq; prouocetur origani aut thymi decocto, ante & post cibum omni studio adhibito, vt pituita vacuetur. Confert postea mercurialis cum castoreo, aut absinthium, tribus aut quatuor diebus consueto mensium tempore, si in potu exhibeatur. Estque hæc potio ad conceptum efficax. Detur & ʒj. diambræ, seu diamoschi dulcis, seu de xiloaloë, aut mithridatij, aut theriacæ tantundem. Sumant & acorum conditum, vel diacyminum. Veteris fomenta fiant per suffitus & vapores arundine ollæ operculo perforato inserta, aut igni adhibita, vt suffitus, aut vapor intra pudendum excipiatur: mulier pannis circumtegatur. Qualis suffitus fit ex thure, myrrha, casia, styrace, costo, cinnamomo: vapor autem ex aqua calida, in qua priùs decocta fuerit artemisia, saluia, cuminum, pulegium, cyperus, acorus, iuncus odoratus, & reliqua semina odorifera. Possunt hæc cataplasmatis modo pubi imponi, & idem decoctum per pudendum vtero iniectum conducit. Pubis quoque coxarumque frictiones nihilominus prosunt, nec minùs si oleo perfricentur irino, aut amaracino. Pessi subdantur ex myrrha, ruta, galbano, castoreo, chia mastiche, cypero parati, & ne mordeant ac exulcerationem faciant, adipe anseris aut gallinæ, & saccharo rubro excipiantur, & serico linteo inuoluti, ac oleo irino seu liliaceo intincti immittantur. Sit autem eorum quantitas exigua, adipis & sacchari maior. Alij pessi fiunt ad conceptionem ex coagulo leporis, & alumine scisso, vtero priùs per prædicta purgato. Pubes, lumbi, femina liniuntur oleo nardino, anethino, laurino, de styrace. Ex eisdem quædam vtero injiciuntur. Fotus etiam fiunt ex oleo amaracino, oleo de styrace, cum myrrha, & castoreo. Bibere castorei ℈ ß. cum vino prodest, de quo suprà. Si calida est intemperies, victus ratio conuenit, ad frigidum humidum vergens. Talis eligatur aër. Somno vtatur longiori, & quiete, & infrigidantibus cibis, quales sunt ex oleribus lactucæ, maluæ, blitum cucumis, cucurbitæ, pepo, atriplex, portulaca. Vinum eligatur tenue, album, aquosum optimè dilutum. Competũt aquarum dulcium balnea. Ad lumbos, pubem, imum ventrem, infrigidantia

Sterilitatis ex caliditate orta curatio.

adhibenda sunt, vt solani, vmbilici veneris succus, semper viui, lactucæ, rosaceo admixto. Aut foliorũ attriplicis, portulacæ, lactucæ, excipe p. ij. olei ros. violati, citoniorum ana ℥ j. farinæ hordei p. j. cum succo solani, aut vmbilici veneris, & pauca aqua rosata, fiat cataplasma. In pudendũ commodè subditur solani, aut vmbilici veneris succus rosaceo admixto, quæ inuoluto linteo ad digiti formam excipiantur. Mercurialis item lumbis, ac pectini adhibeatur. Item argenti spuma ac cerussa cum aqua trita. Lumbi fouendi sunt rosaceo, aut oleo nymphææ cum succo solani. Perpetuò tamen cauendus est refrigerationis excessus. Conferunt & syrupi, & ea quæ infrigidandi vim habent. Et si vnà cum intẽperie calidi ac vitiosi redundant succi, ij priùs purgandi sunt, concoctis ipsis seu à natura euictis. Nam quoad menses morbosi fuerint, siue bilioſi, siue pituitosi, mulier non concipit. Mulieres autem quæ ob vteri humiditatem non concipiunt, sicciore diæta vtantur, multumq; exerceantur, ac fricentur per superiores partes. Cibis vtantur siccis & mediocribus: ita vt sumant carnes assatas potiùs, & vigentium ætate animalium. Vinum potẽs, meracum, sed parciùs bibant, fuluum, modicè austerum. Aliquando vomant post cibum, aliquando ieiunè. Sicca fométa crebrò, balnea rarò adhibenda sunt. Et quia humida intemperies rarò sine humore est, proinde ante alia corpus purgãdum. Et vbi totum corpus purgatum fuerit, resiccantia ac astringentia medicamenta vtero adhibeantur. Quæ si ante purgationem propinantur, non parum lędunt. Cohibita enim materia ad partes principales decurrit. Huiusmodi est lentisci decoctum, myrti rosarum, & rubi tenerorum virgultorum, rhois coriarij, mali punici, pilularum cupressi. Ex his fiunt irrigationes, fotus, cataplasmata, insessiones, & pessi. Pubes fouetur oleo nardino, aut anethino, in quo bullierint calamintha, pulegium, aut insessiones fiunt ex eisdem, aut quędam modicè astringentia in vterum funduntur, vti cumini, carui, anisi decoctum cum balaustijs, & rosis. Dantur & potiones ex baccis myrti, & malicorio punici dulcis, aut ex auellanis nucibus vstis cum vino tritis. Si est intemperies ficca, humida alimenta exhibentur, & reliqua victus ratio humidior instituitur. Mediocri vino & non ni-

Curatio feruitutis ab humiditate.

mis

mis veteri vtēdum, balneis, inunctionibus, cataplasmatis, insessionibus humectantibus. Quanquam vbi totum corpus humectatum fuerit, vterus eadem quoque qualitate participabit. Iniectiones fiunt intra vterum ex oleo amygdalarum dulcium, lactis. Lac quoq; bibendum datur, & vini diluti potio. Si ex flatuoso spiritu in vtero existēte conceptio impediatur, parcior cibus offertur. Mox dantur quę flatus discutiunt, vt cuminum, ruta, anethum, apij semen, anisum, & pleraq; semina ac aromata partim potanda, partim applicanda ipsi vtero, ac subdenda. A leguminibus, ab edulijs dulcibus, ac flatuosis omnibus abstinendum est. Ex prędictis parantur fomenta, cataplasmata, cērata, & imponuntur. Si conniuens ac clausum fuerit os vteri, insessionibus, fomentis, perfusionibus, ac pessis odoratis, & emollientibus aperiendum est. Atque à molliorib⁹ inchoandum; vt à decocto maluarum, seminis lini, althææ, fœnugræci in oleo, & hydrelæo: quo decocto nedum pro insessionibus, sed & perfusionibus, seu iniectionibus vti conuenit. Deinceps cassiam, cyperum, nardum adijce. Interim ad validiora transeundum: qua de re artemisiam, chamæmelum, conyzam, calamentum, pulegium, amaracum, apponere licebit. Pessi parantur sic: ℞. radicum & foliorū maluarum, althææ, contusarum ana ʒij. farinæ seminis lini & fœnugræci ana ʒj. adipis anseris ʒiiij. croci & moschi parum. misceantur & in linteo serico inuoluantur, ac pessi fiant, qui in oleo irino, liliaceo, nardino intincti subdantur. Procedente tēpore caricæ, cassia, resina terebinthina adijci possunt. Si propterea quòd vteri os nimiùm hiat, non concipiant, victus, fomenta, ac reliqua omnia medicamenta sicciora, & astringentia conueniunt. Talia sunt gallarū decoctum, cytini, lentiscus, rubi radix, myrtus, & alia quæ humidiori vtero congrua sunt. Et quæ hiantem habent vterum, nec se ad seminis retentionem colligunt, astringentibus egent: vti austero vino, in quo bullierint rosæ, balaustium, & myrti folia. Si os vteri peruersum est seu distortū, mollientibus fomentis dirigere ac corrigere oportet. fomenta.n. adhæc maximè faciunt. Conducit & pessos mollitorios subdere. Specillo quoq; digito correctio fiat. Conferunt insuper maximè pulegij & artemisiæ decoctum,

Si obsiceritatem vteri non concipiunt, curatio.

A flatuoso spiritu, vel alijs causis contracta sterilitatis curatio.

& castoreum è posca potũ. Si ex deuorato pharmaco sterilitas consecuta fuerit, pharmaci viribus indagatis, contraria medicamenta adhibeantur. Reliquę causæ suas particulares requirunt curationes, vt si est habitus gracilis, si obesus, si vlcus, cicatrix, membrana os vteri obturans, mensium suppressio, immodicus fluor, inuitus congressus, & aliæ huiusmodi. Addunt iuniores in curatione mulierum quas ad conceptum facilitare volumus, abstinendum ab opiatis resiccantibus multùm, & semen absumentibus. Sunt & nutriendæ alimentis venerem excitantibus, quæ tardiores sunt. Post mensium verò purgationem & vsum aliorum remediorum paulò ante congressum cum viro, (quod magna ex parte mulieres non concipiunt, quia semen non trahunt, aut tractum non retinent) emplastra supra vterum & renes ponenda sunt. His quæ non trahunt, cæroneum, & alia quæ ex gummi alijsque attrahentibus conficiuntur, erunt ex vsu. His quæ non retinent, emplastra constringentia vtcunque calida, quale est comitissæ, pro matrice, de pelle arietina, de mastiche. Eiusmodi emplastra gestent, donec appetat tempus alterius purgationis. Eo enim tempore amouenda sunt emplastra, ne menses retineant. Si mulier non concipiat ob salacitatem, & nimiam ad venerem propensionem, quòd ob acrimoniam seminis & caliditatem fit, alenda est crassis alimentis, quæ sanguinem inspissent, & semen crassius reddant. Stuphis vtuntur mulieres humidiores: balneis durum habentes vterum, aut frigidum. Sed his vtendum, paulò antequam fluant menses. Si mulieres sint valde obesæ, extenuandæ sunt vsu medicamentorum calidorum, incidentium, aperientium, & tenui victu diu, antequam vtantur suprà dictis remedijs. In frigidioribus & humidioribus vtiles sunt opiatæ, siue humiditas sit in toto corpore, siue in vtero tantùm. ℔. conseruæ eryngij, corticis citri ana ʒ j. conseruæ anthos & zingiberis conditi ana ʒ j ß. cineris priapi tauri, cineris vteri leporis ana ʒ ß. puluis diagalangæ, diamoschi dulcis, diambræ, ana ʒ ij. pinearum, auellanarum ana ʒ iij. syrupi conseruationis corticis citri q. s. fiat opiata. Fiunt & fumigia. ℔. nucis moschatæ, maceris, benioin, styracis ana ʒ ij. castorei ʒ ß. alyptæ moschatæ ʒ ij. caryophyllorum,

rum, ladani ana ʒj. quæ excipiantur terebinthina, & fiant trochiſci quibus fumigetur vterus. Quæ minùs propenſæ ſunt in venerem, geſtent ambram, moſchum, chirothecas odoratas, niſi obnoxiæ ſint ſuffocationi vteri.

De difficultate pariendi.

CAPVT LV.

QVEMADMODVM natura ipſa in generatione fœtus atque conſeruatione fuit ſagaciſſima, ita de eius editione in lucem fuit valde ſolicita. Naturæ autem in hac actione Medicus, ſi opus eſt, auxiliatur. Eſt igitur pariendi tempus naturale vtero gerentibus, dum fœtus in eam creuit magnitudinẽ, vt alimento ſufficienti deſtituatur. Tum enim cordis calor qui antea multo humore ſopitus iacebat, maiori indiget ventilatione ac refrigeratione, qualis reſpiratione aëris frigidi fit. Eo tempore exire contendit fœtus, & acetabula diſrumpit. Hoc etiam tempore vteri fœtus grauitatem ferre nequeuntes, & ſentientes ſe morderi à qualitate humoris in ſeipſos effuſi, quod eos moleſtat facultate propultrice abijcere properant medijs muſculis abdominis. Tempus quo perficitur ac manet fœtus in vtero, eſt nouem menſium. Sed id tempus ab Hippocrate decem menſium dicitur, qui decem menſes lunares viginti octo dierum numerat. Cæterùm cùm adeò miranda requirantur in partu, euenit interdum, vt fœtus difficulter edatur. Quę partus difficultas ſymptoma ſub genere contentorum immodicè dici poteſt. Sunt enim fœtus non vtero gerentiũ partes: ſed proportione reſpondent ijs quæ adnaſcuntur, familiarium (inquam) vt ſunt oua & fructus, nimirum ad generis propagationem à natura procreati: propterea vbi detineantur eo tempore quo edi in lucem debent, præter naturam detinentur. Conſequitur hæc eorum præter naturam detentio, aut ad noxam alicuius facultatis naturalis retentricis, & expultricis, ſiue ipſius pueri, ſiue prægnantis. Interdum citra noxam earundem facultatum, ad alias cõſequitur cauſas ſeu diſpoſitiones præter naturam. Cauſæ autem in vniuerſum alię externę ſunt, aliæ internæ. Externæ, quæ partus difficultatem inferunt,

Quis affectus.

Cauſa.

sunt aut modicum frigus quod vterum deusauerit, vt in aëris constitutione Aquilonia præcedente, vel præsente, aut siccitas, aut immodicus calor dissoluens, atq; imbecillitas, aut quoduis aliud fortuitò eueniens. Internæ verò causæ, aut vitio parientis, aut fœtus, aut secundarum esse possunt. Parientis quidem si illa cralla, obesaq; fuerit, si irascitur, si zelotypia laborat, vel alijs animi affectibus: si conatur ante tempus parere. Ab eadē etiā est mala cōformatio, staturæ breuitas, virtū corporis imbecillitas, vt in puella & anu, dolorū imperitia, pusillanimitas ac metus. Vteri cerui cisq; mala conformatio, vt exiguitas, angustia, obliquitas, causa est difficultatis pariendi. Et colli vteri longitudo, quæ facit vt fœtus longiori tempore exeat ob nimiam omenti & partium vteri compressionem, & ossis pubis firmior compactio, compressio, seu coarctatio ex vicinarum partium tumore ac duritie, vlcere, rhagadibus, ex vesicæ calculo, ex affectu musculorum ventris, ex recti intestini excremento duriore, & lumborum concauitas vterum comprimens. Fœtus verò ratione, vt si inusitatæ magnitudinis fuerit, vel exiguus, & modicæ grauitatis, seu magni capitis, vel monstrosus, vt biceps, triceps, tripēsue, vel mortuus, qui nil opis præster, aut intumescat, aut viuus, sed imbecillis, vt foras non possit procedere. Similiter si gemini vel plures fœtus fuerint, qui simul collo vteri impinguntur; aut si fœtus obliquus, aut transuersus paret egredi. Expedit enim vt manibus ad genua conuersis, capite recta ad os vteri descendat. Partus quoque fit difficilis, si secunda propter crassitudinem non abrumpatur, aut propter tenuitatem, antequā oportet, diuellatur, simul cū alijs membranis fœtum ambientibus: si quidem humore euacuato infans præ siccitate ægrè mouetur, ac per os & collum vteri difficulter elabitur. Nam à prædicto humore collum humectatū mollius redditur, dilataturq; faciliùs Huiusmodi causę non ægrè percipiuntur. Externæ siquidē ex astantium seu puerperæ sermonibus noscuntur. Similiter si obesa est fœmina, constat facilè. Languorem ostendent præcedentes morbi, aut vacuationes, aut animæ accidentia. Sic & si timida, & impatiens fuerit. Angustia verò oris vteri tactu percipitur. Reliqui morbi vteri patebūt ex notis suis capi-

Signa.

tibus

tibus traditis: Sicuti & noxæ inteſtini recti, veſicæ, ventris. Tempus præterea definitum eſt partui. Fœtus languidus dignoſcitur ex præcedentibus morbis matris, & ex tardo & difficili motu: quia mortuus non mouetur. Magnitudo ex ventris mole, & parentum magnitudine. Figura ab obſtetrice tactu deprehenditur, vt capitis magnitudo. Secundarum durities pariter tactu, & quoniam conante fœmina abundè, & fœtu exiſtente ſano non ſuccedit partus. Arefcit autem vterus delapſa aqua, quæ in allantoide continebatur. Atq; conſtabit facilè an effluxerit. Si mortuus eſt fœtus præter ceſſationem à motu, ventris frigiditas adeſt, dolor iuxta vmbilicũ grauis. Spiritus exhalat fœtidus, facieiq; color prauus. Pręſagire difficilem partum licet, ſi totus ante fœtum aquoſus humor effluit, aut longa copioſaque ſanguinis eruptio anteceſſit, ſi ipſa fœmina crebrò inhorreſcit, & languidiore dolore, perq; longiora interualla vrgetur. Rectè iudicauit Hipp. partus ſine debito dolore periculoſos eſſe. Ex parientibus grauiùs laborant primiparæ propter inexperientiam laborum, dolẽt totum corpus, & maximè lumbos, & coxendices. Vbi obliquus, aut in pedes fœtus procedet, nedũ mulier difficulter pariet, ſed multæ vel ipſæ perierunt, vel puer, vel ſimul matres vna cum fœtibus. Quæ parientes in lumbis dolorẽ habent, vix pariunt: quæ aluo, quàm citiſſimè: quæ imo vẽtre, difficulter. (Cùm mulier parit, neceſſe eſt vt vuluæ foramen ampliẽtur, non à parte anteriori, vt falsò putant oſſa pubis aperiri, ſed ad oſſis ſacri in cauda articulationem: quæ cauda ita erigitur ad exteriora, vt viſu diſcerni poſſit, ſi quæ parturit, emaciata ſit. Quare mulieres non debent inniti illa parte, ſed lumbis & coxis, & à viris fortioribus ſuſtentari.) Mulieri quæ difficulter parit, ſternutatio ſuperueniens bonum: quoniam vehementiori concuſſu atque feruore, partim naturam excitat, partim excernit, quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent. Curandi ratio pro cauſis varijs immutatur variè. Communia tamen ſunt eius capita quædam, quæ omnibus accommodari poſſunt: vt & quædam medicamenta omnibus difficulter parientibus indiſcriminatim adhibentur. Moderata igitur alimentorum copia tribuatur:

Prognoſtica.

Curationis præcepta communia.

alioqui natura coctioni alimentorum intenta, viriliter nõ expellit. Sint autem alimenta boni succi, ouа recentia, forbilia, tremula, ius pullorum, gallinarum, phasianorũ, quod ex contusis carnibus fit, consummatum vulgò dictum, vel eorundem animalium contusa caro. Buccellæ panis in vino odorato maceratæ, simul cum eodem vino offerantur. Adhæc non permittendum, vt obstetrices difficilè parientium vterum dilanient: sed leniter & placidè vteri partes contrectent, dulci oleo locos perfundentes, neque parturientes citò in sella collocent. Sed obstetrices priùs os vteri tangant, & cùm ita dehiscat, vt ad fœtus transitum pateat, tum in subsellio collocent, & adhortentur, vt strenuè expellant spiritum detinentes, id est ad inferiores partes propulsantes, nõ in gutture congregantes, vt quædam faciunt imperitę. Eoque tempore vbi partus sit difficilis, corallum, aut lapidem Aëtitem seu aquilæ, aut styracem, aut coriandrum viride, seu polygoni radicem in dextro crure alligare conuenit. Detur & ʒj. stercoris accipitris seu falconis cum vino albo, aut aqua capillorum veneris, vel tantundem cinnamomi, vel cassiæ. Aut detur hic puluis qui recipit fimi accipitris ʒj. cinnamomi, cassiæ ana gr. vij. croci gr. iiij. misceantur, & cum pauco vino albo odorato, aqua capillorum veneris, aut florum citrangulorum, exhibeatur. Detur & castorei, vel myrrhæ ʒ ß. aut ℈ ij. cum granis quatuor cinnamomi. Alij dant ʒj. trochiscorum de myrrha, vel decoctum cicerum rubr. ac fœnugræci cum oleo amygdalarum dulcium. Quòd si parum cinnamomi, croci, aut cassiæ, seu alterius prædictorum permisceas, cõfert. Excitentur & sternutamenta, modò parturientes non sint imbecillo capite præditę. Speciatim in difficultate parturiendi ex immodico frigore vterum coarctante in aëre mediocriter calido collocetur paritura, & in eo gestatione eam mouere conuenit: modò febris, vel quid aliud non prohibeat. Nonnulli quassationes validas, sternutamentisque ciendis idonea adhibuerunt. Opem etiam ferre cõuenit per insessus calidos, & suffitiones, ac perfusiones oleorum tum actu, tum potestate calidorum, itemque per illitiones ac cataplasmata. Quare infundatur largiter oleum dulce, & calidum. Item decoctũ fœnugræci, malua-

Curatio difficultatis partus ex frigore immodico.

rum, vel

rum, vel ſeminis lini, deinde & pubem cum abdomine & lumbis illinire oportet ijſdem medicamentis, aut aliquo relaxante medicamento alio, vt hydrelæo, & huiuſmodi. Ea laxamenta conueniunt à balneis. Sunt autem inungendæ partes perinæi & caudę quas dilatari oportet, non os pubis. Si ob calorem immodicum vires exolutæ ſunt, condenſantibus, & firmitatem inducentibus roborare oportet: vt ſunt inſeſſiones ex myrto, pampinis vitis, malis punicis, aut roſis. Odoramenta etiam fiant ex aqua roſata, myrtillorum, & nymphææ cum aceto, addendo parũ ſantalorum, & corallorum rubrorum. Conuenit quoque vnguentum ex vino, & oleo roſato frigidis. Nec minùs cibis & potionibus refocillanda erit facilis coctionis, multi nutrimenti, ac modicę quantitatis, permixtis ſemper quibuſdam aſtringentibus, vt cydonijs, malis punicis. Buccellæ panis vino imbutæ ad arcendum animi deliquium offerantur. In aëre parum frigidiori degat. Si ob lumborum cauitatem, aut nimiam pinguedinem pariendi difficultas contigerit, puerpera in ſella prona flexis genibus collocetur, ſeu in lectulo, vt vterus delabens ceruicem rectam extendat: atque idem è directo hoſtioli habeatur. Quod quidem cæratis, oleis, pinguedine, delinire digito oportet, & penitùs aperire. Idem oſculum vbi clauſum manſerit, pinguibus medicamentis emolliatur ac relaxetur. Conueniet fotus ex decocto maluarum, fœnugræci, ſeminis lini, & intra vterum proderit parũ eius cum oleo amygdalarum dulciũ infundere. Si mulier imbecillis fuerit propter morbum præcedentem, aut aliquam vacuationem, aut diſſolutionẽ ſpirituum, alenda eſt cibis euchymis multùm nutrientibus, vt vino & ſucco carnis. Si timida eſt ac puella, addatur illi animus. Si inexpers dolorum, monenda, vt validiſſimè ſpiritum comprimat ac contineat, & ad illa validiore conatu protrudat. Si ex longa defatigatione fiat imbecillis, optimum eſt dare confectionem Alkermes, aut potionem parare ex ambra, diamoſcho, diagalanga. Cùm autem puer incipit apparere, rum retento ſpiritu conetur expellere, innitatur capite & manibus, cruribus diductis, vt adiuuet pueri motum. Puero emiſſo, obſtetrix χρεὼν teneat, & ſi poteſt eodem ſpiritu & conatu ſecundam deij-

Difficultatis partus à calore immodico cum ratio.

Si ob alias cauſas ex parte parientis fiat partus difficultas, cum ratio.

ciat. Vel vngatur vulua oleo cõuenienti, & finatur rursum quiescere, si imbecillior adhuc sit: postea conetur eijcere. Si vesicæ calculus affuerit, is primò propellatur, & si eadem lotio plena fuerit, id educendum. Si intestinum excrementis plenum est, per clysterem mollem & lenientem eluetur. Si partus est difficilis ob inflammationem, abscessum, vlcus, tumorem laxum, aut durum, seu ob carnem collo vteri adnatam, aut aliquam etiam tunicam, vel ob quempiam alium morbum, singulis his affectibus occurrendũ. Si eiusdem vteri paruitas causa est, loca pinguedine inungantur, ac foueantur, & os vteri dilatetur, vt supra diximus. Et hæc quidem de difficultate partus quæ fit vitio parientis. Si verò propter fœtus imbecillitatem aut paruitatem difficultas partus contingat, exhortanda est mulier, vt medijs abdominis musculis quàm strenuè fœtum conetur expellere. Si propter fœtus figuram præter naturam est difficultas, ad naturalem situm est reducendus, quantum eius fieri potest, partim pellendo, partim educendo, partim flectendo, partim in rectum agendo. Si manum vel pedem præmiserit, ne attrahatur per membrum. magis enim impingitur, aut luxatur, aut etiam abrumpitur. Verùm digitis humero fœtus aut coxæ affixis, in conuenientem locum reducatur, quod præmissum est. Si cum fœtus figura mala os vteri coarctatum fuerit, priùs ab osculo vteri in sublime eleuetur fœtus, postea rursum ad osculum dirigatur: fiantque omnia placidè, leniter, ac citra compressionem, oleo assiduè locis affuso. Vbi infans permagnus fuerit, aut totus, aut ob capitis, & thoracis, aut ventris magnitudinem, ea adhibenda sunt tum intus, tum extra, quæ laxare ac dilatare os vteri possunt. Præstaret tenui victu & missione sanguinis septimo aut sexto mense extenuare fœtum & minuere, potissimũ si mulier puella sit paritura. Sunt enim obesiores fœminæ, cùm nascuntur, quã mares. Verũ vbi nec sic procedat, aut etiã infans mortuus fuerit, modò spes sit salutis vtero gerentis, omnino necesse est fœtũ secare: & ad fœtus extractionem quam Græci ἐμβρυουλκίαν vocant, veniendũ est. Modum verò sectionis apud alios reperies. Si gemini vel terni fœtus fuerint, aut collum obsederint, aut etiam plures, reliqui ad fundũ vteri repellantur,

Si difficultas est ex parte fœtus, curatio.

repellantur,& qui magis paratus videbitur,educatur priùs. Sessim & citra contusionem omnia fiant, locis oleo perunctis. Si ratione membranarũ fiat difficultas, vbi secunda solidior aut crassior fuerit,quàm vt rumpi possit,discindatur. Si propter tunicarum tenuitatem in quibus humor continetur,fiat partus difficilis, propterea quòd humor in membranis contentus ante debitum tempus effluxerit, ita vt vteri fiant reliccati,eis albumina ouorum,cum maluę aut fœnugræci decocto excolato:aut cum ptisanæ cremore tepido infundantur. Puluis ad difficultatem partus. ℞. cinnamomi ʒ ij. myrrhæ,cassiæ ligneæ vtriusq; ℈ j.succini candidi ʒ ß. terantur singula,& fiat puluis subtilis. de quo in vino odorato detur pondus ʒ j.vel ℞ diambræ,aut diamoschi ℈ j.puluis diagalangæ,& diarhod. abb.ana ʒ ß.vini albi ʒ iij. aquæ betonicæ,melissæ,buglossæ ana ʒ ij. fiat potus. capiatur ventriculo vacuo. Dum laborant mulieres in partu, caueant ab aere frigido, neque siccentur pannis nimiùm calidis.

Difficultatis ex parte membranarum cura.

Defœtu mortuo extractione, & de secundis retentis, vel derelictis.

CAPVT LVI.

SI mortuus est fœtus, celerrimè debet educi. Moritur autem ob alimenti defectum,aut eius prauitatem, aut plethoram,ob quam sanguine impletur fœtus, aut solutis acetabulis, saltu,vel ictu,vel tussi,vel sternutatione,aut humiditate nimia laxatis, aut bibitis medicamentis quæ validè menses prouocent,aut potu amarorum,aut nimia inedia præcedente, sanguinis missione, aut purgatione. Fœtus autem mortui signa sunt, si fœtus non mouetur, sed decumbente fœmina in latus, in id deuoluitur ac decidit, grauat etiam plus quàm ante mortem, mammæ extenuantur; aut altera, si è duobus alter mortuus sit, atque eundem abortiet. Humiditates ab vtero manant,corpus vtero gerentis languet, albicat, mollescit, mulier segnis fit,caput dolet,oris fœtor sequitur,palpebrarum inflatio,visus tenebrositas, ciborum inappetentia, & iam putrescente fœtu,ichores manant ab vtero, tempora

pulsant, malæ rubent, febres excitantur & horrores, fitis, atque turbulenta insomnia. De qua re alij sic, & in eandem propè sententiam: Si fœtus vita caret, venter nihilo secius ac si hydrope vrgeretur, intumescit, distenditurque, & cadaueris pondere oneratur. Idem, simulque latera refrigescunt, quæ antea caluerant, ingens dolor circa vmbilicum versatur, stomachus mordetur, spiritus malè olet, oculi minuuntur dolentque, nares atque aures frigidæ fiunt, totus vultus praua colore fœdatur: ipsa mulier crebrò inhorrescit, & in animi labitur defectionem, interdum conuulsionibus quasi comitialibus distenditur. Ferè autē semper graui vigilia vrgetur. Similia his accidunt symptomata, si secunda retenta est, de qua dicere iam tempestiuum est. Quod χορίον Græci, atque interdū ὕστερον, seu δευτέριον nominant: Latini secundam, & secundas appellant: ob id quòd velut secundum domicilium ac receptaculum sit ab vtero, & velut fœtus indumentum. Hæc autem quoniam ex vmbilico pueri hæret, & vmbilicus postremus ex vteris exit, (Nam si prior exiret, non accederet per ipsum puero nutrimentum,) quoniam ex ipso dependet, propterea fœtu excusso foras prodire debet in naturali partu. Quoniā verò contingit, vt fœtu in lucem edito, ipsa præter naturā detineatur, quomodo huic retentioni occurrendum sit, ostendemus. Ac quòd in eius detentione vterus quodammodo afficiatur, & quòd eadem detenta, morbus sit in numero atque excessū, nemini dubium est. Detinetur autem, propterea quòd os vteri clausum sit, ita vt foras prodire nō valeat. Aliam causam referunt alij, nempe quod ob dolorum vehementiam retractus ac veluti conuulsus vterus, sic secundam colligat ac comprehendat, vt neque secundam expellat, nec eandem permittat extrahere. Quòd secunda post partum vel aborsum adhuc vtero sit alligata, deprehenditur, quod neque medicamentis, neque vehementissimis conatibus sit deiecta: & quod ante tempus puer fuerit emissus, idque sine magnis doloribus præcedentibus. Quomodocunque secunda detineatur, non statim ac violenter extrahenda est: neque eius eductio negligenda. Cùm diu detinetur, cerebro, cordi, ac stomacho nocumenta haud exigua communicat, vaporibus ex ea eleuatis,

χορίον quid.

Pars affecta.
Affectus.
Causa.

Signa.

Prognostica.

eleuatis,& ad iam dictas partes traductis. In fœtus mortui eductione prodest insessio in decocto fœnugræci, maluarum,& seminis lini, aut ex eorundem decocto pudenda fouere, aut vaporem prædictorum & rutæ per infundibulum recipere. Aut cum vngula asini suffiatur per infundibulum, aut idem fiat cum capite sardinæ salitæ, aut gagate lapide, atque os vteri conuenit oleo susino, & anethino inungere. Præterea galbani & benzoini ana ʒ ß. in oleo irino liquétur, in quo pessus madescat & immittatur, aut dectum colocynthidos per metrenchytam infundatur. ℥. pulueris sabinæ, asari, myrrhæ ana ʒ ß. bibantur cum decocto gentianæ,& rubeę. Ea non tantùm educunt fœtum mortuum, sed & secundam. De qua vt loquamur pluribus, si erit educenda, confestim excitetur sternutatio,& spiritus detineatur, ac os & nares obturentur, præsertim si imbecilla mulier non fuerit. Quòd si nec exciderit, sed adhuc remanserit, vbi vteri os clausum non sit, si eadem secunda instar pilæ circa aliquā vteri partem constiterit, sinistram manum calidam oleo inunctam, seu pinguedine quadam pinguefactam in vteri fundum immittere oportet, & acceptam secundam leniter attrahere. Verùm si vteri fundo connexa fuerit, similiter manus obstetricis immittenda est. Sed apprehensam secundam non statim trahere oportet, propter vteri prolapsus timorem, neque violenter admodum, sed sensim primùm nulla violētia adhibita in obliquum planè ducenda erit, huc illuc eam circumagendo: dein paulò valentiùs. Sic enim obediet, & à connexu dissoluetur. Si os vteri conniuet, remedijs ad hoc superiori capite dictis vtendum est. Et vbi vires non fuerint inualidæ, etiam quæ sternutamenta prouocant, adhibenda sunt. Quare perfusionibus pinguibus vtemur, & per sinistræ manus digitos, os vteri clausum leniter aperire, ac paulatim dilatare conabimur. Quòd si neq; sic successerit, rursum vteri perfundendi sunt, ac pinguia fomenta eisdē adhibere conuenit; nec non superiorem ventrem ex cruda hordeacea farina aqua calida ac oleo subacta integere. Similiter & potionibus menses cientibus vtendum. Suffitus admoueantur per aromata, qualia sunt casia, nardus, flos iunci odorati, artemisia, sabina, dictamum, pulegium, & *Curatio.*

huiusmodi, cui mulier insideat pannis contecta vndique. Postea si osculum sit apertum, iterum manus immittenda erit, & educetur. Si neque sic educta erit, diacetanda non veniet. Nec pertur bari oportet, quia intra dies paucos putrefacta, & in saniem dissoluta excidet. Quoniã verò grauitate odoris caput replet, & stomachum peruertit, suffitus conuenientes excitentur: inter quos præualent cardamomum, & ficus aridæ. Ad hunc vsum probata sunt bdellium, sabina, thus, styrax, lapis gagates, vnguis odoratus, ladanum, & similia: quæ cum hoc quòd odorata sunt, prædictis malis aduersantur; & secundam subducunt. Detur & castorei ac pulegij ana ʒj. ex aqua mulsa bibenda. Trochiscorum de myrrha ʒj. vel tantundem carabe confert, maximè si cum magno fluxu sanguinis sit. nam omnes secundas deijcit, & sanguinem fluentem retinet. Decoctum, vel aqua fabarum destillata, vt & aqua florum croci deterget, & secundas pellit. Decoctum etiam sabinæ, cinnamomi, baurax. Eadem fœtus è corpore expellunt. Ab alijs hæc præscribuntur: Secunda si fœtu egresso remaneat, adhibeantur balnea, vnguenta, & cætera remedia in maturatione partus commemorata. Nam putrescere solet, vterumque putrefacere, & mala symptomata inducere: interdum mortem. Sternutamenta fortia cienda sunt pipere & elleboro pulueratis, & flando in nares immissis. Si non exierit his peractis, vnguentum basilicum in vterum immittatur, vt eam putrefaciat. Putrefactam natura expellet postea.

De vteri inflammatione. CAPVT LVII.

Pars affecta.

VTERVS interdum (vt reliquæ partes corporis) inflammationem patitur. In ea quòd vterus pars sit affecta, ex notis proprijs dignoscitur: de quibus paulò post.

Causa.

Quid autem sit inflammatio, & quo in genere morbi reponatur, sæpius antea declaratum est. Phlegmones verò vteri causæ, nonnullæ externæ possunt esse, simulatque internæ. Externæ quidem, ictus, multitudo coitus, abortus, atque sinistrè editus fœtus, vteri compressio ab onere, dura sella, longa intentaque deambulatio, validus corporis motus, fla-

tus, flatus, atq; etiam frigiditas vterum astringentes, adeò vt transpirationem prohibeant. Retinetur & sanguis propter frequentem cucurbitularum appositionem supra vterum. Internæ verò, mensiũ suppressio, totius corporis plenitudo, ac eiusdem vteri exulceratio. Vteri phlegmone iuxta alios fit magna ex parte ex sanguine menstruo, eique aliquando alius humor admiscetur, ita vt pro humore mixto phlegmone erysipelatodes, vel œdematodes nominetur. Modum generationis eius quidam volunt esse à tenui feruidoq; sanguine è vena caua per tenues venas in illius substantiam effuso, qui collectus, accensus, ac putrescens phlegmonem parit. Malum certè in ceruice, quàm in vtero frequentius. Hanc inflammationem indicat ardens dolor ac pulsans, muliebrium locorũ, pubis, imi ventris, lumborum etiam ardor, distentio, atq; grauitas inest: & si digitus in os vteri submittitur, occurrit ad contactum durum, clausum, feruens, ac retractum, præsertim si in ipso, aut in collo fuerit inflammatio. Nam licet oris compressio commune sit signum conceptionis & tumoris præter naturã, id tamen ex duritie distinguitur. molle siquidem est gauidis. Quoniam verò diuersas sedes occupat phlegmone, si in anteriorem partem deuergit, in pubem dolor inclinat, & vrinæ difficultatem, vel stillicidium parit. Si posteriora magis inflammantur, aluus cohibetur, & dolor lumbos fatigat. Iam si in latere plus vlcij est, protinus inguen intenditur, crura grauantur, ac ægrè mouentur: & quibusdam crus ipsum quod è regione est, per incessum claudicat: quin etiam in coxam dolor transit. Eiusdẽ quoq; partis dolor cum grauitate nonnihil significare potest. Et vbi cauitas seu fundũ vteri fuerit inflammatũ, dolor cũ tumore infestabit, vt ne cõtactum foris admittat. Plerunq; etiã vterus in eam partẽ declinat ac retrahitur, qua inflammatus est, & ob eam cãusam os, & eius collum auertitur. Semper autẽ acuta febris adest, & multus capitis dolor, (quòd vteri venas habeant plurimas, grandissimásq;, vnde calent: hinc vaporum copia plurima ad caput subuolat) magísq; anteriore eius parte, & circa radices oculorum, brachialis, digitorum, & colli conuulsio, inclinatio in aduersum, stomachi ex consortio dolor, nausea, & singultus. Ipsa *Signa.*

autem fœmina adeò parum commodè in omnem partem corporis mouetur, vt non sedere, non surgere nisi summa difficultate, non pedibus ingredi, nisi quadam claudicatione possit. Inualescente ac augescente phlegmone, consequuntur animi deliquium, exolutio, singultus, pedum torpor, genuum refrigeratio, extremarum partium exudatio, vrinæ ac stercorum recrementa supprimuntur, deliriant, dentibus frendent ægrotantes, febres magis augentur: quæ sunt synochis connumerandæ, cùm ex putrido sanguine excitentur. Inflammatione verò in abscessum transeunte dictæ notæ intensiores sunt, dolores circa puris generationem augentur, ac febres, quæ cum humore plerunque ad vesperam ingruunt, ac inordinatæ accessiones ipsis obueniunt, primis quidem temporibus intensè cum doloribus, ad vltimum vbi suppurauerit, aliquantulum remittunt. Id temporis pus erumpit, aliàs in vteri cauum, aliàs in abdominis spatium, ibiq; inter intestina subsistens, copia imum ventrem distendit, ac veluti pondere onerat. Si in scirrhum permutabitur, febris, dolor, & reliqua leniora symptomata remittuntur, tumore tamen ac renitentia permanentibus cum grauitate, & ægro motu non solùm crurum, sed totius corporis, ac segnitie ad omnes vitæ functiones. Inflammationem vteri sequitur nonnunquã dolor in lateribus & costis, qui quandoq; ad clauiculam vsq; protenditur, & quia ob septi trãsuersi compressionẽ si magna est, sequitur vteri suffocatio, si minor, magna spiraudi difficultas, minùs exercitati Medici Pleuritidẽ existimant, ignorantes consensum vteri cum septo transuerso, & clauicula Integitur enim peritonæo vterus, & eo solo firmatur ac retinetur à parte superiore. Quare si distenditur affatim, & in maiorem molem accrescit, distenditur vnà peritonæum, & hypezocos membrana, ob illam vnionem quæ fit in septo trãsuerso ex peritonæo & hypezocote. Deterior est inflammatio, quæ plures partes occupat, quam quæ pauciores. Similiter quę os & ceruicem fatigat, minùs periculosa est, quam ea quæ fundum seu cauitatẽ, quoniã promptiùs curationem admittit. Si vtero gerenti erysipelas in vtero fiat, lethale est. Inflammatione tamen existente potest fœtus viuere, si exigua extiterit, ex qua nedũ ma-

Prognostica.

ligna,

ligna, verùm etiam nec acuta febris gignitur, etiamsi in iecore, vẽtriculo, aut septo transuerso orta sit. Grauissimum malum est, quæ totum vterum occupat. Vteri inflammatio quandoque in scirrhum, ratiùs in cancrum, sæpius in abscessum vertitur. Hæc pars facilè scirrhum patitur, quod caro eius densa sit, & fluxiones acceptas pertinacissimè seruet. Pus si per vteri cervicem excluditur, id si album, læue, & æquale, & odoris non mali, sanitas fœminæ redditur. Si virulentum est, malè olens, & multis coloribus variegatũ, scire licet rem in periculo esse. A principio igitur curationem instituemus, in domicilio obscuro & tepido ægram collocantes. Somnum moderatum præcipiemus. Nam & vigiliæ in initio conferunt magis, quam somnus. Prohibent enim inflammationem augeri, cùm in visceribus ea generatur. Interdicemus omni motu, & maximè quietem crurum imperabimus. Alui excrementa molli clystere infuso eluemus frequenter. Animi affectus immodicos vitari iubebimus. Cæterum victus pertenuis esse debet, adeò vt à cibo per triduũ abstineant, nempe incipiente inflammatione, aut vrgente. Deinde pane loto aut ptisana, seu eius cremore, ægra alatur, aut iure pulli, aut amygdalato; ad finem verò ouorum vitellis, atque vbi parua inflammatio fuerit. Pro potu aquam hordei, aut seminum coriandrorũ præparatorum decoctum, seu ipsammet aquam modicè calidam dabimus. A vino autem abstinendum est. Deinde artus seu extremas corporis partes manuum præsertim, auersionis gratia perfricabimus. At si vehementior phlegmone fuerit, neque vires, aut ætas, aut habitus, seu anni tempus obstiterint, neque inflammatio post aborsum, aut nimiam sanguinis vacuationem superuenerit, confestim circa initia cubiti vena secetur, & sanguis pro ratione virium detrahatur. Licebit autem in secunda die venam incidere; in tertia detractionem repetere. Quòd si euacuationem simul cum deriuatione requirimus, crurum venæ secandæ erunt. Exigua verò existente inflammatione, valentibus viribus, potissimum vbi corpus totum plenum nõ fuerit, & inflammatio iam facta sit, tali vena incidatur: & si opus est, eadem sectio iteretur, rectitudinem seruando. Iuxta id alij sic: Venarum quæ sunt in cruribus sectionem

Victus ratio.

Reliqua curatio.

in inflammationibus vteri factis, cumq; iam partem obsederunt, prodesse nouimus: non parum aũt lædere, si incipientibus inflammationibus pudendorũ & vteri quis crurũ venas secaret. Si verò aut ætas, aut habitus, aut anni tẽpus, & sequens inflammatio aborsum, aut magnã aliquã sanguinis vacuationem, vt dictũ est, sanguinis missioni obstiterint, loco sectionis venæ internæ, cucurbitulę affigantur natibus cum scarificatu: loco verò sectionis venæ poplitis aut malleoli, sũper costas affigantur. Vbi mitior reddita fuerit phlegmone, leui quadam purgatione vti conuenit, etiam pro deriuatione perficienda: vt cassia, melle aëreo, saccharo violato, catholico, & consimilibus. Dein ventri, pubi, lumbis, fotus, irrigationes seu epithemata ex vino & oleo, & vino & oleo rosato admixto imponantur. Et vbi hæc non suffecerint, cataplasmata applicentur ex farina hordei, seminis lini, fœnugræci, vitellis ouorũ assatis cum rosaceo, & decocto capitum papaueris & meliloti, ac exiguo vino seu aceto compositis, aut etiam ex palmulis vino diluto decoctis cum farina hordei, & oleo rosato seu citoniorum. At si erysipelatis naturam participauerit, quod ex igneo calore percipies, intybum, sedum, polygonum, portulacam, plantaginem, ac vitis pampinos cataplasmati apponito. Si cataplasmatum onus loci non tolerent, aqua rosarũ admixta ex modicis interuallis affundatur. Hoc tempore in pudendum subdatur aliquis succus prædictarum herbarum. Pessi figurentur ex prædictarum herbarum foliis contusis, aut succis, rosaceo, melino, lentiscino, ouorum vitellis crudis siue assatis, anseris pinguedine, & exiguo croco. Vbi dolor multus excruciat, lachrymæ papaueris exiguũ cum lacte muliebri & succo fœnugræci apponendum exhibeto. Etiam insessus sunt vtiles ex decocto fœnugræci, seminum lini, maluarum, artemisiæ, & olei præcipuè post principium. Postquam inflammatio declinare inceperit, ad ea deueniendum quæ laxare ac discutere possunt. Proinde in fœnugræci, althææ, seminis lini, interdum etiam pulegij, marrubij, saluiæ, & artemisiæ decocto ægra insideat. Obseruandum verò, quòd nec in distensionibus, nec in inflammationibus vteri menses prouocandi sunt. Etenim loci magis distenduntur, & cum ob inflammationem

mationem concluſi ſunt, ſanguinis tranſitum impediunt. Vbi curatio proceſſerit, tenuis victus, & ciborum parſimonia tollatur, & manifeſta iam facta declinatione, balneum ac vinum concedi poſſunt, & cibi reficientes exhiberi. Si inflammatio non diſcutitur, ſed ad ſuppurationem vergit, ſuppurationi auxilium ferendum eſt. Itaque imo ventri ac lumbis cataplaſmata imponantur ex lini ſemine, fœnugræci, farina hordei, caricis, althææ radice, ac terebinthina. Quo etiam tempore pudendi ſinus per ſpongiam foueatur: & vapores per arundinem operculo ollæ perforato inſertam intra pudendum recipiantur. Demum inſeſſiones frequentes fiant decoctis in aqua his quæ vim attractoriam habent, velut eſt pulegium, marrubium, laurus, ſaluia, artemiſia, dictamum, centaurium. Item peſſuli indantur ex terebinthina, myrrha, œſypo, anſeris pinguedine, & butyro compoſiti. Aliquando etiam columbinum ſtercus cum melle & oleo pro cataplaſmate adhibebimus. Diſrupto abſceſſu quibus vtendum ſit medicamentis ſequenti capite docebimus. Si non ad ſuppurationem vertatur inflammatio, ſed ad duritiem vergat, mollientibus pugnandum eſt, tum intus tum extrà adhibitis medicamentis. More noſtro inunctiones initio fiunt repellentes: & vt ſint efficaciores, additur ſuccus plantaginis, vel ſemperuiui. Materia in his tumoribus calidis intra dies tres aut quatuor ad ſummum fluit. Itaque intra diem quartum ſi fieri poteſt, reuellatur, & repellatur. Fiunt & cataplaſmata dolorem ſedantia, & digerentia. ℥. radic. maluæ, althææ, violarum ante m̄.j. florum violarum, chamæmeli, meliloti ana p.j. contundantur herbæ, & per cribrum tranſmittantur, ſemper aliquid decoctionis addendo, adde farinæ hordei quart.j. ſeminis lini quartarium ſemis, olei roſar. quart.j. miſce. fiat cataplaſma. Fit etiam aliud ex mica panis cum lacte cocti, & oleo chamæmelino. Iniectiones quoque fiunt repellentes ex aqua plantaginis, ſolani, vbi aliquid reſudat ex parte inflammata. His admiſce decoctum hordei, vel parum ſacchari roſati, & infunduntur per metrenchytam. Sic ſerum lactis, lac recens mulctum infunditur. Poſtquã conſtiterit fluxio, fit aliud cataplaſma

Curatio iuxta recentiores.

digerens. ℔. radicis liliorum & bismaluæ ana quart. j. maluæ m̃.j. artemisiæ m̃ ß. florum chamæmeli, meliloti, anethi añ. p. j. fiat decoctio. Contundantur. adde postea farinæ fabarum, & hordei ana q. j. pinguedinis porci ʒ iij. butyri recentis ʒ ij. ol. chamæmeli & liliorum añ. ʒ j ß. misce. fiat cataplasma. Diutiùs autem non est vtendum repellentibus, ne inflammatio vertatur in scirrhum ob congelationem: & in declinatione malactica addenda sunt. Emplastra digerentia ex lachrymis multùm laudãda sunt, vt quod est in parte discutiant, & euacuent. Pars materiæ aliquando deriuatur ad vrinam, aliquando ad intestina, aliquando ad os vuluæ. Quæ autem remedia his omnibus modis promouendis conueniant, docent alij.

De exulceratione vteri.

CAPVT LVIII.

Exulceratio quid.

VTERVM exulceratum esse non dubitabit, qui notas paulo pòst dicendas considerabit. Exulceratio verò seu vlcus, est solutio continui cum pure. Pus est genus sordi & saniei commune. Leuior autem exulceratio interdum vtero eiúsue ceruici inuritur, quæ interiorem pelliculam corradit, aut excauat modicè: aliàs in profundo recondita est. Non vnam habet suæ originis causam. Fit enim quandoque à partu difficili, quo aut grandior fœtus editur, aut etiam aduersus, aut corruptus vi miserè extrahitur, nempe cùm difficilè peperit mulier, & obstetrix imperita, aut fœtus sua magnitudine vterum læsit. Idem in abortu, aut in fœtus mortui extractione euenit. Non rarò fit ex disrupto abscessu, aut fluxione erodentium & acrium succorum, seu post fluxus muliebres acriores: vt etiam ab acribus medicamentis appositis vt sabina, semine nigellæ, & alijs fortioribus. Fit & ob contagionem morbi Gallici, aut propter recrementa retenta & putrefacta circa pterygia vteri. Fiunt & vlcera in vteris, puerperij purgamentis putrefactis. Violentus præterea concubitus, & effrenis in causa esse potest. Ab omni exulceratione dolor subest acris, mordax, & exedens sanies, & colluuies manat: eaq; copia, & substantia, & colore varia est. Nam ex

Causa.

Nota.

interuallis

interuallis fœtidi ac sanioſi humores ab vlcere sordido prodeunt. Conſequuntur & alia vtero affecto peculiaria, vt capitis, sincipitis dolores, atque ad radices oculorum, qui & ad digitos manuum & pedum extenduntur, & ceruicem moleſtant, & in cute punctiones sentiunt, & subitas totius corporis mutationes frigoris & caloris, & diſcurrētes horrores. Manat etiam nonnunquam fœtidum pus & praua sordes, quæ exteriores ipſas partes exulcerat, & erodit. Si prompta in conſpectum venerit exulceratio, ſpecillo oricularis deprehenditur. Si profundior eſt, diuerſus pro vlceris diuerſitate excernitur humor. Namque eo inflammato paucus, cruentus, fœtidus cum magno dolore vacuabitur. Si sordidum vlcus extiterit, copioſior humor & sanies cum minori cruciatu profluet. Depaſcens ſi fuerit, vt proxima quæque loca eroſione violet, fœtidus, niger cum doloribus vehementibus ac alijs inflammationis ſignis aderit. Præterea quæ laxant medicamenta, hoc irritant: contraria leniunt. Cùm purum fuerit vlcus, humor paucus, æqualis craſſus, candidus, minimè fœtidus excernetur. De hac exulceratione alij ſic meminerunt. Rupto atque exinanito abſceſſu ſordidum vlcus manet, ſub quo acer mordaxque oritur dolor, ſanies & colluuies fertur, non eadem vſque copia, atque colore. Odor hîc modò grauis adeſt, modò nullus: ſic vt ab albo fluore vteri quod exit, profectum eſſe credatur. Si in vteri ceruice malum inhæreſcit, ipſo etiam deprehendi tactu poteſt. Sin altiùs inſedit, eorum quæ efferuntur nota eſt. Quæ poſt abſceſſus fiunt frigidos vlcera, ſordida eſſe ſolent: quę poſt inflammationem a ſanguine, & quæ poſt eryſipelas, virulenta & depaſcentia ſunt: quæ poſt ſcirrhum, gangrænoſa: quæ poſt morbum, Gallicum, dyſepulotica, & Chironia. Singulas cauſas ex loquela ægrotantium percipies, partim ex te ipſo ea quæ præceſſerunt, vel comitantur, conſiderando. Nullum vteri vlcus contemnendum eſt, ſed quam primum fieri poteſt curandum. Cùm enim vterus vniuerſa excrementa recipiat, & neruoſæ ſubſtantiæ ſit, non facilè curantur eius vlcera præcipuè diuturna. Promptiùs curantur quæ in conſpectum veniunt, quàm quæ profunda ſunt, & pura & ſordida faciliùs, quàm quæ depaſcentia. In eandē ſententiam

Prognoſtica.

alij sic: Si magna non sint vlcera, curata celeriter saneſcũt.

Curatio.

Diligẽter citoq; curanda sunt, quia in loco tenero, & multa cum eo cõmunicant. Si ex redundantibus vitiosis succis exulceratio fuerit orta, purgantibus medicamentis priùs vtendum, præsertim cùm præparati fuerint qui redundãt humores. Et vbi cum inflammatione vlcus fuerit, venæ sectione, & alijs medicamentis purgantibus ad illam scriptis vtendum. Deinde adhibenda sunt, quæ humorem reprimunt, atque calidam intemperiem corrigunt: vt est liquor stillatitius portulacæ, plantaginis, burſæ pastoriæ, & similes. Deinceps ad vlceris curationem veniendum. Ea victus ratio instituatur, ac eadem exhibeãtur medicamenta, quæ reliquis vlcerationibus renũ potissimum & veſicę fuerunt conscripta. Quod attinet ad topica, si purũ vlcus fuerit, leviter astringentibus atq; exiccantibus vtẽdum erit. Quod vbi conspicuum exister, eisdem illinatur vlcus. Si profundum, eadem infundere oportet per instrumentum ad hoc appositum. Quare rosaceum, aut Tetrapharmacum cum butyro recenti, aut rosaceo infundatur. Eluantur loci rosarum ac lentium decocto: aut ptisanæ, seu plantaginis succo. Præstabit etiam portulacæ aut polygoni decoctũ cum rosaceo. Vbi vlcus sordidum fuerit, detergentibus medicamentis vtendũ: vt ptisanæ cremore, cum melle, vel mulsa in qua fœnugręcũ sit decoctum, aut malua, aut furfures, aut lenticula, cui cortex detractus sit: aut si validioribus detergentibus indigebis, etiã marrubiũ, aut eruum, vel melli adiuncta erui farina, vel iris, aut alumen rotundũ, vel aliquid simile injiciatur: quæ extrinsecus etiã ex mulsa macerata illinuntur. Vtendum est quoq; ad sordida vlcera veteri medicamento quod ex melle, terebinthina, rosaceo, butyro constat, quibus etiam aliqui parum croci addũt. Vlcere depascente robustiora, astringentiaq; medicamenta adhibenda sunt, vt baccarum, myrti, palmularum, lentium, & malicorij decoctũ, si infundatur. Fomẽta & insessiones ex aqua mulsa fiant, in qua absinthiũ, marrubiũ, eruum, centauriũ, aut lentes sint decoctæ. Loci ptisanæ succo eluãtur, addito melle, & rosaceo. Præter hæc & decoctũ rosarum, cupressi, summitates oleæ, malorum cotoneorũ, rubi, lentisci fruticis, rhus coriarij ex vino astringẽti commendantur: &

tur: & post hæc aluminis, acaciæ, lycij, hypocistidis, ex quibus etiam decoctis insessus parari poterunt. Vbi verò nedum depascentia, sed efferata vlcera fuerint, equino aut asinino lacte recèns mulcto eluantur: & in vtriusq; penuria, quodcunq; haberi potest recèns coctum accipiatur. Duabus lactis heminis, mellis hemina dimidia addenda est, & quatuor iridis drachmæ inspergendæ: & tale infusum calidum sæpe singulis diebus infundendum erit. Idem facit mulsa, in qua absinthiũ, aut calamus aromaticus, vel chamæmelum decoctũ sit, & vbi quod infusum est fuerit excretum: loci protinus maluæ decocto eluantur. Deinde pessus subdatur ex farinæ erui & iridis ana drachmis duabus cum melle subactis. Vbi verò depascentia ac efferitas fuerint cohibitæ, ea adhibeantur quæ paulò antè ad vlcera repurgata relata sunt. Cibus quoq; dandus boni succi, modicus. Balneorum, ciborumq; varietate ægrotans solicitari, vinoque refici debet, quo caro statim procreetur. Deinceps ijs quæ ad cicatricem perducunt, primò mitionibus: dein efficacioribus vtendum est, etiam deforis adhibitis abdomini, vt & coxis. Nam quemadmodum cataplasmatum, ita etiam emplastrorum facultas per latentes meatus traducitur. Inter quæ maximè commendatur cæratũ, quod recipit cęræ albæ quadrantẽ, rosacei optimi dodrantem; ad prunas liquefacito, & quadamtenus refrigerato. Dein in mortarium conijcito, ac lacte mulieris, aut asinino, vel caprino affuso cum pistillo subigito, donec totum inalbescat. Dein diffuso priori lacte nouum affundito: & rursus subigito, & croci drachmã vnam admisceto. Est & vnguentum idoneum quod Recipit tutiæ ablutæ drachmas duas, lithargyri, cerussæ, sarcocollę ana partem vnam. cum oleo rosaceo & cæra fiat vnguentum. Et hæc quidem vetustati placuerunt. Iuxta neotericos curantur hæc vlcera corpus euacuando, tergendo iniectionibus, siccando vnguentis, suffumigijs. Multùm siccare oportet tam ob partis naturam siccata, quàm ob recrementa, quibus pars illa abundat. Medicamenta verò detergentia sine morsu esse debent. Optimum est in illis serum lactis injicere cum pauco saccharo rosaceo, vel melle ros. vel decoctũ hordei, rosarum cum melle rosato, vel cum syrupo de rosis siccis.

Curatio ex neotericis petita.

Et decoctum lentium, plantaginis, foliorum myrti, oleæ, ceterach, agrimoniæ, aut aliarum herbarum amararum sine magna calefactione. Absinthium & similes herbæ calfacientes in hac causa non conueniunt. In vlceribus sordidis & pituitosis iniectiones fiunt ex decoctione apij, absinthij, centaurij minoris, fabarum, lupinorum, orobi, quę magis detergent. In his parum Ægyptiaci dissoluimus, vel vnguenti Apostolorum, idque à principio, cùm vlcus obductum est multo pure, & carne putrida. Vlcere sufficienter detersо in prædictis iniectionibus dissoluimus myrrham, aloën, iridem, alia sarcotica, trochiscos albos. Dein veniendum est ad vnguenta resiccantia diapompholygos, de cerussa, de plumbo, & alijs insigniter resiccãubus vtendum. Fumigio etiam tentandum est partem resiccare: faciendum id erit sarcoticis, & fuliginem generantibus, vt lachrymis, resinisque alijs quibusdam permistis. quale est: Recipe thuris, mastiches, ladani, myrrhæ, styracis rub. ana drachmas tres; marchasitæ, lapidis pyritis, auripigmenti rub. ana drachmas duas: excipiãtur terebinthina. Si à morbo Gallico erit vlcus, vtile erit morbi malam qualitatem in toto corpore euincere, & vnguentis prædictis mercuriũ addere. In his omnibus vlceribus stupharum vsus est vtilissimus, quia corpus vniuersum exiccat.

De Scirrho Vteri & Carcinomate eiusdem.

Cap. *LIX.*

Scirrho interdum totus vterus, interdum quædam pars eius obdurescit. Vtrum verò contingat, & quòd vterus laboret, ex notis infrà dicẽdis coniectabis. Scirrhus autem quis morbus sit, sæpius antè commemoratum est.

Causa. Hic verò Scirrhus vt aliarũ partiũ, fit ex humore crasso ac terreno, & sequitur inflãmationes malè curatas, neq; resolutas, neq; in abscessum versas, vel in tẽpestiuũ repellẽtium vsum, vel constringentium in principio, vel in fine fortioribus remedijs discutiẽdo quod tenue est, & quod crassum siccando.

Nota. Is tumor tactu durus deprehenditur atque renitens, cui nullus aut obscurus inest dolor. Stantibus graue pondus (quod in alijs tumoribus obtingit) quasi prolapsũrum

rum incumbit in pudenda: sedentibus verò aut decumbentibus sua grauitate intestinum premit. Incessus difficilis, crurum totiusq; corporis segnities. Difficulter vel vrina, vel aluus redditur. Nonnũquam venter inflatur, & speciem hydropis (qui subinde tamen consequitur) præbet. Scirrhus etiam in Cancrum seu Carcinoma vertitur aliquando ob materiæ similitudinem: Qui morbus est partium organicarum primò in quãtitate: secundò in intemperie, quoniam calidus affectus; & tertiò in soluta continuitate, quoniam ex genere tumorum præter naturam. Carcinoma efficit humor atrabilarius, qui collectus vi caloris efferatur & excandescit. Duplex autem est Carcinoma, vlceratum, & non vlceratum. Non vlceratum magna ex parte fit in corpore vteri: vlceratum verò in collo, vel orificio interiori. Carcinoma si nondum vlceratum est, moles pondere grauis percipitur, tumorque durus colore subliuido. Ab inflammatione seiungitur, quòd diuturnus sit, dolorque minùs lancinans, & febris non perinde ardẽs. A Scirrho autem, quòd calore doloreque fatiget. Carcinoma exulceratum vt nomis malignius est, ita præter cæteras notas labra habet prætumida ac dura, atque ex concreta illuuie sordida & liuida. Sanie quoque id manat graueolente, tenui, & nigra, vel etiam fulua. Vtrunque Carcinoma est incurabile: quia abscindi non potest. Cognoscimus Scirrhum mutatum in Cancrum, si cum prius esset sine dolore ob materiæ frigiditatem siccitatemque, dolorem sentiat ob caliditatem & humoris acrimoniam facientis Cancrum. Sentitur in vtero durities citra magnam molem. Curandi sunt hi duo affectus ratione victus petenda ex capitibus de Melancholia, & Mania. Ex ijsdem quoque petenda vacuandi ratio pro humorum redundantium qualitate. Conueniunt & medicamenta præscripta in declinatione inflammationis vteri. Particularim tamen illis adiungemus, quòd medicamenta Scirrhum curantia sint, vt calor solis, temperata, hoc est tepida magis, quàm calida. Sint quoque humida non multum, tamen nec parum quoque, nec ad siccitatem nimium declinent. Galenus his Scirrhis curandis adhibebat per multos dies emollientia, deinde resoluẽtia. Neoterici vtuntur medicamen-

Cancer quis affectus.

Causa.

Signa.

Prognostica.

Curatio.

A recentioribus usurpata.

tis emollientibus, & resoluentibus mixtis: ℔. ficus quinq; deinde subigantur. accipe de eis subactis ʒ j ß. adipis anseris vel gallinæ, œsypi ana ʒ j, picis nauallis, cęræ citrinæ ana ʒ j ß. ol. de lilio ʒ ß. diachylī cōmunis ʒ ij. liquefiant. Ipsis liquefactis adde pul. iridis ʒ iiij. cineris corticis salicis ʒ ij. subigantur: fiat cæratum quod admoueatur loco duritiei. Vel ℔. rad. liliorum, bilinaluq; cucumeris agrestis ana q. j. ficuū paria viginti, sem. lini, fœnugræci ana ʒ ij. flor. chamæmeli, violarum, meliloti ana p. j. fiat decoctio in aqua & oleo dulci. Ex decoctione foueatur regio vteri. Et ex residentia pista & transmissa fiat cataplasma. Deinde vngatur sequenti vnguento. ℔. butyri recentis, axungiæ porci ana ʒ ij. pinguedinis gallinæ, anatis ana ʒ j ß. ol. amygdalarū dulciū & olei liliorū ana ʒ iij. mucaginis sem. fœnugręci extractæ cū vino albo ʒ j terebinthinæ q. s. fiat linimētum quo vtatur post vsum fotus. Et post vsum vnguēti rursus ad fotum redeundum. Vtilissimum est illis encathismate vti ex decocto fotus præscripti, & diutiùs in illo sedere. Sequēti quoq; iniectione vtendum. ℔. ol. de lilio, ol. chamæmelini ana ʒ j. adipis anseris, medullæ cerui ana ʒ j. bdellij, diss. in vino ʒ iiij. vitellū vnius oui, vini cocti q. l. de his commistis accipiantur ʒ vj. quæ tepidè injiciantur in vterum per aliquot dies. Pessi quoque immittendi sunt: qualis est qui excipit thuris, ammoniaci pinguis ana ʒ j. mastiches, styracis liquidæ, castorei, adipis anseris ana ʒ ij. Cancer aūt redit, nisi curetur cum omnibus radicibus. Quod in vtero fieri nequit. Prohibeti tamē potest eius augmentum medicamentis, & optima victus ratione. Satis est si prohibeamus non vlcerati exulcerationem, & vlcerati incrementum. Prohibemus cancri generationem sanguinis missione è brachio vel poplite, apertione hęmorrhoidum, vt deriuemus humorem melācholicum, frequenti purgatione quæ non multùm calefaciat, quæ euacuet atram bilem, vel crassam pituitam. Vitantur cibi melancholicum sanguinem efficiētes. Iisq; vtendum est quibus cum Cancro pugna est, vt caneris fluuiatilibus. polygono, scolopendrio, chelidonio minore, hemionitide, & harū herbarum decocto vinum diluitur. Extrinsecus & intrinsecus frigidis medicamentis astringentibus eius incrementum prohiberi

beri potest: vt ol. rosato, omphacino, myrtino, succis solani, & plantaginis cum pauco aceto. Permiscentur succi cum oleo & huc embrocationes, vel vnguenta: vel excipiuntur farina, & supra partem admouentur. ℥. succi solani ʒ vj. plumbi vsti ʒ ij. tutiæ præparatæ ʒ j ß. diu agitentur in mortario plumbeo, pistillo plumbeo, & fiat iniectio in vterũ. ℥. cerussæ lotæ, plumb. vsti ana q. v. terantur in mortario plumbeo. fiat in modum vnguenti. Sequens iniectio conuenit vlcerato. ℥. herbæ Roberti, verbasci, scabiosæ, chelidonij minoris, anethi, stercoris humani ana q. v. comburantur, de cinere accipiantur ʒ iiij. quæ stillatitij liquoris solani ʒ ß. excepta in mortario plumbeo agitentur; dein in vterum injciantur.

De Hernia seu Ramice. CAP. LX.

KH'AH Græcis dicta, Latinis Hernia, vel Ramex, vulgo & Barbaris Ruptura, seu Crepatura vocatur. Est autem Hernia tumor scroti, vel inguinis præter naturam. Et quæ in scroto fit Hernia, Oscheocele dicitur, eaq; virorum est tantum. Quæ in inguine; Bubonocele appellatur, mulierũ & virorum cõmunis. Atq; hæ appellationes à loco seu parte desumtæ sunt. Porrò vmbilici ruptio seu Omphacocele Ramicis genus censeri potest, quo sæpe videtur is mirum in modum prominere, intestinis sub cutem prorumpentibus, fitq; cum vmbilici ligatura laxatur. Quemadmodum & similitudine quadam Bronchocele est Hernia gutturis, seu tumor in aspera arteia ex potu aquæ niuosæ, quę Alpinis & alijs montanis in vsu est. Rursum Ramicis propriè dicti in inguine vel scroto videlicet, alię sunt differentiæ materia opplente distinctæ. Nam in Bubonocele seu inguinali ob ruptum vel dilatatũ in inguine peritonæum, per eum scilicet meatum quo vasa spermatica feruntur, intestinũ, vel epiploum, vel flatus ibi descendendo tumorem excitant. Sic si scrotũ intumuerit rupto itidem peritonæo, vel eodẽ relaxato & hiante, si intestini pars in scrotum descenderit, Enterocele: si omentũ, Epiplocele cõmittitur. Ac si in ipsorum testium tunicis humor aquosus collectus fuerit, Hydrocele seu Ramex aquosus dicitur.

Ratio nominum.
Hernia quid.
Ramicis differentia.

Si testes ob carneam quandam substantiam indurati fuerint, vocatur Sarcocele. Si varices circa testes intumuerint, appellatur Cirsocele, id est varicosus Ramex. Partes igitur affectæ satis per se notæ sunt: veluti patet quòd Ramex est morbus organicus, seu in compositione, nempe in quantitate aucta partis Ramicosæ. Bubonocele verò, Enterocele, & Epiplocele accidunt ferè ob ingentem aliquam contentionem corporis, vel mollitiem, & laxitatem peritonæi. Ideoque pueris ob inordinatum motum ac voracitatem hic affectus familiaris est, vtpote vagientibus & vociferantibus nimiùm: perinde vt tubicinibus, concionatoribus, alijsque fortes actiones subeuntibus contingit. Quibus aliæ particulares adiunguntur causæ, ictus, saltus, cursus, vulnus, exufflatio, immensæ molis sublatio, equitatio, denique vehemens quiuis conatus, victus ratio humida, flatuosaque. Accidit autem sæpius, vt peritonæum relaxetur, rariùs vt disrumpatur: ac frequentiùs fit, vt intestinum potiùs, quàm epiploum dilabatur. Intestinum (inquam) quod demittitur, vt plurimùm est ileum. Colon enim hæret firmiùs. Et cæcum breuius est, quàm vt credibile sit eò posse descendere. Interdum simul & omentum, & intestinum descendunt: quod vitium ἐπιπλοκήλην vocauerunt. Aquosus Ramex quandoque ex occulta, quandoq; ex manifesta causa oritur. Ex occulta quidem, quando adauctis vasis in scroto contextis, aquosus humor propulsus, & sanguini permixtus ad eas partes decubuerit. Ex euidenti quando propter ictum collisis aut fractis vasis, sanguis subinde alimenti ratione defluens, in aquosam serosamque substantiam mutatur. Colligitur præterea humor vel intra erythroidem, vel exterius inter ipsam & tunicas adiacētes, vel in peculiari tunica, tanquam in quadam vesica comprehēditur. Alijs causæ sunt Herniæ aquosæ, quæcunque imbecillitant facultatem iecoris concoctricem, quemadmodum in Ascite fit. (quanquam & fit sine hydrope aliquando.) Nam est quidam modus Ascitis Hernia aquosa, cum intra scrotum aqua continetur. Nam & cibi intra peritonæum est. Cùm autem vasorum erythroidis membranæ per quæ alimentum ad testes deducitur, naturalis facultas languet, serescit sanguis, & vasa aqua implentur.

Partes affectæ.
Affectus.
Causa.

plentur. Carnosus Ramex ex latente causa nascitur, testiculo fluxionem experto, induratoq́;, aut ex ictu, aut imperita post Ramicis succisionem curatione. Idemq́; sentiunt qui Herniam carnosam post ictum, post vlcera, & vulnera sequi tradunt. Pneumatocele autem flatuosos humores, vel flatulentum spiritum causam habet. Cirsocele denique seu varicosus Ramex fit à venis vltra repletis, & glomeratis. Notæ porrò vtrique nimirum scroti & inguinis Ramici communes sunt, conspicuus in scroto vel in inguine tumor, qui exercitijs, itinere, spiritus retentione, alijsq́; occasionibus maior quàm priùs euadit. Compressus is tardè quidem recurrit, celeriter autem rursum deuoluitur. Peculiaria Ramicis ad extensionē relati indicia sunt, quòd non vniuersim, sed particulatim temporis spatio, & ob causas quaslibet intestinum deuoluatur, tumor æquabilis & profundus apparet, intestino quod deuolutum est, constricto. Ex ruptura facti Ramicis signum est proprium, quòd vniuersum ab initio intestinum deuoluatur, idque ob causas violentas duntaxat, tumor immensæ magnitudinis, inæqualis, & per summa protinus in cute emineat: quòd scilicet intestina extra peritonæum deuoluantur. De his sic alij. Intestinorum prolapsus agnoscitur doloris vehementia, sonitu, tumoris magnitudine, & fæcis interclusione. Si omentum tantum decidat, minor dolor accedet, & minor moles, & sine sonitu. Si ob relaxationem peritonæi fit, sensim malum accedet, & signa aderunt redundantis humiditatis, & sine dolore eueniet malum: quamuis omento aut intestinis prolabentibus dolor succedat. Et in Enterocele & Epiplocele permanens tumor non est. Nam resupino corpore & intestina, & omentū, vel sponte, vel blando digitorum impulsu remeant. In alijs Ramicis differentijs tumor perpetuus est, nec impulsus in abdominis capacitatem redit. Sono & murmure intestinum reducitur: Epiploum nullo sono, neque rugitu. Illud faciliùs, hoc difficilius. Idem tumor si tangitur, inæqualis est, mollis, & lubricus. Ramex ex laxatione vix aut nunquam extra inguina procedit, ex ruptione prope semper in ipsum promouetur scrotum. Herniarum aliæ quidem curantur, aliæ autem difficulter, aliæ nullam admittūt curationem, vt Car-

Signa.

Prognostica.

nosa; quæ si sit insignis, nullo modo potest curari, sed castratione testis auferendus est. Cirsocele item curationem non admittit, verũ non est molesta, vt Epiplocele. Omenti Ramex ægrè etiam curatur. Vix enim reperiri potest ob tenuitatem & mollitiem omentum, & cedit impellenti, si reducatur. Ramex ex ruptione primis fortè septẽ dieb. nõ difficilimè tollitur, maximeque in pueris, vbi inueterauit, vix vnquã curari nisi manu potest. Quod tamen auxilium anceps, & plenum periculorum est. Bubonocele fit in mulieribus ob fœtus magnitudinẽ: alioqui rarò Hernia laborant, quòd peritonæum firmius continendo fœtui habeãt. Omniũ periculosissima est Enterocele, præsertim si reduci nequit intestinum. Sinistra parte adhuc grauior, vbi colon conuolutum desinit in intestinum, & multa tenuia intestina incumbunt. Quibus dã inde singultuosæ febres, in quibus repositio intestino, mors acceleratur. In alijs non reposito, gangræna. Experientia etiam docuit, paulò pòst mori, quib. vi reponitur. Enterocele & Epiplocele, quemadmodum & Bubonocele, curãtur in primis legitima victus ratione: quæ erit tenuis, & astringens. Viteq; æger omnia flatuosa & crassa. Item satietatem, repletionem immodicam, corporis agitationem, saltum, vociferationem, alui astrictionem. Cauebit & æger à tussi, sternutatione, ab ira, venere, magno conatu in egerendo, & cùm erit egerendum, femora ac tibias inter se componet, loco rupturæ vel relaxationis manum apprimens: vtq; aluus liberè eat, semper procurabit. In idq; catharticis blandis repurgabitur, quæ laxant & astringunt, vt Rheo, myrobalanis, tamarindis: qualia etiam catapotia ex alephanginis & pilulis de bdellio componuntur. Sumitur & cassia per horam ante pastum. Sanus quoque prædicta vitabit, & subligaculum menses aliquot gestabit, quo solo diuturnitate temporis plerique sine alio remedio valetudini sæpe restituuntur. Locus etiam esse potest sanguinis missioni, si plethora adest. Reliquum curationis positum est in intestini vel epiploi in suũ locũ restitutione, & partis per quam excidit confirmatione, ne deinceps in scrotum recidat intestinum. Si fæces in eo induratæ negotium reponendo exhibuerint, seu si induruerit intestinum, priùs remolliri debet,

Victus ratio.

debet, antequam in suum locum reponatur. Ad id valet oleum liliorum, amygdalarum dulcium, butyrum: quibus si non molleſcat, fotu malactico vtendum, vel semicupio ex decocto maluarum, parietariæ, althææ, florum chamæmeli, meliloti, & similium, & inunctione ex oleo amygdalino dulci, vel communi. Postea vt reponatur, æger supinus ita collocandus est, vt crura sint elatiora: mox sensim remittendum, regerendumque intestinum. (Remissi autem in locum signũ erit sonitus quidam, qui exaudietur.) Post repositum intestinum, veniendum ad astringẽtia fomenta, emplastra, cataplasmata. Fotus: ℞. corticis granatorum ʒ j. gallarum ʒ ß. centinodiæ, plantaginis ana m. j. rosarum rub. p. ij. florum chamæmeli, meliloti ana p. j. fiat decoctio in aqua fabrorum, & vino rubro austero cum modico aceti pro fotu cum spongia. Post fotum locus reficcetur: dein emplastrum imponatur, quale erit hoc: ℞. emplastri contra rupturam ʒ ij. mastiches ʒ j. cum oleo myrtillorum fiat emplastrum. Commendatur & emplastrum de pelle arietina. Vnguenta & cataplasmata sunt minorum virium. Fotus alij fiunt, ex symphyto maiore & medio, balaustijs, nuce cupressi, myrtillis, absinthio, hernioſa, floribus chamæmeli, rosis. Quidam addunt medium corticem glandis, cyperum; ex quibus cum aqua fabrorum, & vino rubro astringente, fit fotus partis affectæ. A iunioribus herba hernioſa coquitur cum vino austero, aut aqua fabrorum, & cataplasmatis modo cum farina hordei & fabarum admouetur. Emplastrum verò est conuenientius, quod quindecim vel decem vt minimũ diebus gestatur, nec antè tollitur: cumq; tolli oportebit vt nono vel decimo quoq; die, digitus parti superponendus erit, ne peritonæos tunica attollatur, moxque nouum emplastrum reponendum. Sed quia post reductum intestinũ astringentibus & glutinantibus nõ solùm admotis vrendum est, sed & sumptis, in id præscribuntur potiones, pulueres, opiatæ. ℞. corticis medij quercus, & balaustiarũ ana p. j. plantaginis m. ij. sem. rosarũ ʒ j. osmundæ regalis id est filicis fœminę, herbæ iudaicæ, i. herniariæ, betonicæ ana m. ß. radicis figilli salomonis ʒ iiij. fiat decoctio ad ℔ j. in aqua chalybeata, cui adde in fine vini austeri tertiã partem. Colatur

A iunioribus petita remedia.

& aromatisetur pauco cinnamomo,& santalo citrino. Exhibeantur ʒiij. pro dosi mane quotidie cum ʒj. pulueris sequentis: ℞. herbæ iudaicæ siccæ,betonicæ, symphyti,vtriusque consolidæ, ros. rubrarum ana ʒ iij. mastiches electę ʒj.boli armenij ℈.ij.mummiæ pulueratæ ʒj ß.sacchari rosati pondus dupluṁ.fiat puluis. detur ʒj. ex cochleari post dosim apozematis superioris. Vel ℞. herbæ herniosæ solius quantum voles,vt iñ.iij.terito:vinum rubrum affundito sensim:dato ʒ iiij.quotidie manè. Vel ℞. osmundæ regalis,sigilli salomonis ana ʒj.consolidæ maioris ʒ ß. in semisextariolo vini rubri per noctem macerato.manè ʒ iij.propinato cum puluere prædicto. ℞. cõseruæ symphyti,conseruæ rosarum antiquæ ana ʒj. corticis citri conditi ʒ iij.boli armenij,sanguinis draconis,coralli rubri,diarhodon abbatis ana ʒ j ß.limaturæ chalybis, rasuræ eboris, & cornu cerui ana ℈ ß. cum syrupo myrtino fiat opiata. Detur magnitudo vnius auellanæ dormituro. Si nil proficiatur his,æger chirurgiæ subijciatur. In Hydrocele aqua eo loco contenta cum flatu debet digeri:vel commodo emissario facto vacuari.Itaq; repetendi sunt fotus digerentes capite de Hydrope explicati: & à fotu linimẽtis, & emplastris ibidem commemoratis vtendum est. Quibus si æger parum leuetur, vti etiam possis scarificationibus blandis,& ab ijs superponendæ spongiæ recentes.Tandem verò emissarium faciẽdum per quod aqua effluat.Sed si magis particularẽ expetis curationem, Ramex aquosus, per ea quæ calfaciunt & exiccant medicamenta curandus est, è quorum numero sunt farina fabacea,baccæ lauri,lini semen,dauci,nigellæ,& alia capite de Ascite iam dicta.Idem affectus curatur stercore vaccino, & capratum impositio. Quod si non sufficit, filo ad aquarum locũ transfixo, paulatim emittuntur aquæ. Postea vlcus glutinatur,& parti aquas transmittenti vt hepati,lieni,prospicitur. Alij sic curãt Hydrocelem.Ad humoris vacuationem parãt fotum: ℞. lixiuij barbitonsoris ℔.iiij.in quibus decoque cumini ʒ ij. ceterach,petroselini ana ʒ ß.salis ℔.j.foueatur pars.Si hæc imbecilliora videntur, adde sulphuris ʒ ß. foueatur manè & sero.Postea admouetur sequẽs cataplasma. ℞.stercoris caprę ʒ iij.cochlearum combustarũ cum testis ʒij.sulphuris

Hydroceles curatio.

ris ʒ j. misce. fiat cataplasma. Cirsocele post vacuatũ phle- *Cirsoceles*
botome & purgatione melancholicum humorem, si non *curatio.*
cedat, cancrorum modo eximantur varices. Pneumato-
cele seu ventosus Ramex cum hydrope, & citra hydropem
accidit. Si cum hydrope fiat, curetur vt hydrops. Si sine hy-
drope, vacuẽtur humores pituitosi: roboretur facultas ven-
triculi cõcoctrix. deinde ℔. cumini, baccarum lauri, seseli,
rutę ana vnciam vnam. fiat decoctio in vino leuiter astrin-
gente, & lixiuio. Vel fiat sequs cataplasma: Recipe stercо-
ris vaccæ libras duas; sulphuris, & cumini ana vncias duas:
misce, & addito pauco melle fiat cataplasma. Emplastrũ de
baccis lauri, vel de meliloto idem præstare poterit.

De Ischiade. Cap. LXI.

Internis affectibus pertractatis, vt aliquid de vitijs
articulorum & extremarum partium subiungamus, ad
Ischiadem trãsibimus: quæ vulgo Sciatica, Latinis Coxen-
dicis dolor, seu Coxæ morbus appellatur. Idq; nomen in-
ditum est à parte oblæsa. Os enim quod femoris caput ex-
cipit, coxa appellatur; Quemadmodum si pedum articulis
insit, Podagra; si cũctis aut plurimis corporis articulis, Ar-
thritis appellatur, de qua mox. Ischias igitur dolor est circa *Ischias*
Ischion ab aliqua fluxione ortus: symptoma existens, & *quid.*
non morbus, neque inflammatio. Nam licet fluxione artic-
culatio Ischij impleatur, propter quod & quæ ipsis circum-
iacent ligamenta extẽdi est necessarium, non est verisimi-
le neruos & chordas inflammari, sed tantùm dolere, quo-
niam simul cum articulatione extenduntur: quando nun-
quã visus est podagricus pati conuulsionem, quæ frequen-
ter solet in neruorũ & chordarum inflammationibus ad-
uenire. Si quis tamen velit fluxionem hanc in articulum
decumbentẽ inflammationẽ nominare, & sic fateri mor-
bum esse, non reclamabimus. Alijs Coxendicis dolor dici-
tur, cum grauissimè excrutiat supra articulum coxæ. vnde
in femur, suram, extremumque diffunditur, secundum du-
ctum neruorum scilicet: non autem in magno coxæ artic-
culo, sed altius hæret ad summã natem. Consequitur dolor *Causa.*
hic intemperiem inæqualem coarticulationis, & partium

cicumiacentium, tum etiam & præcipuè ad earum extensionem seu continui solutionem, qui dolor à natibus inguinibusque ad genua vsque, in plurimis ad summum pedem pertinet. Non parum adiuuant huius affectionis generationem quæcunque cacochymiam, vel plenitudinem inuehunt, aut imbecilliores articulos reddunt. Cuiusmodi sunt assiduæ cruditates, immodicus rei venereæ vsus, diuturna statio, aliquando etiam deambulationes concitatiores, hæmorrhoides suppressæ, aut alia magna euacuatio assueta, vt fluxus alui, vomendi consuetudo intermissa, exercitiorum solitorum contemptus, purgationes menstruæ, aut etiã aliæ familiares excretiones impeditæ, quæ omnia humorum redundantiam efficiunt, diuersam in diuersis corporibus. Propterea humor quandoque sanguineus est, plurimũ verò pituitosus, aut ex pituitoso & bilioso permixtus: interdum etiam sanguine cum ipsis adiuncto. Humor autem pituitosus crudus est crassus existens, ad similitudinem putris crassioris, & vbi in ipsis articulis moram traxit diutiùs, non tantùm crassior, sed & viscosior redditur: qui tophi seu calli appellãtur. Eorum generatio ex humoribus fit. Causa etiam Ischiadis externa est equitatio. Coxendicus dolor sæpe fit multis qui podagra laborarunt nunquã: fortasse à recrementis illius partis illic congestis, vel in eam tantùm partem defluxis. Dolor profundus est, & cùm mouetur crus, sentitur. Causa quoque est luxatio, aut dissectio ligamenti, quod à periostio nascitur. In mulieribus à partu, aut cùm vterum gerunt, dolor in parte interna inguinis, & magis ad interiorem partem quàm ad exteriorem sentitur: continuus quidem, siue crus moueatur, siue quiescat: qui dolor non est coxendicus, vt vulgus existimat, sed fit à ligamentis vteri ob flatum, retractionem, refrigerationem, contortionem vteri, & similia distentis. Antecedit & quasi auspicatur hoc malum, aliquando vicinorum musculorũ dolor, & maximè lumborum. Aliquando verò ab ipsa iunctura initiũ fit affectionis. Iam verò quandoq; etiam cõtingit, vt coxæ dolore ferè sublato circa poplitem solùm affectio hæreat, alijs circa talum, quibusdã verò totum crus æqualiter dolore affligitur. Multis item circa inguina dolor figitur, & tum quidẽ vesica molestiã transfu-

Signa.

meus,

mens, vrinæ difficultatem inducit, & tunc maximè totum crus à coxendicibus vsq; ad calcaneum dolorem perfert. Ipsum verò crus modò calidum, modò frigidum est. Rarò tumor inest conspicuus, quòd eius loci summa cutis minimè venis conspersa sit: rariùs calor & rubor, quòd malum intimas articuli partes occupet. Cognitio ipsorũ humorũ redundantiũ ex coloribus, tũ symptomatis coincidẽtibus, itemq; per experientiã pharmacorum quę adhibentur, haberi facilè poterit: ad cuius humoris cognitionẽ conferet & prægressa victus ratio siue per exercitiũ, siue per otium transmissa, & per balneũ post & ante cibum acceptũ. Confert & gymnasiorum & eduliorũ tum quantitas, tum qualitas, tum anni tempus, regionis & ætatis cõstitutio, insuper ætas, habitus corporis, doloris species, siue feruens & pungẽs, siue stupidus fuerit. Nam à sanguine color rubeus est, dolor pulsatorius, vehemens, tumor non solùm venarum, sed & totius particulæ, neque refrigerantia admodum, neque calfacientia tolerant. Accessiones quotidianæ, minùs diuturnæ quàm à pituita. Vbi bilios⁹ sanguis in causa fuerit, caliditatis sensum ægroto exhibet, color corporis flauus, rufus, pallidus, & calfacientibus impositis exacerbatur dolor, quemadmodum rursum à frigidis & mitigantibus remittitur: & præcessit victus ratio, & omnia ad generandũ bilem apta fuere. Nullus euidens tumor. Si locus tangatur, facilè sanguis subterfugit: citiùs ab vna parte mutatur in aliã. exacerbatio tertio quoq; die. A pituita color subalbidus, aquæ inter cutẽ simil⁹, tumor tactui cedens, dolor mediocris, sæpe nullus, exacerbationes quotidianæ diuturniores. A melãcholia fit rarissimè. Color partis niger, frigoris sensus, dolor profundior, instar scalpelli perforantis, exacerbationes quarto quoq; die. Id vitiũ grauiorẽ præ cęteris generibus dolorẽ mouet, fereq; post longũ morbum inclinata in coxã materia gignitur. Porrò longissimũ erit atq; nequaquã anno finiendum. si ingens torpor subest, & crus, coxaq;, & lumbi multùm frigẽt, aluusq; nũquam nisi vbi coacta est respondet, & nil nisi stercoraceum mucum reddit: si deniq; arrigi pudendum non potest, huiusmodiq; ætas annum quadragesimum iam emensa est. Partũ sperare hyeme vel autumno licet. Ver atq;

Prognostica.

æstas huic vitio succurrere possunt. Iunioribus æquè graues dolores atq; senioribus, non æquè longa huius morbi spatia. Ante quadragesimum diem iuuenes liberãtur. Minùs etiam vehementes his torpores fiunt, minusq; crura ac lumbi frigent. Si sub eodem morbo lumbos coxamq; deserit, & ad inferiorem partem vertitur, sperare vtiq; bene licet: sin contrà coxa lumbisque non desertis, ad superiora peruenit, rem difficilem esse testatur. Obseruatũ est haud rarò ex hoc coxæ dolore natũ hydropem esse. Sanata Podagra atq; Ischias facilè reuerti consueuerunt. Cætera vitia non item. Signa præcedentia Ischiadem sunt, quòd nõ tantũ mingunt aut sudant, ac solebant. Et quo humor est crassior, copiosior, densiori membrana inclusus, aut imbecillitas maior, eo diutiùs durant huiusmodi dolores. Vbi tophi seu calli adsunt ex humoribus crassis ac viscidis, qui in articulis diutiùs moram protraxerunt, haudquaquam sperandum est ad pristinam constitutionẽ articulum redire posse. Quibuscunque à longo dolore coxendicum molestatis cauitate sua excidit coxa, & rursus recidit, ijs mucores superueniunt, & eisdem crus cõtabescit, & claudicant, si non vrãtur. Rarò fit coxẽdicus dolor à sanguine, & si fiat, citissimè curatur. Coxarum dolor ingens esse consueuit, isque hominem sæpe debilitat, & quoldam non dimittit. Quandoq; in suppurationẽ transit: qui transitus frequens est. Si coxæ articulus in exteriorẽ partem prolabitur, minùs impedit gressum, quàm si in partem anteriorem. Pro curatione aër eligatur ad siccum vergẽs, in calido frigido temperatus, vel parum ad calidum declinans pro ratione redundantis humoris. Somno vtantur moderato, aut consueto parciori. Circa initia corpore non euacuato quies eligatur. Tẽporis verò processu deãbulationibus, assiduis flexibus, & moderato cursu vti cõuenit. Aluũ quotidie probè solutã habere præstat, ne grauẽtur articuli, maximè si ea astricta sit. Vitãda venus, & animi affectus cauendi sunt. Cibus sit mediocriter tenuis, modicus, coctu facilis, haudquaquam humidior, potissimùm in primis morbi diebus: deinceps solidior & reparandis virib. magis accõmodatus, habeatq; interim acriorum eduliorum comestiones quasdã adiunctas. Perpetuò tamen bonæ coctioni consulendum: ita vt

Curatio.

cibi

cibi nil viſcoſum, aut craſſi ſucci; aut ægrè coctile, aut quod difficulter digeratur, in ſeipſis complectantur. Et ſi carnes exhibeantur, ſint paucarum ſuperfluitatum, auium ſcilicet montanarum, & ſylueſtrium quadrupedum: carnes (inquam) aſſæ. Potus ſit aqua mulſa, aut aqua in qua cinnamomi parum aut aniſi decoctum ſit. A vino penitus abſtineant, affectus ratione. Mediocris exercitatio, deambulatio, frictio, balneum aquæ ſponte calidæ conueniunt. Et ventrem clyſteribus mollire atque irritare vtile eſt. Si fuerit plethora, venæ ſectio fiat. Deinde purgatio præſcribatur: quibus accedat conueniens ſuo tempore & ordine pharmacorum dicendorum vſus. A cubito igitur ſanguis detrahatur, deinde ad eam quæ iuxta talos eſt aut poplitem veniēdum. Quanquam venam malleoli ſecare oportet, etiam incipiente malo, ſi menſes retenti fuerint in cauſa, aut hæmorrhoides. In omnibus enim inflammationibus reuulſoriam venæ ſectionem facere oportet. Et in affectionibus inueteratis, maximè ex ipſis affectis extrahemus, aut ex vicinis. Miſſo ſanguine vbi adhuc dolor perſeuerauerit, purgatione vtere. Quanquam Iſchiadicis vomitus auxiliantur magis quàm vacuationes infernæ per ventrem, vt qui reuellant deorſum repentem humorē. Faciendi itaque vomitus in principio ab accepto cibo: poſtea etiam per vomitoria medicamenta initio à mediocribus facto. At ſi neque per vomitum coxendicum dolor auferatur, aut corpora ad eum inepta fuerint, ampliùs non confluentibus humoribus aut parum, purgatione per inferiorem ventrem vti conuenit, præſertim ſi cum ſanguine biliоſus ſuccus redundabit. Fit autem purgatio per familiaria medicamenta ſoluentia, veluti eſt hiera, agaricus, catholicon, ſyrupus ex pluribus infuſionibus roſarum, myrobalani, & reliqua huiuſmodi. Confert quoque clyſteribus vti, quæ hieram recipiunt. Conducunt & cucurbitulæ cum ſcarificatione abundante ſanguine in parte affecta: aliàs fiant cum multa flamma. Quæ hîc repellunt, humorem impingunt in loco: quæ diſcutiunt ante corporis vacuationem, plus attrahunt quàm à parte diſſoluant. Ergo in vſu Topicorum, licet in manibus & pedibus pharmacis fluxionem repellentibus vti poſſumus, circa coxendicis *Topica.*

iuncturam id facere omnino vitandum est. Nam cùm in profundo sita sit, sanguis ex vicinis & ambientibus vasis ac musculis ad illam compellitur. Item cauendum ne ante totius corporis vacuationem, & si coxendicus dolor ex humorum copia excitatus fuerit, acribus pharmacis circa partem affectam vtamur. nam ægrè curabilem reddit affectionem, copia nimirum indissolubiliter ibi condensata. Præter alia enim & crassa, & viscosa fit, ob acrium pharmacorum calorem & siccitatem, non dissimile quid assationi perpetiens. Quare mitigatorijs in principio medicamentis opus est in dolore circa coxendicem hærente, quæ neq; refrigerent multùm, nec fortiter calfaciant. Irrigentur ergo loci ex oleo chamæmelino, anethino, liliaceo, irino nardino, rutaceo. Vel rutam, chamæpithyn, saluiam, chamæmeli flores, althææ folia, & radicem decoque in oleo communi, exiguo adiecto vino, vel aceto albo cum spongijs, seu lineis, vel laneis linteis. deinde aliquo prædictorum oleorum irrigentur. Aut ex contusis foliis aut radicibus althææ, sambuci, ac rutæ, farina fœnugræci, seminis lini, adipe anserino, butyro, oleo chamæmelino, anethino, cum posca cataplasma fiat & adhibeatur. Poterunt & fotus fieri ex decocto foliorum & fructuum iuniperi, radicis althææ, meliloti, chamæmeli, in vino albo, quibus sæpius iteratis abstergantur loci, & aliquo dictorum oleorum irrigentur: perpetuò tamen mitioribus, deinde efficacioribus vtendum est. Sacculi ex fricto milio, sale, furfure, præter id quod dolorem mitigant, leuiter doloris causam discutiunt calfacti in calido latere pauco vino irrorato, & sæpius adhibiti. Et vbi vehemens fuerit dolor, papaueris calyces in aqua coquito, ipsisque proiectis farinam hordeaceam aquæ mulsæ imponito ac coquito. Si coxendicus est dolor à pituitoso humore, aut ex eodem cum bilioso permixto, circa initia reuulsionis gratia, secetur vena in cubito, seruata rectitudine, potissimum si cum eo sanguis permixtus fuerit. Procedente tempore, vbi idem pituitosus humor crassus ac viscosus fuerit, citra sanguinis missionem, per vomitum purgatione priùs vtere, nedum ab accepto cibo, verum etiam per vomitoria medicamenta sumpta, initio facto semper à mitioribus, veluti

Si ex pituitoso humore coxendicis dolor fiat, curatio.

veluti est acetum, syrupus acetosus, oxymel simplex, scilliticum cum aqua tepida. Vbi vomitus non est assuetus, aut non suffecerit, humores deturbentur clysteribus primò, deinde medicamentis per os assumptis. Clysteres fiant ex decocto maluarum, betæ, centaurij minoris, florum chamæmeli, caricis, furfure, addita confectione de dactylis, hiera picra: aut si efficaciori indigebis, rutam, saluiam, stœchadem decocto adijce, & demum agaricum, hieram picram, compositionem Indi, benedictam. Purgatio instituatur ex myrobalanis Kebulis & polypodio, agarico, addito syrupo rosarum & diaphœnico. Vtendum & catapotijs fœtidis, de sagapeno, puluere hieræ simplicis, pilulis aureis, de hermodactylis minoribus. Deinceps irrigentur loci affecti oleo rutaceo, costino, nardino, de castoreo, de piperibus de pyrethro, vulpino: adde aceti seu vini parum ad penetrandum. Vnguentum recipit cremoris maluarum & althæę ana ʒ iij. farinę sem. lini, fœnugræci ana ʒ ß. cæræ & aceti parum. Commendatur & hoc medicamentum. Picis partes ij. sumantur, sulphuris viui pars vna, vtraque trita mixta loco dolenti imponatur. Cataplasma componitur ex folijs althææ, saluiæ, rutæ, sambuci leuiter decoctis & contusis ana p. ß. quibus olei irini, de castoreo, anethini ana ʒ j. adijciatur: cremoris lini, fœnugræci ana ʒ ij. farinæ loliaceæ & lupinorum ana ʒ j. Vel fiat emplastrum ex succi foliorum rutæ, sambuci, & calaminthæ ana ʒ j. ex bdellij, opopanacis, ammoniaci dissoluti in aceto ana ʒ ß. myrrhæ, & resinæ terebinthinæ ana ʒ iij. cremoris seminis althææ, seminis lini & fœnugræci ana ʒ ß. farinæ hordei, fabarum, & lupinorum ana ʒ vij. picis & cæræ q. j. fiat emplastrum. Fotus autem parentur ex radicibus & folijs ebuli, althææ, folijs rutæ, sauinæ, sambuci pulegij, flor. chamæmeli, & similibus, quæ coquantur arte in tribus partibus olei, & vna vini albi. Si hæc non profecerint, congruum erit ad sinapismos, atque vrentium medicamentorum vsum deuenire. Sinapi cum caricis vel per se illitum confert. ℔. seminis sinapis in aceto forti macerati ʒ ij. caricarum ʒ iiij. stercoris columbini in vino albo decocti ʒ iij. mellis anacardini ʒ j. misceantur, & fiat sinapismus. Quod alij sic testantur:

Ischias purgato corpore valenter foras ex profunda cotyle trahentibus curatur: vt cataplasmate ex stercore columbino. Porrò si igne sub genu externa in parte inustio fiat, diuturnis coxendicum doloribus valde conferet. Ex aduerentibus est lepidium. Postremo loco in huius morbi curatione succedit manus opera. Candenti enim ferro crustas inducimus tribus in locis circa articulum, & diu seruamus vlcera.

De Arthritide. CAPVT LXII.

APOPI'TIS Græcis, Articularis morbus Latinis vocitatur. Barbaris & vulgo gutta, quòd existiment esse diffluxionem guttatim factam. Et cùm ἄρθρον, id est articulus, sit ossium connexio per ligamenta, non in omni coniunctione articulorum est dolor, vt in ea quæ per symphysim fit, sed tantum in ea quæ per diarthrosim, aut synarthrosim. Verùm in hac rarò fit: fit tamen in pedio, & in illa carpi aut metacarpij dearticulatione quæ est per synarthrosim, atq; in istis magis fit per decubitum, quam per defluxum. Neque verò omnem difficilem articulorum motum seu dolorem Arthritida nominamus: sed eum duntaxat qui ex eorundem articulorum imbecillitate ac humorum influxu ortum habet. Cùm autem ex aliqua immodica intemperantia sola, potissimùm sicca, fuerit dolor articulorum, impropriè Arthritis dicetur. Ea verò varios articulos occupat, ac proinde varias sortitur appellationes. Nam chiragra manum infestat, eiúsque vel carpum, vel externam partem, vel digitorum articulos ac vincula. Podagra malleolos, vel pedium, maximè verò pollicis articulum adoritur. Gonagra genua diuexat. Si plures inuadit articulos, vel omnes, Arthritidis nomen habet. Tametsi igitur varias species complectatur, non propterea tamen postulat diuersam curandi methodum: de qua in præsens in genere loquemur. De Ischiade verò iam seorsum meminimus, quia eius curatio à reliquis quadantenus euariat. Pars affecta est articulus, siue humor in eius cauũ incidat, siue tantùm in vincula & membranas quæ extrinsecus ossium nectunt extrema, & tendines eò directos:

Arthritis propriè dicta.

Arthritidis species.

Partes affectæ.

quod

quod contra omnem aliorum medicorum opinionem scripsit quidam è recentioribus. Articularis ergo nõnullorum articulorum aut omnium æqualiter, dolor existit, à fluxione magis ortus. Artus enim corporis alij dolores inuadunt: vt qui ossium membranas, vel musculos, vel neruos, vel medias regiones afficit, quales lues venerea aut simplex distillatio proferre solet. Luxationes, abscessus, & alij affectus hoc nomine non continentur. Alij duntaxat articulos obsederunt, in quos quasi defixi sunt: hósque solos Arthritis comprehendit. Hos affectus si tanquam dolores considerabis, symptomata esse haudquaquam dubitabis. Inflammationes verò & morbi dici etiam possunt, si tumorem & fluxionem inspicias, ob quam articulationes implentur: ac ea quæ ipsis circumiacent, extenduntur. Decens porrò est fateri cuncta quæ imbecillos reddere articulos valent, Articularis morbi causas esse. Neque tamen sola particularum imbecillitas articularios cruciatus excitat, nec humor solus hos dolores creat. Causæ igitur illius euidentes sunt, nimiũ otium, desidiosa vita, multorũ alimentorum esus seu crapulæ, potus multorum ac suluorum vinorum, præcipuè si ieiunus quis potet: in summa eruditates, ebrietates, veneris vsus immoderatus. Incidunt plerunque in eosdem affectus qui patres & auos habuere podagricos & Arthriticos, in quibus semen erat vitiatum, atque etiam posteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem. Hæc quoque vitia frequenter antecedit creber balneorum vsus, labor improbus, vehemens ambulatio, creber equitatus, intempestiuus vsus veneris, insueta frigidæ potatio, frigidorum & noxiorum ciborum esus, mœrores, curæ, vigiliæ, & reliquæ animi affectiones, cætera denique quę noxios succos procreant. Iam aliqui prolapsu, luxatione, vel id genus, & ijs quæ extrinsecus articulos contundunt, huius affectionis originem traxerunt, & à statione diutiùs extracta. adde deambulationes concitatiores, & familiares excretiones suppressas, ac consuetorum exercitiorum intermissiones inter vniuersales causas harum affectionum. Nonnunquam etiam colicus dolor perperam curatus, causa cur Arthritis sequatur esse solet. Proxima autem continénsque omnis Arthritidis ac dolo-

Alij dolores artuum, & nersi ab Arthride.

Quis affectus.

Causa.

ris causa est, non simplex intemperies, sed humor infixus & adhærens. Oportet verò humorem intra ipsum articulum contineri, antequam vera dicatur Arthritis. Fluxionem humoris susciptiunt primùm quidem loca articulationum: deinceps circunstantia omnia vsque ad cutem. Verisimile tamen non est materiam ad articulum confluentem imbibi durissimis ligamentis, nõ mollioribus neruis ac tendinibus. neque enim tantùm distenduntur, sed & permadescunt: inquit Aët. Materia hæc aliquando tenuis est, aliquando crassa, vel tenax, nonnunquam simul crassa & tenax, aut etiam gypsea, resoluta parte tenuiori. Colligitur enim duobus modis, per affluxionem ab alijs partibus videlicet, & per congestionem, malè coquente parte. Eadem naturam partium retinet, nisi quum mora & dolore incalescit, & aliunde nouam materiam recipit. Per congestionem magis fit in morbo Gallico, sine tumore, cum dolore totius periostij. Accidit humorem illapsum tempore crassescere & indurescere virtute caloris circunstantis, aut vi medicamentorum, vnde tophi calculive naturã induit: etiam nodosa Arthritis oritur, in qua articuli aliquando distorquentur, nonnunquam incurvescunt mouendique facultas amittitur. Tria autem hîc considerantur, pars quę recipit, origo fluxionis, & via per quam fit. In parte necesse est imbecillitatem esse, alioqui nunquam admitteret fluxionem. Si adsit hæc imbecillitas, non necesse est articularem morbũ generari, si in vita æger nihil deliquerit. Nam humor non influet, si corpus sit liberum à cruditatibus. Mulieres rariùs eo morbo corripiuntur propter menstruã purgationem. Et si laborent, sæpius menstrua defecerunt, vel pauciora sunt quàm prohibendis morbis conueniant. In pueris cùm ad pubertatem peruenerint, naturalis est motus seminis, vnde rarescit corpus, & relaxatur. Accedente venere, concussio, motus, calfactio articulorum, ex quo celeriùs eò materia decumbit. Origo defluxionis est à capite, vel ab hepate. Illic inter tunicas tendonum per foramen nucæ pituita exudat, quæ per palatum aut nares expurgari debebat. Hîc cum venæ magnæ & hepar copia grauantur, quæ continere non possunt, aut irritantur qualitate aliqua vitiosa. Sic vel à plenitudine & redundantia

venarum

venarum fiunt defluxiones, vel à recrementis aliarum partium, vt cerebri. In chiragra nec non in gonagra frequenter cum dolore pulsatili tumor, rubor, moleſtúſque calor ex doloris vehementia concurrit. adde quod ſubinde inflammatio ſequatur, tuncque appetitus proſternitur, vigiliæ perturbant, aliquando etiam febris. A capite defluxionem fieri intelligimus, ſi grauitas capitis & ceruicis præceſſerit, ſæpeque frigus, vel paruus horror ſentitur. A venis magnis internis, ſi citra hæc dolor prehendat partem aliquam, ſed cum febricula, vel aliqua inæqualitate pars citò intumeſcat, rubeat, doleat, ab vna parte in aliam moueatur. Quibus autem vijs fiat huiuſmodi fluxio, non eſt eadem omnium ſententia. Alij à capite ſub cute materiam per ſumma corporis in extimas partes influere aiunt. Alij negant, quòd cùm ſit fluxionis ſpecies partibus robuſtis ad imbecilliores ſua excrementa tranſmittentibus, probabilius ſit non ſolùm ſecundum membranas neruoſque, ſed etiam per vaſa, id eſt venas & arterias, fieri. Sed hoc vt veriſſimum eſt fluxione orta ab hepate, ita minùs conſentaneum cùm pituita è cerebri ventriculis per ſpinalem medullam delabitur. Sic enim oporteret materiam è venis egreſſam, rurſum venas ſubire. Fluxionis modus eſt quaſi inundatio aluei, & eluuies quædam in cauitatem articulorum, & partes vicinas. Cùm verò per muſculos ſit tranſitus, dolor non percipitur ob laxitatem. Karoque defluxio ſyncera eſt à venis, cùm in his humores omnes contineantur. Sæpiùs ſi vel à recrementis cerebri oriatur, vel per congeſtionem fiat, humor ſyncerus eſt. Quòd verò ad cauſarum dignotionem ſpectat, externæ cauſæ ex ægrotantiũ ſeu aſſidentiũ ſermone dignoſcuntur. Interne ex earundẽ proprijs indicijs, & affligentium humorũ differentijs, tum ex colorib. & ſymptomatis coincidentibus, itemq; per experientiam pharmacorum quæ adhibentur deprehendi poterunt. ad quarum cognitionem non parum confert, ſi prægreſſa victus ratio intelligatur. Quæ omnia ſuperiori capite explicata ſunt. Interdũ ex prædictorũ humorum complexu fluores fiunt. Nam fluxus fluxui commiſcetur. Vbi hoc vitiũ cõtrahitur, ca-

Signa.

Prognoſtis.

ægrè dignoſci ac difficulter elidi poteſt, ac penè nullo remedio ſaneſcit. Et Podagricus morbus triſtem de ſe opinionem acquiſiuit, quòd videlicet arte medica curari non poſſit propter generationis varietatem, propter quam neque internoſci, neque abſolutam curationem conſequi potuit. Curari tamen poteſt (cùm cauſas manifeſtas habeat) quanuis ægrè, præcipuè propter articulorum imbecillitatem. Articularis morbus grauibus tormentis dolorum hominem afficere ſolet. Is repentè in omnes irruit articulos, ſæpius paulatim accedit, oriturque leuis chiragra, vel podagra, maximè calidioris naturæ hominibus. Ab his partibus dolor ad cæteros articulos irrepit, quibus ex more eſſe infeſtus ſolet. Quinetiam cùm malum inualuit, vertebræ quæ in ſpina ſunt, afficiuntur, genæque dolent, atque ipſum interdum guttur, nec vlla ferè oſſium connexio huius cruciatus expers eſt. Quæ pars huic vitio patet ex leui occaſione fatigata, æquè frigido calidoque offenditur. Hic morbus vbi ad ſenectutem inueterauit, aut certè in ea eſſe cœpit, itemque vbi extra hanc ætatem callum contraxit, nunquam ex toto ſanatur. Iuueni ſemper faciliùs ſuccurritur, ſi amans laboris eſt, & accuratè victitat, & facilem aluum habet, præcipuè ſi quæ morbum facit materia, non eſt ex diuerſis humoribus mixta. Et vbi calli ſeu tophi appellati fuerint producti, ne ſperaueris articulum ad priſtinam conſtitutionem reduci poſſe. Eunuchi podagra non laborant, neque mulieres, niſi menſtrua defecerint, neque pueri ante veneris congreſſum. Mulieres ratiùs quàm viri inflammatione tentantur, & ab ea difficiliùs liberantur. Multis in Hydropem Arthritis degeneraut. Alijs in Aſthma, idque ſine vlla ſanitatis ſpe. Quibuſcunque podagrici morbi fiunt, ſedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt, modò medicus in ſuo opere non aberrauerit, & æger in omnibus obedierit. Dolores podagrici magna ex parte vere & autumno mouentur.

Curatio. Vt ad curationem progrediamur, duplex ſcopus ſanationis præfigitur, euacuatio redundantis humoris, & partium debilitatarum corroboratio. Redundans humorum copia vacuanda, pro ratione humoris peccantis variatur. Itaque ſi à ſanguinis copia excitetur Arthritis, eligatur aër ad ſiccum

ad siccum vergens, ac etiam parum ad frigidum, seu in caliditate temperatum. Somnus & vigilia moderata sunto. Vitentque somnos longiores. Aluum habeant facilem. Fluxione incipiente ac vigente quiescant. Cùm inclinauerit, & reliquis temporibus, exercitijs vtendum est plus quàm mediocribus. Mœrores, curas, reliquas animi perturbationes vitent. Cibos modicos ac parum nutrientes, & leuiter infrigidantes adhibere oportet. Abstineant ab his quæ multùm nutriunt, ac copiosum sanguinem gignunt: à carne potissimùm. Si virium adest imbecillitas, volucrum & potissimùm montanarum caro exhibeatur. Vinum etiam penitus interdicatur, nisi corporum intemperantia, aut consuetudo illud requirat: quo etiam vsu moderatiore vtantur. Multi qui vino abstinuerunt, eos morbos minimè experti sunt. Loco eius bibant aquam in qua corian drorum præparatorum semina decocta sint, aut parum cinnamomi. A venere abstineant, & præsertim immodica. Bonæ coctioni ac sobrietati vacent. In quibus autem sanguis redundat, protinus necessariò sanguis mittatur, vbi nil prohibeat. Verùm cùm quis morbum experiri cœperit, sanguinis missio tentanda erit. Id enim inter initia factum, sæpe annuam, nonnunquam perpetuam præstat valetudinem. Qui verò iam sæpius hisce fluxionibus conflictati sunt, plus noxæ quàm auxilij ex sanguinis detractione consecuti sunt, præsertim si corpore sint imbecillo ac frigido. Hac ratione multi aut in totum liberati sunt, aut raro fluxibus correpti, eo quòd non neglexerint, sed veris statim initio sanguinem sibi detrahi curarint: non solùm vacuationis, sed præseruationis gratia id facientes. Pluries repetatur sectio, si opus erit. Secanda autem est vena in brachio interna: aut media. Si manus dextra dolebit, venam in dextro crure secabis. Non nisi enim à venæ sectione astringentibus vtendum, quia cauendum ne quod articulis influit, ad principales partes recurrens suffocationis causa fiat ægro, periculumque mortis afferat. Sed post sanguinem detractum ac etiam purgationem vbi erit opus, particulis fluxione tentatis adhibeantur. Diuersa erit purgatio pro differentia redundantis cum sanguine humoris. Itaque post purgationem

adhibeantur quæ vim habeant quod influxt repellere, eisdem partibus robur adijcere, ac quod in eis continetur, exiccare. Vbi nil ampliùs influat, discutere oportet. Quare initio partes rigentur aceto cum rosacco: quæ ætate sint tepida, hyeme calida. Cum farina hordei & fabarum poterit adijci rosaceum, ac prædicta in posca decoqui. Conducit autem punicum læuigatum affectis particulis imponere. Et alijs cataplasmatis vtendum, quæ permutentur assiduè, ac foris contegantur, ne infrigidentur. Item ex caprillo lacte seu bubulo, farina hordei, vel fabarum, seu panis medulla, vitellis ouorum, rosato fiat cataplasma, pauco adiecto croco, & aceto. Ad hæc ex malis cotoneis vino maceratis pani pexmixtis. Ipsis partibus affectis, neque aqua, neque aliud oleum adhibeatur: sed si eas abluere oportet, posca mediocriter tepefacta, aut alterius plantæ decocto abluantur. Si dolor adhuc remanet, vtere folijs brassicæ coctis, læuigatisque diligenter. fæcem aceti, ouorum crudorum lutea paulatim adijcito, ac mixta omnia simul læuigataque inducito, continuè immutans medicamentum, & vehementes dolores lenies. Si est ob humoris biliosi defluxum, victus ratio refrigerans & humida præcipiatur, & vitanda sunt omnia calfacientia, quæ pallidam bilem generent. Aër igitur eligatur talis, ad humidum tamen vergat parum, ne fluxionem proritet. Quies, & somnus eligantur. Labor & venus intercidantur. Pariter & immodicæ vigiliæ, & inedia, quæ bilem reddit acriorem. Aluus clystere eluatur. Ab ira, furore arceantur. Cibis vtantur, ptisana, & eius cremore: ex oleribus, intybo, lactuca, malua, blito, soncho; ex auibus, gallinis, perdicibus, merulis, turdis, aliisque montanis passerculis. Ex piscibus saxatiles, & erinacei conueniunt. Ex fructibus parum astringentes gustare conuenit, vt mala, sorba, pyra, punica: ex bellarijs castaneæ commendantur. Crapulæ, & nimiæ ciborum repletiones vitentur. Potus sit aqua hordei, aut in qua semina coriandrorum decocta fuerint. Vitandum omnino vinum est, præsertim vetus, fuluum, nigrum. Circa initia confestim tentandum est noxium humorem vacuare,

Podagra vel Arthritidis biliosa curatio.

tum per

tum per vomitum, tum etiam per inferiorem ventrem. Vomitus fiat per aquam tepidam assumptam cum exiguo aceto, aut syrupo acetoso permixto. Purgatio non prius exhibeatur, quàm acrimoniam humoris ac rosionem humectaueris, ac contemperaueris, vt syrupo ex cichorio, ex infusione rosarum. Dein non semel tantùm, sed sæpius à recrementis & fluxionibus tutos seruare poteris. Medicamentum sit simplicius ac familiarius, vt cassia, mel aëreum, saccharum violatum, rhabarbarum dilutum cum decocto myrobalanorum citrinorum. Purgantur & addito agarico. Clysteres fiat lenientes. Atque ante purgationem non erit absurdum in principio, si bilis permixta fuerit sanguini, venam secare, aliis consentientibus. Expedit etiam ab initio vsq; ad vigorem per topica refrigerare, roborare, & mitigare, ne propter immodicum ardorem ac dolorem magis fluxione tententur. Ad hoc præstans est rosaceum, cum vitellis ouorum. Herbæ etiam refrigerantes & astringentes, vt semperuiuum, lactuca, solanum, portulaca, plantago, blitum, lenticula palustris, polygonum, rosarum folia, rumex, atriplex, vmbilicus veneris, & huiusmodi pro frigidis cataplasmatis admoueantur, mutenturque crebrius. Micæ panis posca imbutæ adhibeantur: hordeacea farina cum rosaceo. Semen psyllij maceratum & subactum diligenter, & farinæ hordeaceæ permixtũ dolores mitigat. Pharmacum ex rosaceo & betæ succo optimum est. Quidam immissis in frigidam aquam pedibus & in ea detentis opem sentiebat. Si tantus est dolor vt perferre nequeat æger, narcoticis vtendum est. Sed eorum cauendus est vsus liberalior, neque diutiùs insistendum. Vbi dolor finierit, statim auferantur, ne in tophaceam duritiem humor occallescat, & languidus sensus, diuturnæque motus difficultates pariantur. Et partes confestim refouendæ sunt per ea quæ calfaciunt medicamenta. Itaq; in eum vsum cicutæ, papaueris, hyoscyami, mangragoræ folia adhibeantur, vel eadẽ contusa ac æquigata cum ouorũ luteis ac rosaceo permixta accommodentur. Succus papaueris cũ croco, opiũ & crocũ cum lacte, cærato rosaceo excipiuntur, & linteolo infarcta imponuntur. Post anodynorum vsum, thymi,

origani, calamenti, satureiæ, saluiæ decocto loci calfaciendi sunt. Adiuuare etiam oportet sudorum exclusionem, calfaciendo, & fricando, ita tamen ne affectos locos contingamus. Præterea quæ vrinam cient, bilem per lotium euacuare consueuerunt. Doloribus valde infestantibus ea quæ somnum conciliant exhibeantur, vt est lactucæ, papaueris semen, tum in cibo, tum in potu. Similiter & syrupus de papauere post cibum. Hæc post corporis vacuationem exhibeantur. Semper autem repellendum à principio, nisi cùm fit post morbum, per crisim. Fit enim aliquando sic, & liberat, modò non sint acerbissimi dolores, qui ægrotantem iugulatent ob virium resolutionem. Et supra partem dolentem refrenantia dicta, vel sedantia dolorem cum refrigeratione parua, vel cum relaxatione moderata imponenda sunt. Astringentia autem altiùs imponi possunt. Summatim topica fiunt, vt dolorem leniant, repellant, coquant, discutiant, roborent. Si verò qui influit humor est pituitosus, eligatur aër calidus siccus. Somnus moderatus. nam & moderatæ vigiliæ conferunt. Circa initia fluxionis, quies: postea exercitium valde conducit. Alui excrementa quotidie natura vel arte excernantur, nedum leuibus, sed etiam efficacioribus clysteribus. Inedia & fame ad plures dies vtendum. Si inediam non ferant, cibi tribuantur, qui parum nutriant, extenuent, siccent, vt sunt oryzæ succus, passerculi montani, nuces iuglandes, pistacia, vuæ passæ, cappares ex aceto mulso. Vtantur quandoque pisciculis in petrosis locis coalitis, assis vel elixis, adiectis herbis attenuantibus, fœniculo, hyssopo, satureia, sampsucho, pulegio, serpillo, & reliquis huiusmodi. Ab alijs carnibus, leguminibus, fugacibus fructibus, reliquísque refrigerantibus, ac copiosiore vino abstinendum, præsertim nigro. Vinum tamen interualli tempore tenue, suluum, & vetus præbeatur. Quanquam si fieri possit vinum ex toto circumcidendum. Abstemij enim multi sanitatem ex toto consecuti sunt: alij per morbi initia omnino liberati sunt: alij in posterum rariùs & minori dolore accessiones perceperunt. Quare perpetuam vitam agant abstemiam. Loco vini vtantur decocto anisi, aut ali-

Pituitosa Arthritidis curatio.

aut alicuius consimilis seminis, vel vtantur decocto cinnamomi, caryophyllorum, seu aqua mulsa. Et si humor qui defluit, non modò pituitosus fuerit, sed simul cum sanguine redundabit, vena secanda erit priùs. Deinde viribus recreatis ad medicamentum purgans veniendum est. Saltem enim reuulsionis gratia, alijs consentientibus, tentanda venæ sectio, cùm quis statim morbum experiri cœperit. Nec multa copia sanguinis extrahenda, ne plus noxæ quàm auxilij ex sanguinis detractione consequatur. Post venæ sectionem, aut vbi pituitosus succus citra sanguinis permixtionem redundarit ac fluxerit, à pituitæ vacuatione exordiendum erit. Vacuatur autem humor partim per vomitum, partim infernè per ventrem. Sed vtilior est per inferna purgatio, siue iuxta manus, siue iuxta pedes hæreat morbus. Multo magis si iuxta omnes articulos fluxus fuerit dispersus. Familiaris pituitæ via, & minùs periculosa existit. Si in superiorem ventrem, violenter attracta, non euacuetur, periculum inducit. Tutius ergo est, vt deorsum ducatur. Purgatio initio sit leuior, ne humorum cursus in locum affectum incitetur. Et ante purgantium exhibitionem, ea tribuantur quæ vim habent attenuandi ac incidendi. Sic enim præparati ad purgationem magis idonei redduntur. Parentur ergo humores ex melle rosato, syrupus ex stœchade, oxymelite simplici, vel scillino, cum aqua betonicæ, & absinthij. Dein vtantur pilulis de sagapeno, vel fœtidis, vel de agarico, & cum oxymelite formentur catapotia, quæ sæpius repetantur, si res postulat. Pilulæ de hermodactylis noxiæ sunt. Hermodactyli enim stomachum lædunt. Videndumque in vsu pharmacorum fortium, ne æger macilento sit corpore: virtus non ita firma ventriculi, & intestinorum. Periculum enim est ne Dysenteria excitetur. A purgatione pituitosis natura danda est theriaca, mithridatium, diacorallium dictum. Fugienda verò sunt vretica, nisi exquisitè vacuato corpore, & neruis noxia, vt acetati syrupi, & oxymelitis, oxysaccharique genera. Ex topicis deligantur vt aliâs quæ vim habent leniendi, repellendi, coquendi, discutiendi, atque roborandi. Imponantur itaque terebinthi folia viridia & tenera cum adipe suillo recenti & rosaceo. *Topica.*

Vbi mediocris dolor fuerit, brassicæ folia conferent, si obducantur, concisa. Sin dolor vehemens ortus fuerit, fiat cataplasma mitigans ex farina fœnugræci, seminis lini, cicerum, & loliacea, ex aqua mulsa aut vino tenui decoctis. Bubulum quoque stercus cum hordeacea farina in aqua mulsa coctum prodest: vel ex foliis brassicæ. Similiter fimus caprillus per se, vel cum hordeacea farina coctus. Mansuetissimum est remedium post principium, si althææ folia contrita imponantur. Eundem præstant vsum radices eius decoctæ in aqua mulsa tritæ. Fotus etiam fiant ex chamæmeli, meliloti, fœnugræci, ac centaurij decocto. Nonnullis etiam capparis decoctum abundè fuit auxilij. Vbi per iam dicta cataplasmata aut superfusiones moderatior dolor euaserit, eis vtendum medicamentis quæ non solùm cutem infestantia, sed etiam in alto fixa calfaciunt, ac discutiunt. ℞. adipis suilli veteris, butyri ana ʒ j. olei veteris, vel nardini ʒ ij. cremoris seminis lini & fœnugræci ʒ iiij. ammoniaci & galbani in aceto macerati ana ʒ iij. croci ʒ ß. cæræ q. s. fiat cæratum. Hoc etiam tempore naturalia balnea discutiendi ac exiccandi vi prædita conferunt. Quidam aqua marina, lixiuio, vel vino astringenti affectos articulos lauant. Post inflammationum remissionem nonnullas herbas incoquunt: & laconicum balneum parant. Balnea iuuant, si nullum viscus infirmum est: si vacuatum corpus, remissionis tempore, munita priùs ægra parte ex puluere boli armenij incorporato cum oui albumine. In fine morbi & ad præcautionem vna parte salis, tribus aquæ vel olei mixtis locus affricatur. Vel origanum, mentastrum, nepitha, in aqua salsa coquuntur, & fit fotus. Si atræ bilis influxu laborabunt, & hi quoque vacuandi protinus venæ sectione, quoniam & in his humor, quemadmodum & in magis pituitosis, quàm maximè in venis continetur, quantitate magis quàm qualitate peccans. Quanquam si sæpius fuerint fluxione prehensi, offenduntur magis sanguinis vacuatione quàm iuuantur, quibus natura frigidius atque imbecillius est corpus. Sed quando ad sanguinem declinant ab atra bile infectum, venæ sectione opus habent. Quando verò ad atram vergunt bilem, euacuatione per ea quæ

Arthritidis ab atra bile genita curatio.

ea quæ ipſam repurgant. Si verò hæc ambo ſimul per totum hominem redundarint, priùs venam ſecare: dein purgare eos cogimur. Et quando ſæpius in venis continetur totius corporis cum ſanguine permixta atra bilis, reuulſionis gratia in morbi initio ſaltem vena ſecetur: ac deinceps præparato humore purgetur, medicamento purgante aliquo eorum quæ ſæpius dicta ſunt. In eodem principio ſuper affectas partes repulſorijs ac ſenſim ſimul calefacientibus vtere, veluti ſunt iam dicta terebinthi ac cupreſſi folia, cyperíque radices: ac poſt principium, his quæ ſenſim calfacere poſſunt, ac attenuare: cuius farinæ ſunt lauri folia mollia, paſtinacæ, conyzæ, braſſicæ, iridis, & aliorum. Admiſceantur hæc pani, aut cuipiam ex prædictis farinis, adipi anſerino, vel gallinaceo, butyroque & œſypo, quò leniora reddantur, potiſſimùm in mollibus ac humectis corporibus. In quibus verò erit obſcura podagræ origo, hæc & ſimilia experiri oportet: quandoque & contrarijs pugnare, neque eiſdem diutiùs immorandum. Nam in artis operibus fit vt idem medicamentum vni articulo proſit, alteri in eodem ægrotante inflammationem excitet, & non modò non opitulatur, ſed confeſtim offendit: & vnus idemque articulus ſæpe ex eodem remedio iuuabitur, paulo poſt eiuſdem appoſitu inflammationem concipiet. Tophi geniti ob humorum craſſitiem ac terreſtrem dutitiem, modò propter immoderatum diſcutientium reſiccantiumque vſum, vt etiam meminimus, curantur ijs quæ emolliendi vi pollent: vt adipe ſuillo, vitulino, caprino, & medulla ceruina, althæa bis cocta & huiuſmodi alijs. Interim digerentia ac diſcutientia miſcenda ſunt. Propriè facit vetuſtiſſimus acerrimúſque caſeus cum ſuillæ carnis præpinguis ac veteris decocto contritus, & ſuperimpoſitus. Sic curantur ſimplices fluxiones. Atque ad eundem modum mixtæ curari debent quemadmodum & mixtarum cognitio ex ſimplicium cognitione pendet.

Tophorum curatio.

De Elephantiasi. CAP. LXIII.

Nominum ratio.

ELEPHAS, vel Elephantiasis Græcis dicta, lepra Arabum haud dubiè censenda est. Elephantiasis verò sic nominata est, à similitudine, quam cum Elephante animali habet Elephanticus. Nam corij crassitie, tenebricoso colore, facie fœda, & informi magnitudine Elephantem refert. Vel, vt alij tradunt, cutis maculis quibusdam ad atrum colorem vergentibus inficitur, inæqualiteréque aspera, crassa, & veluti squamis fœda, liuens, ferinaque redditur. Idem affectus à quibusdam λεοντίασις, ἢ λέων, καὶ λεόντιον dicitur, propter extremarum rugarum frontis similitudinem cum leonibus. Ab alijs Satyriasis nuncupatur, tum ob faciem Satyris similem, tum ob libidinem: Ἠράκλειον quoque appellatur, quia nullus morbus eo maior est. Porrò

Elephas quid.

definitur Elephas cancer totius corporis, idq; potissimùm cùm affectio iam confirmata fuerit. Nam in penetralibus non modò hominem totum occupat, sed & exteriùs eundem amplectitur. Non vna igitur pars afficitur, sed corpus

Quæ partes affecta.

vniuersum. Et affectus ipse inter tumores præter naturam connumerandus est, Galeno teste. Huius autem causa est

Quis affectus.

humor melancholicus massæ sanguineæ permixtus, & ad cutem externásque partes delatus. At quia humor melancholicus triplex est, sanguis crassior, fæx sanguinis, & atra bilis cognominata, tres illius differentias constituunt, à

Causa.

sanguine quidem crasso ὑπερύθρους, id est subrubicundas Elephantiases, mitiores quidem & minùs malignas; à melancholico humore mixto cum pituita crassa, salsa, nitrosa, & acri, ἐκλεύκας: ab atra bile omnibus deteriores, in quibus vniuersum corpus scatet vlceribus, & extrema etiam decidunt. Alijs origo mali censetur ex atra bile, quæ ex crasso & fæculento sanguine, aut flaua bile nimiùm vsta procreatur, aut pituita salsa. Causis etiam annumerantur semen parentum Elephanticum, victus ratio talem humorem generans, suppressi menses, hæmorrhoides, varices cohibitæ, & quandoque lues venerea. Incipiens malum nullam habet insignem con-

Nota.

iecturam. Nil enim in summis corporis partibus repræsentatur: sed in visceribus, liene videlicet & iecore,

per

per initia delitescit, deinde partibus interioribus deiectis, ad extremas sese confert, & plerunq; à facie contagio hæc incipit, nonnullis ab extrema cubiti curuatura, à genu, à manuum pedumq; articulis. Tamen vt alij referunt, qui huic malo futuri sunt obnoxij, tardi sunt, somnolēti, quieti, aluo sicca, & vbi id malum primùm inuasit, summa pars corporis crebris maculis inspergitur, crebrosque tumores maximè iuxta summam frontem ac mentum habet. Maculæ modò subnigræ, modò subflauæ, modò subalbidæ. Cutis inæqualiter crassa duraque, qualis anserum est, eademq; quasi squamis quibusdam exasperatur, potissimùm in facie, in manibus, & in pedibus. Pili, pubes, barba, & cæsaries rarescunt, & tandem glabrescunt, cutis capitis altis & frequētibus rimis scissa apparet. Spiritus difficulter trahitur, & malè olet, ob interni spiritus exhalationem. Crassescunt malæ, mentum dilatatur, amboque ruborem exhibent, non floridum quidē illum, sed liuore quodam turpem. Vrina qualis iumentorum crassa turbidaque, maximè si cruditate abundant. Mores denique accedunt, & somni, & insomnia melancholicis familiaria. Quidā etiam sese præfocari inter dormiendum rati, cum impetu expergiscuntur, & exiliunt. Plerique venerem maximè appetunt ob flatus. Ingraueſcente malo impetigines summos digitos, genua, & mentum infestant, oculi caligant, vox raucescit, supercilia crassa & glabra deorsum prominent, eorum facies liuescit, frons contrahitur, nares cum atris tumoribus salebrosæ & extentæ sunt: labiorum prominentia crassa est, aures admixta nigritia rubent, & consueto maiores esse videntur. Totum denique corpus rugis asperis sulcatur. Increscente adhuc malo, ipsum corpus malè fœdum emacrescit, os, suræ, & pedes intumescunt, hique vt plurimùm frigidi torpidiq; sunt. Varicosæ venæ, subnigræ, ceu verrucæ quædam, aut grandines in linguæ radice, sub palpebris, poneque aures cernuntur. Idem alij testantur, qui musculos aiunt consumi toto corpore, maximeque iuxta pollicem, sensusque amissionem esse in extremis partibus induratis. Vbi vetustatē morbus accipit, eroditur narium media cartilago, tandemque aliquibus corrupta partibus decidit, ipsæ nares resimę sunt, & alarum crassamento ob-

structæ. Itaque per has sic impeditas ipse ferri spiritus, verbaq; proloquentis hominis videntur. Labra etiam inuersa sunt, oculi iuxta angulum interiorem rotundiores, & quod in ijs album esse solet, flauescit, crassumque fit, quasi vngue obtectum. Si plus augescat malum, tumores malarum, menti, digitorum, genuumque vlcerosi fiunt, & vlcera fœtida alia super alia nascuntur. Tandem deciduot nasus, digiti, sedes, manus, genitalia, neque priùs hæc pestis à sæuis cruciatibus liberat, quàm homo membratim dilaceratus sit. Est enim longæua passio, vt Elephas longæuum animal. Quòd ad Prognosticum, inueterascens morbus hic nullis remedijs depellitur: nec sola cutis, sed totum etiam corpus intus forisque afficitur, sic vt ipsa quoque ossa vitientur. Et si cancer particularis non curatur, multo minùs Elephas, qui est vniuersalis cancer, curabitur. Idque multis de causis. Primùm quòd qui hoc affectu laborant, vel non conuenientibus, vel non oportunis & suo tempore vtuntur remedijs: seu quia medicos consulunt, cum iam morbus à dispositione transijt in habitum, quo tempore partium substantia iam læsa est & absumpta. Et materia in partes remotas recepta est, & ita inueterata & incuneata, vt sibi reddiderit iam carnẽ similem. Quæ materia nec laxantibus potest vacuari amplius, nec digerentibus propter crassitiem & distantiam discuti. Præterea intemperies sicca ægerrimè potest emendari, vt in alijs à siccitate morbis, hocque ob humidorum remediorum imbecillem agendi vim, tum ob magnam reliccatarum partium resistentiam. Postremò calor est imbecillus, qui actionem dirigit, & partes ficciores redditæ deteriores factæ sunt. Quam ob causam vis medicamentorum penetrare non potest, sine qua morbus euelli non potest. Cæterùm morbus hic contagiosus est admodum ob materiam venenosam & malignam, & proxima quæque inficit, malumque cum ipsis Elephanticis conuersari. Inquinatur enim aër quem inspirando attrahimus ex vlcerum fœtore, & ex vitiata spiritus exhalatione. Contrahitur non solùm sponte intimoque corporis vitio, idque à parentibus transit ad natos. Et quia aliquando est cognitu difficilis & abominandus, optimè constitutum est à veteribus, vt

Prognostica.

Quàm multis de causis ægrè curatur Elephas.

extra

extra vrbis pomœria ablegentur: & medici tanquam critici & censores eos explorent. Eadem affectio prodit se vere, & in calidis regionibus grassatur magis. Et apprehenduntur ea magis viri, quàm fœminæ. Quo ad ætatem, pueri & iuuenes, maximè quo tempore pubescere incipiunt. Elephantiasis confirmata insanabilis est. Incipiens & antequam altiùs radices iecerit, sanatur. Recentem vocant, quæ annum non superat. Sæpius Medicus vt de morbo iudicet, quàm vt eundem curet, accersitur. Ad huius curationem in primis victus ratio instituatur boni succi, facilis coctionis, humectans & aliquando frigida, vt cùm ab adustione bilis fiat: minùs, si ab atra bile, aut pituita assata. Quare cibus erit hordeaceus aut triticeus recens, & inter olera, beta, lactuca, maluatio alijs sisarum, brassica binis aquis edulcata, & capparis. Rectè etiam ipsis datur ptisana, oua sorbilia, alica lota, lac cum melle. Carnibus auicularum vtantur, & hœdorum, caponum, & similibus: piscibus molli carne præditis. Ex fructibus conueniunt ficus, & vuæ arefactæ, pyrum coctũ in aqua mulsa. Potus sit vinum tenue, albũ, aquosum, aut aqua, in qua parũ cinnamomi decoctum sit. Vino forti & vinoso, perinde atq; venere per totum morbi curriculũ abstinendũ est. Bis cibum capere præstat, quàm semel se replere. Prandium simplicissimè paretur. Cœna magis varia sit. Aluus purgetur leuiter medicamẽtis eccoproticis, vt cassia, catholico, diasebesten, diapruno, syrupo rosarũ pallidarum. Somnus diurnus nociuus, nocturnus aptissimus. Post longũ à cœna interstitiũ, deambulatio lenta ac sensim facta cõmoda est, vt cibi melius descendant. In summa commendantur, quæ sanguinem temperant, quæ crassitiem eius dissipant, & diluciorẽ reddunt. Reliqua curatio à venæ cubiti vtriusque sectione auspicanda est, potissimùm vere, in quo hoc malum nasci tur, vt dictum est, & intenditur. Reuiuiscit enim inde ali quo modo insitus calor, & sensibiliter corpus ipsum alleuatur. Incidenda porrò est interna, aut media vena: habendusque modus in vacuando. In multo enim prauo ac vitiato sanguine, parum quiddam boni sanguinis inest. Si sanguis crassus & ater est, trahitur ad vires diuersis horis. Quòd si tenuis, sistendus est. De quo sic alij: Consensus

Victus ratio.

Curatio per medicamẽta.

est omnium Græcorum & Arabum detrahendum esse sanguinem, & quia magna ex parte corruptus est, particulatim ex vtroque brachio detrahitur, eliguntúrque maiores venæ, si quidem vires patiuntur: multo magis cum spiratio difficilior est. Alioqui venas extremę manus, vel malleoli aperies. Nonnunquam etiam contentus eris sanguisugis & cucurbitulis cum scarificatu, adpositis partim tibijs, partim scapulis. Auicennas etiam venas capitis incidit, & iugulares, si suffocatio imminet. Secantur & venæ frontis à purgatione, vt sanguis ater vacuetur, qui immediatè morbum facit, & fouet. Sanguis in habitu corporis contentus per harum venarum extremitatem vacuatur. Quare & cucurbitulæ, & sanguisugæ laudantur post internarum partium rectificationem, & humorum vacuationem. A sanguinis missione aluus ducitur medicamentis capite de Melancholia dictis, vt purgatione ex hiera diacolocynthidos: deinde etiam adiecto diacrydio: postremo verò dato helleboro, sed per interualla. Nostro more, si à sanguine est, vel bilis assatione, præparantur humores decocto herbarum capillarium, bugloss, borraginis, cichorij, endiuiæ, lactucæ, passularum mundatarum, quatuor seminum frigidorum maiorum, anisi, cum syrupo de fumoterræ, violato. Ac subinde æger purgatur confectione Hamech. diaphœnico, indo maiore, diasena solutiuo in forma boli vel potionis. Sepius etiam vtendum sero lactis, vel decocto senæ, epithymi, vt corporis habitum hoc malo occupatum liquefaciamus, aliumque quendam veluti ex integro regeneremus. Id ipsum fiet, si per interualla opportunæ purgationes adhibeantur, & cibi apponantur, qui facilè concoqui & distribui possint. Quiti & vomitus deinceps frequens citatur, idque à cibo, vel raphano, & postremò ab helleborismo. Tenues etiam cucurbitulæ ori ventriculi, & hypochondrijs vtrinq; affiguntur. Gargarismata item, & caputpurgia vsurpantur. Cæterùm huius mali Alexipharmacum omnes ferè viperinas carnes commendarũt. Eas autem sic priùs apparare oportet. Primùm quidem capite amputato & cauda vsque ad digitos quatuor, & detracta pelle, & omnibus interaneis exemptis, corpus ipsum aqua bis aut ter lotum in olla coquitur, aqua sufficienter

cienter affusa, & oleo modico, cum porro & anetho. Liquet autem quòd sint coquendæ carnes, donec molliscãt. Post sufficientem coctura̅, iusculum moderato sale condiatur: atque ita ægro in sole desidenti exhibeatur: capite tamen probè velato. Sed id remedium non est tam suspectum, si pabulis, caponum & gallinarum iusculum illud & carnes misceantur. Senties penetrasse virus cùm plumæ decidunt auibus, tumque aues ad cibum elixabis. De qua re alij sic, carne viperina elixa gallinę educantur, donec deplumentur, deinde his elixis nutritur Elephanticus. Laudatur & theriaca quæ in calidiori conditione temperati potest, adiecta parte conseruæ violarum, aut borraginis. Laudatur & vinum in quo vipera viua extincta sit: de quo Galenus in lib. de medicamentorum simpl. facultatibus. Scobs item eboris, cornucerui, succus cyrenaicus, smaragdus trita & ex aqua data, vel cum aqua & gummi illita, crinacei caput commendatur. Cedria etiam tam sumpta, quàm admota. Castratio prę terea, vt singulare remedium, antiquis probata est. Sic enim retenta materia spermatica abundat, qua partes solidæ fruuntur, & tumescunt: vnde assimilationis deprauatio tollitur. Postea ad Topica veniendum: primùm ad vnctiones è butyro: deinde, vbi pruritus est, ex ijs quæ detergent & repurgant, vt est nitrum, sulphur viuum, pumex, testa sepiæ, nigella, rumex acutus, quæ interdum arida affricari possunt, aut trita cum aceto, rosaceo oleo aut mastichino corpori illinenda, & alia quæ faciunt ad impetigines. Balnea primùm dulcia, vel ex decocto fumariæ, agrimoniæ, betæ, mercurialis. Vulgo autem persuasum est balnea comparata sanguine humano morbum hunc persanare. Sed hoc commentum ridet Galenus decimo de simpl. medicam. facultatibus. In pruritu balnea naturalia cõueniunt. Tamẽ vt alij sentiunt. Balnea medicamentosa & naturalia, quia sanguinem vrunt, magis suspecta sunt: quæ verò ex aqua dulci temperata fiunt, sunt tutiora. Vbi tuberosi tumores efferati & inflammati sunt in facie, illinuntur succo plantaginis, portulacæ, lycio, hypocistide, aloë, alijsque leuiter astringentibus. Et quomodo cancrũ in parte extinguit oleum de cerussa, & pompholyx aliquoties lotus succo solani, & cum simili succo

Castratio.

Balneum ex sanguine humano cõparatum.

ductus diu in mortario plumbeo vsque ad mellis consistentiam, eodem modo & Elephantem cancrum vniuersalem, hepati, cordi, axillis, inguinibus, iugularibus venis identidem admotus iuuabit. Ad oculos, ne carne noua luxurient & tegantur, valenter siccantia sine morsu sunt optima: vt pompholyx lotus, cerussa lota, sal theriacus, sed lotus. Tibias sanabit vlcus aliquod apertum sub sura, aut ad malleolos, quod sanè continenter diffluat. Scarificatus in parte carnosa etiam profundior idem præstat, ad crassi illius sanguinis vacuationem.

Libri de Morbis cognoscendis & curandis tertij & vltimi finis.

DE FEBRIBVS COGNOSCENDIS ET CVRANDIS LIBER VNVS,

EX SCRIPTIS CLASSICORVM MEdicorum tum veterum tum recentium plurima ex parte selectus:

OPERA

NICOLAI PISONIS MEDICI
LOTHARINGI.

FRANCOFVRDI
Apud hæredes Andreæ Wecheli,
M D LXXXV.
Cum priuilegio Cæs. Maiest. ad sexennium.

NICOLAVS PISO CHRISTIANO ET CAROLO PISONIBUS liberis suis, S. P.

ΠΡΕΠΕΙ τὰς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Quare hanc collectaneorum partem, quæ febres euoluit ac discutit, (ô chariſſimi) vobis offerre viſum eſt ὡς πλησίον τῆς ἐμῆς πρὸς ὑμᾶς φιλίας. Et quoniam τῶν ἐκκεκριμένων πολλὰ πολλῶι δεῖ χρημάτων λείπω, (τὰ μὲν γὰρ ταχέως ἀπολείπει, τὰ δὲ παίπαλα τὸν χρόνον ὑποφεύγει σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον, inquit Iſocrates) pergratum mihi fuerit, ſi non tantùm hanc ipſam partem, ſed & priorem de morbis ſingularum partium humani corporis, quæ tribus libris comprehenſa eſt, tanquam vobis frugiferam amplectemini, ſi quando ad Medicinam faciendã conuolabitis: Quamuis & amici quidam omnibus Medicinæ ſtudioſis eandem communicandam ſuaſerint. Accipite igitur quod do vobis munuſculum, & in ſtudijs promouendis quo pede cœpiſtis, Deo annuente, pergite. Bene valete.

DE

DE FEBRIBVS COGNOSCENDIS ET CVRANDIS LIBER VNVS:

ex scriptis veterum & recentiorum Medicorum plurima ex parte selectus.

PROOEMIVM.

DE morbis singularum partium humani corporis tribus libris actum est à nobis fusissimè, tota eorum essentia, causis, & signis distincta: nec non curatione simul exposita: idq; non modò iuxta venerandam Antiquitatem, ingeniosam quidem & solertem: sed & ex placitis Posteritatis, qua pleraq; clariora effecit, & usu experientiaq; frequenti certiora reddidit. Iam verò ex iisdem fontibus naturam Febrium (qua totius corporis morbi censentur) haurire decreuimus, earumq; differentias, causas, signa, & curationem hoc uno libro persequemur. Porro febres ipsas cognoscere, & curare, quantum sit utile ac necessarium nouerunt omnes, quòd nullus morbus incurrat sapius quàm Febris, nulloq; non tempore grassetur. Imò interdum acutus est morbus, uel omnibus acutis connexus, ab eaq; non raro præsentaneus mors impendet: præterquam quod non uulgo tantum, sed & summis uiris persuasum est, omnē morbum uel febrem esse, uel saltem febrem comitem habere.

Quid febris, & quot eius differentia.

CAPVT. I.

Febris Vnde sic dicta.

FEBRIS Græcis πυρετὸς ἢ πυρεξία, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, id est ab igne, denominata est, quasi ignea dispositio: seu quòd vt in igne valde actis & summus est calor, sic inter omnes intemperantias calidas febris vehementem ac summam caloris acrimoniam obtinet. Vnde & Hippocrates τὸ πῦρ id est ignem vsurpat pro vehementissima febre, & absolutè interdum πῦρ id est ignis, Causon seu febrem ardentem significat. Eadem caloris ignei exuperantia Latinis etiam nomen febris dedit à feruore, quia totum corpus feruet, quod ab ea corripitur. Proinde quoq; febris describitur sic:

Febris quid. Febris est calor præter naturam accensus in corde, ac inde in vniuersum corpus effusus, adeoque auctus vt hominem offendat & actiones lædat. Cuius descriptionis vt singulæ partes innotescant, certè calor (qui præcipua est febris essentia, comitemque siccitatem adsciscit) non propriè morbus dicitur, sed intemperies calida, seu improportio qualitatum elementorum, quæ calorem auctum sequitur. Et qui calorem dicit morbum, ostendit in excessu caloris ametriam atq; intemperiem consistere. Ita Galeno morbi appellantur, qui veræ causæ sunt continentes morborum. Sed hîc quæstio mouetur à quibusdam: An aliqua febris frigida esse vel dici possit. Reuera nulla est frigida, (nisi κατὰ χρησιν & ex accidenti) quamuis calor sese non prodat semper, vt in principijs accessionum intrò reuocato calore, sed velut sopitus sit, nec dum expansus in vniuersum corpus: vt ne quid etiam de Epiala obtrudatur, vel de febre Cardiaca, quæ Syncopalis vulgo appellatur, & est cũ refrigeratione partium extremarum, vel de febribus colliquantibus dictis, in quibus spiritus emittitur frigidus in morituris. Non enim est necesse æqualiter spargi calorem à corde, sed satis est si ab eo plurimæ vel nobilissimæ partes occupentur, quia quæ totum regunt, totius vicem gerunt. Suboritur alia itidem quæstio, An duo calores in febricitante sint statuendi, alter naturalis, alter præter naturam. Verùm hi calores in genere & in specie seu essentia diuersi

An aliqua sit febris frigida.

An vnus & idē sit calor naturalis & febrilis.

diuersi dici non debent, etsi varios effectus demonstrent: sed sunt tantummodo communi differentia, nempe accidente inter se differentes, & cõtrarietas in actionibus non obstat, quin alter cum altero consistat. Imò vnus idemque calor numero dici debent. Ipse enim calor naturalis vbi modum excesserit, aut intentione, aut siccitate, opera efficit caloris præter naturam. Propterea conuersione caloris naturalis ad igneum febris fieri intelligitur. Calor autem qui conuertitur, substantia est, non accidens. Substantiam quippe igneam fieri contingit, vbi immodicè incalescat: quemadmodũ sanguis fit biliosus, aut frigidus & aqueus. Sed ipsa febris est qualitas, seu diathesis. Itaque cum febrem asserimus calorem quendam esse, non de corpore calido intelligi volumus, sed de qualitate. Præterea quamuis calor naturalis fiat febrilis, nihilominus magna ex parte naturam suam retinet, ita vt sua vi in pristinam temperiem redeat, non aliter quàm aqua calefacta vim eam retinet qua per se refrigeratur. Contrarietas enim de qua paulò antè dictum est, inueniri potest in inæquali intemperie, qualis est in omni febre, excepta Hectica confirmata quam mors consequitur; neq; alter calor alterum perimit protinus, sed minuit tantùm, nisi superior factus procedente tempore ipsum euicerit. Deficit enim natiuus, si febrilis exuperat. Quæ tametsi vera sint omnia, tamen calor febrilis genere diuersus esse videtur alijs, præcipuè in febribus putridis, non sola intensione. Nam πέψασμοὶ morbi est, & eorum quæ præter naturam sunt velut coctio quædam & maturatio, in qua quod assimilatur, paucum est, quod autem semicoctum & superfluum, multum. Sed in Diaria & Hectica sola intensione diuersus esse videtur. Rursum cùm calor bifariam dicatur actu vel potentia, constat febrem esse calorem non potestate, sed actu. Quare fit vt ipso tactu, non autem ratione differentiæ eius essentiales iudicentur. Sed cùm natiuus calor sit geminus, situs videlicet, ac fusus, petat aliquis vter potiùs accendatur in febre. Certè qui fusus est, accenditur potiùs, quàm situs & fixus. Quanquam & hic quoque in febre alteratur. Cùm enim oporteat calorem à corde effundi, tribui hoc fuso & fluenti soli potest, præterquam in Hecti-

catin qua fixus quoq; ſubſtantiæ cordis in ignem eſt conuerſus. Neque hic fuſus prorſus mutatus eſt, quia inæqualis eſt, & natiui temperamenti ſi nil retineret, animal ſuperſtes vtique eſſe non poſſet: vt ex ijs quæ commemorata ſunt colligere facile eſt. Quòd autem febris dicitur calor accenſus in corde, indeque in vniuerſum corpus effuſus, is calor effunditur à corde in totũ corpus per arterias & venas cum ſpiritu & ſanguine, & patiente corde totum affici neceſſe eſt. Nam & ſpiritus calidus è corde in totum corpus fluit. Quòd ſi obijcias non omnes partes arterias habere, ſunt venarum & arteriarum anaſtomoſes, per quas calor communicatur. Et ſi obtrudas lypirias, totum corpus dicemus caleſcere, niſi quid impediat, vt in lypirijs in quibus cordis aliarumque partium ſummus calor ſanguinem ac ſpiritus ab externis partibus cucurbitulæ modo trahit. Igitur cor cùm ſit caloris natiui principium, neceſſe eſt febrem ſuccendi in corde, antequam febris nomen promereatur, cùm ſit ille calor qui in ignem conuertitur. Hinc fit vt à quibuſdam febris definiatur intemperies calida primò & per ſe cordis. Semper enim vel ſpiritus primò qui continentur in ventriculis cordis accẽduntur, vel humores qui ſunt in dextro ventriculo cordis primò exardeſcunt & putrent, vt in puttidis, (quamuis & interim alij aut in omnibus vaſis, aut in quibuſdam putreſcant, aut etiam extra vaſa) vel partes ſolidæ primò calfactæ ſunt, vt in Hectica: licet etiam ab alijs partibus, vt iocinore, ventriculo quædam Hecticæ incipere poſſint. Atque vt in hydrope hepar refrigeratur perpetuò, ſic in omni febre cor inflammatur. In reliquo corpore vt in ſubiecto, ſecundo tantùm loco ineſt calor. Cor enim eſt fons caloris naturalis. Sed febris mutatio eſt caloris naturalis, qui per vniuerſum corpus diſtribuitur. Oportet igitur calorem mutari in corde, vt in radice. Aliàs in toto corpore mutari nequit. Præterea contraria verſantur circa idem. Nam temperatio caloris ſemper eſt in corde. ergo & intemperies. Poſtremò febris dicitur calor auctus & diffuſus ita vt actiones lædat, quia calor ab exercitatione, balneo, & ſimilibus etiam in totum fuſus eſt, nec tamen eſt febris: ſed cùm ita auctus eſt calor, vt actiones primò lædat:

Quomodo calor accenſus in corde effunditur in vniuerſum corpus.

Calor febrilis actiones lædit.

dat:actiones dico omnes, præcipuè vitalem & naturalem. Ab alia enim parte vtà calidiori hepate, cum sanguine & halitu calor prodiens palmas ac plantas quasi exurit: ac sæpius in totum corpus effunditur. Verùm affecto hepate functiones naturales tantùm læduntur. Affecto verò corde vitæ calorisque principio, omnes actiones læ di par est. Siquidem vitalis facultas omnium facultatum actionúmque est conseruatrix. Sed hæc hactenus. Iam de differentijs febrium. Optima est febris diuidendæ ratio, vt ab essentia, id est à calore præter naturam, differentiæ sumantur: seu à caloris modo, à subiecta materia, & ab accidentibus. Calor enim vel magnus, seu vehemens, & intensus est, vnde & febris magna dicitur: vel remissus & paruus, vnde & febris parua. Eaque sunt quantitatis nomina, quæ impropriè qualitati tribuuntur. Idem calor est aliàs siccus, aliàs humidus & vaporosus, ex quo febris alia sicca, alia humida, vaporosa. Sicca maligna est, in qua cutis squalescit, lingua arida est, sitis vehemens, vigilia, calor mordax, nihil vaporum excernitur. In humida verò febre corpus perpetuo madore, vel sudore diffluit. Secunda & potissima diuisio ex materia in corde succensa petitur: quæ triplex est, spiritus, humores, & partes solidæ. (Quibus in substantijs tribus innatum calidum continetur.) Nam si spiritus soli excalfacti sunt interim dum humores & partes incalescũt, Ephemeram seu Diariam constituunt, vt docet Galenus exemplo follium quibus nondum calefactis vapor calidus trahi potest. Non enim parum refert, si calescere quid, aut calefactum esse dicamus. Est enim corpus nostrum vndiquaque confluxile & conspirabile. vnde facilima est ab vna materia ad aliam caliditatis transsumptio. Cùm verò soli humores ignem hunc concipiunt, febris putrida seu humoratia dicitur. Nam etsi spiritus putrere possunt, vt in febre pestilenti, (vnde putridus sæpe odor, ac putrent etiam partes in Gangræna, Sphacelo, Elephantiasi, tamen quia notæ putredinis magis conspicuæ sunt in humoribus, in ijs κατὰ ἐξοχὴν febris putrida dici solet. Similiter autem humores incaluisse partibus solidis nondum calefactis, docet Galenus exemplo aquæ calidæ, quæ in lebetem non calefactum infunditur. Fit etiam quandoque,

Febriũ differentiæ.

quia præcipuæ sunt, vt dictum est, & inter eas prima est in qua aërea cordis substantia sola incaluerit, quæ Diaria dicitur, de ea priore loco dicturi sumus.

De Ephemera seu Diaria.

CAPVT II.

QVAE ἐφήμερος πυρετὸς Græcis dicebatur, Diaria febris Latinis dicta est ab accidenti potiùs quàm à substantia, nempe à breui duratione, quòd eius tota constitutio vt plurimùm accessione vnica constans, vltra viginti quatuor horas non extendatur: siue quòd solui vno die sit apta. Sunt qui Ephemeram denominatam esse scripserunt ab Ephemero animali, quod est volucre ac quadrupes à quibusdam veluti folliculis erumpens: Quod genus animalis in postmeridianum vsque diei tempus viuit & volat, mox descendente sole marcescit & languet: Deinde occidente moritur, vitam non vltra diem vnum agens: vnde Ephemerum appellatum est; vt docet Aristoteles in libris de natura animalium. Febris autem Ephemera est calor præter naturam in spiritibus accensus. Est enim solius spiritus affectio. Sed cùm sanguis & spiritus in venis permisceantur, verisimile est non solùm in spiritibus, sed etiam in sanguine eoque tenuiori calorem accendi: at nõ primò in sanguine, sed in spiritibus is calor fundatur, vt quidam censuerunt. Vnde rectiùs spirituosa dici posse videtur: à sua nempe materia. Nam & humorales quoque Ephemeræ visæ sunt. Tametsi enim nullæ sint eius differentiæ veræ, tamẽ quædam Ephemera dicitur sine adiunctione & simpliciter, quæ vltra vnam accessionem nõ porrigitur. Quædam cum adiunctione Ephemera plurium dierum nominatur, quæ in tertium vsque diem, interdum vsq; ad quartum, quintum, septimum vsque extenditur, hæcque Synochus imputris appellatur: de qua paulò pòst. Atq; ad Diariam refertur hæc à Galeno, quòd vnam naturam cum Diarijs habeat, vnamque accessionem perpetuò ad finem citra putredinem in paucos dies porrigat. Rursum Ephemerarum alia mitis, alia maligna: vt si spiritus præter incendium maius, malignam qualitatem conceperit, vel si

Nominum ratio.

Ephemera quid.

Differentiæ Ephemeræ.

bubo ex ea consequatur. Quidam etiam differentias Ephemerarum ex triplici spirituum discrimine duxerunt: quanuis alij Diariam solius vitalis spiritus dixerint esse passionem. Primùm igitur in spiritu cordis Ephemera continetur, tametsi prior animalis spiritus possit incandescere velut ab insolatu; aut naturalis, velut à vino meraciore. Itaque causa Diariæ continens est sanguinis tenuior portio accensa, quæ spiritus, vapor, aut halitus dici solet. Atque si conflagrare apta materies parcior fuerit, & cordi impressa materies leuior: intra viginti quatuor horas cessat incendium. Auctiores verò eædem causæ, morbum longiorem faciunt. Causæ autem remotæ Diariæ dici possunt, quæcunq; spiritus ipsos inflammant & accendunt, siue per se, siue ex accidenti, vt labor seu motus corporis, & ab eo lassitudo, ira, furor, mœror, timor, cæteriq; animi affectus, insolatio, vt etiam quiuis contactus calidæ substantiæ, qualis est ignis, balneum, laconicum feruentius, medicamenta actu vel potestate calida corpori admota, permistio calidæ substantiæ: vt aëris prædicti, alimentorum, medicamentorum, venenorum: sic perfrigeratio, vigilia, cruditas, remulentia, satietas, inedia, adenum tumores. Quies item motui opposita, omissa consuetudo exercitiorum, suppressio caliditi effluuij à cute densata per refrigerantia, siccantia, emplastica, vel astringentia, vt balneum aquæ aluminosæ. Quæ ferè omnes causæ procatarcticæ seu præincipientes dicuntur, Diariamque excitant, ac nullum grauem morbum efficiunt, neque febrem, præter Diariam, nisi quatenus in corpore morbosus apparatus præfuerit, inquit Galenus. Earumque quædam solam qualitatem intemperiemque conferunt, aliæ (vt quæ à cruditate, à suppressa vacuatione, & à bubonibus) materiam in corpore retinent, vel aliunde suggerunt, & ab horrore febrem sæpius accersunt, ac proinde in periculum febris putridæ sæpe adducunt. Signa porrò Diariarum alia sunt communia, alia singularum particularia. Communia quidē hæc, pulsus æqualis. Tamen paulo maior, celerior, & frequentior, diastolem systole maiorem habens. Calor mitis, & quanuis paulo validior, minimè tamen acris & mordax. Sed eiusmodi calor Diariæ non est proprius: quia in pestilentibus

Causa.

Signa.

lentibus febribus & malignis lypirijs talis percipitur. Vrina non est colorata supra modum, nisi forte ijs quibus cibi potúlue calidiores Diariam excitarunt. Inuadit sine rigore, horrore, & frigore. Inclinat cum sudore, vel madore, seu transpiratu quodam halituoso. Solutionis etiam modus febris speciem declarat: si quidem hac soluta pulsus ad naturalem statum redit. Quod tamen & Tertianæ febri exquisitę commune est. Additur & ægrotantis facilitas in tolerando, & prauorum symptomatũ defectus, vt vehementis doloris capitis, sitis, fastidij ciborũ, anxietatis. Adde etiam quòd huiusmodi febris à causa procatarctica oritur, vt dictum est: (quanuis & proprium ac inseparabile indicium non sit, quòd incipiat a causa procatarctica, quia & id hecticis conuenit.) Idq; siue mediatè, siue immediatè. Fit enim interdum ab ea non immediatè sed alijs quibusdam præter naturam affectibus medijs, vt si ad stipationem, seu astrictionem, seu pusillam obstructionẽ, febris diaria consequatur. Nam semper recens quædam ac manifesta externa causa præcessit, vt balneum aquæ frigidæ aut aluminosæ, seu quidpiã aliud infrigidans, aut poros cutis astringens. Prædictis signis adde quæcunque alia circa faciem scripsit Hippocrates: Accubitum quoq;, & respirationem: Item ea quæ per superiora, vel inferiora excernuntur, & si quid aliud accidere circa aliquam corporis partem, aut operationem consistere videtur. Quæ non modò his febribus, sed & alijs omnibus sunt communia. Particularia verò signa sunt sequentia, eorum videlicet Diariarum, quæ sæpius contingunt. Quibus lassitudo febrem attulit, his cutis est aridior: vt cuius humiditatem exhausit exercitatio. Pulsus supra modum exercitatorum parui sunt ob imbecillitatem. Sed qui exiguos labores subierunt, magnos habent pulsus, cum ijs vires nondum sint collapsæ. Qui ex iracundia vel furore febricitant, ijs oculi prominent, facies rubet, pulsus magnitudo perseuerat. In Diarijs à mœrore & tristitia, pulsus parui fiunt, languidi, rari, quia necessitas vrget, neque valida facultas est. In timore circa initia, pulsus fiunt celeres, vrgente necessitate. In inueterato autem tales sunt pulsus, quales in tristitia. Quibus vstio à sole in causa est febris, ijs etiam cutis est aridior, ijsdem caput

deuri videtur propter ſpiritus accenſos. Oculi ſunt rubicundiores, venæ in oculis, fronte, temporibus, & tota facie extenduntur. Sic cõtactus rerum aliarum calidarum manifeſtus eſt, vt permixtio. Ita qui ex frigore febricitant, ij grauedinibus & diſtillationibus corripiuntur. Cutis eorum minùs calida eſt. Corpus maiorem præ ſe fert molem, quòd ſolitus effluxus cohibeatur. A vigilijs vitioſus color ſequitur, faciei tumor, grauiſque oculorum motus, palpebrarum humiditas, earumque mouendarum difficultas. Quæ ſymptomata fiunt, quia vigiliæ à coquendi munere auocant. Qui ob cruditatem, temulentiam, famem, dolorem, cæteráſq; dinumeratas cauſas Diaria corripiuntur, ſuis ſermonibus eas cauſas detegunt. Vt qui ex Adenum tumorib. febricitant, pulſus habent maximos, frequentes ac celeres, quia neceſſitati morem gerit facultas. Pulſus æqualitas non adimitur, quia mouendi inſtrumentum neque obſtructione, neque humorum vel vaporum abundantia, neque compreſſu impeditur, niſi admodum magna ſit inflammatio. Calor ijs multus & à vigore humor quidam ad cutem fertur calidus, ſed ſuauis tamen, facies rubicunda ac tumidiuſcula: vrinæ ſubalbidæ apparent, quia materia ad bubonem tranſlata eſt, & caloris ſuauitas ſanguinem vltra modum non calefecit. In Ephemera tamen ex bubone concoctionem interturbari docet Galenus. Cùm in ſpiritibus qui tenues ſunt conſiſtat hęc febris, iure quoque erit leuiſſima, & ſponte ſæpius diſcutietur. Sed licet ea citò finiatur, non eſt tamen morbus acutus. Id genus febri propenſi ſunt, in quorum corpore quod halituoſum eſt non tranſpirat, ſed mordax & acre, fuligini non abſimile. Seu quibus benignior ſanguis eſt ac copioſior, dũ ex occaſione manifeſta cor intemperiem calidam conceperit. Eſt etiam facilis conuerſio Ephemerę in Synochon plurium dierum febrem. Obſtructio mediocris à multo, craſſo, lento ſucco Diariam facit, ſi à medico curetur: alioqui putrida fit. Ephemeræ à fame ortæ, pronæ ſunt tranſire in febres ardentes, aut his omiſſis in hecticas & maraſmodes. Bubones qui ex cauſa manifeſta ortum habent, Diariam gignunt, omni periculo vacantes. Sed peſſima eſt febris ex Bubone peſtilens. Quæ ſuperue-

Prognoſtica.

niunt

ueniunt inguinum tumoribus febres, pernicioſæ, teſte Hippocrate, exceptis Ephemeris, in quibus quæcunque eſt putredo in Bubone circumſcripta manet, & ad cor non adfertur, vt in alijs quarum focus eſt in viſceribus, aut magnis vaſis, ac idcirco putridæ non ſunt. Aliæ quoque inflammationes dolorem inferentes, quando ad ſuppurationem veniunt, Diariam excitare ſolent. Curatio huius febris in ſola alteratione ſeu mutatione caloris febrilis conſiſtit. (vt Diaria quam ira peperit, refrigerari & humectari poſtulat.) Quod tamen intelligitur, ſi cauſa deſierit. Nam ſi coniunctam habet cauſam, cuiuſmodi eſt febris ex Bubone, obſtructione, & denſitate cutis, huic primùm ſuccurrendum eſt, deinde febri. Quòd ſi affectus quoſdam cauſæ reliquerint, verbi gratia labor corporis diſſipationẽ ac ſiccitatem, his quoque prouidendum eſt. Neque verò ſanguinis miſſionem hæc febris poſtulat, cùm de plethora hic non agatur. Purgatione item non eget, cùm illa ſpirituum vitia non tollat: ſed alijs præſidijs curatur Diaria: victus ratione, balneis, frictionibus, inunctionibus, omnibus denique aræoticis & diaphoreticis, id eſt remedijs aperiendis meatibus & diſcutiendis vaporibus idoneis. Quæ quanuis ferè in deſuetudinem abierunt, nec iam accerſantur Medici vt curent Diarias, quo pacto tamen à veteribus ea remedia vſurpata ſunt, hic exponemus. Victus ratio ab illis præſcripta eſt omnibus ſpeciebus euchyma, & facilis diſtributionis: ſic tamen, vt pro varietate cauſarum mutaretur. Quos ſic imitari poſſis; nempe vt fatigatis cibus paucus ac frequens detur, ſeu quantum poſſint concoquere. Cruditas enim vitanda eſt. Et labore diſſipata corporis ſubſtantia, vberiori cibo, ſed coctu facili reparanda eſt. Sic cibi refrigerantes humectantéſque, vſtis ac iratis conueniunt. Vt vigilia, triſtitia, nimiáque cura confectis, humectantes pariter dandi ſunt, ſomnumque conciliantes. Præterea qui temperatura corporis calidiori ſunt, hos in primo ſtatim accęſſionis inſultu cibare expedit: alioqui ocyſſimè in putridam & acutam incident. Ac tenuiter alendi ſunt, qui ex cutis denſitate & bubone laborant, vt quibus corporis ſubſtantia deperdita non ſit. Vinum autem omnibus Diarijs concedendum eſt, album colore,

Curatio.

substantia tenue, vt pote quod coctionem adiuuet, vrinas ac sudores moueat. Vigilijs, mœrore, & cura affectis vberius concedendum, vt pote quibus spirituum magna copia exhausta sit, quos vinum facilius reparat. Quibus tamen caput dolet, ij à vino temperent: vt qui ab excandescentia febricitant, nisi ab omni perturbatione iam cõquieuerint, vt in quibus spiritus & sanguis maximè ferueant. A vino etiam arcendi sunt qui ex Bubone febricitant. Auget enim humorum in laborantem partem defluxum. Sic in alijs cautis quibus vinum concedere debeas, obseruabis. Quod reliquum est, contrarium cuique causę remedium adhibe, labori quietem, vigilijs somnum, iræ, furori, mœrori, iucunda omnia, sermones, narrationes, actiones, spectacula. Ita qui ex cogitatione laborat, omnino ratiocinationes intermittat. Si dolor à vulnere in causa fuerit, mitigetur dolor. Buboni vlcerationis curationem primò adhibe, deinde Bubonis, postremò febris. Sed inter remedia veteribus vsitata, balneum erat frequentissimum: quo febres non tam curabant, quàm curatas asserebant, earumque in alterius speciei febres conuersionem præoccupabant. Balnei multæ partes erant. Primùm enim ingrediebantur aërem calidum siccum: deinde descendebant in aquam calidam: hancque secundam partem absolutè balneum nominabant. Ab hac aquam frigidam ingrediebantur, si modò bene haberent: postea in locum tergendo corpori accommodatum. Ergo ex vsu balnei aliquà vtilitas reportari poterat, pro varietate causæ, quæ Diariam febrem pepererat. Præsertim autem vtebantur balneo, & laconico, nisi corpus esset plethoricum. Diaria enim per balneum transire potuisset in puttidam. Vt si Diaria à cutis densitate & Bubone esset, mora in aere balnei, seu laconico minuebatur: si quidem cùm ab ijs resiccatum esset corpus, ab aere balnei arcebantur, ne noxam augeret. Cæteræ Diariæ ab eo aere citissimè amouebantur, sed in aqua diutiùs retinebantur. Essentia enim febris, vt posita est in calore sicco, ita balneum debet esse aquæ frigidæ, qualis est dulcis. Postea oleo copiosiore cui nil astrictionis adesset, mollibus manibus fricabantur. Oleum suo calore relaxat & digerit: visciditate verò meatus obstruens impedit, ne

fuliginosa

fuliginosa excrementa digerantur: ideoque frictio adhibebatur. Orta verò a solis vstione Diaria, protinus ab initio refrigeratione, & crebris balneis aquæ dulcis, solaque olei exigui perfusione citra frictionem (quòd hæc ipsa dolorem excitet) curabatur. Capiti autem rosaceum & omphacinum salis expers admouebatur. postea in balneum eger ducebatur: propterea quòd cautis in corpore manentibus quas euidentes excitarunt, medendum est: cuiusmodi sunt capitis æstus ab insolatu, cutis constipatio, crapula. Si quis verò ex frigore febriebat, is in balneum accessionis remissione ducebatur, caputque ante & post balneum oleo nardino, irino, ac simili fouebatur. Si ob famem Diaria esset, inclinante accessione in balneum ducebatur eger, plurimo oleo perfundebatur, & molliter perfricabatur, diutiúsque in solij calidi aqua continebatur. Vbi rursum exijsset, balnei perturbatione sedata, aqua calida propinabatur; mox prisanæ cremor exhibebatur, & interdum lactuca, piscésque saxatiles. In Diaria à cruditate si aluus lubrica erat, & ea tantùm quæ corrupta erant, vacuata esse videbantur, tum lauare, tum cibum capere in febris remissione iubebant, vbi priùs ijs quæ circa ventriculum erant prospexissent. Sin ita copiosa inanitio, aut priùs facta esset, aut etiamnum duraret, satius esse ducebant omittere lauationem: & ijs quæ circa ventriculum erant consulebant, per irrigationem ventriculi scilicet ex oleo absinthij, & similibus. Si alimenta adhuc in ventriculo consistebant, vomitum ciendum esse monebant: aqua tepida epota. Dein fouenda hypochondria, & quiescendum. Vbi autem ad intestina alimentum descendisset, ventrem fouebant, ac somnum conciliabant. Post somnum glans supponebatur, aut aluus leui clystere promouebatur. In ijs qui ex Adenum tumorib. febricitabant, vlcus in primis curabant, declinante accessione lauabant. Hęc ratio curādi Antiquis fuit familiaris. Ex qua seligi debent præsidia, quæ in vsum nostrum venire possunt, atque alijs Diarijs non dictis prodesse: adeò vt abundè de Diarijs dictum sit hactenus, præsertim cùm rarissimè ad eas curandas medici consulantur, vt suprà diximus, & parum ipsæ affligant, breuisque sint durationis.

De Synocho imputri.

CAPVT. III.

EXPLICATA Diaria simplici, ad Diariam cum adiectione transeamus. Ea demum est quam ostendimus iam Diariam plurium dierum dici, vel Synochon citra putredinem. Cōstat enim Synochon geminam esse: alteram absque humorum putredine, alteram cum putredine eorundem. Quæ autem Synochi Græcis dictæ sunt, continentes Latinis appellantur: eásque Græci vocarunt συνόχους πυρετούς, solœcismum committendum potiùs rati, quàm formam ipsarū sine nomine linquendam esse. Hæc Synochus imputris de qua hîc agimus, vulgo etiam inflatiua dicitur, quia dum copiosioris sanguinis pars tenuior accenditur, & vaporem copiosum emittit, ægri quandam inflationem percipiunt: solaque diuturnitate, non essentia aut specie differre videtur ab Ephemera. Proinde & Galenus Ephemeram extensam nominat. Synochus itaq; imputris est simplex sanguinis efferuescentia citra putredinem vllam. Eius materia continénsque causa in vasis est maioribus inter alas & inguina sitis, atque vt sanguinis ea materia sui vbique similis est, ita illius inflammatio est vniusmodi, ab initio ad finem vna quasi accessio. Idque trifariam fieri contingit. Aliàs enim calor par suique similis toto decursu febris manet, quantumque recens inflammatur, tantundem protinus dissipatur, eaque est Homòtonos, vel ἀκμαστική: seu non minùs vaporis exhalat & discutitur, quàm à febrili calore gignitur assiduè. Aliàs recens inflammatio quàm dissolutio maior est, seu plus suscitatur fuliginis quàm dissipetur: tumque calor continuo incremento incalescit. Ea febris Epacmastica dicitur, vel Anabatica. Aliâs plus dissipatur quàm recens inflammetur, quia fuit ab initio plurimus sanguinis vapor collectus ex materia citissimè accensa, & quia recens alia non suggeritur. Tumque Paracmastica Synochus appellatur. In Homotono verum principium & incrementum ob breuitatem percipi nequeunt. In Anabatica principium nos latuit, & status est breuissimus. In Paracmastica principium, augmentum, & status mox prætereunt. Synochi verò im-

Febres Synochi seu continentes.

Synochus imputris quid. Causa.

rò imputris causæ efficientes, eædem planè sunt quæ Diariæ. Hæ enim si leuiores fuerint, Diariam; sin vehementiores, Synochon imputrem efficiunt. Inter eas potentissimæ sunt constipatio cutis, magnaq; astrictio, & sanguinis redundantia, siue ex suppressa vacuatione hæmorrhoidum, mensium, aut narium, siue ex immoderato vsu ciborum euchymorum & calidorum incalescit sanguis: huius enim tenues acréſque vapores, & ipsum calorem præter naturam cutis densitas aut astrictio difflari prohibet, nec prodire sinit: qui geminatus sanguinem inflammat. Idem fit si sanguis multus non diffletur propter copiam carnis pinguedinisue. In quam sententiam scripserunt alij, hanc febrem oriri ob calidi sanguinis copiam nondum putrefacti, & quòd nõ transpiret suo feruore solùm caliditatem excitantis: quemadmodum nouum vinum solet in dolijs. Neque verò continens febris absque putredine tantùm fit ex stipatis per obstructionem meatibus à succorũ abundantia ad vasa, & non ad vires comparata, sed interdum etiam crassitudo cum abundantia copulari potest. Quòd autem corporis constipatio calfaciat, indicat satis ipsa tumorum præter naturam maturatio, ad quam efficiendã medicamentis vtimur emplasticis, quibus effluuium caloris naturalis retineatur. Euidens etiam est omnib. omne calidum difflationem aliquam refrigerationemq́ postulare, qua nisi fruatur, maiorem concipit calorem protinus. Porrò is sanguis non statim putrescit, quia bonitas eius prohibet, eumq́ue natura quantum potest conseruat, & à putredine tuetur. Humores enim in venis sese mutuò conseruant, & venarum facultas humores naturales tuetur ob nutritionis necessitatem. Quare mirum videri non debet, si sanguis duret sine putredine: ac propter maiorem prohibitam trãspirationem, tandem putrescat. Si quidem calor ille maior factus, alios humores vitiat ac corrumpit, putrefacitq́ue aliquam partem sanguinis. Sic non putris mutatur in putridam, nisi diligentia medici arceatur. Si- *Signa.*
gna verò Synochi imputris sunt eadem quæ Ephemeræ, sed euidentiora. Facies ardore ac rubore suffunditur. Lassitudo distendens omnes artus occupat: magnaq́ue iactatio fatigat. Venę copia distentę multùm turgent. Grauitas

est circa frontem & tempora cum narium pruritu. Somnus vehemens & profundus sæpe premit, per quem rubra spectra apparent. Respiratio est difficilis ex multa iugulatium venarũ repletione. Cutis non squalida, sed blando calore madoreque perfusa. Notæ putredinis neque in vrina, neque in pulsu apparent. Vrinæ enim sunt concoctæ. Tamen interdum rubicundiores & crassæ. Pulsus etiam magnus, vehemens & æqualis, plenus, neque mollis, neque durus, celer & frequens pro febris magnitudine. Nullam habet hæc febris cum intermittentibus analogiam. Quia tamen aliqua est cutis densitas, ea exercitatum tactum non latet: & primo occursu mitis est calor: postea si diutiùs manum admoueas, acrior. Moles corporis manet eadem & nõ concidit, quòd cutis densitas vaporum ac humorum resolutionem impediat. Proinde neque oculi cauí, neq; atridi. Synochus vtraq; rara est, solósq; adolescentes & iuuenes bene habitos, sanguineos, & carnosos inuadere solet: cùm denso corpore fuerint, aut etiam calidis excremẽtis referti, potissimùm hyeme, aut verno tempore. Excitatur enim in calida crasi ac ætate. Alioqui Synochus imputris est salubris. Tempestiuè tamen ei diligenterq; prospiciendum est, quia facilè transit in putridam, vt dictum est. Quocirca & scribunt alij continentes febres solerti diligentia curari debere, quia maximũ incommodum in illis est dilatio. Quod ad curationẽ spectat, abundantia vacuetur, & febris furor deferueat. Ob id veteribus maxima fuerũt harum febrium auxilia, sanguinis missio, & frigidę potio. Sanguinis missionem in primis fieri iubebant, tantumq; sanguinis derrahebant, quantũ vires ægri ferre poterant. Quia nisi adhibeatur id genus præsidij, ferè fit vt suffocentur ægri, vel certè Syncope omnino periclitentur: nisi eos vel viriũ robur, vel plurimus sudor, vel largum sanguinis profluuium à morte vindicet. Corpore sic vacuato, si cum abundantia sanguinis crassitudo copulabatur & obstructio, cibos qui detergerent, vt ptisanam vel mulsum, offerebant. Medicamenta item earundẽ virium exhibebant, vt oxymeli, quod nec febres accendit, ea quæ glutinosa sunt crassáque dissoluit, & meatus obstructos liberat. Ex quo victu obseruabant quantum de febris calore minueretur.

Prognostica.

Curatio.

minueretur. Etenim si tertio die viderent minimum de febre relinqui, neq; putredinis humorum nota subesset, neq; in vrina cruditatis, suspecta verò hora qua primo die febris occuparat, extra meridiem erat, audacter hominem lauabant, longè ante sextam horam, nimirum intra tertiã horam curationem complebant. Sic si decimã horam suspectam habebant, vsq; ad septimam lauabant, quum tres æquinoctiales horas quatuórue inter balneũ accessioníq; tempus interponi abundè satis erat. Vbi in balneo corpus incaluerat, dulci oleo tepido vnctum ac modicè frictum mox detergeri extrinsecus abluíq; imperabant. Moderatissimè verò tergentia illis erant farina hordei ac fabarum. Porrò post balneum præter aquam quæ parum apij in se coctum haberet, nihil ægrotanti dabant. Si circa vesperam aut duabus horis citiùs accessio inuasisset, tum lauisse manè conueniebat, tum cibasse, sed tantùm ptisanæ cremore. Deinde si suspectę horæ nil afferebant, & lauare rursum licebat, si vellent, & cibare, vrina tamẽ & pulsu consideratis. Sin aliquid eueniebat, conferebatur cum accessione quæ primo die inciderat, & tum vrinæ considerabantur, tum etiam pulsus. Quæ omnia mediocria apparebant, vbi exigua relinquebatur obstructio. Quare & ægros lauabant quarto die, & cibabant, ad iam dictas considerationes spectantes, sperabantq; nihil quinto die superuenturum. At si magna obstructio facta esset, ex Diariarum genere ea febris non erat. Alteratio etiam fiebat olim, ac febris extinguebatur dato potu gelidæ ad saturitatem: de quo capite proximo plura dicentur à nobis. Prædictam curationem aliqua ex parte nostri imitantur. Præscripta enim victus ratione ferè tali qualis Synocho putri conuenire ostendetur, statim ab initio sanguinem mitti iubent. Ac post missum sanguinem, si cognoscunt morbum ad septimum diem posse protrahi, purgant serosa biliosaque excrementa, quæ solent hanc febrem in putridam commutare. Præscribuntque medicamenta quæ citra humorum conturbationem laxant: qualia sunt catholicon, infusum rhabarbari in aqua endiuiæ, (vt tollatur astrictio quam rhabarbarum parit) decoctum sebesten, tamarindorum, syrupus ex infusione rosarum, violarum, cassia cum

Curatio iuxta recentiores.

semine berberis, aut alijs quæ acrimoniam extinguũt, aut eius transmutationem in bilem prohibent. Molles etiam clysmos imperant, & alia quæ copiam materiæ vacuant. Incendium febris extinguunt syrupis, cõditis, & alijs multis remedijs, quibus pro re nata vtuntur: vt si aluus nimis fluat, conseruam, & iulep rosarum offerunt. Et quia sanguis vitiosus facilè putredinem accersit, dant syrupos qui putredinem arcent: qualis est syrupus de acetositate citri, de limonibus, de granatis, oxysacchara, syrupus acetosus. Epithemata etiam ad cor & hepar, & illitiones ad dorsum adhibent, vt in putri Synocho, de qua mox. Synocho imputri hactenus explicatæ alterum finitimum genus ex nostris quidam adiunxit, scilicet ex bilis calidorumque humorum agitatione nimia, cùm euidentiores causæ in biliosum corpus sanum irruentes non modò spiritus calefaciunt, sed & acres humores exagitant: quorum æstu citra putredinem febris accenditur. Et hîc bilis est efferuescentia, non sanguinis, vt in priore. Hęc eadem corpus calidum siccum ac biliosum inuadit: vt illa temperatum. Huius autem causæ euidentes non sunt aliæ, quàm quæ Ephemeram mouent. Maximè verò cruciatus summus, qualis nephritici aut parturientis est, exercitatio, labor immodicus, æstus, balneum, animi excandescentia, eaque omnia quæ corpus calfaciunt & siccant, biliososque humores & acres exagitant. In hac os amarescit, deijcitur appetentia, sitis excruciat. Capitis dolor ac vigiliæ vrgent. In cute arida calor acer ferit. In pulsu aut vrinis nulla sunt signa putredinis. Sublata causa euidente paucis post diebus febris eiúsque symptomata quiete sola, nulloque artis subsidio sedantur, ac sponte sua desinunt. Cùm febris Diaria citra putredinis notas diem vnum aut alterum excesserit, harum alterutra tibi suspecta esse debet. In hac vt in priore purgantia medicamenta, clysteres, iulebi, syrupi refrigerantes, bilisque acrimoniam obtundentes imperantur. Aliquando etiam missio sanguinis fit, ad caloris natiui ventilationem ac refrigerationem.

De

De Synocho Putri. CAP. *IIII.*

FEBRIS hæc Synochus putris, vel putrida dicitur, continentium altera: in qua non modò sanguis incaluit præter naturam (vt in Synocho priori) verùm & computruit. Ac cùm calor vel putredo continenter contingit cor, continentes fiunt, vel continuæ. Recensentur autem hæ febres inter humorales, quanuis accidant quodammodo ratione societatis. Nam semper simul cum eo quod incaluit, pars continua calefit, quousque distributio caloris solius, vel fumi putridi ad cor deuenerit. Præterea cùm sint è genere puttidarum, puttedinis natura diligenter considerada est. Putredo fit à calore alieno & externo. Externus appellatur quicunque rei conseruandæ est immodicus. Si humori calor est mediocris, coctionem eius facit & conseruationem. Si ab humore vincitur paululum quidem, ipsum humorem putrefacit. Multùm autem si vincitur, is calor extinguitur. Si humorem plurimùm vincit calor, ipsum vrit. Sunt qui dubitent an febres humorariæ ab humorum putredine pendeant. Neque enim in febribus salubribus putant humores ipsos putrescere, sed tantùm inflammari, exardescere, & ebullire, propterea quòd humores extra vasa non suppurantur, & multo minùs humores putrescent in proprijs vasis. Certè dici potest extra venas etiam bilem synceram putrescere in erysipelate, pituitam in œdemate, sed difficiliùs quàm sanguinem: quia quæ calida sunt humida faciliùs putrent. Et in vasis humores permixti sunt sanguini, extra vasa syncriores: proinde in vasis putrescunt faciliùs, quia sanguis calidus humidus faciliùs putrescit. Putredo autem fit calore præter naturam vincente, & natiuo magna ex parte extincto. Tamen putredo in febribus salutaribus non est perfecta, sed imperfecta & suppurationi similis. Vbi verò putredo perfecta est, febris est pernicioſa. Alij putredinis naturam in febribus sic explicant. Excitatur humorum putredo ab alieno & præter naturam calore, tanquam efficiente causa. Id verò quod ab eo mutatur, est substantia putrescentis corporis ad corruptelam. Non solùm enim in qualitate mutatur, sed in propria substantia atque essentia, exigua ta-

Putredo à quo calore fit.

men mutatione. Nam vbi magna foret, corruptio potius quàm putredo nominanda esset. An verò febris aliqua putris fit à sanguine, magna est inter proceres Medicinę contentio: Quia quæ est ex putrefacto sanguine iam dici potest biliosa. Sed re vera quod dixit Galenus cùm sanguis putrefit, cholera fit, manet tamen sanguis, ita accipiendum est, manere quidem sanguinem, sed sanguinem biliosum, seu in quo flaua bilis abundat. Quasdam enim bilis qualitates participat: quoniã calidior quodammodo redditur, cùm à calore præter naturam mutetur & alteretur. At non confestim & immediatè omnino conuertitur in bilem. Quatenus enim putredine sanguini adueniente, sanguis à sua natura & bonitate recedit, eatenus ad bilis naturam accedit. Ideoque febris hæc potest biliosa appellari, neque genus quartum febrium debet statui. Præterea febris à sanguine putrefacto nullas habet exacerbationes. Cùm verò febrem à sanguine putrefacto dixit Galenus Tertianæ accessiones imitari, locutus est non de febre primaria, sed de symptomatica, quam alicuius partis phlegmone excitauit: quia licet biliosa omnino non sit, sed sanguinea, tamen naturam & paroxysmos biliosatum sapit. Et hæ febres ab inflammationibus ortę non sunt συνόχοι, sed συνεχεῖς. Rursum quæri potest cur sanguis tanquam humor quartus non efficiat intermittentem, vt reliqui humores. Respondendum sanguinem vt est humor quartus, & omnium humorum temperatissimus, non putrescere, quin reliqui humores putrescant. Omnibus autem putrescentibus fit febris continua, non intermittens. Fit igitur putredo à sanguine formam adhuc retinente, etiamsi in bilem degeneret. Proinde quidam etiam inter recentiores ait Synochon febrem esse minimè simplicem, sed compositam, videlicet ob bilis & quandoque melancholiæ mixtionem cum sanguine. De febre sanguinis alij hæc tradiderunt. Sanguis cum mutatur, putrescit. Dum putrescit, febrem excitat. Simili ratione nisi febris à sanguine esset, nulla febris tertiana erit. Bilis enim mutatur in melancholiam, & sic omnes tertianæ quartanæ essent, aut in quartanas mutarentur. Sed vt ad Synochon putrem redeamus, ea desinitur esse febris continens ex putrescente sanguine prognata:

Synochus putris quid.

gnata: non secundum se totum, qui scilicet paulo bilioſior factus sit, vt ex superioribus patuit. Hæc quemadmodum & altera simplex vna quasi accessio est, nec antè aut mitescit, aut intermittit quàm integrè desinat. Eaque pariter diuiditur, & triplex est. Homotonos est, cùm in toto decursu par est modus putredinis. In eaque vt in simplici principium & incrementum ob breuitatem non percipitur. Anabatica seu Epacmastica est, cùm plus putrescit, quàm dissipatur. In ea principium nos latet, & status est breuissimus. Paracmastica verò est, quum minus putrescit quàm dissipatur. In hac totus in declinatione morbus est. Hæc triplex differentia in hac Synocho multo euidentior est, quàm in priore. Synochus autem hæc putrida fit, vbi in omnibus vasis maximis potissimùm quę circa alas & inguina sunt, æquabiliter omnes putrescunt humores. Quod quidem euenit, quando ex vehementi constipatione qui intra corpus est calor cohibetur. Ea causas habet efficientes quàm simplex validiores, quæ non modò phlogosin, sed & putredinem accersunt: quoniam efficacissima est cutis non simplex obstructio, sed ab impactis multis, crassis, lentisque humoribus vera obstructio, quæ non cutem solam, sed & tenues iecoris habitúsque corporis venas infarciat. Notæ huius sunt ferè similes atque in simplici, sed insigniores. Calor acriùs contactum ferit: nihil tamen habet acre aut mordax, quale in febribus quæ ex flaua bile vsta generantur. Pulsus non modò magnus, celer, frequens, verùm & inæqualis, & inordinatus. Vrina crassa, rubra, turbida, sedimento nullo. Priuatim enim putredinis notæ insunt tum in pulsu, tum in vrina, tum caloris ingrata qualitate. Nam acrior percipitur calor, & iam maiorem noxam sustinente natura, magisque ac magis conturbata, cruditas apparere incipit. Hoc genus febris nec in gracilibus, nec ijs qui raro sunt corporis habitu, nec in frigido temperamento, nec in frigida ætate excitatur: Sed plurimùm in ijs qui sanguine abundant, & tum ætate, tum natura, tum acquisititio temperamento calidi sunt, ac præcipuè in carnosis, corpulentis, ac denso corpore præditis, aut etiam qui calidis recremẽtis referti sunt. Synochus putris, vel statim est ab initio,

Quotuplex.

Causa.

Signa.

Prognostica.

vel non putri succedit: putrescente sanguine videlicet. In Causon etiam ea facili negotio degenerat, vbi aliquandiu perseuerarit. Omnium deterrima est quæ perpetuò increscit. Ab hac verò consistens; minimè omnium periculosa decrescens mox ab initio. Pessimum iudicatur, ægrum maiore inquiete fatigari, Dyspnœa multùm infestari, ventrem inflari atque rugire, pustulas nigras aut liuidas apparere, ægrum inuoluntarias lachrymas profundere, aut à somno laborem sentire: præsertim quando iam maximis remedijs curatio tentata est. Sed iam vt ad curationem veniamus, victus ratio in his febribus potissimùm hæc sit. Cremor ptisanæ exhibeatur, & quies imperetur. Omnino enim si vires robustæ fuerint, & vigor morbi expectetur, tenuissimo victu vtendum est. Sin contrà vires erunt imbecillæ, non sine ingenti dispendio victus tenuis exhibetur. Alendi autem sunt ægri, quo tempore sani ali consueuere, & vbi maius leuamen sentiunt. Ita enim alimentum ferent faciliùs. Detur quoque si opus erit panis lotus, lac amygdalatum, & iuscula offerantur ex carne gallinarum, vitulina, alterata lactuca, portulaca, acetosa, borragine, omphacio. Neq; ferè conceduntur carnes. Parcitur & totaliter vino, & omnibus ijs, à quibus sanguis procreatur. Sed potus & aqua hordei, syrupus violatus multa aqua dilutus, Iulep violatum, oxysacchara. Reliqua curatio in vacuatione consistit & alteratione, vt ferè in alijs omnibus febribus. Ideoque in primis mittebatur sanguis ab Antiquis ad syncopen vsq;. Maximum enim illis visum est hoc genus præsidij, propterea quòd in contrarium statim agitur corpus ex animi defectu refrigeratum. Deinde quòd in eiusmodi corporib. necessariò superuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio. Quas res statim à toto corpore madores sudoréve excipiunt. Quæ quanquam vera sint, id tamen remedij genus nostris temporibus suspectum est, & præstat initio quantum visum est detrahere: quod autem deerit, iteratione supplere. Quoniam enim vires hîc quàm in superiori affectu ferè imbecilliores sunt, parcior sanguinis missio præscribenda videtur. Præterea missio vsque ad syncopen plus habet periculi quam commodi, vt quorundam tristis exitus demonstrauit, qui cùm ex lar-

Curatio.

Sanguinis missio.

ex largioti sanguinis missione defecissent, nunquam postea reuocati sunt, aut ad se redierunt. Alij licet ex missione sanguinis vsque ad animi deliquium non protinus, tamen postea propter virtutis imbecillitatem perierunt: quidam in graues aut longos exitialésve morbos à tali vacuatione inciderunt. Quare quantitas hauriendi sanguinis sit leipothymia, non syncope absoluta. Phlebotomia intra primum diem fieri debet hora quauis diei, vel noctis. At si optio detur, matutinum tempus eligendum est. Basilica, aut media brachij dextri aperitur. At si vires & ætas à missione sanguinis dehortẽtur, duabus cucurbitulis cum scarificatu humeris aut natibus appositis magna sanguinis redundantia auferri potest; aut ijsdem locis hirudines applicentur: etsi iusta sanguinis copia exhauriri non possit, vt phlebotomia. Si sponte erumpat sanguis è naribus vel hęmorrhoidibus, naturæ motui suffragandum est, nec alia sanguinis missio tentanda, nec quæ sit sistenda, nisi immodica esse videatur. Quod superest, si veteres curabant infirmum, cui antea vena secta non esset, aut etiam secare prohiberentur, ad frigidam propinandam accedebant, discernentes quantum ex ea nocumentum contingere posset. Nam si exiguum aut nullum esset, offerebant quæ prorsus gelida esset, quantum bibere ægro libebat, magisque id audebant, siquidem ægri frigidæ potioni assueti erant. Potionem enim aquæ frigidæ post concoctionem materiæ, præsertim in declinatione, credebant sudores mouere, & febres extinguere. In principio autem refrigerare, incrassare, & nullam vtilitatem præstare. Mouet siquidem frigida sudores, densatis interioribus & roboratis. Partes enim solidæ humectatæ & refrigeratæ quandam faciunt humiditatem, aut vaporem ad ambitum amittunt, ex quo sudor fit: aut vaporem retentum in ambitu extrà propellunt: vel vt partes superiores ventriculi constrictæ recrementa deorsum propellunt; sic venæ maiores aqua frigida compressæ ad minores venas fumos & recremẽta protrudunt. Læduntur autem aqua frigida qui parum carnis, & parum sanguinis obtinent: quia celeriter ad solidas partes animalis peruenit, & nulli quod eius vim frangat, occurrit. Ex accidenti autem frigida mouet sudores ac ven-

Frigida potio.

trem, cum suapte natura expers sit stercoris ducendi, aut vrinarum mouendarum. De Aqua sic & alij meminerunt: Ex hac tempestiuè exhibita solidarum partium animalis natura roborata, præparatos iam humores aggreditur, vt qui vtiles sint, & ad nutriendum habiles ad se quidem trahat, inutiles vel per cutem, vel per ventrem eliciat. Sed quia non pauca sequuntur incommoda, illa vbi timerentur, abstinere oportet. Viscosos enim & crassos humores attenuari & transpirare frigida vetat. Quare vbi obstructiones erunt, aut aliquis præter naturam tumor in visceribus, frigidam exhibere non conuenit, neque quibus debile fuerit viscus aliquod ex quauis causa: vt si stomachus, vel gula, ventriculus, aut os eius, iecur, pulmo, septum transuersum, colon, renes, vesica, aut tale quidpiam fuerit inflammatum. Quidam ex immodica potione non multo interposito tempore, sed illico in aquam inter cutem & spirandi difficultatem, aut conuulsionem, aut tremorem inciderunt, aut etiam alto sopore & lethargo, aut aurium abscessu correpti fuerunt. Summatim illa omne genus neruorum offendit ac caput, ijs potissimùm qui non sunt assueti. Itaque dictis duobus remedijs contenti fuere veteres, missione sanguinis, ac gelidæ potione. Sed posteritas alia nonnulla præsidia superadidit. Itaque iuxta huius præscriptum, vacuatis communibus materijs clystere, vel leniente medicamento, sanguis mittitur paulò plenius, vt dictum est, nempe vt putredo inhibeatur, & calor ex ea contractus extinguatur. A sectione venæ propria materia febris præparatur ac vacuatur, prout humor hic vel ille cum sanguine redundat, aut peccat. Adest enim cacochymia, cui non prorsus medetur venæ sectio, & præsertim conuenit purgatio, si materia admodum copiosa ac veluti furens est: Ea enim leuiorem saltem purgationē desiderari insinuat. Tamen eius insignior reiectio ad tempus crisēos expectanda venit, quando planè maturata subactaq;, naturæ conatibus cedet. Hic etiam conueniunt quæ citra manifestum calorem obstructiones liberant. Et putredo præterea corrigenda est syr. de limonibus, de acetositate citri, acetoso, oxysacchara, qui in siti sumi poterunt cum aqua hordei, vel aquis endiuiæ, acetosæ, rosarum, cichorij, & fiēt

Ex inuiori bus petita.

Iulepi.

Iulepi. Inhibenda quoque putredo pane intincto in succo granatorum & reliquis acidis, quæ putredini resistunt. Sic vt vapores vacuentur, aperiendi sunt pori frictionibus, aut oleo chamæmelino. Loco autem frigidæ (qua febrilis calor extinguitur) frequens est vsus potionum refrigerantiũ ex endiuia, scariola, cichorio, lactuca, acetosa, hordeo, prunis, passulis, glyzyrriza, quatuor seminibus frigidis, floribus cordialibus, nymphæa, ex quibus parantur Apozemata, & Zulapia. Hic etiam est vsus conditorum, vt robur partibus per calorem debilitatis addatur, ex conserua rosarum & bugloſſæ, pulueribus triasantali & diatragacanthi frigidi cum saccharo rosato tabulato. Vel ex similibus pulueribus tabellæ parantur. Vbi etiam vires plurimùm deiectæ erunt, vt in statu, commodum erit instaurante stillatitio vti. Adhæc quia non modò sumptis, sed & admotis ægrotantem oportet infrigidare, extrinsecus admouentur Epithemata cordi & hepati: de quibus alio loco.

De continuis febribus in genere.
CAPVT. V.

CONTINENS & continua in hoc conueniunt, quòd neutrum earum genus ad infebricitationem peruenit. Sed inter sese discrepant, quòd in Synocho seu continente velut vna sit accessio, & nulla sit feruoris remissio, donec in totum desinat. Continua verò remissionem aliquam sensibilem in singulis accessionibus obtinet. De altero harum febrium genere quia absolutus est sermo, hìc à nobis agetur de reliquo. Igitur febris continua Latinis appellata, Græcis συνεχὴς dicta est: febris scilicet quæ ad integritatem minimè desinit, nisi ex toto soluta fuerit, & remissionem aliquam sensilem habet, vt dictum est. In cõtinua humor continetur in venis incluſus, nec extra vasa excidere potest propter sui multitudinem, crassitiem, & lentorem. Idcirco continua sine circuitione fatigat, & in his nullus peculiaris locus est affectus. Tres autem huius febris differentiæ sunt pro putrescentis humoris diuersitate. Nam si flaua bilis intra vasa putrescit, eaque propinqua cordi καῦσος seu Ardens nominatur: vt si in vasis remotis à

Febris continua.

corde Tertianam continuam efficit, quæ πρωτοφυὴς dicitur. Sin pituita putrescit in venis, Quotidiana continua: si melancholicus succus, Quartana cõtinua generatur. Causa febris continuæ est copia humorum in venis putrescentium, qui sunt causa obstructionis meatuum corporis, & inde prohibitæ transpirationis, & ita putredinis, & postea putridæ exhalationis, ac tandem febris. *Causa.* Causa verò continuitatis est, quia putredo continenter contingit cor, vt superiori capite ostensum est. Seu quia intus, hoc est in venis concepta est putris materia, quæ non facilè discutitur. Et cùm humores commixti sint, si omnes simul putrent seu sanguis ipse, continentes efficiunt, vt iam exposuimus. Sin soli quamuis commixti, non pariter inficiuntur. Nam putredo ei potiùs humori accepta refertur, qui copiosior iusto cacochymiam attulit. Vt cum putret bilis seu biliosior sanguis, fit Tertiana continua: quæ intensione caloris maioris in Ardentem vertitur. Hoc enim vnum inter Ardentem & Tertianam continuam discrimẽ quidam statuunt, nec ratione loci eas distinguunt vt paulò antè fecimus. Cùm pituita putret, fit Quotidiana continua: cùm melancholia, fit continua Quartana, vt diximus. Hæ autem sunt quæ veræ continuæ nominantur: Aliæ sunt symptomaticæ, quæ inflammationem visceris alicuius sequuntur. Putredine enim in viscere consistente, & putrida fuligine ad cor tantum delata, fiunt symptomaticæ. Veræ autem continuæ sunt, cum putredo in vasis extiterit: adestque occasio quæ alterius accessionis principium excitat. Veræ etiam continuæ eiusdem generis sunt cum intermittentibus. Tertiana continua cum Tertiana exquisita intermittente, quòd scilicet illa tertio die exacerbationem patiatur, vt hæc tertio quoque die accessionem habet, vt dicetur. Idem de Quotidiana & Quartana est iudicium. Differunt tamen quòd in continuis humor est intra vasa: in intermittentibus per singulas partes dispergitur, & in habitu seu extra venas continetur. Atq; hæ in infebricationẽ desinunt, illæ verò haudquaquam, nisi ex toto solutæ fuerint. *Signa.* Signa autem continuarum sunt cum signis intermittentium, communia, vtpote Tertianæ cõtinuæ notæ cum notis exquisitæ Tertianæ. Tamen cõtinuarum exacerbescentia,

tia, non vt intermittentium à rigore, vel horrore, vel frigore incipit, nec soluitur sudore, neq; in apyrexiam finit. Eatum quippe materia in venis coërcita ac putrescens, tametsi quadam ex parte per cutis spiracula sine sensu dissoluitur, non potest tamen ante perfectam solutionem tota depelli, vtpote crisis die. Si quando enim in continuis rigor, horror, frigúsve animaduertitur, noxij humoris non parũ circa præcordia inhæresçit, qui horrore concutit, dum totus calore suo sit incensus. Et aliquæ continuæ initium capiunt à frigore vel rigore, vt Quotidiana propter materiæ copiam à maioribus venis ad minores deriuatam, quę naturalem calorem opprimit. Et aliquando noxij humoris circa præcordia non parum inhæresçit, qui horrorem efficit, dum totus calore sit incensus. Interdum quoque accidit, quòd circa continuæ febris initia materiæ aliquid extra vasa excitat, ex qua rigor efficitur. Nam semitertiana & cõtinua est, & horrifica. Præterea in Tertiana continua linguæ asperitas adest cum citrinitate, & nigredine. Maior item dolor capitis, & vigiliarum instantia atque inquietudo: pulsus velocitas: vrinæ rubræ, intensæ, valde tenues, sub rufæ cum liuiditate. Quamuis calor non tam intensus quàm in Causo, & maiorem habet quietem quàm Causus. Sic grauiora sunt symptomata Quotidianarum & Quartanarum continuarum, quam intermittentium: Alioqui similia. Fusiùs autem à nobis tractabuntur intermittentium symptomata: vt frequentiùs occurrunt intermittentes, quàm continuæ. Febres cõtinuæ, vt ferè sunt acutæ ob velocitatẽ motus ac sæua accidentia, sæpe non vacant periculo. In his incertæ sunt prædictiones salutis, vel mortis. Continuarum frequẽtissima est Tertiana, rara Quotidiana, rarior Quartana continua. Et quando bilis mouetur diebus imparibus, si fiat crisis per alui deiectionem, aut vrinas, aut sudores, Bonum. Si paribus, malũ. Acuta autem febris, vel aliquo calidorum humorum computrescente, vel membro phlegmone obsesso gignitur. Porrò in febribus continuis, si morbi vigor non longiùs septimo futurus est, & vires valent, ætasque consentiat, victus tenuis instituendus est. Quibus verò status morbi diu post septimum futurus est, aut vires nõ constant, initio quidem liberaliùs,

Prognostica.

Victus ratio.

instante verò vigore parciùs, vigente morbo tenuissimè cibare oportet: postea rursum semper vberiùs eodem modo cibum augendo, quo ante vigorem minuebatur. Victus autem particularis magna ex parte fit ex sorbitionibus, & ad frigidum humidum vergat, præsertim in continuis biliosis. Nostro more conueniunt iuscula è tenuioribus pullis gallinarum, vel vitulina carne molliuscula. Alteranda verò sunt ea humectãtibus, & refrigerantib. herbis. Potus sit aqua hordei, syr. violatus multa aqua dilutus, iulep violatum, oxysacchara, syrupus acetosus, iulep Alexãdrinum. Tota etiam victus ratio sit tenuis, aut tenuissima secũdum febris ideam, quę acuta, aut peracuta existit. Vinum ipsum planè hic insalubre est, quoniam vinosum calefacit, & aquosum non satis refrigerat. Hippocrates tamen id concedit ratione causæ, vt coctionem adiuuet, & sudores ac vrinas prouocet. Quidam etiam hodie vino in acutis febribus non interdicunt, modò sit oligophoron, & multa aqua dilutum. Sic in continua Quotidiana, & Quartana victus ratio minùs ad calidum siccũ declinet, quam in intermittentibus congeneribus. Quoniam verò continuæ inter putridas recensentur (vt ad reliquam curationem deueniamus) omnino febris sananda est, & putredo in primis inhibenda. Ita duæ statim se indicationes exhibent: quarum altera à febre, altera à putredine sumitur. Atque à febre rursum duæ scilicet, vt portio febris quæ iam accensa est, percuretur: quæ verò in generatione est, inhibeatur. Aliæq; duæ à putredine, vt quod putredinis iam factũ est, sanemus: & quod in generatione adhuc est, sistamus. Quod in generatione adhuc est, id perspiratio impedita efficit, & ita ab hac quoque duæ aliæ indicationes nascentur, tum vt quod retentum est vacuetur, tum quod retinendũ est prohibeatur. Prohibebitur autem ijs præsidijs quæ obstructioni medentur. Huius rursum obstructionis quod iam occupauit, sanandũ est: quod futurum est, arcendum. At curabitur obstructionis quod iam factum est, per ea quę obstructiones liberant. Propulsabitur quod futurum est, si affluxum obstructium humorum compescuerimus. Itaq; quod vltimum in ipsa resolutiua methodo inuẽtum est, id omnium primum in ipsa curatione est peragendum. Nos in his

Medicamẽtorum ratio.

sn his particulatim tyrones exercebimus. Ne igitur fiat humorum affluxus, si plethora adest, principio valida existente facultate, tempore, ætate, alijsque consentientibus sanguis mittatur, & eo plus detrahatur, quo magis corpus tumet, magisq; venæ distentæ sunt. Saluberrimum enim est in febribus venam incidere non continuis modò, verùm etiam alijs omnibus quas humor putrescens concitat, vbi vires nec ætas prohibent. Leuata enim quæ corpus nostrum regit natura, exoneratáq; eo quo velut sarcina premitur, haud ægrè quod reliquum est, vincet. Si verò nõ plethora quæ sanguinis est, sed aliorum humorum est exuperantia quę cacochymia dicitur, vacuatio per purgationem instituetur: ex melle cëreo videlicet, siliqua Ægyptia, saccharo violaceo, tamarindis, rhabarbaro, agarico, & similibus pro natura ac specie humoris redundantis. Vacuata multitudine quæ. fluxũ facere potuit, si quid obstructionis iam factum est, curabitur per ea quæ obstructiones liberant, citra tamen manifestum calorem, ne tum putredinem, tum febrem augeant: nempe per ea quæ tergent, incidũt, aperiunt. Succi enim nõ modò sua copia, sed & qualitate obstruunt. Si ergo crassities aut lentor causa est obstructionis, cõueniunt ptisana, aqua mulsa, oxymeli, & reliqua nonnulla, quemadmodum ἐκφρακτικὰ & aperientia sunt amara, quæ meatus maiores qui sunt in alto corpore aperiunt. Atq; vbi quæ obstruunt, detersa & dissecta sunt, & viæ reseratæ: ea per aluum, vel per vomitum, vel per vrinas, vel per sudores vacuanda sunt. Iis .n. modis quod iam computruit & corruptũ est, vacuatur. Per aluum quidem medicamẽtis paulò antè dictis. Vomitu autẽ (si sponte sua ad os ventriculi succi putridi feruntur) ex multa aquæ tepidæ potione cum pauco aceto, aut syrupo acetoso, vel oxymelite permixto, potissimùm vbi vomitui assuetus fuerit æger. Per vrinas autem decocto quatuor seminum frididorum, radicis apij, fœniculi, & similium. Per sudores autem propinato vino aquoso, balneo. Interim quod est semiputrescens semimalumque alterandum est syrupo de acetositate citri, acetoso, & similibus quæ putredinem arcent. Vires etiam roborantur, & excitatur facultas quę naturaliter concoquit, & vtiles succos reddit. Ad id perti-

net somnus, quies, idonea alimenta. Vltimo loco febri quæ febris est, conueniunt refrigerantia, quæ nota sunt, vt syrupi, apozemata, tabellæ, & huiusmodi. Quæ quidem curatio omnis fit per contraria. Siquidem abundantiæ contraria est vacuatio, crassitudini extenuatio, lentori detersio, obstructioni apertio, transpirabilium retentioni ipsorum excretio: putredini similiter excretio, refrigeratio, ventilatio, ac semiputridorum concoctio. Ipsius verò febris refrigeratio oppositum est. Quæ quia intermittentibus curandis ferè sunt etiam communia, ex intermittentium quoq; curatione peti & cognosci poterunt. Reuera enim febres continuæ eadem methodo curandæ sunt, qua congeneres intermittentes, siue eadem adhibeantur remedia, siue pro ipsarum ratione & cæterarum indicationum consensione augeantur, vel minuantur. Debent autem ea offerri, quo tempore febres erunt remissiores.

De Febre ardente. CAP. VI.

καῦσος. FEBRIS καῦσος Græcis dicta, & Ardens Latinis, vtrisq; sic appellata est ab ardore, quoniam per eam magnus calor ostenditur, & quia ea febris omnium est flagrantissima. Vnde & interdum πῦρ absolutè, id est ignis, vocitatur: vt aliàs dictum est. Hæc febris potiùs ad συνόχους refertur à quibusdam, quàm ad συνεχεῖς, quòd à principio ad finem nullo excandescentiæ ordine perseuerat, & quòd eius materia sit in venis cordi propinquioribus, ac proinde illius putredo cor pari vehementia exerceat: aut saltem si habet exacerbationes alternis diebus, eæ obscuræ sunt, vt in Synochis. Alij tamen referunt ad συνεχεῖς, quia sola intensione caloris Ardentem putant differre à Tertiana continua, & Ardentem tertiò quoque die acerbiorem esse dicunt, vt superiori capite ostendimus. Nomen ardentis vsurpatur etiam pro febre symptomatica, quæ phlegmonem aliquam vt Pleuritidem, Anginam, & alias consequitur. Galenus similiter febres Synochos Ardentes nuncupauit. Est igitur Causos, febris in qua bilis accenditur, vel putrescit in venis. Vnde Causón quidam diuidunt in putrem, & non putrem. Nam cur non, (vt aiunt) à bile succen-

sa

censa & non putrescente, Causus efficietur, quum ex sanguine putredini obnoxio magis, non putrescente, sed inflammato tantùm, fiat Synochus. Verùm alij falsùm id existimant, perpetuoq; bilem in Causo putrere autumant. Rectiùs itaque diuidetur febris Ardens in Exquisitam, & Notham. Illa est, in qua vrens caliditas & inexpugnabilis sitis hominẽ infestat, eademq; vehemens & biliosa febris est. Hæc verò est, in qua ista sunt remissiora, vtpote quæ febris est ex parte pituitosa, seu à bile pituitæ permixta. Causi veri causa est ἰχὼρ seu tenuis sanies, acris, biliosa, à venis per æstatem siccatis attracta. Venæ enim partis alicuius aut totius corporis siccatæ, humores biliosos attrahunt, & Causon generant: siticulosum quidem, cùm in totum corpus bilis est tracta: non necessariò siticulosum si in partem quamuis, nisi ea ad sitim excitandam sit idonea: qualis primò & maximè est os ventriculi, deinde ventriculus, pòst stomachus, inde pulmo, interdum & ieiunum intestinum. Causon ergo facit maximè humor biliosus collectus circa ventriculũ, & præcipuè ipsius os, circa pulmones, & simas partes hepatis. Causæ verò externæ Causi sunt nimius labor, iter longum, & alia immodica exercitatio in aëre calido & æstu, longa in eo sitis, & multa cogitatio, ciborum ardentium vsus, potus vini fortis liberalior, & causæ aliq omnes bilificæ, nec non res omnes non naturales, quæ siccant & calfaciũt. Causi verò spurij causa est crudus humor, vel pituita salsa, bile permixta: vnde ferè accidit sub finem autumni, vel hyemis: post multos & graues labores, inedias, medicamenta calida & sicca, & alimenta, alias deniq; causas, quę frigidos humores accẽdere possunt. Signa porrò febris ardentis pathognomica sunt calor vrens, inquietudo, vel anxietas, sitis inexplebilis, lassitudo vlcerosa ob tenuis humoris acrimoniã. Alia συνεδρεύοντα id est assidentia, vt lingua sicca, nigra, aspera ab adustione, ventris dolor mordax, & torminosus à tenuis ichoris affluxu, deiectio interdum liquida à copia crudę & acris materiæ intrò motæ per morbi vehementiam, cùm causi sedes est hepar aut venter, vigiliæ, delirium à caliditate & siccitate, & à delirio non rarò Phrenitis vera, & conuulsio, cordis agitatio maxima, tussicula, vox clangosa & pauca extremè siccato gut-

Causi differentia.

Causa veri Causi.

Causa notha Causi.

Signa.

tura, cibi fastidium, profundi interdum somni eleuatis vaporibus crassis, qui cerebri meatus infarciunt, præsertim cùm Causi sedes est in pulmone. Ægrè spirant magna & densa respiratione, efflantq; igneum spiritum, ore semper aperto, & sic ab inspiratione frigida iuuantur. Os amaricat à bile flaua tunicam ventriculi internam ori communem imbuente. In primis autem in Causo conspicuæ sunt communes putredinis notæ, perpetuus & constans est ardor, isque ferè æquabilis, vehemens est præcordiorum æstus. Quòd si tanta accedat malignitas ac permities, vt interiores partes, ipsaq; viscera vri videantur, simulq; extrema frigeant, peculiari nomine ea febris Lypiria appellatur. Cæteræ quæ in Tertiana notæ apparent, sunt in Causo grauiores. In Causo notho seu hyberno corpus non vritur, & sitis leuis est, dimidiumq; habet Causi veri. Lingua ficca est, aspera falsa. Aluus descendit, quamuis non à pituitoso humore, sed à corruptis in ventre alimentis. Quanquam etiam in Causo notho tarda quandoque aluus est à pituita frigida, crassa, lenta. Vrina aut pauca est, aut nulla ob pituitæ crassitiem. Insomnia minor, quàm in vero: refrigerãtur extrema. Nam in pituitosa febre fumosa est caloris substantia, cum in ventre, hepate, pulmone; salsus humor putruit. De notis Causi spurij sic alij. In eo magna est corporis perturbatio, capitis dolor, cõuulsio, vrinæ crassæ, turbulentæ, confusæ. Crudis enim humoribus accensis, & cum bile ebullientibus, & in neruosum genus ruentib. & delapsis, causa huius vrinæ est humor crudus, crassus, putrefactus, bilis ardore agitatus, multo spiritu præditus, vnde turbatio & in caput sublatus vapor, qui dolorem, grauitatem, conuulsionem, mortem deniq; adfert. Hæc itaque febris non symptomatum vehementia; sed causæ grauitate vrget magis. Causus exquisitus septimũ diem vix transcẽdit. Quarto etiam vel tertio die solet interficere, cùm à meracioti bile excitatur. Causus verus soluitur à natura quidem criticè per bilis aut sanguinis vacuationem, à medico autem per bilis aut febris extinctionem à potu frigidę. A causo habitus rigore superueniente sanatur: nisi vires imbecillæ crisim perficere nequeant. Hunc rigorem si ad integritatem febris desitura est, necessariò sequitur bilis

Prognostica.

rigorem

rigorem committentis (vt initio accessionis Tertianę) vacuatio per sudorem, vel vomitum, vel deiectionem, vel vrinas, vel horum duo, vel tria, vel quatuor simul. Sæpe autem sudor criticus hunc soluit, tenuibus vacuatis humoribus. Exquisitarum quoque febrium ardentium maximè proprium est per hæmorrhagiam narium iudicari. Sanguis enim in acutis febribus feruens ad caput effertur, vbi apertis & ruptis venis cum aceruatis vaporibus effunditur à natura cæteris promptiùs dominatura. Ardens si tertio quoq; die exasperatur, id fit sine rigore. qui si aliquando accidit vt die Critico, soluitur illa, verùm æger non semper liberatur. Nam in abscessum aut intermittentem aliam vertitur, cùm ea non sufficiat excretio. Quod reliquum est, crisi omnino soluitur & æger liberatur, si eruptio sanguinis è naribus, aut sudor ex toto, aut deiectio, aut vomitus, aut vrinæ copiosæ die decretorio sequantur. De quibus alij in hunc modum: Si Causus absque vacuationibus tum naturalibus tum medicis esset, recidiuam faciet, aut dolor erit crurum & coxæ, & sputum crassum expuet, si sanus futurus est. Imò quib. in Causo sanguis die tertio aut quarto paucus fluxit, quia imperfectè fluxit, omnes mortui sunt. Quibusdam bile ad cutem deposita, Icterus die sexto superuenit: ob id prauus, quia ante septimum apparuit. Sed prauitatem emendat eius vacuatio per aluum, vrinas, hæmorrhagiam narium, die vigesimo vel alio critico superueniens. Finitur & Causus nothus fluore sanguinis vt verus, vel abscessu circa collum, vt Parotidibus, aut dolore cruris vel coxæ, cum aluo astricta, & sputo crasso. febres. n. pituitosæ magis abscessibus, quàm aliqua insigni excretione soluuntur. Insuper in ardentib. malũ est, si insomnes ac fastidiosi sint ægri, grauiterq; angãtur. Adhæc vbi paululũ in fronte & clauiculis sudabũt, multumq; delirabunt, nec minùs vbi timores, mœstitiæ, extremitates subfrigidæ, vt summi pedes. Nec minùs malũ est, vbi habeant plures accessiones, si eędem diebus paribus fiant à principio statim. Nam interdũ ad sextũ diem pessimũ iudiciũ fore prænunciant: aut si adsit ingẽs sitis: aut enim mens læsa est, aut ventriculi naturalis facultas extincta est. Vrinæ nigræ, tenues ac paucæ, aluiq́ue duræ in his febribus exitialia signa sunt.

Inuoluntariæ etiam lachrymæ si ex oculis cadãt, mortem significant. Et si febricitanti suffocatio repentè superuenerit, nullo tumore in faucibus existente: Item si febrem habenti repente collum peruertatur, ac vix deuorare possit non existente tumore, lethale. In febribus circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus, malum. Et in acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. Malum quoque spiritus offendens. Mali item ex somnis timores, & conuulsiones. Insuper si in frigido ambiente hominem vri contingat, exigua spes salutis est habenda. In ratione victus præscribenda refrigeretur aër cubiculi, & excitetur flabellis, aqua è vase in vas transfundatur. Strepitus enim aquæ ad aures illabens somnum conciliat. Solum insternatur capreolis vitium, & similium. Turba arceatur quæ halitu & transpiratu aërem calfacit, non solùm inficit. Decumbat æger loco frigido ad suauem auram exposito, à qua priùs diffletur aër. Culcitra etiam molli, quæ frequenter sternenda est. Stragula & linteamina tenuissima sint, & minimè sordida, quæ assiduè mutentur contra vulgi morem. Lectus insignem latitudinem habeat, vt ad diuersas partes membra calfacta transferri queant. An verò lucido, an obscuro loco locandi sunt ægri si quæratur, idem statuendum est quod de Phreniticis, de quibus aliàs diximus. Pro cibo conueniunt pruna multa aqua cocta, iuscula è carne vitulina, pullis gallinarum, alterata cum herbis refrigerantibus, hordeo. Plurimum quoque conferunt hordeata: quibus ad somnum conciliandum additur drachma vna papaueris albi. Salsa & acria vitentur, quia calida sicca causam augent, siccando magis, & calfaciendo. Potus sit aqua in qua cinnamomi parum decoctum sit, aut omphacium, aut aqua condita sub octuplo saccharo communi, vel violaceo. Nõnulli pane priùs loto, abiectáq; priore aqua conficiunt aquam quam panatam vocant, eamque frigidissimam propinant, sed maximè in vigore & declinatione accessionis multo liberiùs. Vel cum decocto hordei misceantur Zulapia, violaceum, rosaceum, & similia. De potu etiam alij sic: Coctæ tum aquæ, tum aquosæ mulsæ bibat æger quantum voluerit. Aqua cruda & sola tardè permeat ob frigiditatem, & diutiùs in hypochondrijs

Victus ratio.

chondrijs morata corrumpitur in morbis acutis. Imò in bilem flauam degenerat. Mel quoque per se & solum facilè in bilem vertitur, ob id aquam & mulsam dant aquosam: vtramque coctam, vt citiùs distribuatur aqua præsertim melli iuncta. Possunt autem Causi salubres extingui potu tempestiuo aquæ frigidæ. In salubribus verò & pernicioſis aqua non est danda. De victus ratione hactenus. *Medendi methodus.*

Quod spectat rationem medicamentorum, causa ipsa plerunque oppugnanda est. Quare curatio inchoanda est à clystere molli, quoniam vt plurimùm excrementa alui ficca sunt. Ex sero lactis paretur clyster cum oleo violaceo, vel medicamentum blandum primis venis repurgandis idoneum offeratur. Bilis extinguenda est, & vacuanda. Alteratione tamen potiùs indiget, quàm vacuatione, vt erysipelas. Proinde ipso statim initio venæ sectio imperatur ad refrigerandum, à qua tamen & causa febris exhauritur, cùm bilis in vasis vnà cum sanguine aucta sit. Detrahiturque sanguis ad vncias quatuor, quinque, sex, multo liberaliùs, si vrina rubra est, aut adsunt signa plenitudinis, aut si bilis sanguini permixta sit. Ipsa autem interna cubiti vena secatur. Imperatur & venæ sectio, si visceris alicuius inflammatio subest. Quamuis sint qui vereantur maiorem sanguinis feruorem, si sanguis mittatur; confirmantque Galenum in erysipelate sanguinem non mittere. Sed frustra. Nam in ea quæ supersest massa, eadem manet sanguinis ad bilem proportio, quæ priùs inerat: aut certè parcior supersest bilis, cùm ipsa vt tenuis leuisque aperta vena quàm reliqui humores promptiùs effluat. Neque hic ad leipothymiam vsque sanguis mittitur, cùm sit cacochymia, (non plethora) & vires omnino sint imbecilliores. Si etiam materia multa sit ac tanta, vt à natura vinci non possit, eiusque motus sit præceps, detur medicamentum quod non tantùm communes materias educat, sed & propriam febris materiam imminuat. A scammoniatis tamen cauendum est, quia intensiùs calfaciunt. Præterea febrilis calor extinguitur etiam assumptis Zulapijs, & Apozematis. In quem vsum frequens est syrupus violatus cum aqua hordei tripla vel quadrupla, adiecto syrupo limonum, granatorum, aranciorum, citoniorum.

Et varia sunt quæ admouentur cerebro, cordi, epithematis maximè cùm ad statum aut declinationē peruenit febris. Nam in vsu frigidorum tempus obseruandum est. Siquidem & augmento febris non conueniunt. In vigore & declinatione, cùm iam calor est diffusus, æstum extinguunt. Præterea verendum ne vsu frigidorum impediatur crisis. Præter hæc præscribuntur alia ad extinguendum calorem febrilem. Nōnulli pulmones recèns mactatorum animalium, columbos, catulos diuisos medios raso capiti, pectori, plantis pedum, hypochondrijs admouent, vt tepido calore igneum calorē foras attrahant, laxatis vijs fuliginem ducant & per accidens refrigerent. Veteres thoraci & pectori linteolum hydrelæo calente madefactum applicabant. Practici recentiores miscella ex oleo chamæmelino, aceto albo, & aqua rosacea, hypochondria, pectus, latera, qua maximè parte feruor est, inungūt, & ita dolores mitigāt. Postremò roborātur vires potionib. cardiacis, opiatis, conditis, tabellis. Ac vt ne quod remedij genus prætermittamus, aliquid de balneo adiungemus. Balneum aquæ dulcis ijs solùm cōuenit, qui citra tumorem ad inflammationis aut erysipelatis naturam tendentem Ardenti febre laborant. Quòd si coctionis notę in vrinis appareant, multo magis competet. Æger autem qui in ardentissima febre frigido vti cupit solio, sit iuuenis, moderatoque corporis habitu, eoque vtatur æstatis tempore, anni constitutione calida, inque febris vigore, & sit lotioni frigidæ per sanitatem assuetus. De balneo in eandem sententiam alij sic: Moderatiori existente febre cum coctionis indicijs, solium aquæ dulcis & temperatæ sufficit, & confert. Per se etiam obtinebitur alteratio potione frigidæ, de qua iam diximus. Ea vel affatim semel, vel paulatim sæpe offertur, seruatis conditionib. quæ antè expositæ sunt. Sed iam vsus obtinuit, vt sola non offeratur: verùm cum syrupis refrigerantibus commixta. Si morbi reliquiæ quædam fortè suspectæ fuerint, non tantùm deiectorio medicamento vacuabuntur, vti dictum est, sed etiam frictionibus & viai albi potione, vt sudores & vrinæ prouocentur. Per hæc verò bilis expurgari solet. Vrinas etiam mouet decoctum radicis graminis, rusci, asparagi, petroselini, quatuor seminum

Balneum.

frigidorum

frigidorum maiorum, & cicerum rubeorum. Sudores autem mouent alij decocto radicis chinæ satis diluto. Aliæ indicationes si forte offerent, ex præcedenti capite sanentur. Symptomatum etiam curatio, vt sitis, vigiliarum, ardoris magni, linguæ scabritiei, dementiæ, & aliorum eiusmodi, è suis locis petatur, si quidem illa curationem ad se trahant.

De febribus intermittentibus.
CAPVT. *VII.*

HACTENVS de febribus continentibus, & continuis: quarum hæ quidem exacerbationes & remissiones habent; illæ verò non habent. Ab vtrisque dissident intermittentes, sic appellatæ ab intermissionibus quas peculiares obtinent. Intermittentium autem alia est Tertiana ex bile flaua, alia Quotidiana ex pituita, alia Quartana ex atra bile. Quarum vnaquæque pendet ex humore proprio extra venas maiores seu in habitu putrescente. De quibus differentijs dicendum est sigillatim. Sed priùs cur quædam febres intermittunt, quædam non, exponemus. Id verò vt commodiùs fiat, priore loco periodorum causas inquiremus: quoniam & ipsis continuis communes sunt. Itaque meminisse oportet periodon Græcis appellatam, Latinis circuitum dici, seu similem ad idem reditum esse. Totius autem circuitus tempus deterius est paroxysmus, id est accessio, seu exacerbatio. Reliquum verò est ἀπυρεξία, id est infebricitatio, & quies, seu intermissio, vel saltem remissio. Periodi causas tres statuit Galenus, coaceruationem humoris alieni, & quantitate vel qualitate peccantis: robur facultatis expultricis eum humorem in vnum quempiam locum propellẽtis, stato quidem & certo tempore: imbecillitatem deniq; partis fluxionem recipientis. Quibus adduntur aliæ duæ causæ, calor vel dolor: quæ humorem ad membrum trahunt. Item congestio humoris in parte aliqua citra tamen fluxionem, ob facultatis concoctricis vel expultricis imbecillitatem. Fit enim ea congestio parte concoquere nequeunte alimentum quod attrahit, neque probè alimenti reliquias depellente.

Causa periodorum.

Periodus quid.

Quamuis autem omnibus morbis qui fiunt per circuitus, communes sint hę causæ, longè tamen in febribus euidentiores sunt. Accessiones enim certis diebus repetunt, propterea quòd dissipato per accessionẽ humore qui putruerat, nouus deinceps accenditur & putrescit, qui alterã subinde accessionem committit. Cuius quidẽ putredinis causa est relictus in vno membro aliquo putredinis atque caloris prẽter naturam fomes, qui locus focus putredinis seu minera appellatur. Agnoscunt huiusmodi recursus recentiores. Sed ab hac quæstione, aliam tanquã diuersam mouent quidam, cur statis temporibus seu diebus fiant huiusmodi periodi seu recursus, vt cur bilis putrescat tertio die, pituita quotidie, melancholicus succus quarto quoque die impetum faciat. Probabiliusq; volunt esse causam partim referendam ad occultam proprietatem tanquam causam præcipuam, partim ad causas illas manifestas tãquam coefficientes. Vt enim est sua cuiusque humoris species, ita & sua cuiusque putredo & putredinis qualitas, suus cuiusque motus. Aliam quippe qualitatem, aliumque motum pituita, alium bilis flaua, alium bilis atra putredine contrahit. Effectus enim huiusmodi humorum semper ijdem sunt, in quoduis corpus aut tempus inciderint, paribusq; semper modis fiunt. Quare à propria eorum natura pendere affirmant. Tamen (vt inquiunt) causæ manifestæ coadiuuant. Ad quantitatem enim refertur, quòd pituitæ satis quotidie cumuletur, bilis flauæ nõnisi tertio die, melancholiæ nonnisi quarto die, vt materiam ad sui expulsionem proritet, circuitumque moueat. Additur & alia causa aptitudo ad putrescendum, vt melancholia difficulter putrescit, diuq; resistit putredinali calori propter frigus & siccitatem. Bilis propter calorem suæque substantiæ tenuitatem calorem externum putredinis autorem facilius admittit. Pituita, quia humida & tenax ob lentorem non difflatur. Proinde omnibus sui partibus facilius putrescit, licet propter frigus calorem putrem susçipit difficilius. Tertia causa est motus, vt quòd melancholia tarda sit & ignaua ad motum, & ob id nonnisi quarto quoq; die moueatur. Bilis motus celeritate pituitam vincit. Copia & ad putrescendum aptitudine à pituita superatur. Nec mirũ est quòd tot causæ

Cur statis diebus fiant eiusmodi periodi.

causæ concurrant. Ex sola enim quantitate non intelligitur, cur pituita etiam si pauca putrescat, quotidie tamen moueatur, impetumque faciat, nec cur bilis flaua vno loco si copiosior sit, non frequentius quàm tertio die, nec melancholia frequentius quàm quarto efferatur. Alij tamen ex recentioribus negant planè dictum ordinem à forma substantiali seu à proprietate pendere: quia multæ eueniũt in ipsis febribus ordinis mutationes, & visa est Tertiana aliqua succedens alteri, decem horis tempus anticipasse: & quædam easdem horas retardasse. Rursum humor in ea quantitate & cum eis qualitatibus generatur à parte generante, ex dispositione eorum quæ ingesta sunt, quæ alimenti loco ad partem generantem deducuntur. Modo hę satis notæ ac inuariatæ causæ sunt, aut quæ non plus variantur, quàm accessiones ipsas variari videmus. Poterunt ergo accessiones, vt effectus, membrorum dispositiones, atque alimentorum, vt causas sequi. Præterea si forma bilis ipsam moueret ad putredinem à vasis extra vasa ad accessionem, moueret quoque ipsam sanitatis tempore, quo maximè forma viget, & suis instrumentis vti potest. Fœminis etiam quolibet mense purgationes eueniunt, cuius ordinatæ repetentiæ nulla est occulta proprietas, & in podagricis & colicis semel aut bis quouis anno repetentibus, quod nulla humoris forma aut proprietas facit. Et si forma bilis bilem moueret tertio quoq; die, ipsa seipsam duceret ad corruptionem: quod non est concedendum. Et motus violentus propriæ formæ substantiali humoris, aut alicui proprietati nõ est tribuendus. Sed hęc omnia membrorum, & humorum dispositiones sequuntur: quæ tamdiu similia manent, quamdiu hominem simili modo causæ affecerint. Hæc certè probabilior est sententia, sed hæc de causis circuituum plus satis. Cur autem quędam sint febres intermittentes, quædam non, si quæras, causa continuitatis febrium est continuus feruor in sanguine ob materiæ retentionem, vt obiter iam diximus. Et tamdiu febris est continua, quàm diu humores ex toto consumantur, aut coquantur, aut vtrumque patiantur. Febres verò intermittunt per circuitus, quia materia quæ putrescebat in habitu corporis seu extra venas concocta est, vel eua-

Causa continuitatis febrium.

cuata per insensilem transpiratum, vel vt sæpius contingit per sudorem, vt & indicat retentio. Nam qui per impatientiam non sudant, febris accessionem habent diuturniorem. Intermittens etiam febris in continuam vertitur, ob materiæ putridæ retentionem, quæ cùm retinetur in paruis venis, recurrit ad maiores, & humores iam ad putrescendum paratos inficit & corrumpit. Et in febre quotidiana pauci sunt sudores, ob idque in veram infebricitationem haud desinunt, & secunda accessio post sex horas fit: contrà quàm in Tertiana & Quartana, in quibus copiosi sudores fiunt: ob id longam intermissionem habent, atque in veram desinunt ἀπυρεξίαν. Quòd autem accessiones anticipent vel retardent, in causa est humorum transmutatio in consistentia vel quantitate, vel qualitate. Vt si accessionis materia tenuior reddatur, immodico calidorum tenuantiumque vsu, vel augeatur, vt ex impuro & vitioso cibo, vel liberaliore victu, & excrementorum retentione: vel motu exagitetur, vt exercitatione, balneis animi excandescentia, anticipat accessio. Si contrarijs de causis accessionis materia vel crassior reddatur, vel minuatur, vel pigrior efficiatur, eadem cunctabitur, tardiúsque prehendet. Addi potest & humoris acrimonia, qui citiùs naturam ad sui expulsionem proritat. Ratio etiam victus & vsus sex rerum non naturalium prout dextrè vel sinistrè adhibentur, ita anticipat vel tardat accessio. Porrò longitudo vel breuitas accessionis pendet à multitudine vel paucitate humoris, quia difficiliùs coquitur & dissipatur multus quàm paucus: à qualitate, vt tenuis, minimè mordax, & calidus breuiorem facit paroxysmum, quàm crassus & frigidus. A virium robore, quia paroxysmus breuior est, vbi natura potentior. A præsenti corporis dispositione, vt à viarum amplitudine, quæ breuiorem efficit accessionem: quoniam materiæ febrili patet exitus. Vnde qui corpore sunt transpirabili, breuiores habent paroxysmos. Contrà meatuum obstructio accessiones reddit longiores.

Causa anticipationis vel retardationis accessionum.

Causa longitudinis vel breuitatis accessionum.

De

De Tertiana exquisita.

CAPVT. VIII.

INTER febres intermittentes primaria est Tertiana exquisita, dicta quidem exquisita, quia nulli alteri humori permixta est. Quādoq; eadē simplici appellatione Tertiana dicitur. Ea rarò accidit sicut frequens est quæ ad exquisitam propè accedit. Igitur febris Tertiana est intermittēs ex flaua bile per sensiles corporis partes delata, suam naturam alioqui puram sinceramq; seruante. A bile inquam putrefacta, cuius certus locus, vt hepar & mesenterium, est fomes, totoq; corpore diffunditur. Hæc etiam Tertiana vera dicitur. Altera est quæ ex flaua bile sincera non fit, & notha appellatur. De qua paulò pòst. Differt exquisita Tertiana ab Ardente, quòd Tertianæ paroxysmi à rigore incipiant: Ardentes rigore soluātur. Et Tertianæ calor mordax sub tactu mitescit: in Causo quoniam minus vaporum exhalat, quo diutiùs manus admouetur, eo molestior & acrior sentitur. Ex recentioribus tamē quidam Tertianam cum Ardente videntur confundere. Tertianæ exquisitæ causæ sunt omnes calidæ & siccæ bilem augentes, vt temperatura, ætas iuuenilis omnium biliosissima, consueta victus ratio per alimenta calida sicca, pauca, aut inediam cū labore, cura, vigilijs, mœrore, in aëre calido sicco, qualis est æstate suam naturam seruante, per medicamenta calida sicca. Omnia denique quæ bilem generant, huius febris causæ dicenda sunt. E recentioribus nonnulli renouare conati sunt opinionem quorundam veterum, qui asserebant omnes putridas à bile fieri. Sed hi suis rationibus hoc vnū videntur efficere, reliquos humores vix posse inflammari, & putrescere, nisi bilem admixtā habeāt. Quod ad signa attinet, paroxysmus est cū rigore manifesto (vt diximus) primis dieb. præsertim, huiusmodi inuasionē ἐπανημασίαν appellāt. Nam sequentib. dieb. increscente calore mitescit. Rigor acutæ rei instar pungit in Tertiana: sed in Quotidiana & Quartana frigidus sentitur. Quòd frebres à rigore, horrore, vel frigore incipiāt, neotericis quibusdam causa est humor affatim in cor irruēs. Quòd si valde æstuās offendat, vt in cōtinuis, primo appulsu nonnihil obtundit,

Tertiana qua.

Causa.

Signa.

hebetat,& calorem duntaxat remittit mox vehementiorem futurum,non tamen sic occupat aut circumuenit, vt rigorem (nisi dum finitura est febris ardēs) vel horrorem, vel insigne frigus committat. Quod cōtrà fit in intermittentibus,quia per intermediam quietem cor temperatius euasit,neque eius calor planè remissior ab inuadente humore aliquando obruitur. Item paroxysmus inchoat cum pulsu tardo,raro,paruo,materia nondum à calore oppressa euicta. Increscente paroxysmo pulsus fit magnus, frequens,velox,vehemens. Vt verò declinat accessio, paulatim redit ad naturam. Cuius rei causa ex ipso pulsus vsu intelligitur. In pulsu nulla inæqualitas est præterquam in vna pulsatione,quod commune est omnib. febribus putridis. Scribunt tamen nonnulli huius febris pulsum in vna eademque pulsatione æqualem esse, eo quòd non minor sit refrigerij quàm expellendarum fuliginum necessitas. Alij inæqualitatem agnoscunt tam in vna pulsatione,quàm in multis. Ita tamen vt hæc inæqualitas non tanta sit in febre hac,quanta est in reliquis putridis. Est & in hac febre pulsus durus,propter arteriæ siccitatem. Adest caloris qualitas, & acrimonia seu mordacitas ex nàtura tenuis & calidę bilis,quæ facilè vertitur in vapores caloris acrimoniam deferentes. Vnde fit vt non solùm calor acris, sed & multus sentiatur. De calore sic alij. Cùm paroxysmus ad vigorem suum procedit,tactu calor acris occurrit acrior, qui deinde leuior fit,aliter quàm in Ardente,in qua bilis est conclusa,vt dictum est. Præterea paroxysmus est cùm vomitu,interdum bile in ventriculum excussa: sed non primis diebus,quia excretionem vtilem natura solet moliri post coctionem tantùm. Maxima est iactatio & inquietudo. Sitis adest ex calore cordis primùm,qui deinde ori ventriculi ac pulmoni communicatur ac tandem linguæ. Solet tamen plerunque stomachus & à bile ex corpore in ipsum refusa incalescere,sitiq́ue vrgeri,& biliosa per vomitum reijcere. Quòd si ad cutem bilis feratur,sudores mouet: sin ad intestina,alui fluorem. Quod enim singulis accessionibus putrefactum est,ferè per sudores,aliàs vomitu, & deiectione alui solet expurgari. Vbi verò iam concoquitur ad salutem febris,principio accessionū vomitus, in fine sudores fiunt.

Vrinæ

Vrinæ etiam sunt biliosæ, prout bilis viam affectat. Ante paroxysmum verò vel post, si nulla fiat euidens vacuatio, (insensili transpirationi parum fidendum) æger parum leuatur. Accessio porrò Tertianæ exquisitæ horas x i. vel x i i. non excedit. Frequentius est quinque, sex, septem, vel octo horarum. Vrina rubra est ad flammeam accedens sine magna crassitie, vel, vt alijs placet, vrina est subrufa, flaua, rufa, mediocri consistentia. Ægrotantes circa hepar quandam sentiunt ebullitionem, quia vix Tertiana fit absque iecoris offensione. Vigiliæ adsunt sine grauitate capitis. Ira etiam vel furor ex bile ad cerebrum ascendente. Æger ferre verba non potest, nec strepitum, nec sonũ vllum, quòd sono bilis agitetur in cerebro & intendatur, vel quòd instrumentum auditus sit bene expurgatum, ita vt à sono offendatur, non aliter quàm detecto neruo facilè infertur dolor. Vritur totum corpus, & æger igneum spirat, iactaturque æger huc & illuc bile per totum corpus delata, & mota. Inter signa quoque hæc sunt. Tempus est æstiuum, quo bilis redundat. Regio calida, laborantis natura biliosior, præcessit exercitatio potiùs quàm quies & otium: cibus parcior potiùs quàm largior: vigiliæ, mœrores, curæ, lassitudines, multi eo tempore febre corripiuntur. Febris hæc salutaris est, minimeque lethalis. Tertiana non solicitat pluribus quàm septem accessibus, aut ad summum nono circuitu iudicatur. Statum ferè habet quarta accessione. Initium prima accessione. Incrementum secunda, & tertia. Si nebula aut eneorema initiò appareat, nõ transcendet quartum circuitum. Nam sæpe etiam quarto desinit. Si primo vel secundo die sedimentum est album, læuæ, & æquale, tertio circuitu terminabitur febris. Si talia non apparent primis diebus, septimus circuitus expectandus est, tumque vrinæ magis sunt rufæ. Vrinæ incipiunt videri concoctę tertio, vel quarto die. Ex intermittentibus breuissima quidem & mitissima est Tertiana. Quanuis Tertiana facilis curatu sit, cùm tamen à medicis malè tractatur, non difficilis modò curatu, sed etiã insanabilis redditur: vt accidit ei qui corrupto iudicio, calidis balneis vsus, extenuato corporis habitu, deinde ad tantam deuenit perniciem, vt tabe cõsumptus interiret. Curatio Tertianæ

Prognostica.

Curatio.

vtpote à calidissimo & siccissimo humore genitæ, in refri-
gerando & humectando consistit. Itaque decumbat æger
loco frigido perflato versus Arcton seu Septentrionem. Si
talem nancisci non licet, aër arte refrigerandus est, aqua
gelida è vasis in vasa transfusa, vel assiduè domo aspersa
rosis, vel vitium pampinis, vel salicis foliis, myrti, rosarum-
que aut violarum floribus, ac etiam nymphææ per aream
spartis. Turba domo arcenda est, vt quæ halitu calfaciat.
Ex oleribus atriplex, blitum, acetosa, rumex, malua, lactu-
ca, portulaca, cucurbita, quæ refrigerant & humectant o-
mnia. Sed inter ea lactuca succum minùs malum gignit.
adde cichorium, endiuiam, buglossum, borraginem. Saxa-
tiles pisces refrigerant & humectant, boni sunt succi, & fa-
cilè coquuntur. Saxatiles autem sunt qui rupes & saxa in-
colunt, non qui in arena reperiuntur. Ex volatilibus galli-
nacei, perdices, columbæ, passeres iuniores, phasiani. Oua
gallinarum, præsertim lutea. Ea mediocriter refrigerant, &
faciliùs quàm albumina coquuntur. A melle quod in bi-
lem facilè vertitur, & ab omnibus dulcibus, à sinapi, salsa-
mentis, & omnibus acrem succum gignentibus est absti-
nendum. Cibi copia sit, quantam æger possit concoquere,
verumtamen parcior omnino esse debet, cum legitima
Tertiana acutorum morborum naturam sapiat, & si non
multùm delicatus fuerit æger, ipseq; morbus breuior fu-
turus, mox ab initio tenuior victus institui debet, vt est pti-
sanæ cremor, iusculum plurimùm alterata herbis antedictis.
Bibat æger decoctum cinnamomi, aquam hordei, ptisa-
nam vulgarem. Sed vinum tenue, paucum, aquosum con-
uenit in declinatione, & post coctionem. Vetustum autem
& natura calidum vinum omnino interdicendum. Datur
& syrupus violatus, acetosus, de limonibus, de acetosa. Tē-
pore accessionis abstinendum à potu, & à somno. Sed in ip-
so vigore hæc conceduntur, & maximè cùm sudorū erup-
tio instat: tumq; potus liberalior est concedendus: alioqui
frequentior & parcior nocet, quia febrem accendit magis.
In ipsa accessione vel proximè hanc nihil propinandum,
vt dum inani ventriculo febris corripiet, ipsa negotij mi-
nus facessat. Ergo tanto ante paroxysmum cibetur, si hora
conueniens est, quanto cibus videbitur probè concoctus è

ventriculo

ventriculo descendere posse. Id fecit vt plurimùm sex vel octo horarum quib. vigilat spatio, ac tum quidem frugalior pastus esse debet. Si tamen delicatior æger, & ob bilis mordacioris in ventriculum refusæ occasionem syncopæ est obnoxius, etiam initio paroxysmi, hunc tenui cibo, vt pulli iusculo, reficies. Conuenientissimum cibi tempus est hora vna post declinationem. Plenior victus concedatur quib. dieb. intermittit accessio, vt vires futurũ paroxysmũ faciliùs sustineant. Exercitia & omnes alij motus fugiendi sunt. Quod ad pharmaciam attinet, soluta aluo & vacuatis excrementis cõmunibus, si venæ multo sanguine turgent, venæ sectio fiat, idq; ab initio, die quietis, non paroxysmi, multo minùs eiusdẽ hora. Rationi enim minùs videtur cõsentaneũ venam secare, cùm post tertiã accessionem status vel adest, vel instet: quo tẽpore Hippoc. quiescere iubet. In omni etiam febre à putredine salutaris est sanguinis missio, quia natura parte onetis leuata, reliqua materia faciliùs euincitur. In id materia præparabitur, ac deinde vacuabitur: nempe bilis acrimonia retundetur refrigerantibus, & offerentur medicamẽta blanda, & vbi notę coctionis adsunt, ipsa scammoniata poterunt adijci de succo rosarum, diaprunis laxatiuũ. Sed nonnisi in robustis naturis, scammoniatis vtimur: potissimùm vltra tres periodos, vbi crisis aliqua non expectetur, purgans medicamentum exhiberi poterit. Nanq; iuuat in hac febre per inferiores partes bilis expurgatio. Galenus etiam non modò per aluum, sed & per vrinas, & sudores materiam huius febris vacuari voluit, vbi coctionis signa apparent, vel vbi maior pars bilis per aluum aut vomitum fuerit excreta. Quare iusculis misceantur, quæ aperiunt & vrinas mouent, vt radix acetosæ, petroselini, & cichorij hortensis. Commodè etiam in febrium declinationibus ad tollendas quæ remanere solent, obstructiones, vtimur syrupo endiuiæ composito, syrupo byzantino, de quinque radicibus, capillorum veneris, cum aqua graminis, endiuiæ, vel cum decocto aperiente ex quinque radicibus, acetosa, endiuia, capillaribus omnibus, quatuor seminibus frigidis maioribus. Vrina cietur etiam dictis seminibus communibus frigidis, cum radicum & foliorum cichorij decocto. Interim etiam

apium aut fœniculum adijcito, aut syrupum è tribus radicibus præbeto. Sudores autem vbi mouendi sunt: ℔. ptisanæ vulgaris calidæ ʒ iij. syrupi acetosi simplicis, vel syrupi de quinque radicibus ʒ j ß. misce. fiat potio exhibenda calidè. Vel ℔. ptisanæ vulgaris ʒ iij. decoctionis florum chamæmeli ʒ j. fiat potio. Vinum etiam album, tenue, oligophorum, vrinas & sudores mouet: dandumque in declinatione accessionis, & diluendum aqua decoctionis graminis. Nulla autem euacuatio hora paroxysmi molienda est præter sudorem (in quibus expectatur) & præter vomitũ, qui adiuuandus est, si adsit nausea. Tamen in accessionum incrementis frictiones leues competunt. Excitant enim caloris naturalis ad exteriora motionem, humoremq; extenuant, qui in vniuerso habitu contiꝑnetur, ac cutis meatus rarefaciunt. Ac in summo vigore tempus est sanè, vt æger bibat. Si febris non cedat his remedijs, repetenda sanguinis missio: alioqui catharticis materia paulatim educenda. In fine morbi addendum est aliquid quod melancholiam purget, vt folia senæ, catholicon, syrupus de fumaria, quia per longum morbum portio bilis flauæ versa est in atram per adustionem. Et si curata febre aliquid restat bilis, vnde periculũ immineat recidiuæ, rursum dictis medicamentis eam purgabis. Atque vt tollatur phlogosis, id est inflammatio, quę manet in loco febris, ne rursus humores corrumpat, nouamque febrem gignat: ℔. elect. triasantali in tabellas concinnati duplicato rhabarbaro ʒ ij. capiatur tab. j. manè tribus horis ante pastum. Comparatur etiam vnguentum pro hepate ex cærati santalini ʒ ij. cum oleo rosato & citoniorum ana q. s. sed externa illa accessionis tempore non admouentur, ne admotis frigidis calor intrò pellatur, atque hinc accessio longior fiat, quàm priùs. Proinde extra accessionẽ epithemata, & fotus quoq; præscribi possunt. Vires etiam quę conciduntur in hac febre recreandæ sunt electarijs solidis, vt electario de tribus santalis, vel quod diarhodon abbatis nuncupatur: vel opiatis, vel conditis paratis ex conseruis & pulueribus. Balnea olim vsitata erant in hac febre, quæ iam exoleuerunt, & non nisi post signa concoctionis, & iam inclinante febre præscribi possunt: quæ scilicet temperatè sunt calida ex aqua potabili,

rabili, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia sua qualitate plurimùm iuuant. Nam huiusmodi balnea humectant, ac potentia refrigerant. Dabat Galenus absinthium, quod stomacho quem erodens bilis infestat summum remedium est. Eius loco exhibent alij pilulas de hiera cum aloë. ℞. pulueris hieræ, aloës hepaticæ ana ʒß. fiat pilularum massa, de qua sumat semel aut bis in hebdomade, diebus intermissionis, hora vna ante pastum.

De tertiana notha. CAPVT IX.

TERTIANA notha, seu spuria, & non exquisita, Galeno fit ex permixtione bilis & pituitæ, seu à bile mista cum pituita, aut aquea, aut crassa: & hæc frequentiùs accidit, quæ cholera maioris famæ dicitur: aut à bile mista cum atra bile, quæ cholera minoris famę vocatur. Quidam etiam è recentioribus fieri aiunt interdum à bile vitellina, quæ assatione sola differt à citrina vulgo dicta seu pallida. Hæ febres etiam extensæ Tertianæ dici possunt, quæ plurimam in eo quod magis ac minus differentiam suscipiant. Nam simpliciter extensa est, quæ viginti quatuor horas in accessione consumpserit. Aliquam sufficienter extensam dicimus, quæ vsq; ad triginta extenditur horas: atque aliam in longius tempus productam, vt ad triginta sex horas, seu quadraginta: prout frigidior ac crassior fuerit humor, qui cum bile permiscetur, eo impurior Tertiana fiet, accessionemq; habebit longiorem & intermissionis tempus breuius. Non omnes bilis, sed & pituitæ causas habet euidentes. Hinc fit quòd non singulæ notæ, vt in exquisita & legitima, puræ ac sincerioris bilis naturā præ se ferāt. Et media signa sunt inter Quotidianæ & Tertianæ signa. Accessiones nullo certo anticipationis cunctationisue ordine recurrunt: neq; si statæ sint, idcirco vera & exquisita dici debet. Non enim ex circuitu solo pendet febris essentia: quanuis simplex humor multo constantiùs mouetur, quam plures. Rigor minus vehemēs est, quia bilis acrimonia pituitæ mixtione retusa est: sed diuturnior propter pituitæ crassæ mixtionem. Ab horrore vel frigore potiùs quàm à rigore incipit. Aliquando ne frigus

Causa Tertianæ notha.

Signa.

quidem ipsum percipitur. Calor minùs pungens, minúsq; vehemens, qui non æquabilis omne corpus inuadit, nõ absimilis igni ex virentibus & siccis lignis accensõ. Omnia ardoris symptomata sunt mitiora, quòd ardorem bilis pituita restinguat. Vnde & sub finem accessionis erumpit sudor paucus, nec admodum calidus, aut madór, aut insensilis fuliginum excretio. Plurima adest grauitas corporis, præsertim capitis, estq; in somnum propensio ferè ineuitabilis, præcipuè initio paroxysmi: quo tempore pulsus admodum frequens non est: sed nec in ipso statu adeò velox, & inæqualis est, vt in legitima. Dolor vertebrarum adest etiam, inflatio ventriculi, fastidia, sitis, magna oris amaritudo, vrina citrina, subrufa, aut pallidior & crassior, quàm in vera. Eos maximè solet inuadere, qui natura biliosi ex inepta victus ratione plurimũ pituitæ vel alterius humoris congesserint. Adolescentes item & iuuenes in eam incidunt, qui in otio degunt, & crapulis balneísque plurimis & repletionibus vsi sunt, & propterea cibos nõ concoquunt. Suapte natura salubris est hæc febris, & neminem iugulat. Ab erroribus commissis nonnunquam fit continua valde perniciosa, aut in Quartanam vel Quotidianam hac prolixiores & infestiores conuertitur, pro natura humoris qui bili permiscetur. Aliquando Tertiana notha autumno incepit, & deinceps vere terminata est. Non omnes in tam longum protrahuntur spatiũ. Sunt enim inter eas quæ citiùs terminantur, & eo citiùs, quo pulsus paulatim ad mollitiem non longo pòst tempore ab eius initio tendant. Similiter vbi nõ longo post tempore à principio accessiones minores fiant, & in vrinis coctionis notæ apparuerint meliores, subsidentiã scilicet habentes, quæ priùs crudæ visæ sunt. Quapropter interdum in sexaginta, interdum verò in quadraginta diebus terminantur. Minus tamẽ formidanda erit, ac citiùs soluetur ea quæ ex atræ bilis permixtione generatur, quàm quæ ex pituitæ, in cæteris paritate seruata. Curatio huius febris (vt aliarum) consistit in alteratione seu concoctione causæ morbificæ, & eiusdem vacuatione. Alteratio fit victus ratione, & medicamentis. Vacuatio solis medicamẽtis. Hic ratio victus à Galeno præscribitur, quæ nonnihil calfaciat, ratione causæ antecedentis, id est pituitæ,

Prognostica.

Ratio Galeni.

pituitæ, non ratione causæ coniunctæ, seu causæ formalis. Quanto impurior fuerit Tertiana, eo calfacientia & incidentia audacius commiscenda sunt. Cuiusmodi est ptisanæ cremor, cui adiectum sit piper, & mulsa in qua coctum sit origanum, calamentum, spica nardi, aut oxymel dilutum: quod in his febribus dandum frequenter. Cibus paulo calidior datur per intermissiones. Potus sit aqua, in qua parum cinnamomi & aliquid hyssopi & origani decoctum sit. Vini etiam albi vel rubelli prætenuis potum concedemus, vel decoctum seminis anisi, fœniculi, coriandri. Plenior victus, quàm in legitima conuenit: quia hæc multo tardiorem statum habet. Alternis diebus tantùm cibare possumus, quando vnum occupat accessio: licet tamen cùm vires sint imbecilliores, in hac nonnihil cibi dare, vti pulli iusculum. Quies conducit: exercitia verò nocent. Tamen intermissionum diebus exerceri potest corpus leuiter, vt crudi succi coquantur, & attenuentur. Somnus permittatur longior, vt quo nihil magis venarum & arteriarum crudos humores concoquat, dummodo capitis grauitatem, vt ferè solet, & laborem seu lassitudinem non adaugeat. Quod ad pharmaciam spectat, clysteres conferunt, (qui interdum acriores esse debent,) quia materia in ventriculo & intestinis cõtinetur, aut medicamentum blandum exhibeatur. Si materia neque multa est, neque turget, priùs coquatur, dein vacuetur. In hac ferè phlebotomia locum habet, eaque ex basilica, nisi quid sit quod dissuadeat. Phlebotomia fit multo parcior, quàm in Tertiana legitima: ne cruda crudescant magis. Nam qualiscunque fuerit sanguis, eo vel tantillum imminuto, simul etiam imminuitur calor natiuus coctionis opifex. Purgatio etiam fit ex rhabarbaro & agarico, quibus miscentur diaprunum laxatiuum, de succo rosarum, diaphœnicon, diacartamum. Progrediendum autem est tam in concoquentibus quàm in purgantibus à mitioribus ad vehementiora: eaque sæpius repetenda sunt pro materiæ copia. Vomitus etiam in hac febre commendatur: maximè quando febris inueterauit. Is debet imperari initio accessionis, vel à cibo. Declinante febre sudores, & vrinæ mouendæ sunt. Probantur & balnea dulcis aquæ in

Ratio medicamentorum.

declinatione, quæ tamen exoleuerunt. Et quoniam hæc febris valde prolixa est, si tædet ægrum tot syruporum, Apozematum, & purgantium medicamentorum, detur syrupus de cichorio cum rhabarbaro, vel catapotia ex hiera picra simplici, agarico trochiscato, & rhabarbaro electo conformata: ex quibus capiat tria semel in hebdomade ante prandium. Ad hæc vt citiùs coquatur materia, nonnulli fouent & inungunt hypochondria totum q; ventrem oleo citoniorum, absinthij chamæmelino, & anethino. Alij parant epithemata ex vino albo cum oleo chamæmelino: fouent vtrumque hypochondrium. Sed quanuis in hac febre valde iuuat hypochondriorum calefactio seu fotus, non indiscriminatim tamen omnia calefacere oportet, sed ea quæ laborant. Suus enim fotus debetur hepati, suus lieni, suus & ventriculo. Quales fotus ex locis in quibus agitur de affectibus earum partium, petendi sunt. Hi enim vtiles sunt, quia sæpe fit vt diuturnitate humor, aut flatus colligatur in præcordijs, tumorem, duritiem, tensionem efficiens, imbecillitásque hepatis & ventriculi conciliatur. Ad eas partes roborandas & alterandas dantur electarium diarhodon abbatis, diamargariton, trium santalorum, & ex his cum saccharo mixtis tabellæ fiunt, vel cum conseruis opiatæ, vel condita.

De febre quotidiana intermittente exquisita.

CAPVT X.

Nominis ratio.

FEBRIS Quotidiana Græcis dicta videtur ἀμφημερινὸς, καθημερινὸς, ἢ μεθημερινὸς πυρετὸς, Latinis Quotidiana, quòd simili typo quotidie recurrat: quanuis duplex Tertiana, & Quartana triplex eum typum repræsentent. Sed particulatim ἀμφημερινὸς dicta est, quia ferè de ambabus participat, die videlicet & nocte, vniuersum tempus accessionis. Est autem Quotidiana febris intermittens ex putredine pituitæ, per sentientes corporis partes à natura detrusa. Ea duplex est, exquisita, & spuria, in qua tamen pituita cuiuscunque generis sit, superat. Huius febris causa est (inquam) interna, pituita per sensiles partes delata, siue in primis venis à porta ortis, siue in vltimis à caua natis, siue extra

Quotidiana febris quid. Causa.

ue extra vasa ipsa,& in cauitatibus viscerum vel aliarum partium, siue in magnis ventriculi,intestinorum, cerebri, pulmonis, & aliarum partium capacitatibus collecta putrescat.Cùm autem quatuor fiant species pituitæ,dulcis,sal sa,acida,vitrea,à quauis earum vbi putrescat & per sentientes corporis partes deferatur, Quotidiana accendi potest. *Pituitæ species quatuor.*

Externæ verò causæ sunt,frigida vtique omnia tum per se, tum per accidens.Qualia sunt temperamentum frigidum. humidum, siue natiuum, siue acquisititium,infantia,puerixitia,senectus,muliebris sexus,consueta victus ratio in sumendis,admouendis, faciendis, educendis, hyems suam seruans naturam,regio,cœli status frigidus humidus, vita otiosa,repletio,non solùm à frigidis humidis, sed & à contrarijs,ebrietas,crapula,balneum, labor mox à cibo præsertim multo,omnia denique quæ pituitam largiorem gignunt.Incidunt paroxysmi noctu vt plurimùm, quo tempore hunc circuitum motumque habet. Paroxysmi inuadunt cum pulsu paruo, raro, languido, facultas his sopita est,instrumentum impedit, & necessitas magna admodum non impellit. Incipit accessio à refrigeratione partium extremarum & nasi,vel ab horrore magis quàm rigore: quod ex natura pituitæ intelligitur, quæ facit simplicem refrigerationem, non vt bilis rigorem, vel melancholia horrorem. Cum difficultate accenditur calor, & longum consumit tempus,dum inualescendo peruenit ad summum. humor enim ægrè accenditur, & quando lentus est ac tenax, ægrè mouetur, sæpiúsque in ipsis hæret foraminibus. Calor humentior est cum quadam acrimonia febrili scilicet & putri,quam non protinus admota manus, sed permanens sentit, quia multo humore obtuitur. Caliditatem fumosam quandam cum largo vapore mixtam exire putabis, igne scilicet in multa humiditate suffocato potiùs quàm ipso materiam euiciente. Quomodo si ignis lignorum viridium humore suffocaretur, magis quàm ipsum vincere posset. Ob id maximè inæqualis est calor, tanquam per colum aut cribrum transmitteretur, per quorum foramina vapor transmissus calfacit pleniùs manum tangentis, quàm quod pororum interualla contingit. Pituita in declinationibus *Signa.*

acceſſionum non expurgatur integrè, nec parũ relinquitur eius quod ſuccendi videtur, & proinde intermiſſio deterior eſt, & ſecundæ acceſſionis celerior feſtinat inſultus. Per initia morbi vrinę tenues ſunt & albę, quia crudę: aliàs craſſæ & turbulentæ, ſudoráque nullus, aut mador tantùm aliquis inclinantibus paroxyſmis circa morbi ſtatum, aut poſt attenuatam materiæ craſſitiem. Parua ſitis eſt, quia lingua totumáque corpus humidiſſimum eſt, vomitionéſq; pituitoſæ, & quicquid per ventrem excernitur humidius & frigidius eſt, crudius, aquoſius, pituitoſius, totumq; corpus crudis ſcatet humoribus. Hæc febris accidit ætatibus, naturis, temporibus, locis, cœli ſtatibus humidioribus, & ijs qui craſſa ſunt corporis habitudine, quiáque gulæ, & ebrietati ſunt dediti, vel balneo vtuntur frequenter, maximeque à cibo. Denique ijs omnibus, in quibus procatarcticæ cauſæ ſunt pituitæ effectrices. Et ſi morbus eſt popularis, id quoq; tibi maximam afferet cognationem. Adduntur & hæc alia ſigna promiſcua. Grauitas corporis totius ac maximè capitis adeſt, ſopores initio acceſſionis, animi deliquia, ſyncope. Ægri nõ vruntur, non iactant corpus vehementiùs, neq; nudant pedes, aut pallia deijciunt, neque vehementer ſpirant aut efflant ignem, vt in Tertianis. Os habent in hac febre inſipidũ cum mucagine quadam viſcoſa, colorem verò liuidum, pallidum, aut plumbeum. Os ventriculi & hepar in ipſis malè afficitur, & cruditates antecedunt plurimæ, & coquendi moræ, & acidi ructus. Splenis quoq; dolor plerunq; ſuperuenit: vnde illi nonnunquam hydrops ſuccedit. Exquiſita erit Quotidiana quæ has omnes notas vel præcipuas obtinebit. Cui verò deerunt, ſpuria. Ex quocunq; humore Quotidiana intermittens generatur, longa eſt, & non ſine periculo. Minùs tamen diuturna erit, ac minùs periculoſa ea in qua citiùs ſudor apparuerit, coctione tamen præcedente. Si exquiſita nõ fuerit Quotidiana, breuior erit quàm exquiſita. Tertianam longitudine excedit, quantum à Quartana ſuperatur, in quam non rarò conuerti videtur: vbi aliquando perſeuerarit. Eſt enim valde ſimilis ac propè idem vtrique ſubiectus humor, ac proinde Quotidiana vel Quartana propè ſimili ratione curantur: niſi quòd hîc minus, vel minimè

Prognoſtica.

minimè humectandum. Curatio Quotidianæ posita est in ratione victus, & medicamentis. Victus ratio incidens, extenuans, & abstergẽs esse debet ad pituitam febris causam potiùs, quàm ad ipsam febrem accommodata: contrà quàm in Tertianis. In huius febris initio per dies septem vel octo vtendũ victu tenui, vt iure pulli cum modico panis. Abstinendum tamen à multis iusculis, quia caput replent. Obsonia condiantur multo cinnamomo. Potus sit aqua cocta cum saccharo, & pauco cinnamomo. Nonnulli pro potu exhibent oxymel dilutum. Quidam primis diebus: quidam post primos dies. Et quia longa febris est, vti licet vino tenui, oligophoro, albo, vermiculo. Vtendum oliuis, capparibus, ouis sorbilibus, iure cicerum rubrorum, buglossi, betæ, radicum petroselini, gingidij. Cibus sumatur horis quatuor ante paroxysmum. Vigiliæ & exercitiũ magis ex vsu sunt, quàm somnus & quies. Ægrum ad iram concitare non est inutile. Quòd reliquum est curationis, paroxysmorum initio quando valde premit frigus, & vigilare nequit, æger fricandus est, & excitandus. Vomitus prouocetur, si nausea adest. Potus arceatur, donec calor multùm accẽsus fuerit. Extra accessionem primò vacuanda redundans in ventriculo & intestinis pituita cassia, vel catholico, aut si nulla recens præcessit cruditas, aluum subduxisse sat erit. Clysteres sint partim molliẽtes, partim pituitam incidentes, nonnunquam etiam pituitam vacuantes, & febre vigente refrigerantes. Prima regione purgata propria materia paretur melle rosato, syrupo acetoso, oxymelite simplici composito, diuretico, cum decocto radicum aperitiuarum, vt asparagi, fœniculi, apij. Fiũt & apozemata ex radicibus aperientibus, polypodio, capillo veneris, betonica, hyssopo, cuscuta, agrimonia, hyssopo, origano, calamento, ex horum decoctione cũ melle, vel saccharo, vel syrupo conueniente. Vt ℔. radicũ aperitiuarum communium, seminis carthami, passularum mundatarũ ana ℥j. hyssopi, betonicæ, agrimoniæ, cuscutæ, pulegij ana m̃.iij. capillarium omnium m̃. ß. seminum aniſi, fœniculi, melonum, cucumeris ana ʒiij. florum cordialium, anthos ana p.j. fiat decoctio ad ℔. j. in colatura dissolue syrupi capilli veneris, & oxymelitis simplicis ana ℥j. ß. fiat

Victus ratio.

Medendi methodus.

Apozema. Idem fit solutiuũ adiectis sena & agarico. Purgatio etiam instituitur sic: ℥. agarici trochiscati ʒ ij. infundantur in hydromelite cum granis vj. zingiberis. In expressione dissolue electarij diacarthami, & pulueris hieræ simplicis ana ʒ j ß. syrupi de absinthio ʒ ß. vel ℥. elect. diacarthami ʒ iij. diaphœnici ʒ ij. Interdum datur ʒ ß. elect. solius diacarthami. Catapotia etiam ex vsu sunt cœlo humidiore, vt quæ ex hiera & agarico finguntur. Febre perseuerante, quia humor contumax est, denuo redeundum ad præparationem & purgationem. Frequens debet esse purgatio, vel non expectata concoctione, quæ hîc tardiùs consueuit accidere. Si vrinæ magnum esse incendiũ significant in corpore, venę sectioni locus esse potest, exigua tamen quantitate & vulnere lato, vt sanguis crassus & lentus facilè effluat. Alij omnino reijciunt phlebotomiam in hac febre, quòd improbè refrigeret corpus, & pituitam crudiorem efficiat, aiuntque hanc febrem nunquam accidere plethorico, sed planè cacochymo. Vomitus à cibo in hac febre confert apparentibus signis coctionis: quòd pituita in ventriculo & intestinis multa redundet, & ad superiora commodissimè reuellatur. Debet etiam exhiberi vomitorium tempore accessionis. Quo tempore quoque fiunt inunctiones spinæ. Nonnulli ad coctionem materiæ pituitosæ, quæ magna ex parte in ventre continetur, valde probant litum ventris inferioris cum oleo chamæmelino & vino albo, ex quibus etiam parari potest epithema, vel fotus. præterea in longa & inueterata quotidiana, vacuato iam corpore & exclusis primæ coctionis instrumentis, hora vna ante accessionem, vel vt alij volunt, tribus horis, potest exhiberi theriaca ex vino tenui seu albo, seu rubro. Huius vsus hîc magis placet quàm in Quartana, quia perpetuò siccat: seu recens, seu antiqua fuerit. Siccantia verò prosunt Quotidianæ, nocent autẽ Quartanæ. Probatur & decoctũ apij. Alij alia exhibent. Vbi sunt manifesta signa coctionis laudantur & diuretica, sudorifica, frictiones, de quibus omnibus iam meminimus in Tertiana. Vbi viribus consulitur, exhibeantur electarium diarhodon Abbatis, diacalaminthæ, aromaticum rosatum, triasantalum duplicato rhabarbaro, nec non syrupi de mentha, & de absinthio.

Opiatæ

Opiatæ similiter fiunt ex conserui bugloſſi, borraginis, mithridatio. Per ſe etiam mithridatium datur ad ʒ j. cum vino albo. Foris adhibentur alia fomenta & linimenta. ℞. origani, calamenti, ſaluiæ, maioranæ, abſinthij ana m̃ j. leminum aniſi, fœniculi ana ʒ ß. cyperi, calami aromatici ana ʒ ij. florum chamæmeli, roſarum rubrarum ana p. j. fiant ſacculi qui bulliant in aqua & vino albo pro fotu ſtomachi, vel alterius hypochondrij. ℞. olei nardini ʒ j. maſtichini & abſinthitis ana ʒ ß. pulueris ligni aloës, caryophyllorum, nucis moſchatæ ana ℈ j. roſarum rubratum, coralli rubri ana ℈ ß. cum pauca cæra fiat linimentum. Fiunt & fotus eſt ex abſinthio, menta, maiorana, ſabina, calamento, origano, foliis lauri, calamo aromatico, cypero, galanga, ſchœnantho, roſis rubris, floribus chamęmeli, ſemine aniſi, fœniculi, & alijs decoctis in aqua communi, addendo ſub finem vini albi quartam partem. A fotu parte reſiccata vtimur linimentis, vel vnguentis ſuprà dictis, vel cærato ſtomachico, vel emplaſtro compoſito ex eodem cærato & emplaſtro de maſtiche. Illinitur non tantùm anterior pars ventriculi, ſed & poſterior ad ſpinam, vt notum eſt. Hactenus de Quotidiana exquiſita. Febris autem phlegmatica notha ſtatuitur à Practicis, in qua melancholia admiſta cum pituita eſt: alia item à pituita miſta cum bile, hoc eſt à phlegmate ſalſo. His vt ſymptomata ſunt media, ſic & media inſtituenda eſt curatio.

De epiala quotidiana annexa.

CAPVT XI.

HΠΙΑΛΟΣ dicitur παρὰ τὸ ἠπίως ἀλιαίνειν, quòd blãdè & leuiter calfaciat, vel ἠπίαλος deducitur ἀπὸ τοῦ ἠπίου, quod eſt mite & tranquillum, & ἀπὸ τῆς ἁλὸς, id eſt à mari, quod etſi ab initio trãquillum videtur, difficillimum tempeſtate redditur. Similiter pituita vitrea quæ tranquilla cùm eſſet nõ mota, deinde mota magnam efficit in corpore perturbationem. Quibuſdam videtur hæc febris ἠπίαλος dici, quòd inquietos & impatientes ægros non reddat, ſed ſinat aut etiam cogat eſſe mites. Nam tametſi viſcera immodicè caleant, & externa ad tactum calidiſſima eſſe videantur, æger quietus manet, nec membra iactat, *Ratio nominis.*

Epialos quid.

nec corpus nudari patitur: nempe quia premitur assiduo rigore. Est itaque Epialos febris cum frigore algida, in qua corpus totum eiusque omnes partes simul immodicè algent, & mediocriter calent. In Epialo enim sensus tum caloris tum frigoris simul & in ijsdem locis incidit: sed frigus vehementius est, calor mitior. Scitum enim est quod dici solet, contraria pariter intensa simul non consistere. Hanc

Causa.

febrem gignit pituita frigidissima, cuiusmodi vitrea est, à qua dentium & coli dolor: cùm pars alia putret ac proinde incendium concipit, alia non putret, sed inuicta manet. Galenus bilem commixtam interdum, cùm incalescit, caloris sensum inferre arbitratur. Huius febris (inquam) materia est pituita vitrea, quæ si tota putresceret, Quotidianam gigneret. Vix autem multa colligitur in corpore, eiusque causa est vel ciborum materia, vel languidus calor, vel vtrumque. Sed hic quæstio est, qui fiat vt in vniuerso corpore & singulis eius partibus simul calor & frigus sentiantur. Nonnulli existimant eadem particula calorem & frigus sentiri, non summa, sed remissa. Alij aiunt in tenuissimis particulis esse frigus, in alijs calorem, quæ partes sese contingant. Ipsum verò ægrum propter partium tenuitatem, quæ pars caleat, & quæ frigeat, internoscere & distinguere non posse. Et proinde existimare se in eadem particula simul calere & algere. Fortasse melius dici potest in eadem parte non esse simul calorem & frigus, sed caloris & frigoris sensum, & species caloris ac frigoris immateriales. Alij negant prorsus frigus & calorem ab eodem percipi. Sed ab ægroto quidem frigus duntaxat, ab alio verò tangente, calorem: & id obseruari aiunt in febribus quas insolatio excitauit. In corde humor est, à quo feruor & incendium. Alter verò qui per habitum corporis dispergitur à supernis partibus defluens, quando præter solitum fusus & liquatus fuerit, vel etiamnum liquatur.

Signa.

Huius febris signa sunt inexpugnabile frigus, oscitatio, pulsus minimus, tardus, rarus, vrinæ crudæ, aquosæ. Quotidie ferè inuadit accessio à quatuor horis ad viginti quatuor. Aliquando tertio aut quarto quoque die commouetur: fortasse etiam maioribus interuallis. Nec idcireo existimare oportet esse Tertianam, vel Quartanam. Non enim

enim periodi febris efficiunt ſpeciem, ſed ex proprijs ſignis diſtinctio petenda eſt. Eam quidam vt plurimum è genere continuarum Quotidianarum eſſe agnoſcunt. Ad cognitionem huius febris etiam vita antecedens, cœlum, ætas temperamentum, & cætera adhibenda ſunt. Epiala febris eſt valde diuturna, & difficulter ſolubilis. Ea porrò poſtulat eandem curationem, quam Quotidiana intermittens legitima. Sed quanto hæc pituita eſt tenacior & frigidior, tanto fortiora remedia exigit. Calidioribus autem eget quàm ſit vtendum in continua eiuſdem generis, cui pituita adeò frigida & craſſa non adeſt. Maior enim hîc habenda eſt ratio ſubiectæ materiæ quàm febris. Venæ autem ſectionem haud patitur, niſi fuerit continua. Clyſteres ſint acriores, magis calefacientes, potentiusque purgantes, addita hiera, vel benedicta laxatiua: glandes acres. Quæ præparant medicamenta ſint magis calfacientia & incidentia, vt decoctum hyſſopi, calamenti, thymi, origani, ſtœchados, & melicratum in quo hæc coxerint. Fiunt & Apozemata ex radicibus enulæ campanæ, radicibus ireos, & communibus aperientibus. Sic purgantia ſint vehementiora diacarthami, diaphœnicon, & alia ſuperiori capite commemorata. Laudantur thermæ ſiccæ, vbi apparent ſigna coctionis. Optimæ parari poterunt ex plantis incidentibus & tenuantibus decoctis in quatuor partibus aquæ, & vna vini albi. A thermis dari debent diatrium pipereon, aurea Alexandrina, diamoſchi, diambra, dianthos, diacalaminthes, & ſimilia, vt theriaca, mithridatium ex vino tenui ad drachmã vnam. Item à thermis fricandum corpus, maximè verò ſpina ex oleo chamæmelino, irino, laurino, anethino, iaſmino, & ſimilibus quæ nerualia vulgo dicuntur, vt calidiora, & magis tenuium partium. Hîc maxima habenda eſt ratio ſymptomatis, hoc eſt rigoris perpetui, vel excellentis frigoris. Denique robur ventriculo addendum, & præcordijs, tum per aſſumta, tum per admota. Vſurpabuntur autem quæ plus virium habẽt, hac cautione vt à leuioribus incipiatur, quo virtus ægri diſcat aſſueſcere.

Prognoſticum.

Curatio.

De Quartana. CAP. XII.

QVARTANA, quia tertio quoque die repetit seu potiùs quarto, ita nuncupata est. Est autem Quartana febris intermittens à melancholico humore putri generata, qui humor frigida & ficca est temperatura, ac vini fæci similis. Quod de exquisita Quartana intelligendum venit. Dictus enim humor est naturalis. Quartana verò quæ nõ exquisita est, fit ab alio humore non naturali, qui fit vstione superioris, vel bilis, vel pituitæ interdum, à quo non per vstionem tamen, (nam grauior affectus inde sequeretur) sed per putredinem notha seu spuria efficitur. Etenim pituita ipsa crassa multùm consistentia melancholici humoris naturam induit. Quare circuitus interdum quaternarios facit. Ex hac pituita in his regionibus fiunt Quartanæ quamplurimæ, pueris, mulieribus, & alijs melancholicum nihil ostendentibus: sed candidis, pituitam vomentibus, & deijcientibus lentam & crassam pituitam. Omnis autem humor crassus, quodammodo est melancholicus. Ob id ab vtroque fieri solet Epilepsia. Ab eadem pituita in hypochondrijs corrupta magis, aut etiam vsta, Melancholia fit Hypochondriaca dicta. De eodem humore sic alij. Fit Melancholia ex adustione pituitæ crassæ, quæ dum à forti causa excitatur, vel ex vstione incineratur, in humorẽ melancholicũ trãsit. Id docet morborũ cõmutatio. Febres erraticas & Quotidianas, quæ à materia crassa fiũt in Quartanas febres quotidie cõmutari experimur. Itẽ scirrhi à pituita crassa fiũt, & à melãcholia, & in scirrhos melancholicos trãsmutantur. Nam in habentibus symbolũ facilis est transitus. Quanuis ex aliorũ recentiorũ sententia pituitosus humor vsq; adeò minimè assari possit, vt ex eo atra bilis, & deinde Quartana generetur. Benè autẽ cæteri humores. Proinde febrem Quartanam non vno modo distinxerũt. Alia enim primùm inuadit: alia febres alias sequitur. Et Arabes illam veram, hanc notham appellant. Hæc ætati consistenti magis est familiaris, illa declinanti ætati, qua sanguis melancholicus colligitur, densatur cutis, calor langueſcit, & putrefacto sanguine melancholico Quartanæ excitantur. Arabes verò quinque constituunt Quartanarum

Quartana duplex.

Causa.

rum genera. Primùm à melancholia naturali putrescente. Reliqua quatuor à melãcholia præter naturam, quæ quadruplex est, scilicet à quatuor humorum naturalium adustione. Sed vt ad exquisitam reuertamur, quæ à melancholico succo oritur, cum humorem efficiunt natura corporis melancholica, ætas inclinans, autumnus suam seruans naturam, id est inæqualis, nimirum vespere, nocte, & manè frigidus siccus, die reliquo calidus siccus, & ver autumno simile, regio, cœli status, vitæ conditio tristis, victus ratio tota frigida, sicca. Homo item splenicus, seu liene imbecillo, & tumido, vel natura, vel ex priuato victu, cruditates multas gignente: & ventriculum, hepar, lienem pituita ac flatibus implente: Mœror etiam & timor magnus ex causa ferè manifesta, causis febris huius accensetur. Cùm autem hæc sine causa externa euidente adsunt, signa statuunt. Quin si timor & mœror sine causa manifesta inceperint, & longo tempore perseuerarint, melancholia significatur. Quod ad signa, oscitatio, pandiculatio, & mo- *Signa.*
lesta quædam corporis inæqualitas primùm suboritur. Postea primis diebus inuadit accessio cum paruo rigore, aut potiùs horrore seu frigefactione, qualis per gelu hybernum sentitur. Sed in augmento vniuersali rigor ita augetur, vt ab ægro sentiatur contundens & cõfringens carnes, vt etiam in ossibus pati laborem & quandam refrigerationem videatur. Horrorem stridor dentium comitari solet. Calor minùs æstuans, minusque feruens ac deurens quàm in Tertiana. Vnde nec sitis multùm vrget, nec magna est inquietudo. Nonnulli Tertianæ calorem flammæ: Quartanæ verò calorem carboni ardenti comparant. Accenditur humor melancholicus paulatim veluti lapis aliquis, aut corpus similiter frigidum siccum. Hoc signum & superius pendent ex natura humoris putredinem concipientis. Pulsus accessionis initio est velut intrò retractus, sine libero ascensu, similis pulsuum decrepitorum, licet æger sit iuuenis: ex naturali enim ad tarditatem & raritatem eximiè conuertitur: estque admodum tardus & rarus. In augmento & statu velox & frequens: seruata tamen etiam aliqua tarditate & raritate, vt Tertianæ pulsu sit & multo tardior, & rarior. Quin & post accessionem adhuc tardior,

& rarior sentitur. Atque vnius motus in Quartana inæqualitas, eius speciem commonstrat: quæ cùm omnium communis sit, in hac tamen euidentissimè deprehenditur. Hic enim multo velocior est arteria in principio & fine sui motus, quàm in medio cursu: quod in Tertianis non ita habet. In his enim systole ita breuis est, vt in ea principium, medium, & finem distinguere non possis. Accessio quoad longitudinem, similis est accessioni Tertianę. Nonnunquam longior, cùm scilicet exquisita persistit, nempe à frigidiore humore producta. Intermissio pura videtur, quandoquidem quicquid atræ bilis succensum fuerit, exhauritur, atque discutitur. Vrinæ variæ sunt, tum colore, tum consistentia, sed crudæ. Variæ quidem propter varios humores, qui putrescendo Quartanam possunt gignere. Reliquorum enim humorum ab atra bile crassior portio & fæculenta si putrescat, propter tardiorem motum ignei caloris in huiusmodi humore pariet Quartanam: ideoque febres longæ & erraticæ in Quartanas solet definere: quia in illis discutitur tenuior portio, relinquitur magis fæculenta, quæ nouum incendium concipiens, parit nonnunquam ordinatum motum Quartanæ. Itaque quæ à flaua bile retorrida oritur Quartana febris, flauiores habet vrinas, quàm quæ à crasso sanguine denso, crudæ tamen sunt omnes, siue crassæ, siue tenues. Paroxysmus tres diei naturalis partes sæpius occupat, non rarò vltra viginti quatuor horas protenditur: prout humor crassus est; & quietus, aut minùs motus, & vires imbecillæ, & sensus tactus partium per quas putrescens humor defertur est obtusior, & ægri corpus est densum. Succedit his qui morbo regio, & atræ bilis passionibus infestantur, quando scilicet bilioſi humores superabundantes diutiùs corpus obsederint, & putruerint. Quin & ægrotantis natura considerãda, an ad atram bilem magis inclinet, num sit autumnus, præsensque aëris constitutio, qua scilicet quis febricitare cœperit, sit inæqualis frigidáve & sicca, num ętas vigorem excesserit. Hoc enim tempore & ea ætate, melancholicus succus dominatur. Sic verò & loci, & morborum ingruentium natura est inspicienda. Videndum quoque an lien intumuerit, & num febres inordinatæ præcesserint. Additur & genus

nus vitæ, vt si æger exercet artem magni laboris, locoque calido & ficco, exempli gratia ferrariam. Præterea si curis mœroribus, vigilijs diuturnis conficiatur. Hæc omnia bilem atram gignunt. Postremum signum est, quòd hæc febris per sudores vacuetur, licet parciùs quàm Tertiana, quod minimè fit in Quotidianis propter materiæ viscositatem. Sudor in declinatione mediocris, sæpe in ipsa intermissione. An verò non exquisita sit Quartana, nedum ex accessionis breuitate seu longitudine, sed & alijs quoq; indicijs percipi poterit: neq; omnia aderunt exquisitæ Quartanæ commemorata indicia, sed nonnulla deerunt, & aderunt alia quædam alterius humoris cum atra bile permisti. Quartana quæ a succo melancholico nascitur, melior & minùs molesta est, quàm quæ à bile adusta, licet lõgior. Posterior grauior est, & acutior. Quartana exquisita rara est, frequentior multo spuria, quæ fit ex atra bile, siue ab adusto humore. Quartana omnium febrium securissima, facilima, & longissima est: neque verò ipsa tantùm per se talis est, sed etiam à magnis alijs vindicat morbis, vt ab Epilepsia, & cõuulsionibus. Oportet item quòd ea genita sit absq; lienis aut alterius visceris affectu. Hæ enim facilè in hydropē transeunt. Et propter hepar inflammatum quartanarij sunt coloris albicantis, toto corpore tumidi, & vrinæ ipsæ valde rubræ, & ad contactum tumor hypochondrij, & hi magis difficulter spirant quàm splenici, & subtussiunt, & postremum in hydropem ineuitabilem labuntur. Vetus Quartana nisi vere soluitur. Æstiuæ Quartanæ breues iudicantur, autumnales verò longæ, quæ hyemem attingunt. Quartana terminatur sex mensibus, interdum tribus. Si excedit mensem sextum vel septimum, annua fit. Opprobrium medicorum dicitur. Producitur ob humorem contumaciorem. Conandum vt breui tempore soluatur, vel certè vt paroxysmi breuiores, & toleratu faciliores reddantur. Eius curatio in primis in proba victus ratione consistit contra vulgi opinionem, cui à nulla re abstinendum esse persuasum est. Ea verò calefaciens & humectans esse debet, potiùs tamen humectans, quàm calefaciens. Conueniunt enim humectantia, tum ratione materiæ, tũ ratione febris. Si immodicè calefacias, crassus hu-

Prognostica.

Victus ratio.

mor crassescit magis, & absumpta portione tenui, illius quasi fæx contumacissima euadit. Quartana laborantes sunt frigoris impatientissimi, & à frigidis maximè læduntur. Victus autem non conuenit tenuis, quoniam morbus chronicus est. Si tamen æger corpulentus est & succulentus, trib. primis septimanis, si victu tenui vtatur, plurimùm conducet. Deinde verò liberaliùs cibum sumat. Sic enim natura in tenuis victus coctione minùs occupata, faciliùs morbum superabit. Ex dictis consequens est elixa magis conuenire, quàm assa: quia illa humiditate aliena atque aquea humidiora sunt. Abstineant ægri à suilla carne, omnibusque glutinosis, & lentis. Vitandæ quoque bubulæ, quia crassæ. Sed carnes hœdi & vituli conueniunt. Ex auibus eligantur quæ sunt boni succi & non palustres, quòd excrementis scateant, & crassum humorem gignant, ægreq; coquantur. Pisces saxatiles boni sunt, qui carne sunt molli atque friabili. Vuæ passæ plurimùm conferunt propter humiditatem. In morbi progressu cibis attenuantibus vtendum, vt capparibus, oliuis, non in principio, ne his crassa materia agitetur, & agitata magis obstruat, febrémque augeat. Tamen per initia Galenus concedit salsamenta ac sinapi, vt humores lenti incidantur, crassi tenuentur, & superflua absumatur humiditas, atque interpositis quibusdam diebus dat electarium diatrium pipereon, & diospoliticon: non quotidie, quia vehementiùs calefacerent. In hac febre cauenda sunt (vt iam diximus) quæ vehementer calefaciunt. Nam alioqui cruda adhuc materia inflammatur: atq; inde febris pessima oritur, fitque è simplici duplex, è duplici triplex, & interdum continua lethalis. Fugienda & quæ flatulenta sunt omnia. Potus sit ptisana vulgaris, vel aqua cocta adiecto cinnamomo, vel granis aliquot piperis, decem, vel duodecim. Potus sit vinum album, tenue, & mediocriter calidum. Eiusmodi enim vinum crassitiem humoris melancholici tenuat, & caloris mediocritate corpus mediocriter calfacit humore melancholico refrigeratum. Coctionem adiuuat, & vrinam prouocat. Nonnulli hydromel exhibẽt, quod valde placet. Galenus præbet piper cum aqua. Conuenit enim non ratione febris, sed causæ antecedẽtis, nempe humoris melancholici

cholici & flatuosi crassitudinem soluit, & quæ in præcordijs congesta cruda sunt, extenuat, & coquit. Cum aqua verò humectat, mediocriterq; calefacit. Parum aquæ bibatur seu in accessione, seu extra accessionem, metu hydropis. Sed corrigatur aqua tertia parte vini albi, vel eius loco vermiculi. Nonnisi quatuor horis, quinq;, vel sex ante accessionem bibitur, aut comeditur. Frictiones & ambulationes fiant sine balneo, & opera consueta per intermissionem obeat æger, si brevis sit accessio, minimèq; violenta. Sed hæc fiant minùs, neque tam crebrò tamque vehementer, quàm per sanitatem. Alioqui subesset obstructionis periculum. Sed si moderata hæc adhibeantur, idque inter accessiones & longè ab his excrementa vacuabunt, aliaq; corpori commoda adferent. In eandem sententiam plerique suadent, vt cùm instat paroxysmus, æger corpus vehementer exerceat. Sic enim multo remissior futurus est horror. Exercitij vicem supplebit matutina frictio. Quod ad curationem per medicamenta, per principia morbi clementer agendum cum hac febre, tum præparantibus, tum purgantibus. Initio enim subtilem trahet humorem relicto crasso. Vnde huius consumacior fit materia. Imò febris materia agitatur, non vacuatur, atque inde multa sequuntur incommoda. Itaque corpus primùm purgabis clystere, vel leui pharmaco, & cassia, catholico, decocto foliorum sennæ, cum ijs quæ lienem & humorem melancholicum respiciunt. Sint autem clysteres mollientes, & aliquantulum acres. Purgata prima regione etiam per principia missio sanguinis imperatur, vbi sanguis vehementer abundat: alioqui non. Nam vacuatio hæc corporis iam refrigerati, penèq; sanguine destituti incommodum auget. Sanguinem autem cognosces redūdare, si gracile corpus, si venæ tumidæ, si suppressa solemnis vacuatio fuerit. Et si sanguis niger & crassus, qualis in lienosis, audacter mittendus est. Si flauus & tenuis, statim supprimendus. Niger enim & crassus febri materiam suppeditat. Itaque huius si magnam copiam extraxeris, natura reliquo humori coquendo superior euadet, febremque breuiorem reddet. Si tenuis & flauus appareat, statim supprimendus est: quia eiusmodi succus inutilis non est: sed crassum & frigidum

Medicamentorum ratio.

humorem tum sua substantia, tum qualitate emendat. Sunt alij qui per initia vetant sanguinem mitti: sed tantum concedunt morbi progressu, & apparentibus coctionis signis. Pertundi sinistra potest vtiliter basilica, vel media: nisi suspicio esset mali sedem in iecore vel mesenterio potiùs quàm in liene esse. Arabes secant saluatellam, quam alij splenicam vocant, quæ est inter digitum annularem, & auricularem: quasi ea vena à liene maximè qui in febre Quartana affici solet, melancholicum humorem vacuet. Sed Galenus paruarum harum venarum sectionem irridet. Saluatella tamen à quibusdam aperitur, vbi viribus metuitur. Quin & huius sectione multi dicuntur curati: quamuis contra rationem id sit. Venæ sectio non confert, cùm pituita exuperat, cùm ager senex est vel puer, cùm obeso corpore, nec cùm venæ delitescunt in quo falli non oportet, quia sæpe turgent flatu. Confert, si plethora est, aut suppressa vacuatio, cum assata bilis, vel melancholicus humor multus causa est. Commodè illa initio quidem sic fit: sed commodiùs quando morbus processit ad curationem, eductione humoris Quartanam facientis, aliqua ex parte edomiti facta. Et quanquam quidam fieri iubent hora paroxysmi, tamen die præcedente, vel horis aliquot ante ipsum tecutiùs perfici posset. Postea materia febrilis coquenda est oxymelite simplici, syrupo de scolopendria, de adiantho, de lupulo, de fumo terræ, his additis quæ humoris acrimoniam frangunt, vt sunt syrupus violatus, de pomis, de buglossa. Apparentibus verò coctionis signis, vehementiora sunt imperanda, vt oxymel scilliticum, de bizantijs: vel Apozemata, & melicrata parantur. Quamuis autem melancholia ab acetosis fermentetur, ideoque putent nonnulli acetosa hîc non conuenire, oxymel tamen plus prodest humorem crassum tenuando & lentum incidendo, quàm fermentando noceat. Alij affirmant acetum degenerare in humorem melancholicum. Postea purgantia præscribenda sunt, quæ non modò communes materias in ventriculo, intestinis, & primis venis existentes, sed & propriam febris materiam vacuent. Quę autem melancholicum succum purgant, nota sunt medicamenta. Vehementia quidem hic non conueniunt,

vt quæ

vt quæ nimis calefaciunt, & ex simplici duplicem, triplicem, aut continuam Quartanam excitare possint, vt dictum iam satis est, sed magis vetenda est inanis & noxia irritatio in eadem cruda & crassiore. Helleborus & alia fortiora quæ admisit antiquitas, hic reijcienda sunt. Et in statu quiescere satius est, quam vehementioribus saltem pharmacis vti, quibus humor calidior tenuiorque magis excandescat, & symptomata augeantur. Medicamenta autem quidam volunt propinari ipso accessionis die quatuor aut sex horis ante accessionem. Eo enim tempore natura commota facilius vacuabitur. Alij commodiorem purgandi diem esse contendunt, qui præcedit accessionem, propter eandem causam, quia scilicet materia tum moueri incipiat. Vtendum autem dictis præparantibus & purgantibus per interualla, à clementioribus ad valentiora progrediendo. Galenus vomitiora exhibebat die accessionem præcedente. Sequenti verò die propinabat succum vel cremorem, id est decoctum absinthij. Deinde duabus ante accessionem horis dabat aliquid theriaces. Arabes initio paroxysmi vomitorium imperant, quòd tum materia commota paroxysmo facilius vacuetur, Vacuata porrò magna ex parte materia, & apparentibus coctionis signis danda est theriaca, mithridatium, aurea Alexandrina, & similes antidoti, quæ alioqui sua caliditate febrem augerent, materiamque crudam inflammarent. Febres Quartanæ quæ vsu theriaces ante morbi coctionem magis sæuiunt & excandescunt, spuriæ sunt ex aduſtis humoribus natæ: Quibus admodum calefacientia nocent non tantùm ab initio & in augmento, sed multo etiam magis in statu. De his sic quidam meminerunt: Theriaca, confectio Alkermes, cõfectio de hyacintho conueniunt Quartanæ, ea lege vt ista siccandi vi pollentia humectantibus corrigantur. Cæterum in declinatione febris balnea probantur à quibusdam, à quibus tenuata materia vacuatur per sudorem. Galenus tamen ea reijcit, nisi consuetudini tribuatur aliquid. Itẽ apparentibus signis coctionis, & corpore diligenter vacuato, vrinæ & sudores moueri possunt. Vrinæ, non vt lien exoneretur, sed venę & hepar. Sudores, vt quod sub cute est discutiatur. Hypochondria, & medius

venter inferior humectandus est, emolliendus, & inibi quæ obstructa sunt expedienda. Et ad viscera confirmanda vsurpantur, quæ capitibus de hepatis & lienis affectibus fomenta, linimenta, vnguenta traduntur. Prodest etiam hæmorrhoidas excitare. In principio verò accessionis cùm rigor prehendit, plura integumenta & lateres calidi perfusi vino tenui odorifero, calidi ad plãtas pedũ & volas manuũ apponantur, & vbi pandiculationes & oscitationes fieri incipiunt, inungenda est spina dorsi, secundũ longitudinem ex oleis liliorum, anethino, chamæmelino, absinthij, de cucumere agresti, in quo rosmarinus coxerit, scorpionum, de abrotano, rutaceo, nucum, de piperibus, quibus misceri potest aqua vitæ, vnguentum Aregum, Martiatum, & alia dicta capite de Paralysi. Sic præscinditur causa Paralysis, quæ aliquando Quaternarijs accidit: deinde rigor anteuertitur. Adduntur & semina cumini, apij, rutæ, cinnamomum, piper. His vnctionibus non modò spinam, sed & scapulas, & brachia veteres inungebant. Experientia sæpe probatum est cor leporis panno byssino inuolutum & collo suspensum ad accessionem declinandam, aut certè minuendam plurimùm valere. Potus & somnus prohibeantur vsque ad declinationem paroxysmi. Si à potu abstinere nequeant, bibant aquam saccharatam, aquam hordei, aut cum illarum altera misceatur conditum sequens. ℞. conseruæ bugloss, borraginis ana ʒj. pulueris electarij lætificantis ʒ ß. margaritarum splendidarum ℈ j. cum folijs auri & saccharo fiat conditum. Sub finem accessionis, vel etiam vigente accessione, sudores & vrinas mouere oportet melicrato ex calamento, mulsa in qua anethum, ruta, & similia coxe- Quin & sunt qui præscribunt Guaiaci decoctum. Sed in eum vsum fortasse magis decoctum radicis chinæ conueniret. Non videntur autem mouendi sudores per principium vniuersale febris. Verendum enim cùm materia crassior sit, ne augeatur obstructio. Sed in declinatione moueri possunt. materia enim tunc temporis tenuata facilè in sudores conuertitur. Si tamen natura in declinatione primorum paroxysmorum eam partem febrilis materiæ quæ accessionem facit per sudores dissiper, sudo-

res

zes illi negligendi non sunt, sed operimentis diligenter euocandi.

De Quintanis, Sextanis, Nonanis, & consimilibus febribus. CAP. XIII.

ANhæ febres existant, etiam apud Medicinæ proceres controuersum est. Scribit enim Rhasius se vidisse febres, quę non tantùm quinto, septimo, nono, sed etiam decimo quinto quoque die, & semel quoque in mense inuadant: nec propterea nouum humoris genus inducendum, quia à crassa admodum pituita & melancholico humore circuitus vltra quartam produci possunt, vtijs diebus paroxysmi recurrant. Et Antipater Sidonius Poëta apud Plinium omnibus annis vno die tantùm, vt natali febre corripiebatur, qua consumptus est in longa senecta. Quasi annua, vel Anniuersatia dici possit. Hippocrates etiam in Epidemijs scripsit quasdam febres esse Quintanas, easque pessimas, vt quæ aliàs ante tabem fiant, aliàs tabidis superueniant, & interficiant. Sæpe enim erraticis succedunt Quartanæ, & his Quintanæ, & Quintanis Hecticæ. Idem scribit Septanas longas esse: verùm nõ lethales. Præterea Nonanas cæteris longiores, sed non lethales esse. Galenus verò non putat hæc esse Hippocratis, sed alterius cuiusdam: scribitq; se nullas vidisse periodos vltra quaternarium. Agnoscit tamen vtà præcedente febre semen aliquod febris relinquatur, neq; vitæ iusta ratio obseruetur, atque inde fieri, vt vel septimo, vel nono, sexto, quinto die repetat febris. Verùm non protinus Quintana vel Septana febris est. Quòd si in ratione vitæ nil peccaretur, & fierent eiusmodi periodi, certa Quintana, Sextana, & Nonana febris esset. Sed si Rhasij vera est sententia, idem de bile quoque dictum oportet, & omnis humoris ad motum certis diebus ineundum proprietas tollenda est. Porrò Galenus inquit, si esset Sextana febris, esset sextus humor: si esset Nonana, nonus. Sed responderi potest vnum eundémque humorem gignere Quartanam, Quintanam, Sextanam, Septanam, Nonanam, prout paucitate vel crassitie differt. Materia quæ suapte natura cæteris rariùs & tar- *Causa.*

Nota. diùs accenditur, harum febrium est excitatrix & fomes. Ergo ijsdem notis deprehendetur quibus legitima Quartana, sed obscurioribus, hoc excepto quòd non æquali intermissione recurrat. Sed id non est de febris essentia, & id omnium maximè errorem inducit. Reuera hæ febres sunt rarissimæ, & si occurrunt, eandem quam Quartana curationem postulant. Eo facilior est purgatio, quo plures dies febris intermittit. Nam licet per eos egregiè & purgare, & alterare, naturamq; robustiorem efficere.

De febre Hectica. CAP. *XIIII.*

Febres hectica. *Febres scheticæ.* FEBRES hecticæ, & scheticæ opponuntur inter se. Hecticæ generatim dicũtur omnes febres solutu difficiles, siue sint pituitosæ, siue melancholicæ, siue biliosæ; sicut scheticæ, quæ facilè discutiuntur. Speciatim autem Hecticæ appellantur, quæ & putridæ, & Diariæ opponuntur. Quod ad nominis rationem attinet, vt ἕξις quæ qualitatis species est, ægrè separatur à subiecto, sic Hectica curatu difficilis est. Vel Hectica dicitur, quia in habitu corporis quem ἕξιν vocant, consistit. Est autem ἕξις propria cuiusque κατασκευὴ, & solida substantia. Itaque Hectica febris, calor est præter naturam in solidis partibus accensus.

ἕξις.

Hectica species. Porro Hectica triplex est, Hectica tantùm, Hectica marasmodes, & Hectica harum media. Hectica tantùm in humore insito & naturali corporis cordis adhuc manẽte accensa est. Cognitu quidem difficilis, sed curatu facilis. Hectica verò marasmodes in corpore cordis planè siccato, humidoque primigenio omnino destituto accensa est, in eaque sic cor afficitur, vt ellychnium in lucerna valde crematum. Hæc facilè cognoscitur, sed difficulter, aut potiùs nunquam curatur, quia humidum primigeniũ nunquam restauratur. Tertia inter illas media, cùm humidum primigenium aliqua ex parte consumptum est: sed satis adhuc magna quantitate remanet, habetq; magnam latitudinem in ratione maioris & minoris sitam. Ita nunc exquisitè inter has media, nunc Hecticæ tantùm, nunc Hecticæ marasmodi propinquior. Sic igitur ex varia humidi primigenij consumptione distinguendæ. Has species alij

sic

sic exponunt. Prima est cùm insitum humorem calor præter naturam iam obsedit. Secunda, vbi carnosum genus occupauit, & insitum humorem depascitur. Tertia, vbi verè solidis partibus inhæsit. Ab alijs triplex Hecticæ differentia statuitur pro magnitudinis & graduum diuersitate, cùm tamen vnicus sit morbus, & diuersa tempora. Nempe principium est, quando humiditas ros appellata conflagrat. Augmentum, cùm id acciderit glutini, vel cambio. Status, quando humidum radicale vitionem patitur. Febri is autē Hecticæ essentia vt rectiùs intelligatur, quid differat à marasmo videndum. Marasmus est interitus rei viuentis ex siccitate: hicque duplex est. Vnus simplex, cùm siccitas immodicè superat. Alter compositus, isque duplex; vnus quidem calidus, qui nihil aliud est quàm Hectica marasmodes, seu tabes torrida. Alter frigidus, qui rursus duplex est: vnus quidem senectus ipsa est naturalis, cùm ætatis decursu sine dolore, sine febre corpus sensim refrigeratur, & siccescit: alter senectus ex morbo dicitur, corde scilicet ipso exiccato simulque refrigerato, vt cùm pueri incidunt in tabem ex lumbricis, aut alius quispiam ex hydrope, succeditq; tum per se, & sponte sua: quia febrilis calor humorem natiuum consumpsit: tum immodico refrigerantium vsu. Ex quo inferas Hecticā non semper esse cum siccitate, marasmo, vel tabe. Cùm enim in nobis quatuor sint siccitates, quarum vna est partium quæ verè solidæ appellantur, membranosæ inquam ac fibrosæ substantiæ: altera adiposæ, & carnosæ: tertia cùm propria humiditas vnde partes nutriuntur, omnino est consumpta, diuersa ab ijs: & quarta est siccitas quæ in proprijs cuiusque particulæ exilibus arterijs venisque consistit, quæ etiam ex sanguinis penuria prouenit: (nam venæ succo sunt inanitæ) hic succus qui in dictis exilibus continetur venis ac arterijs, de propria partium solidarum substantia non est. Quocirca etsi in febre Hectica exiccetur quandoque, eam tamen siccitati coniunctam esse, non asserimus, neque idem succus inter humiditates secundas numerari debet, vt quibusdam falsò visum est, cùm adhuc sanguis sit, & intra vasa contineatur. De reliquis igitur siccitatibus dicimus febrem Hecticam esse cum siccitate coniunctam.

Marasmus.

Porrò Hecticæ aliæ incipiunt à corde primùm calefacto, quæ veræ sunt & primariæ hecticæ: aliæ in quauis parte primùm consistunt, vt in ventriculo, hepate, minùs frequenter in mesenterio, colo, & ieiuno. Interdum etiam in vtero, & renibus. In septo transuerso marasmum se nunquam vidisse scripsit Galenus. De his sic alij: Febres Hecticæ alios affectus sequuntur, febrem Ephemeram, Ardentem, vlcus pulmonis, inflammationem partium nutritioni seruientium; vnde atrophia contingit: aut ipsum cor in consensum trahitur. Aliæ primùm ac per se substantiam ipsius cordis inuadunt, vt lebes igni superpositus prior calefit, quàm aqua. Credibilius autem est Hecticas sæpius per deuteropatheian, quàm per protopatheian euenire. Vt vt eueniant, primùm humor aquosus ipsius cordis flagrare incipit, deinde carnosa substãtia, denique ipsum humidum primigenium. Hecticæ cùm per se incipiunt, easdem causas habent quas Ephemeræ, sed vehementiores. Hecticas enim mouẽt statim, nimirùm inflammatis partibus solidis. Cùm non incipiunt primùm, nec per se, causæ sunt affectus qui vel præcesserunt, vel adhuc permanẽt, qui cor in consensum adduxerunt. His consentiunt & sequentia. Hectica fit ab euidentibus causis, vt iracundia, mœrore, labore, vigilijs, inedijs. Est & altera species Hecticæ, quæ succedit febribus acutis, & ardentibus malè curatis, nec vt decet refrigeratis. Tertia fit ex partis cuiuspiam affectione, (de qua iam paulò antè) vt ex pulmonis & thoracis affectibus, ex phthisi, empyemate, diuturna inflammatione hepatis, ventriculi, stomachi, mesaraei, ieiuni, coli, renum, vesicæ: imò & intestinis alijs per Dysenteriam, Lienteriam, aut Diarrhœam diuturnam inflammatis, maximè si purulenta inflammatio euadat. Quin & ex omnium partium morbis fit Hectica febris, ex quibus alimentum vel non retentum, vel malè coctum, vel vitiatum partes solidas non humectat: quæ propterea alimento destitutæ, & calorem febrilem, & actionem concipientes, resiccantur & incalescunt. Ac quidam sentiunt febrem hanc non propriè, censeri Hecticam, sed symptomaticam, eámque lentam. Cæterùm neque hoc, neque præcedens genus in simplici genere Hecticæ continetur. Sed vtrunque ex

Hectica causa.

putredine

putredine ortum est, quam adhuc redolet, & in his fiunt excandescentiæ etiam sine cibo & inæqualitates, & crebri horrores, præsertim cum purulenta collectio est. Itaque omnis Hectica ex putrida febre orta, putredinis particeps est. Ad quæstionem igitur, An Hectica febris fiat incipiendo, respondent fieri cùm febris est potentissima, quæ in partibus solidis resistentibus calorem imprimit & velut figit, non aliter quàm fulmen illæsa etumena argentum liquat. Adiuuat & solidarum partium exiccatio magna, atq; ad recipiendum calorem impressio. Hecticæ signa communia, quæ & eadem primam Hecticæ speciem demonstrant, pulsus debilis, paruus, propter intemperiem & imbecillitatem cordis frequens. Frequentia paruitas compensatur. Calor mitior. Immorante tamen manu, acer, erodens, mordax. Arteriæ circumstantibus partibus calidiores. Vt enim cor reliquis partibus calidius est, ita arteriæ externæ è corde profectæ, reliquis partibus externis sunt calidiores. Allato cibo accenditur calor, non aliter atque in calce, dum liquor superinfunditur. Pulsus crebior ac celerior euadit. Cibo confecto febris in pristinam æqualitatem redit. Quod accidit, quia humida est substantia, ex qua arida caliditas velut nutriri videtur. Vt enim calci accidit quæ debilem obtinet calorem, priusquam aqua perfundatur, sic per Hecticas febres assumpto cibo partes solidæ magis ignitæ euadunt. quò fit vt contingentes exteriùs ægrum, multo calidiorem persentiant. In febre Hectica calor non sentitur à febricitante, quia corpus non calefit, sed iam calefactum est: seu quia æqualis est intemperies. Magna est virium imbecillitas cum languore. Calor maior est in volis manuũ ac plantis pedum manifestior, quia illic externæ venæ sunt, & magis nudæ. Et procliuior motus est caloris. Si fortè calor sentiatur, & febrem se patiæger intelligat, alius subest affectus, nempe febris in humore consistens, aut visceris alicuius phlegmone. Secundę speciei signa præter dicta. Primùm corpus manifestè liquescit & absumitur, cùm in superiori obscura esset consumptio. Vrinę pinguedo telis aranearum similis supernatat, cutis non rugosa, & mollis, sed arida squalidáue existit, pulsus quàm in superiori debilior & minor, vt paruitas fre-

Signa.

quentia compensetur. Tertiæ signa propria præter superiora. Præ siccitate oculi sunt admodum concaui, & prominent quæ circiter ossa sunt. Aridæ palpebræ vix attolli possunt, atq; vt dormienti conniuent. Dormiendi est impotentia. Collapsa tempora, & summè caua, quòd eorum caro absumpta sit. Frons dura, arida; facies squalida & plumbea: cuius viuidus color perijt. Venter inanis, depressus, contractus. Reliquum corpus ita aridum est, vt præter ossa membranis & cute obducta, & quasi præter σκελετὸν nihil esse videatur. Ferè etiam pediculorum per hunc morbum molestà copia est. In his febribus ab vrinis nullum sumitur signum, siue ex substantia, siue ex colore aut contentis capiatur, quia hic humores intra vasa contenti non afficiãtur, sed partes solidæ. Et pingue quod super vrinã araneorum speciem referens natat, in alijs colliquantibus febribus percipitur, ardentissimis, & malignis. In hecticis autem quod colliquatur, semper vaporis vice digeretur, idque parum est. Et in Hectica pestilenti, in qua vrina est conturbata, vel aquosior ac tenuior, consideratur vrina febri pestilenti, quæ etiam Hectica sit, conueniens: vel etiam in qua quædam subluuida quodammodo sunt. Fugiunt & alia quæ aranearum latas telas referunt in modum lanæ congestæ. Hecticam iam confirmatam curatu impossibilem esse prædiximus. Quæ ab ira, mœrore, & similibus causis incipit, diariæ similis est. Sed accessionẽ post viginti quatuor horas ad integritatem non finit. Imò vsque ad secundum diem ac etiam tertium, sine Tertianæ accessione, extenditur, multo quàm diaria siccior & squalidior. Quæ febres ardentes, vel prorogatas, vel malè curatas sequitur, principium cum ardentis temporibus confusum habet: in eaque humor cordis iam consumptus est. Quæ alicuius partis sequitur inflammationem, proprijs illius affectus signis dignoscitur. Si hæc febris habet coniuncta symptomata, vt putredinem, inflammationem, syncopen, ea curationem interturbãt. Et si est symptomatica, curetur malum, cuius est symptoma. Est simplex in corpore affectus vt in Diarijs, quia causa desijt, nec ampliùs febres Hecticæ fiunt: sed factæ iam sunt. Quare ea febris nec phlebotomia, nec purgatione opus habet. Neque hîc est redundantia,

Prognostica.

Curatio per sectionem.

dantia, neque humorum vitium. Vnicus scopus est, vt refrigeres & humectes partim victus ratione, partim medicamentis: cauendum ne partes exiccatę magis exiccentur: imò quod exhaustum est, reſarciri volunt. Audaciores esse debemus in humectando, quàm in refrigerando. Propterea huius febris maximũ remedium est victus humectans. Aër qui inſpiratur alteratus præcipuè vtilis est cordi primùm affecto, quemadmodum vbi ventriculus aut iecur primùm afficitur, cibus & potus magis vtiles sunt. Quare ſi temperatus est aër, alterari non debet. Si calidior, vt æſtate, refrigeretur. Hyeme iam frigidior, leuiter alteretur, nõ tam igne è prunis, quàm leui flamma, aut vapore aquę calidæ. Alimentum ob ariditatem & frigiditatem in tabidis non attrahitur. Quare promptitudo materiæ ſupplere debet. Ea tractu ſunt facilia, quę tenuioribus partibus conſtant: ſuntque natura calida quæ difficulter nutriunt, cùm alimentum debeat eſſe craſſum & lentum: & quod diu permaneat, & non diffluat. Quare dandum eſt quod in mediocritate conſiſteos vtrunque præſtare poſſit. Inter herbas lactuca, ſcariola, portulaca, buglosſum, maluæ omnes, ſpinacia, beta, caules, & alia nitroſa ad ſubducendam aluum, & tum dantur cum iure pingui. Inter fructus vtilia ſunt pruna, licet flatulenta. Gignunt enim ſanguinem frigidum: & quemadmodum ſeruant flatulentam ſubſtantiam vſque ad tertiam coctionem, ſic non minùs refrigerandi vim obtinent. Dulcia gratiora ſunt, acida magis refrigerant. Idem iudicium de granatis. Pyra meliora ſunt, minùs dura, & quæ minùs aſtringunt. Paſſulæ non ſunt inſalubres, ficus ratò comedendæ, quia prauum ſuccum generant. Pruna dulcia, ceraſa tam recentia quàm condita, refrigerando corporis habitui conducunt, ſi alios cibos præcedunt, nec alijs commiſceantur: alioqui facilè corrumpuntur. Nocent nuces, amygdalæ, denique omnes fructus duri & pingues, omniaq; quę facilè inflammantur, vt butyrum, oleum. Proſunt plurimùm carnium coctu facilium laudabilemque ſuccum gignentium decocta, cum herbis hactenus dictis alterata, & cũ hordeo mũdato, colatitia, conſumpta, expreſſa. Ipſæ etiam carnes, quę tardiùs quidem nutriunt, licet diutiùs. A piſcibus ſalſis,

pinguibus, duris, testaceis abstinendum. Alij sunt ex vsu, quia succum frigidum humidum gignunt. Sed omnium optimi sunt saxtiles. Nec contemnendi qui viscida carne constant, vt anguillæ in aqua puta captæ, & optimè præparatæ. Laudantur inter testacea cancri fluuiatiles. Non sunt autem Astaci nostri. Nam Aristoteles scripsit cancros carere cauda. Astaci vituperantur, quia carne dura sunt. Testudines nemorales plurimùm commendantur. Quæ degunt in aquis, seruandæ sunt, vt excrementitiam deponant humiditatem. Ranarum coxæ non sunt insalubres, & ius earum optimum est, si coquantur cum gallina, vel capo. Quidam commendant decoctum cochlearum, sed succum melancholicum gignunt. Quare ab ijs abstinẽdum. Scribunt tamen quidam se earum vtilitatem experientia comprobasse, & vt viscosa substantia tollatur, coquendas esse cum fœniculo. Quod ad vsum lactis pertinet, inter omnia lactis genera inprimis eligendum muliebre (tanquam naturæ magis cognatum,) vbi nutriendum quàm alterandum magis est. Quando verò alterandum potiùs, quàm nutriendum, asininum omnium humidissimũ conuenientius est. Ad nutriendum etiam valet caprillum, vel vaccinum, butyro quod promptè inflammatur detracto. Sugatur è mamma, vel recens mulctum bibatur. Periculum fiat mensuræ lactis, datis primùm vncijs duabus, pluribus, si non corrumpatur, augeatur. Vel iuxta alios, primo die detur ad quartarium vnum ita augendo, donec ad vnciarum octo mensuram peruentum sit. Quam integrũ mensem continuare fuerit ex vsu. Exhibetur manè saltem horis quatuor ante prandium. Noscitur an corrumpatur ex ructu præsertim nidoroso, si lac videatur assatum. Item ex pulsu, si debilior, tardior, languidior, & inæqualis fiat. Contrà si lac corruptum sit, maiorem & velociorem pulsum fieri necesse est. Si ructus nidorosus est, poterit aliquid aquæ incoqui cum lacte. Si acidus, momentum mellis, aut sacchari misceatur. Galenus ne lac corrumpatur aut cogatur, tantillum mellis miscet, aut salis quo vescimur. Hordeata plurimùm commendantur potissimùm cum paucis amygdalis, hísque recentibus: alioqui citò inflammantur. In his ad nutriendum dissolue vitellos ouorum, ad refrigerandum

frigerandum incoque ſemen portulacæ, lactucæ, & ſimilium, vt papaueris: & ſi à ſyncope metus eſt, adde vinum granatorum, ſemen acetoſæ, cardui, citri. Mel Hecticis febribus inimicum eſt: Imò & mulſa, quia protinus in bilem conuertitur, & ſicciores, acrioríſque caloris febres facit. Rurſum alimenta interdum conueniunt liquidiora: interdum ſolidiora. Liquidiora, cùm tractrix partium facultas imbecillior eſt: & idcirco celeriùs humectare & nutrire oportebit. Solidiora, cùm illa robuſtiore facta diutiùs & pleniùs nutriendum erit. Cremor ptiſanæ, auenatum, carnes iuniorum animalium, ſuccus expreſſus armi arietini, marcipanes, alimenta ſunt quæ offeruntur. Potus autem ſit aqua hordei, aut vinum granatorum, vinũ album oligophorum, aut rubrum plurimùm dilutum: potiſſimũ vbi à ſyncope metus eſt. Si aluus ſubſtiterit, clyſteres ſint refrigerantes & humectantes, ſuoque loco nutrientes: vt ex decocto capitis arietini, vel aliarum carnium iuſculo. Et quoniam in reliqua curatione ſcopus eſt alteratio potiùs, quàm vacuatio, vt iam attigimus, medicamenta ad refrigerandum & humectandum aſſumenda ſunt, ſyrupus violatus, iuiubinus, nenupharis, acetoſus, qui inter paſtus dabuntur cum ptiſana, vel aqua hordei, vel iuleporũ modo, cum aqua roſarum, violarum, bugloſſi: ſyrupus reſumptiuus, electarium diarhodon, diamargariton, triaſantalinum. Condita etiam fiant ex conſeruis & pulueribus refrigerantibus. Præſcribitur & maſſa panis ex amygdalis, quatuor ſeminibus frigidis. Extrinſecus admouentur epithemata ſupra cor & hepar ex aquis bugloſſæ, lactucæ, violarum, acetoſæ, roſarum, nymphææ, portulacæ, cum tantillo vini albi. Pro pectore laudant quidam etiam epithema ex decocto hordei, quatuor ſeminum frigidorum, florum violarum, cum vncijs tribus olei violati pro libra vna decoctionis. Inunctiones fiunt in dorſo, & pectore. In dorſo quidem ex frigidis, & quodammodo aſtringentib. Vehementer enim aſtringentia præterquam quòd non humectant, etiam ſuam frigiditatem in altum demittere non valent, quia cutem cogunt & coarctant. Supra pectus ex refrigerantibus & modicè relaxantibus: quia pars propter reſpirationẽ laxanda eſt, vt ex oleo violato, vngueuto

Curatio per medicamenta.

resumptiuo. Nonnulli pectus & hypochondria refrigerante cærato illiniunt. Sed cauendum, ne nimium refrigeres. Nimium enim refrigerantium vsum dyspnœa consequitur. Cæratum refrigerans Galenus vtiliter hypochondrio dextro adhibet, cùm hîc focus est. Balnea quomodo sint administranda docet Galenus. Veteres tria solaria habebant, seu tres balnei partes. Eum apparatum quia non habemus, eodem balneo consequemur. Nempe primùm aqua moderatè calida sit ad aperiendos poros sine sudoris eruptione. Deinde tepida fiat, vt corpus humectetur. Deinde frigida sit, vt corpus roboretur, impediaturque substantiæ dissipatio. Balneum probatur incoctis refrigerantibus & humectantibus. Mora sit pro vitium ratione. Probatur tamen sic, vt nulla sit cruditas, nullus tumor, nulla obstructio, nulla putredo. Inunctio fit à balneo (vt ne quid exhalet nimiùm) ex oleo violato, nenupharino, amygdalino dulci, adhibito aliquando butyro. Cætera ex capite de Phthisi repetenda sunt. Si Hectica erit siccitati coniuncta, quæcunque fuerit solidarum partium substantia exiccata, humectantis nutrimenti ope replere oportet.

De semitertiana. CAPVT XV.

HACTENVS de febribus simplicibus. Compositæ sunt, quando vel eædem, vel differentes genere, aut specie, inuicem concurrunt. Illud verò bifariam accidit. Aut enim ἐπιπλοκῇ patiuntur, id est complicationem, aut κράσιν, id est mixtionem. Ἐπιπλοκῇ, quando horis diuersis compositæ febres inuadunt: vt singulæ distingui possint. Κράσιν, confusionem seu compositionem, quæ minimè aut vix discerni possit. Simul enim incipiunt, & desinunt. Quoniam verò inter febrium compositarum genera frequentior est Hemitritæus, seu Semitertiana: de ea duntaxat hîc agemus, vt sit instar exempli febris compositæ, & ad eius similitudinem febres aliæ compositæ curentur, præsertim si ex putredine ortum habeant. Hemitritæus propter nomen inditum ad Tertianam refertur. Sed propter pituitam quæ plus poller, quotidianæ annumeratur. Dimidio sui Tertiana est. Videtur

Nominis etymon.

detur tamen improprium vocabulum. Si quidē illis quæ integram non sunt consecuta absolutionem, dimidij attribuimus vocabulum. At Semitertiana tantum abest vt dimidia sit, vt longè etiam sit Tertiana deterior, ac potiùs huius illa, quàm hæc illius esse videatur dimidia. Ex Quotidiana continua & Tertiana intermittente tota eius natura confusa, dimidiam partem vtramq; harum febrium retinet. Quare non absq; id nominis est illi impositū. Sic semiasinus, semimortuus, semiuocalis dicitur. Et cùm cōposita sit, impossibile est vnam & eandem simplicem continuam & intermittentem simul esse. Quòd nō sit ex duabus continuis, patet, quia non esset horrifera. Quanquam appellauit Hippocrates has febres horrificas, nō quòd initio accessionis, sed quoniam per totam propè accessionem horroris symptoma producatur. Ex duabus intermittentibus non fit. Illæ enim desinerent aliquando in infebricitationem: Quare non esset continua. Itaq; ex continua & intermittente fieri necessariò sequitur. Hemitritæus verò seu semitertiana duplex est. Exquisita, cùm æqualiter bilis & pituita miscentur simul. Nō exquisita, cùm impar mixtionis est modus, vt ex signis alterutrius vincentis conijci potest. Proinde sunt Hemitritæi non exquisiti duæ species, in quarum altera bilis superat pituitam, atq; apparent symptomata febris bilioſæ maiora quàm pituitoſæ: in altera vincit pituita bilem, & apparēt symptomata pituitoſæ maiora. Quòd si æquis portionibus misceantur, vt in exquisito Hemitritæo, euenit vt bilis celeriùs moueatur, & citiùs ad vigorē peruenire contendat: pituita tamen tardiùs moueatur, & calorē cōcipiat, & accessio horrores multos habeat. Causa igitur Hemitritæi est putrescens pituita putrefactæ bili admista. Signa quoq; mista sunt. Constat enim Tertianam cū rigore inuadere: Quotidianā cū refrigeratione extremitatū. Quare quæ ex ambarū mixtura cōstat, horrorem inducit, qui rigore quidē minor est, maior autē ac vehementior refrigeratione, adeoq; ijs confusis neutrū verè eminet. Sed vbi Tertiana præpollet, magis horrifica febris efficitur, & rigoris etiā nonnihil in progressu accessionis assumit, adestq; omnino calor maior, & ardentior: & bilis vel vomitu, vel deiectione pellitur, aut humidus

Semitertiana nec ex duabus continuis, nec ex duabus intermittentibus cōponitur.

Semitertiana duplex.

Causa.

Signa.

vapor exhalat. Quando altera pituitosa superat, perfrictiones quidem summa exercent: pauci verò horrores, neque tamen sitis, neque ardor in ijs affligit. Quum pares magnitudine sunt Tertiana intermittens & Quotidiana continua, insultus quidem accessionis cum horrore accidit. Semitertiana periculum minatur, vt quæ non solùm stomachum & neruosam eius partem attingat, & summatim media, sed etiam lethargicas animi delationes, attonitásque vigilias inuehat. Interim & ad syncopen vsque corpus deferat: linguam valde siccet, animæ defectum efficiat, vehementer ea quæ in alto sunt commouens. In vniuersum typus hic ferus est, & periculosissimus: frequentiùs corripit naturam virilem, ætatem florenti proximam, tempore potiùs autumnali: quando etiam valde periculosa accidit. Non exquisita Semitertiana, si abundantiorem habeat pituitam, magis curationi renititur, quàm exquisita. Hemitritæus est de febribus interficientibus, quia natura est aggrauata propter diuersitatem materiæ: aliquando extenditur vsque ad mensem. Quanuis sit aliquando breuis, vt quando materia est pauca, & in vijs ductum. Sæpe Hemitritæus ducit ad Hecticam propter diuturnitatem sui. Est autem curatio difficilis, quia euincendi sunt humores duo, & vtraque febris ad se curationem trahit. Tamen quia suscipienda est, ea fit per syrupos & apozemata, vtrunque humorem sed vincentem præparantia, per cathartica sæpe repetita, cholagoga, & phlegmagoga, per venæ sectionem, per assumpta denique & admota omnia, quæ vires confirmare, & symptomata emendare possunt. Vbi exquisita fuerit Semitertiana, ex æquo vtrisque prospiciendum, tum Tertianæ, tum Quotidianæ: vbi verò exquisita non sit, si flaua bilis superior sit, præsidijs maximè vrendum, quæ in cura Tertianæ explicauimus, Quotidiana non penitus neglecta. Sin pituita largior fuerit, ijs vtere medicamentis, quæ curationi Quotidianæ conueniunt, similiter bile non neglecta.

Prognostica.

Curatio.

De

De febre pestilenti.
Cap. XVI.

Febrũ pestilens quid.

Febris pestilens est quæ tẽpore pestilentiæ venenata qualitate cũ sæuissimis symptomatis obuios quosque passim interimens grassatur, & sæuit. Et febris est quæ interdũ solos spiritus, vt Ephemera; aliquando humores, vt putrida; & nonnunquam partes solidas, vt Hectica inficit. Neq; tamẽ Ephemera, neq; putrida, neq; Hectica vera est, aut dicitur. Sed quiddam maius habet supra illarũ sortem ob venenatam qualitatẽ, cuius vis superat manifestæ qualitatis & vulgatæ putredinis modũ, & sæpius in genere cõtinuarũ acutissimarũ censenda est. Causa primaria est, cùm diuinæ virgæ verbere accedere creditur. Secundæ causæ spectant magis medicinã, quæ suis finib. circumscribitur. Duæ aũt sunt istiusmodi causæ, eæq; communes, Diæta, & Aeris vitiũ. Communis enim morbus ex communi causa ortum habet. Ob frumentũ semiputre cõmunis morbus sæpe susceitatus est. Et obsessæ vrbes sæpe grauem pestẽ expertæ sunt, post vsum veteris panici, & hordei exoleti, quibus ob annonæ copiã vesci coactæ sunt. Huc refer vina, aquas, olera, legumina, & alia id genus vitio aliquo infecta. Huiusmodi cibis serosi humores inquinati, & conspurcati venenosam qualitatẽ facilè concipiunt, quæ cũ alimentis illis nulla esset, in corpore tamẽ progigni adhuc posset. Sed hæc pestis minùs contagiosa est. Sin verò aer quem inspirando haurimus, corruptelam sensit, spiritus primũ & cor, dein humores serosi, & reliquũ totũ corpus contaminantur, pauciq; impunè abeunt. Omne enim venenum ex sua genuina proprietate, quàm primùm cor fontem & domicilium vitę petere creditur, & mox in vniuersa viscera molemq; totam dispergi, ex Galeno. Et quãuis requiritur corporis afficiendi præparatio, tamen sæpe maior est vis pestilentis auræ in agendo, quàm temperamenti in resistendo. Vnde & temperatis etiam illa non parcit, imò sæpiùs eos affligit. Neque febris pestilens semper sequitur, cùm aer quoque modo vitiatus est, sed alius saltem, & epidemius morbus sequitur. Semper enim nõ tantùm per os, sed etiã per cutis poros transpiratione cæca eum haurimus. Itaque

Causa.

corrumpitur aër ſyderum expiratione venenata, vt Aſtrologi cenſent, aut vt Medici potiùs cum Phyſicis, à mutata temporum anni natura, à noxio venti alicuius flatu, ab halitu fœdo, ex hiatibus terræ, ex aquis putribus, ex cadaueribus, & locis immundis. Et Galenus diuinum interpretatur in Hippocrate, non expirationem cœlitus demiſſam, ſed aëris qualitatem motu cœli ac lumine excitatam, quæ cæterarum primarum qualitatum commixtionem ſecuta, interdum animantib. noxia eſt: ſed commixtionis quia præfinita menſura neſcitur, in cœlum fortaſſe refertur, & occulta putatur. Id probabile videtur, quia hyeme peſtilentiæ vis frangitur. Nec verò frangi oporteret manifeſta temporis qualitate, ſi cauſa occulta foret. Quinetiã tempora cùm ſuam naturam non retinent, id mali parere poſſunt. Sed inter omnia autumnus, quãuis frigidus & ſiccus. Nam ſiccus eſt ſine exceſſu, & frigidus ſine conſtantia vlla. Quare euincuntur facilè illæ duæ qualitates, & id accedit, quòd tum à contrario ad contrariũ, ab æſtate ad hyemem mutatio fiat. Venti etiam auſtrini ſunt noxij. Si erit peſtilentia, fiunt Cometæ & Meteora ignita, quæ materiæ plurimum in aëre vitiatæ teſtantur. Si ab aere eſt vitium, aues à nobis auolant: ſi à terra, animaliũ à putredine ortorum magnus eſt prouentus, & fruges vermibus exeduntur. De cauſis alij diſſeruerint conformiter ijs quæ dicta ſunt. In nobis ortum habet aliquando hæc pernicioſa qualitas. Contingit enim humores noſtri corporis aliquando in tantùm degenerare à naturali temperie vt pernicioſam atque venenatam tandem induant qualitatem; ita vt cum lethalibus venenis certare poſſint. Aliàs verò extrinſecus illabitur ab exhalationibus videlicet malignis atque putridis quæ aeri communicantur, aliquando à cadaueribus inſepultis, à lacubus, atq; paludibus incorruptis, à fœtentibus cloacis, à ſpecubus venenoſos metallicóſque ſpiritus eructantibus. Subinde etiam fit à varijs ſyderũ commiſtionibus, tuncque eſt ſemper arcanum atque admirabile ſummi iuſtiſſimique Dei flagellum. atq; propriè tunc peſtilẽtia vocatur. Cum ab alijs cauſis ortum habet morbus malignus vel febris maligna vocatur. Febres quę à veneno fiunt lethales quidem ſunt, ſed non peſtilentes quia

contagio-

contagiosæ non sunt. Alij similiter ita explicarunt. Causa est aer maligna qualitate perfusus cordique inspiratione communicatus. Efficacissimas enim vires habet aer labefactandi non soiùm corporis spiritus atq; humores, sed & solidam ipsius cordis substantiam, cum continuò lege naturæ eundem haurire cogamur, inque ipsius cordis penetralia admittere. Interdum oritur ex venenata qualitate quæ in nobis oritur ex humorib. putridis, aliquando melancholicis, subinde biliosis, alias etiã pituitosis. Vnde contingit Pestem aliquando referre naturam febris tertianæ aut quotidianæ, nonnunquam quartanæ. Humores corrupti præter simplicem putredinem, tandem venenosam pestilentemque induunt qualitatem. Vnde contingit aere nusquam infecto vnum hominem solum peste laborare hoc aut illo loco, neq; aliquem mori eo homine excepto. Signa autẽ præsentem febrem pestilentem indicantia sunt calor non vehemens, & pulsus ac vrinæ sanorũ similes, initio præsertim. Et quanuis calor nõ sit vehemens, interiora tamen (vt in lypiria) vruntur. Vt in ea peste quam Thucydides descripsit, adeò interiora ægris vrebãtur, vt neq; valde subtilium vestimentorum, neq; linteorum velamenta, neq; aliud quidquam præter nuditatẽ ferre possent: quanuis tangenti corpus exteriùs valde calidum nõ erat. Tamẽ exercitatus Medicus in explorando calore febrili, si manũ thoraci imponat, caliditatem maiorem ac acriorẽ sentiet, quàm in reliquo corpore, & æstum quoq; sentiunt ægri in thorace maiorem. Pulsus verò & vrina sanorũ ferè sunt similes, quòd natura veneni occursu territa, nullum in ijs signum proferat. Nempe initio venenũ sæuit in corde & arterijs potiùs, quàm in hepate & venis. Aer enim inspiratus ad hepar non fertur. Vrina autem sanguinis & reliquorũ humorum in venis est serum. Iuxta id fer bunt quidã quòd cordi omniũ primo quasi pestilens aer se insinuat propter respirãdi necessitatẽ, modo homo ipse idoneus sit vt semina pestilentialia recipiat aeri cõmunicata. Sua enim subtilitate facile in pulmones illabitur, vbiq; omniũ primo vitales spiritus, hinc humidũ radicale, demũ quoq; solidã eius substantiã oppugnat. Sed alij id impugnant, aiuntq; vrinas sanorũ similes esse, quòd febris hęc vt plurimũ sit absq; pu-

Signa.

corrumpitur aër syderum expiratione venenata, vt Astrologi censent, aut vt Medici potiùs cum Physicis, à mutata temporum anni natura, à noxio venti alicuius flatu, ab halitu fœdo, ex hiatibus terræ, ex aquis putribus, ex cadaueribus, & locis immundis Et Galenus diuinum interpretatur in Hippocrate, non expirationem cœlitus demissam, sed aëris qualitatem motu cœli ac lumine excitatam, quæ cæteratum primarum qualitatum commixtionem secuta, interdum animantib. noxia est: sed commixtionis quia præfinita mensura nescitur, in cœlum fortasse refertur, & occulta putatur. Id probabile videtur, quia hyeme pestilentiæ vis frangitur. Nec verò frangi oporteret manifesta tempotis qualitate, si causa occulta foret. Quinetiã tempora cùm suam naturam non retinent, id mali parere possunt. Sed inter omnia autumnus, quãuis frigidus & siccus. Nam siccus est sine excessu, & frigidus sine constantia vlla. Quare euincuntur facilè illæ duæ qualitates, & id accedit, quòd tum à contrario ad contratiũ, ab æstate ad hyemem mutatio fiat. Venti etiam austrini sunt noxij. Si erit pestilentia, fiunt Cometæ & Meteora ignita, quæ materiæ plurimum in aëre vitiatæ testantur. Si ab aere est vitium, aues à nobis auolant: si à terra, animaliũ à putredine ortorum magnus est prouentus, & fruges vermibus exeduntur. De causis alij disseruerint conformiter ijs quæ dicta sunt. In nobis ortum habet aliquando hæc pernicioſa qualitas. Contingit enim humores nostri corporis aliquando in tantùm degenerare à naturali temperie vt pernicioſam atque venenatam tandem induant qualitatem; ita vt cum lethalibus venenis certare possint. Aliàs verò extrinsecus illabitur ab exhalationibus videlicet maligni atque putridis quæ aeri communicantur, aliquando à cadaueribus insepultis, à lacubus, atq; paludibus incorruptis, à fœtentibus cloacis, à specubus venenosos metallicósque spiritus eructantibus. Subinde etiam fit à variis syderũ commistionibus, tuncque est semper arcanum atque admirabile summi iustissimique Dei flagellum. atq; propriè tunc pestilẽtia vocatur. Cum ab alijs causis ortum habet morbus malignus vel febris maligna vocatur. Febres quę à veneno fiunt lethales quidem sunt, sed non pestilentes quia

contagio-

contagiosæ non sunt. Alij similiter ita explicarunt. Causa est aer maligna qualitate perfusus cordique inspiratione communicatus. Efficacissimas enim vires habet aer labefactandi non solùm corporis spiritus atq; humores, sed & solidam ipsius cordis substantiam, cum continuò lege naturæ eundem haurire cogamur, inque ipsius cordis penetralia admittere. Interdum oritur ex venenata qualitate quæ in nobis oritur ex humorib. putridis, aliquando melancholicis, subinde biliosis, alias etiã pituitosis. Vnde contingit Pestem aliquando referre naturam febris tertianæ aut quotidianæ, nonnunquam quartanæ. Humores corrupti præter simplicem putredinem, tandem venenosam pestilentemque induunt qualitatem. Vnde contingit aere nusquam infecto vnum hominem solum peste laborare hoc aut illo loco, neq; aliquem mori eo homine excepto. Signa autẽ præsentem febrem pestilentem indicantia sunt calor non vehemens, & pulsus ac vrinæ sanorũ similes, initio præsertim. Et quanuis calor nõ sit vehemens, interiora tamen (vt in lypiria) vruntur. Vt in ea peste quam Thucydides descripsit, adeò interiora ægris vrebãtur, vt neq; valde subtilium vestimentorum, neq; linteorum velamenta, neq; aliud quidquam præter nuditatẽ ferre possent: quanuis tangenti corpus exterius valde calidum nõ erat. Tamẽ exercitatus Medicus in explorando calore febrili, si manũ thoraci imponat, caliditatem maiorem ac acriorẽ sentiet, quàm in reliquo corpore, & æstum quoq; sentiunt ægri in thorace maiorem. Pulsus verò & vrina sanorũ ferè sunt similes, quòd natura veneni occursu territa, nullum in ijs signum proferat. Nempe initio venenũ sæuit in corde & arterijs potiùs, quàm in hepate & venis. Aer enim inspiratus ad hepar non fertur. Vrina autem sanguinis & reliquorũ humorum in venis est serum. Iuxta id fer bunt quidã quòd cordi omniũ primo quasi pestilens aer se insinuat propter respirãdi necessitatẽ, modo homo ipse idoneus sit vt semina pestilentialia recipiat aeri cõmunicata. Sua enim subtilitate facile in pulmones illabitur, ibiq; omniũ primo vitales spiritus, hinc humidũ radicale, demũ quoq; solidã eius substantiã oppugnat. Sed alij id impugnant, aiuntq; vrinas sanorũ similes esse, quòd febris hęc vt plurimũ fit absq; pu-

Signa.

tredine, cùm spiritus, vel corpus cordis inficiat sæpe. Neq; enim natura agit cum voluntate. Quam tamẽ in corpore si compererit, aut procedente tempore inuexerit, vt cùm calor in humorib. accensus est, & tumore in inguine iam enato, accidit vrinã conturbatã, & alia pessima signa præ se ferentẽ apparere. Nonnullorũ etiam vrinæ sunt multo quam pro natura tenuiores & aquosiores, alijs bilioſę, alijs nigræ, malas subsidentias habentes, & pessima quæ in medio vasis dependẽt. Sunt etiã interdũ fœtidæ vrinę propter putredinẽ. Pulsus non magnopere mutatur in intemperie arteriarum frigida, sed imbecillior est, quia vires prosternuntur. In eandẽ sententiam alij: Quanuis pulsus parũ immutentur, tamen quibusdã omnino celeres vel frequentes sæpius, licet non præualidi, manifestiúsq; in hac febre celeritas contractionis percipitur. Quare his signis nõ fidendum. Quia ijs apparentibus, & nil tale cõminantibus, contingit ægros mori. Itaq; alia adiungenda sunt. Porrò signa alia sunt expiratio graueolens, nãusea, vomitus (ore ventriculi cordi consentiente) somnolentia à vaporib. caput opplentibus, crebræ animi defectiones viribus à veneno exolutis, delitia ex raptu suesum humorum, oculi flammei à desipientia, in ore seu facie color partim erysipelatosus, partim depascentibus herpetibus similis, cibum respuunt, fitiunt præter modũ, ac frigidam postulant. Respirationis difficultas adest diaphragmate impedito, hypochondriorum tumor Tympaniti similis naturali calore imbecilliori facto. Accidunt & sudores multi, extremitatũ frigiditas, sanguinis narium destillationes, linguæ torrefactę, vigilię, conuulsiones violentę. Alui excrementa fiunt graueolentia, syntectica, & pinguia. Bubones etiã erumpunt, in inguinibus, post aures & sub alis subito orientes, carbunculi. Exanthemata sunt maculę subinde purpureæ, nonnunquã nigræ, aliquando cæruleæ, quæ potissimum circa statum morbi erumpunt. Si cœlitus mortalibus hoc malum mittatur, omnia signa mitiora sunt, ita vt hoc non admodum ægrotare videantur. appetitus cõstat, neq; sitis, neq; febris viget. omnes tamen vires concidunt, & citissimè moriuntur. exanthemata, natura aliqua ex parte sese exonerante. Accidunt modò hæc, modò illa, prout vis veneni cor-

aut ce-

aut cerebrum, aut hepar videtur labefactasse magis. Item horum signorum maior pars calorem in humorib. accensum indicat. Pauca enim sunt, quæ calorem hunc putridũ ad spiritus magis vel ad corpus cordis deflectere testantur. Cæterùm neminem præterit pestilentes omnes febres valde pernicioſas esse. Et inter eas sunt pernicioſiores, in quibus plura ac sæuiora symptomata accidunt, vbi eiusdem generis fuerint. Ad Prognosticon quoque pertinet, quòd frequenter etiam bonis apparentibus signis, etiam præter opinionem Medici inopinata mors irruit, pluſque periculi imminet, ſi carbunculus aut bubo aut exanthemata nulla apparent, quibus quoque apparentibus ſi æger non leuetur, peſſimum eſt. æque periculoſum ſi carbunculus aut bubo ſe ſubducat. Solet XXIIII horarum ſpatio malum confirmari. Et dum ſudor frigidus emergit, faciei & oculorum color in nigrum vergit, dumque frequens animi deliquiũ irruit, vomitus ſunt frequentes, & variorũ colorum excrementa protruduntur, mortem ſignificat. Qui cum ſtupore, ſpaſmo, & amentia balbutiunt magna ex parte, morioruntur quoq;. Conſentaneè docent alij. Quod ſi in humoribus cordis calor ſuſcipiatur, minùs periculoſa erit, ſi puſtulæ aut vlcera in cute efflorescent, quam vbi talia nõ fiant. Etenim virtũ robur præſe ferunt, vt quæ adeò robuſtæ ſunt, vt venenoſam materiam extra pellere conentur: quanuis vbi peſtilens fuerit conſtitutio, vt plurimum criſes malè terminentur. Verùm relatione ad eas febres, in quibus aeris putredo ad cordis corpus peruenerit, minantur minus periculum, cùm hi omnes intereãt, neq; excogitari poteſt medicina ad putredinẽ quæ cor occupauit. Quemadmodũ & vbi aer infectus, & ſpiritus prætergrediens, priuſquã omnes inficiat ac corrumpat, ad humores quos continent cordis ſinus, ſiue ſolidas partes deflexerit. Et cùm hæ curationẽ non admittant, ad curationẽ earũ veniemus quæ ad humores in cordis ſinib. contentos ſpectant, quarũ quædã curari poſſunt. Sed quia in hoc affectu Prophylactice maiorẽ laudẽ meretur, quã curatio, ad Prophylacticen veniemus. In ea præſentiſſimũ remediũ haud dubiè fuga eſt, cùm putredo in his febrib. nõ ex quapiam interna cauſa, ſed ex putrido inſpirato aere originẽ ducat.

Prognoſtic.

& ab aere non ranquā à causa sine qua non, vt in alijs febri-
bus indicatio sumitur, sed velut efficiente, cùm ipse putri-
dus ac pestilens redditus, harū febrium sit author. Sed cùm
fugere cuius non liceat, de emendatione aeris vndecunq;
solicitū esse oportet pro ratione temporis. Emendatur aūt
priuatim & publicè ignibus accensis, & suffumigijs. Odo-
rata spiritus reficiunt: quæ abundè ab alijs descripta sunt.
Domestica animalia abigantur. Colloquia suspectorū de-
uitentur. Domus in loco sit non vtiq; cauo, qui nullum re-
cipiat perflatū, sed elato. Fenestræ ad Aquilonē spectantes
aperiantur: ad Austrū occludantur. Quocunq; spectent, te-
neri apertas vtilius est, vbi potissimū aer clarus & serenus
fuerit: quia aer in cubiculo clausus nisi moueatur, captat
vitium celeriter. Ac domus omni fœtore careat, & à sordi-
bus atq; spurcitia sit aliena. Rarò & nonnisi cœlo sereno
in publicum prodeundum. In cibo carnes auicularū, ouā
sorbilia, & quæ acida sunt, exhibeantur: omphacium ni-
mirum, aut citrij mali, aut limonum arantiorumq; voca-
torum succus. Vitentur quę promptè putrent, vt fructus o-
mnes. Potus sit vinū generosum dilutum, aut oxycratum,
aut aqua cum vino granatorū. Aquæ delectus habeatur. Si
vitium à cœlo & aere est, pluuia; si à terra, puteana noxia
est. Vt fames & sitis, sic omnis nimietas fugienda. Æstatis
tempore oleribus vtendum, bugloſſo, intybis, oxalide, &
lactuca: hyeme saluia, petroselino, maiorana, melissophyl-
lo, hyssopo. Cauendū à potu vini meracioris, & musto. Ex-
ercitium fiat mediocre, cœlo sereno, nō aprico tamē loco,
nec exercitio forti, quia respirationis vsus augetur. Cauē-
dæ choreæ publicæ, item cursus, saltationes. Somnus & vi-
gilia, vt omnia alia sint moderata. Dormiendum in cubi-
culo bene clauso & obturato, ne scilicet aer pestilēs ingre-
diatur. Linteis vtendū puris ac mundis, & aliquandiu cum
rebus odoriferis repositis. Venerem aut raram, aut nullam
esse conuenit. Hæc enim exhaustis spiritibus vires minuit.
Victus ratio liberalior, conuenientior est tenuiore. Inedia
enim malignitatē auget, & cibi præter quàm quòd robur
addunt virtuti, veneni vim etiā frangunt. Et qui cibū assu-
mentes veluti vim sibi attulerunt, omnes euasisse, cæteros
interijsse scribit Gal. tertio Epid. vtilius tamē est, vt parum

& sæpe

& ſæpe offeratur. Si aluus pigra ſit, catapotijs Rufi vocatis, aut molli clyſtere, aut glandib. in hoc paratis poterit irritari. Quod reliquũ eſt, non eſt vtendũ valentib. catharticis ad præſeruationẽ, quia nõ ſunt agitandi humores. Atq; in pilulis Rufi dandis cautè ſe gerendũ (vt quidam volunt) in prægnantibus, & ijs quib. hæmorrhoides moleſtæ ſunt. Si deuorari ſolidæ nõ poſſunt, in potu diſſoluendæ ſunt. Antidota quæ cor & partes principes roborant, & virus ipſum arcẽt, partim ſpecifica proprietate, partim manifeſta qualitate id agunt. Illa inuenta ſunt per analogiſmũ & experientiam: ſimplicia quidẽ, vt terra lemnia ſeu ſigillata, bolus armenius. Inter compoſita, theriaca, mithridatiũ. Boli armenij, vel terræ ſigillatæ drachma vna offertur cum vncijs duab. aquæ roſarũ, vel alterius quæ cardiaca ſit cũ ʒ j. vini albi. Hæc etiã miſcentur conſeruis. ℥ conſeruę nenuphaaris, violarũ ana ℈ ij. mithridatij vel theriacæ ana ʒ ß. vel ana ℈ j. ſyrupi de limonib. ʒ ß. aquæ acetoſæ ʒ iij. fiat potio. Sed quia hæc ferè ſunt adulterata, euentus nõ ſequitur quẽ ſperamus. Antidota enim cũ agitur de præſeruatione, minori quantitate dantur; & in offerendis habenda eſt ratio tẽporis, ætatis, & naturæ ægri. Nam Gal. vetat theriacã calidiorib. naturis, & pueris, & per æſtus magna quantitate exhiberi. Bolus armenius, & terra ſigillata dari debẽt parua manu, præſertim cùm aluũ liberã eſſe oportet: ſiquidem aſtringũt valenter. Datur & antidotus ex ficubus, nucib. nõ rancidis, & rutæ foliis cũ aliquot granis ſalis. Tabellæ. ℥. radicũ enulæ cãpanæ, dictamni, tormentillæ ana ʒ ß. boli armenij, terræ ſigillatæ ana ℈ j. ſeminis acetoſæ ſylueſtris, & cittij ana ℈ j. cõſeruæ roſarũ, bugloſſi, mithridatij, theriacæ, corticis citri cõditi ana ʒ j. ſacchari in aqua ſcabioſæ & cardui diſſoluti q. ſ. fiãt tabellæ ponderis ʒ j. ſumatur vna quotidie manè, cũ vino albo, vel aqua acetoſæ. Opiata. ℥. conſeruarũ bugloſſi, violarũ, borraginis, & enulæ cãpanæ ana ʒ ß. mithridatij, corticis citri conditi ana ʒ ij. electarij lætitiæ & diamargaritõ frigidi ana ʒ j. oſſis de corde cerui ℈ ß. confectionis Alkermes ʒ ß. cũ ſyrupo de limonibus. formetur opiata, vel cũ ſaccharo conditum foliis auri coopertũ. Extrinſecus remedia adferuntur, vt vnguenta, amuleta, odorata omnia. Inunctio magnã habet vim ex oleo

scorpionũ, proprietate sc. ipsorũ. Inungendæ sunt arteriæ temporũ, & manuũ. Amuleta, & annuli nihil ferè nisi superstitiosum habẽt. Odorata vt ruta, rosm. saluia, absinth. vel sola subduntur naribus, vel spongia maceratur in aqua ros. & aceto: in quib. illa macerata fuerint: & linteolo cõuoluta gestatur, & naribus sæpe subijcitur. Hyeme cinnamomũ, & alia cõmiscentur. Pomũ ad idem formatur. ℔. ladani ʒj. pulueris corticis mali citrij, & sem. eius ana ʒj. croci & caphuræ ana ʒß. puluerentur omnia, & cum succo basiliconis formetur pomũ. Vel ℔. ros. rubr. ligni aloes, santalorũ omnium ana ʒj. styracis, ladani, thuris, myrrhæ, gummi arabici, tragacanthi ana ʒß. galangæ, nucis moschatæ, cinnamomi, caryophyllorũ ana ℈ß. moschi grana duo. Ex omnib. fiat puluis, & cũ aceto pomũ. Sed hæc plus satis de præcautione. In curatione aũt quatuor spectanda sunt, febris, putredo, venenũ, virtus. Duorũ posteriorũ magis habenda ratio, alijs interim nõ neglectis. Itaq; venenũ alterandũ & vacuandũ. Alteratur per cõtraria tota sua substantia, vel vtraq; qualitate. Euacuatur per ea quæ propellendi foras, & attrahendi vim habeant. Nam etsi alteratione videtur egere potiùs, quàm euacuatione, tamẽ ex accidenti fit, vt quæ euacuant conferant, euocata materia, in qua vis ipsius impressa inerat. Sic cõueniunt quæ euacuant nõ tãtùm alexiteria assumpta propulsando, & admota buboni, vel carbunculo attrahendo, sed & venæ sectio, & purgatio, si tempestiuè instituantur. Incipiendũ igitur ab alexiterio, quale erit: ℔. boli armenij præparati ʒj. aquæ ros. aquæ acetosæ, vini albi ana ʒj. vel ℔. rasuræ cornu vnicornis gr. vj. syrupi de limonib. ʒß. aquarũ acetosę & scabiosę ana ʒj ß. vtile est si non reuomitur, cùm assumptus fuerit bolus. Cùm reuomitur, argumentũ est venenũ iam in corde receptũ esse. Itaq; denuo propinandus est, & quanuis nõ reuometur, bis in die tamen repeti vtile est. Nam venenũ crebris ictibus deijci postulat. Theriaca & mithridatium etsi aduersentur febri, quia calidiora, nihilominus venenũ oppugnant, cuius potior habenda est ratio, quàm febris. Adde quòd temperantur conseruis, syrupis, aquis. Cùm attrahunt extrinsecus adhibita, similitudine substantię operantur. Assumpta foras propellũt, idq; ex accidenti veriùs,

nempe

nempe virtuti robore maiore addito. Eodem die si sanguis abundet, magnitudo morbi & vires consulant, vena secetur. Hoc enim remedium primo quoque tempore est adhibendum. Confestim in primis morbi diebus nulla expectata coctione, quoniam neq; omnino euinci, aut concoqui quod putrefactum ac corruptũ est in his febribus à natura valet, euacuare tentandum est. Quapropter omnibus consentientibus per venæ sectionem tentabis quod putrefactum est vacuare. Tutius autem est venæ sectionem repetere, quàm multam sanguinis copiam detrahere. Si ętatis aut virium ratione seu alterius cuiusp iam, venæ sectio fieri nequeat, cucurbitulis scalpello circuncisis, aut hirudinibus vtendum erit. Similis ratio de purgatione habenda erit. Nam vbi ea indigeant ægrotantes, nulla coctione expectata, eadem vti oportet, etiamsi materia non turgeat. Est enim venenosa, & in corde consistens. Quapropter neq; coctionem admittit, neq; si admitteret, eadem expectanda esset, ratione partis in qua continetur. Neq; solum purgatione vtendum: sed & euacuationes per vrinas probantur, vel per sudores. Vt ad venæ sectionem redeamus, secanda est vena sinistri cubiti, si bubo nullus appareat, nullusque carbo, & si in altero latere magis non vrgeat. Bubone, vel carbunculo se proferente, secanda è directo proxima, vt cephalica si in collo apparuerit: basilica vel media si in axillis: malleoli interna, si in inguine. Modũ vacuationis & mensuram definient affectus & vires. Cùm infectus admodum sanguis eruperit, magnæ corruptelæ signum erit. Cùm non infectus, vt sæpe euenit in febribus malignis & inflãmationibus internis, naturæ nimiùm oppressę argumentum erit, nequeuntis vitium procul amandare. Tamen si aut soli spiritus vitium conceperint, vt si ab aëre solo vitium contractum fuerit, nullaq; plethora, sed cacochymia tantùm fuerit, item si vires imbecillæ sint, venæ illa sectio omittenda est. Omittitur & bubone iam eunte, vel natura ipsum moliente, ne virus intrò remoretur: & naturæ impetus prohibeatur. Sic cùm natura crisim per abscessum susceptura videtur, sanguis haud mittitur. Sic bubone venereo nascente, vel mox nascituro, sanguis ex cubito mitti non solet. Nec facile est iudicium,

an mitti ſanguis debeat in hac febre, cùm conſtet omnes phlebotomatos aliquando interire, aliquando omnes ſeruari. Certum eſt omnes qui purgãtur paulo vehementiùs, & quib. ſanguis detrahitur, mori, cùm ſola cauſa eſt in aëre. A ſanguinis detractione non dormiendũ, ne ſanguis intro referatur, & febris augeatur. Poſt venæ ſectionem repetendũ cardiacum, vel nouũ inſtituendum. Die ſequenti ad purgationem veniendum. Ea quoq; tametſi ratione venenatæ qualitatis per ſe nihil aut parum prodeſt, præſertim ſi in ſpiritibus illa ſit (cùm ſpiritum perturbantia, opinione Hippocratis quarto acutorum, purgatione nõ egeant) tamẽ ratione cacochymiæ & putredinis inſignis quæ promptè aſciſcitur, conferre poteſt. Adde quòd in acutis vbi materia turget, ceſſare, malum. Præterea delectus purgantium difficilior eſt. Quidam vehementiora inquiunt materiam intrò adducere, dyſenteriam pernicioſam ſæpe cõmouere, humores conturbare, & virus celeriùs proſternere, exhibito gemino negotio in ſuſtinenda vi morbi & vi medicamenti, & cùm morbus ſit deploratus, ſatius eſſe, vt ab ipſo æger perimatur potiùs quàm à medicamento. Alij ex aduerſo reſpondẽt vehementiora cathartica intrò adducere humores, ſed vt diutiùs cõſiſtant, non ſinere. Itaq; à dyſenteria metuendum nõ eſſe. Humores item conturbare, ſed maius cõmodum ſequi, & quod ad vires attinet, aiunt imperanda eſſe initio, ipſis adhuc viribus integris, & non deiectis. Deniq; ſi morbus eſt deploratus, ob id potiùs eſſe inſtituenda: quia in periculo præcipiti multa audenda ſunt, quæ aliàs eſſent omittenda. Addunt deniq; magnum adeò morbum leui remedio non ceſſurum. Itaque pleriq; gr. vj. diacrydij cum ʒj. theriacæ vel mithridatij offerũt. pilulam vnam formant. Vel antimonij gr. iiij. cum ouo ſorbili, aut conſerua roſarum, aut decocto capi. Quidam crudũ commendant antimonium potiùs, quàm calcinatum, quod in vino albo diutiùs agitatum, maceratumq; ſit, deinde percolatum, vt ſolum vinũ exhibeatur. Vel ſeminis ebuli ʒj. vel pulueris mercurij calcinati ʒ ß. cum cõſerua roſarum, vel aqua cardui datur. Ex his hypercatharticis vomitiones, deiectiones, ſudores profuſi ſequuntur. Tamen temerario auſu ita cum omnibus ſeſe non gerendum: ſed cum ijs ſolis,

lis, quorum robur naturæ magnum perſpectum eſt. Nam ab ijs medicamentis ſæpe non minus periculi, quàm ab ipſo morbo impendet. Tutius eſt pilulas Rufi vocatas dari, quarũ vis augeatur ſcãmonio & helleboro minima quantitate addito cum theriaca. Ita quiuis humor educi poteſt. Pituitoſus quidẽ, ℞. catholici ʒ vj. agarici trochiſcati ℈ ij. elect. diacarthami ʒ j ß. ſyr acetoſi ſimplicis ʒ ß. theriaces ℈ j. cum aqua lupuli, aut vino albo fiat potio. Bilioſus, ℞. diaprunis ſolutiui & electarij de ſucco roſarum ana ʒ ij. ſyrupi de limonibus ʒ ß. trochiſcorũ de caphura ℈ j. cum aquis ſcabioſæ, & cardui fiat potio. Melancholicus verò, ℞. catholici ſena & rheo duplicatis ʒ vj. confectionis Hamech ʒ ij. elect. diamargariton frigidi ℈ ij. ſyrupi de ſcolopẽdrio ʒ ß. cum aqua buglоſſi & borraginis fiat potio. Sudores de quib. iam diximus, cum decocto guaiaci vel radicis chinæ prouocari poſſunt; item cum lapidib. ignitis admotis: ſed ſtomacho pleno non ſunt prouocandi, nec profusè nimis excitandi. Modus erit cùm refrigerabuntur, & æger imbecillis reddetur. Vires vt confirmentur, medicamenta ſumenda, & admouẽda. Sumendæ ſexta quoq; hora tabellæ, cor, ventriculũ, hepar roborantes; aut Opiatę quales diximus. Admouenda epithemata tum cordi, tum hepati. ℞. aquarum buglоſſi, cardui, ſcabioſæ ana ʒ iij. aceti roſ. ʒ ij. elect. de gemmis ʒ ß. caphurę, & officuli cordis ceruini ana ℈ j. theriaces veteris, & mithridatij ana ʒ j. croci grana iij. miſceantur omnia pro fomento cordis tepido cum ſpongia, vel linteolo molli, vel panno ſcarlatæ. Item ℞. aquarũ cichorij, acetoſæ, roſarũ ʒ iij. vini granatorum ʒ iij. aceti roſ. ʒ j. pulueris coralli rubri, ſantalorũ omnium ana ʒ ß. miſce pro epithemate hepatis. Nõ ſunt imponenda epithemata frigida, nec quæ recipiunt multùm aſtringentia, quia hîc non repellendum. Nec imponenda ſunt, vbi carbo erit, ob eandem cauſam. Syncope & palpitatio cordis ſi adiungũtur, remedia poſtulant ſuis capitib. commemorata. Vomitus etſi initio non impediendus, tamen quia prohibet cibos & medicamenta oblata retineri, ſiſti vult aliquando inunctionibus ex oleis refrigerantibus & aſtringentibus. Sopor initio ſemper nocet ſcilicet vſq; ad ſecundum & tertiũ diem, quia venenũ intrò adducit. Itaq;

omni parte æger excitandus frictionibus, vinculis, vellicationibus, & modis alijs omnibus. Tamen duas aut tres horas, vt in die ac nocte dormiant, permittendum. Vigiliæ etiam diuturniores vires atterunt. Et cùm iam processit morbus, somnus conciliatur, data vna pilula de cynoglosso. Ardor renum & lumborum cærato refrigerante extinguendus est. Sitis placãda syrupo de limonibus, cum aqua decoctionis oxalidis syluestris. Ad eiusmodi symptomata plura præsidia ex capite sequenti peti possunt. Quemadmodum si febris pestilens est cum bubone vel carbunculo, vel exanthematis, eorum curatio particularis ad Chirurgos magis pertinere videtur. Ii igitur consulantur. Cæterea de ijsdem affectibus, & de tota pestis natura extant aliorum scripta innumera, ad quæ lectorem candidum relegamus.

De symptomatibus febrium. CAP. XVII.

SYMPTOMATA quidem febrium curanda sunt, si rationem habent causæ, id est, si ab ijs febres intenduntur, vel vires concidunt, vel alia molestia corpori adfertur. Cùm verò tria sint summa genera symptomatum, in primo quidem genere, quod est actionũ læsarum, reponuntur vigiliæ, quæ sæpius torquent ægros, nocturnæ potissimũ, earumq; causæ sunt calor, siccitas, dolor. Itaq; illis remedio sunt frigida, humida, anodyna. Potiones hypnoticæ in primis instituuntur. Qualis est hæc: ℞. syrupi nenupharini, syrupi papauerini, & diacodij sine speciebus añ. ℥ ß. cum aquis lactucæ & portulacæ fiat potio. Itẽ sorbitiones, quales sunt hordeatum, amygdalatum, additis seminibus frigidis non rancidis, aut addito semine papaueris albi ad ʒij. vt augeatur vis refrigerãdi: quæ dantur hora somni, vel post mediam noctem. Extrinsecus linimẽta fronti admouentur. Quale est quod recipit oxyrhodini ℥ j. vnguenti populeonis ℥ ß. vel ℞. sem. lactucæ, portulacæ, papaueris albi ana ℥ ß. conterantur, & distemperentur cum albumine oui, panno duplicato inuoluta fronti adhibeantur. Ad somnum quoq; conciliandum pertinent lotiones pedum & tibiarum ad genua vsq;: quia per neruorum meatus vapores conscendunt ad cerebrum, qui ipsum irrigant & hume-

& humectant, somnumq; suo tẽpore inducunt: vt titillatio ac frictio plantarum pedis somnum adfert. Parantur autem ex floribus salicis, vitium, lactucæ, ex floribus chamæmeli, violarum, nymphææ, & similibus. Odoramenta quoque eodem spectant: quæ fiunt ex rosis, violis, cortice papaueris albi, semine lactucæ, hyoscyami, & sacculo inclusa & puluerata naribus obijciuntur. In vsu autem refrigerantium semper cauendum, ne grauior affectus inducatur.

Vigilijs contrarius est sopor, seu somnus veternosus, aduerius quem faciunt clysteres acriores, vincula, frictiones volæ manus & plantæ pedum cum linteis asperioribus. Cucurbitulæ item admouentur scapulis. Capiti verò sacculi siccantes, & fotus cephalici, de quibus aliàs. Item potiones aquarum saluiæ, betonicæ, in quibus dissoluitur conserua betonicæ, anthos, mithridatium, diamargariton calidum, & similia.

Delirio quoq; occurrẽdum, si metus est ne in Phrenitidem transeat. Alioqui cum febre vt accrescit, sic cum eadẽ decrescit. Delirij ferè causa est à calidis succis vaporum ascensus. Facienda igitur & admouenda, quæ ipsum prohibent, & repellunt. Dein quæ discutiunt. Si aluus obstiterit, cluenda est. Si in vasis humores adsunt calidi, vena pertundatur. Magna quoq; vis est ad sedandum delirium in catellis, aut pullis exenteratis capiti superpositis. Ea vapores dissoluunt, cerebri æstum suo calore tepido contemperant. Ad idem conferunt frictiones manuum & pedum, multoq; magis vincula. Deniq; valent & quæ ad somnum conciliandum pertinent.

Dolor capitis si critticus est, curatione non indiget: ne motus naturæ interturbetur. Postulat autem curationem, si sua vehementia prosternit vires, vigiliasq; de inducit. Sed quia ferè eius causa est intemperies calida ad caput de Cephalalgia recurrendum est, nec non ad ea quæ de Vigilijs & Delirio proximè dicta sunt. Vtendum præterea clysteribus. Vena cephalica dolenti parti capitis respondens aperienda. Cucurbitulæ scapulis admouendæ sine scarificatu, si vapor tantùm efferatur. Cum scarificatu, si humor. Raso capiti etiam catelli viui in duas partes secti admo-

uentur. Præterea fit fotus cephalicus refrigerans & humectans modicè. Litus etiam ex oxyrhodino.

Cibi fastidium (quod à calore febrili appetentiam dissoluente oritur) in acutis febribus, in quibus cibus subtrahendus est; non omnino malũ censeri potest. Quod si curandum videtur, quæ æger appetet, concedantur: aut quæ sunt acidula. Dentur & gelatina, consumta, colatitia. Clysteres nutrientes imperantur quandoque ex hordeato, vel lacte amygdalarum dulcium, vel iusculo carnium boni succi, alterato quidem cum herbis refrigerantibus, & sine catholico, sine melle, oleo: sed cum saccharo violato parua quantitate addito, aut tribus vitellis ouorum. Huiusmodi clyster iuijcitur, quo tempore æger cibum capere solebat: sed repurgato ante per alium clysterem ventre à fæcibus, vt ne alter ijs immisceatur. Similiter & cibum nõ sentientibus & cardiacis iusculo caponum, pullastrorũ cum modico saccharo, hordeatum, amygdalogala offerantur. Vitellus oui in hordeato, lacte amygdalino, iure carnium dissoluatur. Potus sit Iulep rosarum, distillatum, quæ quia dulcia sunt, addatur quarta pars vini granatorum.

Sitis (quæ est individuum symptoma febrium) fit vel ob humoris inopiam seu siccitatem, aut caloris abundãtiam, aut vtrunq;. Siccitatis autem & caloris in reliquo corpore, sed potissimùm in ore vẽtriculi, & œsophago fæuiẽtis causæ sunt intemperies sola calida sicca, interdum cum materia, vt vapore & humore: vapor & fumus vini sitim parit in temulentis maximè, dum feruet vinum in ventriculo, vt mustum in dolio solet. Sed in febribus vapor aut fuligo sitim faciens aliunde est, humor, bilis vt plurimùm, & aliquando salsa pituita. In intemperie sola vtendum refrigerantibus, humectantibus: vt Recipe conserua rosarum ʒj. agitetur in cyatho aquę. Humor vacuandus est vomitu, vel deiectione. Sic pituita salsa sitim parit in hydrope, nisi vacuetur. Vapor vini solius aqua sola reprimitur. Sitis autem ex vigilijs, somno (quia humectat) sedatur, & ex somno aliquando, (vt cùm corpus inuenit vacuũ) vigilijs. Non permittendum vt ægri diu sitiant propter ardorem & siccitatem ipsis valde molestam. Non quoties tamen poscunt, offerendum quod bibant. Initio accessionum à potu arceantur.

tur. In incremento fallantur folliculo lactucæ, acetosæ, portulacæ, aqua rosarum, oxycrato, lingua madefacta. In vigore collutionibus vtendum, & gargarismis. Sed vbi inclinant accessiones, & vehementer sitiunt ægri, largiter & confertim dandum, quantum scilicet haurire possunt. Sic enim fit, vt subito motu & contrarietate potus, excitatus calor foras dissipetur.

Rigor vehementior valde molestum est symptoma. Ad eum minuendum fiunt inunctiones spinæ ex oleis calidis, quæq; sopitum calorem ac penè oppressum euocant. De eo iam meminimus in superioribus.

Dolor lumborũ sedatur vulgato oxyrhodino, vel cum populeo possunt incorporari succi lactucæ, solani, aquæ distillatæ, nenupharis. vulgare est cæratum refrigerans Galeni. Hactenus de symptomatis ad noxam actionum pertinentibus. Quæ verò ad retentorum & vacuatorum excessum referuntur, hæc sunt: alui fluor, astrictio, vomitus, hæmorrhagia, de quibus suis locis abundè dictum est. Quibus & additur sudor. Huius autem ratio maximè habenda est.

Sudor est tenuis & serosæ humiditatis sanguini admixtæ per poros cutis excretio. Naturalis porrò sudor est, qui vi naturæ excitatur. Præter naturam, cùm vi morbi, aut symptomatis alicuius. Si sudor prouocandus est, facultas iners & ignaua vt excitetur, calor nativus iuuandus est somno, quiete: brachijs & crurib. complicatis corpus se colligat, molli culcitra decumbat, & commodis integumentis operiatur. Humores si crassi sunt & lenti, incidantur, tenuentur, sed leuiter, denturq; in id syrupus acetosus, oxymel simplex cum ptisana, vel aqua hordei, vel vinũ album dilutum. (Alia enim medicamenta calidiora in alijs morbis sunt vtiliora, vt decoctum ligni Guaiaci, radicis Chinę, Zatzæ patillę vocatæ.) Meatus cutis reserandi sunt frictione leui, fotu. Nec initijs febrium aut accessionum cieatur, quia lege naturæ tum nihil excernitur: Sed post coctionẽ, vt in crisi (si illa esset) & in declinationibus paroxysmorũ. Neq; sudor præter modum sinẽdus est fluere, etiam in crisi. Sæpe enim fit vt natura quem inchoauit, motum perficere nequeat. Itaq; modus erit, cùm pulsus languescere in-

cipiet. Manente eo vehementi & magno nihil verendum. Sudor die critico salutaris est. Cæteris nihil præsidij adfert. Cùm autẽ symptomaticè accidit, nempe vi doloris, conuulsionis, inflammationis, & syncopes, quia vires exoluit, & cùm criticè nimium profluit, tum expultrix est reprimenda, retentrix roboranda, vrinæ mouendæ. Corpus ventilandum, oleis astringentibus inungendum, aut epithematis refrigerantibus, astringentibus, vt non diffluat, occurrendum.

Ad corporis affectus seu qualitates mutatas (quod est tertiũ genus symptomatum) refertur Icterus, de quo aliàs. nigredo linguæ, scabrities & siccitas linguæ, quæ tunicam ab interno vẽtriculo recipit, & venas à subiectis visceribus. Quare vitia earum partium detegit. Præsertim autem fuliginosa exustio nigredinem efficit, quamuis & causa externa esse possit, vt à granato manso, aut re alia. Ad has igitur sordes detergendas imperant aquam hordei, in qua decoquantur quatuor semina frigida maiora, aut dissoluatur syrupus violatus. Alij addunt aquam lactucæ, caprifolij, aut alias aquas destillatas. Alij parant nodulos, ex seminibus psyllij, citoniorum, melonum, gummi, tragacanthi, qui aqua rosarum macerantur, bacillo appenduntur, & lingua sæpius infricatur. Alij aiunt pituitam in febribus è cerebro decumbentem, aut ex ventriculo redundantem à calore febrili crassescere, ac linguam faucesque & dentes lentore quodam obdurare. Cui symptomati prosunt refrigerantia simul, & detergentia, quale est omphacium.

Parotides si superueniunt, vel criticæ sunt, vel symptomaticæ. Antecedentibus signis coctionis ferè sunt salutares: quamuis non semper: eo quòd tumore sub auribus orto dolor magnus excitetur, qui febrem geminat, prosternitq; vires. Vnde natura euicta non potest materiam foras propellere, etiam iustis remedijs adiuta. Quare recurrente in cerebrum partem nobilem materia, mors consequitur. Si non antecedentibus signis coctionis oriuntur Parotides, perpetuò lethales sunt. Earum verò curatio releganda est ad Chirurgos.

Finis libri de febribus cognosc. & curandis.

RERVM

RERVM ET VERBORVM NOTATV DIGNORVM IN N. PISONIS DE MORBIS *curandis libros tres, & eum qui est de Febribus*, INDEX *copiosus.*

A

ABsinthii decoctũ perutile ventriculo pag. 182
Acari 19
Acceſſiones febriũ cur anticipant, vel tardant 914
Acceſſiones febriũ cur ſunt longæ, vel tardæ 914
Aceti acerrimi perfuſio ſuper laminam ferream ignitam prodeſt omnib. cataphoris 89
Achores 21
Achores vnde dicti 21. Achorum cauſæ 22. Signa ibid. Prognoſtica 23. Curatio in pueris 24. Curatio in adultis ibid.
Achores differunt à Fauis 22.
Ægilops quid 257. Eius cauſæ, ibid. Signa, ibid. Prognoſtica 258. Curatio ibid.
Aër lucidus an obſcurꝰ Phreniticis conueniat 72
Aëtij locus de Angina explicatus 330
Agaricus non eſt vitandus in diarrhœa 543
Ἀγρυπνοκῶμα 70
Αἰγίλωψ, αἰγιλώπη, αἰγιλώπιον, *vide* Ægilops.
Αἱμοπτόη *vide* ſanguinis expuitio.
Albugines quæ 228
Alcolæ barbaris dictæ 311
Aloë foris admota glutinat, intus ſumta venarum ora aperit 302
Alopecia 1
Alopecia vnde nomen ſumſit ibid.
Alopecia quis affectus 3. Eius cauſæ, ibid. Signa 4. Prognoſtica 5. Curatio ibid.
Alopecia & Ophiaſis in quibus diſcrepent 2
in Alopecia & Ophiaſi quæ pars affecta ſit ibid.
Alopeciæ à lue venerea ortæ curatio 9
Alopeciæ curatio empirica ibid.
Alopeciæ curatio Medicis Pariſienſibus familiaris ibid.

Alphos albus & crustosa scabies in pueris curationis Epilepsiæ spem facit 175
Alui profluuium vide Diarrhœa.
Ἀμαύρωσις quid, vide Visus offuscatio.
Ἀμβλυωπία quid, vide Visus hebetudo.
Amentia 93
Ἀμφημερινὸς febris quæ 924. Eius causę ibidem. Signa 925. Prognostica 926. Curatio 927
Amygdalæ quid 323
Amygdalæ quandoque ex ulcerantur 324
Ἀνευρυσμία 110
Ἀναγωγαὶ quid sint 357
Anasarcę & Leucophlegmatiæ discrimẽ quidam statuunt 676
Anatomes cognitio pernecessaria 112
Ἀναφορὴ quid 492
Anchilops quid 257
Angina vnde dicta 327. Angina quid, 328. Anginæ variæ nomenclaturæ & differentiæ, 327. Causæ 328. Signa 329. Prognostica 330. Curatio 331
Angina notha 328
Ani exitus seu procidentia 584. Eius causæ 585. Signa ibid. Prognostica, ibid. Curatio 586
Ani rimæ, vide ῥαγάδες.
Animi perturbationes in Phreniticis vt leniendæ 72
Ἀνορεξία 473
Antiades quid 313. Earum causæ, ibid. Signa ibid. Prognostica 324. Curatio ibid.
Ἀπεψία, vide Cruditas.
Ἀφροσύνη delirium seu depraua motio ratiocinatricis facultatis 93
Aphthæ quid 311. Earum causæ, ibidem. Signa 311. Prognostica ibi. Curatio Aphthatũ in pueris 312, in adultis ibid.
Apium detegit Epilepsiam à proprietate 140
Ἀπόληψις 110
Apoplectici ad tertiũ diem seruandi, nec statim sepeliendi 105
Apoplexia quid 98. Discrimen inter Apoplexiam & alios affectus cerebri, ibidem. Apoplexiæ causæ 100. Signa 101. Prognostica 103. Curatio 104
Apoplexia impropriè morbus Attonitus dicitur 98
Apoplexia leuis 104
Apoplexiæ differentiæ quatuor Galeno cognitæ, duæ Hippocrati 102

in Apoplexia æger viuat nec ne quibus experimentis deprehenditur 104
in Apoplexia an sternutamenta probanda sint 109
in Apoplexia an Theriaca, mithridatium, & huiusmodi conueniant 108
in Apoplexia cucurbitulæ an hypochondrijs admoueri debeant, vt quidam admouent, & quando 107
in Apoplexia cucurbitulæ prope iugulares venas admouendæ ibid.
Ἀποσροφὴ στίεων 473
Ἄτυξία quid 911
Ardens febris, vide Causus.
Areæ in capite vnde sic dictæ 1
Arearum duo genera ibid.
Arquatus vel Arcuatus morbus, vide Icterus.
Arteriaca medicamẽta 343
Arteriæ Carotides seu Apoplecticæ cur sic nominatæ 100
Arthritis quid 856. Eius causæ 857. Signa 859. Prognostica 860. Curatio ibid.
Articulorum dolor, vide Arthritis.
Ἀόστία ἢ ἀησοστία 473
Asthma, anhelatio quid, vide Dyspnœa.
Atra bilis propriè dicta quę 170
Attoniti qui dicantur Celso 98
Auditus grauis quid 273. Eius causæ 274. Signa 275. Prognostica ibid. Curatio 276
Auditus proprium instrumentum quodnã sit 268
Auicenna falsò existimauit putrescentem pituitam in lethargo facere apostema 81
Aurium dolor quis 260. in eo quæ pars læditur, ibid. Eiusdem causæ ibi. Notę 261. Prognostica 262. Curatio doloris aurium à flatu & à crasso ac lento humore 264. ab inflammatione, 265. à vermibus 267. ab ijs quæ in aurem incidunt, ibidem. à contusione ibid.
in Aurium dolore narcoticorum vsus 265
Aurium sonitus quid 268. Eius causæ ibidem. Signa 270. Prognostica 271. Curatio sonitus à crasso flatulentoq; spiritu ibid. ob audiẽdi subtilitatem 272. si à causis per consensum ibid.

B

Balneæ naturales 120
Balneum ex sanguine humano comparatũ 873

Balneum an conueniat febri ardenti 910
Balneum aquæ dulcis reiectationi sanguinis commodum 371
Balneum quomodo parandum in Hectica 950
Balneum temperatũ quando oculis conuenit 215
Balnei partes 886
Balnei vsus apud veteres ibi.
Balsamum 163
Βαρυηκοΐα καὶ δυσηκοΐα, Vide Auditus grauis.
Bilis an coquenda sit 37
Bilis triplex, pallida, flaua, & atra seu exaſſata 67
Boëthi vxor dum laboraret fluore sanguinis, quomodo curata est à Galeno 793
Bῦ particula in compoſitione quid denotat 466
Βύλιμος seu ingens esuritio quid 466. quibus à canina appetentia differat, ibid. Eiusdem cauſæ, ibid. Signa 467. Prognoſtica, 468. Curatio, ibid.
Βραδυπεψία quid. 506
Bubonocele, Vide Ramex.

C

Cachexia quid 671. Eius cauſæ, ibid. Signa 272. Prognoſtica, 673. Curatio, ibid.
Cachexia cum febre 674
Calculus veſicæ 745. Eius cauſæ 746. Signa 747. Prognoſtica 748. Curatio, 749
Calculi in renibus generationis modus Vide Nephritis.
à Calculo præſeruatio 710.
Calor accẽſus in corde quomodo in totum corpus effunditur 878
Calor febrilis non eſt morbus, ſed intemperies calida quæ calorẽ ſequitur morbus eſt 876
Calor naturalis & febrilis an vnus idemq; ſit 876
Caloris febrilis actiones 878
Caluitium 10
Canina appetẽtia quid 461. Diſcrimẽ inter appetentiam caninã & Bulimon, ibid. Cauſæ ibid. Signa 462. Prognoſtica 463. Curatio 462
Capilli an ſint partes capitis 3
Carcinoma veteri, Vide Veteri Carcinoma.
Carus duplex 87
Carus vnde nomen traxit 87. Carus quid, ibi. Cum quibus alijs affectib. cõuenit, & à quibus differt, ibid. Cari cauſæ 88. Signa ibid. Prognoſtica ibid. Curatio ibid. Curatio

rio Cari in febre 89. à vermibus, ibid. à venenis, ibidem. à frigidis ad motis, ibidem. à crapula ibid.
Caſtoreum 85
Caſtratio 873
Catalepſis quid 90. Eius cauſæ 91. Signa 92. Prognoſtica ibid. Curatio ibid.
Catalepſis à ſanguine ex Aëtio 91
Catalepſis an poſſit fieri à ſola intemperie ibid.
Catalepſis periculoſior eſt lethargo 92
Cataleptici an fiant Melancholici, vel contrà 92
Cataphora quid 94. Cataphora duplex, ibid. Eius cauſæ 95. Signa 96. Prognoſtica, ibid. Curatio 97
Cataracta, *vide* ſuffuſio.
Catarrhus quid 190. Eius differentiæ, 191. Catarrhus ſpeciatim dictus, ib. in Catarrho partes affectæ, 192. Catarrhi cauſæ, 193. Signa Catarrhi frigidi, 194. Signa Catarrhi calidi, ibi. Prognoſtica 195. Curatio Catarrhi ab intemperie calida 197. à frigida ibidem. Curatio deſtillationis acris, ibidem. Curatio frigidi Catarrhi cum abundantia humorum 200
Catarrhus ſæpius ſumitur pro fluxione in partes pectorales 191
Catarrhi ſpeciatim dicti curatio 203
Catoche non eſt ſopor vigilans 90
Cauſus vnde dictus 904. Cauſi differentiæ 905. Cauſi veri cauſæ, ibidem. Signa ibid. Prognoſtica 906. Curatio 908
Cauſi nothi cauſæ 905. Signa 906. Prognoſtica ibid.
Cephalæa quid 50. Diſcrimen inter Cephalæam & Cephalalgiam 51. Cephalææ cauſæ 49. Signa 52. Prognoſtica ibidem. Curatio ibid.
Cephalalgia ſeu dolor capitis 26. Cephalalgiæ differentiæ 27. Eiuſdem cauſæ, 28. Signa 29. Curatio cephalalgiæ à plethora genitæ 33. à bile 37. à pituita 39. ab humore melancholico 43. à flatuoſo ſpiritu ibidem. ab ebrietate 46. à mora ſub ſole 46. ab ictu 46. Symptomatica cephalalgia à toto 48. per conſenſum ventriculi 49. iecoris, ibidem.

lienis vel vteri 50
Cerumen aurium quid 262
Cholera morbus vnde sic nominatus 527. Cholera quid, ibidem. Cholera improprie dicta 528. Cholera duplex Hippocrati, arida & humida, ibidem. Choleræ causæ, ibidem. Signa 529. Prognostica 530. Curatio 531
χολερὰ in plurali quid 527
Choleræ superuenientium accidentium correctio 535
χολερικοὶ ἢ χολεριῶντες qui 527
χορδαπόος, vide Ileus seu Voluulus.
Cibi fastidium quid 473. Eius causæ 474. Signa 476. Prognostica, ibid. Curatio 477
Cibi fastidiũ ex febre quo modo curandum 966
Cirsocele vide Ramex.
Clydones quid 514
Cœliaca vnde dicta 518. Cœliaca quid sit, 518. Eius causæ 520. Signa ibi. Prognostica 521. Curatio 523
Colicus dolor 588. Differentia inter Colicum & alios dolores consimiles 591. Colici doloris causæ 588. Signa 589. Prognostica 592. Curatio doloris colici à pituita 593. à flatibus 597. ab inflammatione, ibidem. ab acribus humoribus 598. à fæcum retentione 599
Colicus dolor in arcuum resolutionem transit 115
Collyrium Cleonis 227
Collyrium ex thure ibid.
Columella quibus præfecta est, his pulmo læditur 318
Coma & Cataphora pro eodem sumuntur 94
Coma in Phreniticis abscindenda 72
Condyloma quid 419
Continentes vel continuæ quando fiunt 893
Continua febris 899
Continuæ quæ veræ sint 900
Continuæ symptomaticæ ibid.
Cõtinuitatis febrium causa ibid.
Conuulsio, vide spasmus.
Corneæ ruptura quid 234
Corruptio vt distat à Putredine 894
Corizæ curatio 202
Coxendicis dolor, vide Ischias.
Crocidismus & Carphologia in Phrenitide 70
Cruditas quid 506. Eius causæ, ibid. Signa 508. Prognostica 509. Curatio

tio 510
Crudus humor distat à pure 396
Cruentæ excretionis differentiæ quatuor 618
Cucurbitulæ hypochõdrijs admotę flatus dissoluunt incantamenti modo 182
Cyrones vulgo dicti 19

D

DEFLVVIVM capillorum quid 10. inter defluuiuũ capillorum & caluitium discrimen, ibid. Eiusdem causæ, 11. Signa ibidem. Curatio 12
Delirium à sola intemperie cerebri calida 68
Delirium in febribus vt curandum 965
Dentes maxillares cur omnium maximè dolent 310
Dentium corrosio 310
Dentium dolor 302. in dentium dolore an dentis corpus afficiatur, an potius neruus, 303. Dentium doloris causæ, ibid. Signa ibid. Curatio doloris dentium ab intemperie calida 305. à frigida 306. ab humiditate, 307. à siccitate, ibidem. à defluxione frigida 309
Dentium fœtor 310
Desipientiæ cum risu quomodo dicuntur securires 91
Destillatio præfocans quid 351
Diabetes cur sic dictus 690. Eius causæ 691. Signa 692. Prognostica ibid. Curatio ibid.
Diaria, *vide* Ephemera.
Diaria plurium dierum 888
Diarrhœa quid 535. Eius causæ 537. Signa 538. Prognostica 540. Curatio diarrhœæ à biliosa fluxione 542. à pituitosa vel melancholica 545. à symptomate, 546. ab imbecillitate facultatis retentricis 547. ab astrictione cutis à frigore, ibid. ab hepatis imbecillitate ibid.
Δῖνος, *vide* Vertigo.
Διαβήτης, *vide* Diabetes.
Dolor capitis, *vide* Cephalalgia.
Dolor capitis ex febre quî curatur 965
Dolor lumborum ex febre quomodo curandus est 967
Dolor quale symptoma 27
Dropax 86
Δύς particula in cõpositione quid significet 548
Dysenteria vnde dicta 548. Dysenteria vera quid, ibidem. Eius species, ibid. in quo differt vera Dysenteria ab Hepatica 550.

Dyſenteriæ cauſæ, ibid. Signa 551, Prognoſtica 553, Curatio 554
Dyſenteria à veneno 564
δυσεντερία αἱματηρα quid 549
δυσεντερία hepatica ibid.
Dyſenteria hepatica in quo differt ab alijs deiectionibus cruentis 621
in Dyſenteria aſtringentium vſus quando tempeſtiuus 561
in Dyſenteria podicis laxatio vt curanda 565
δυσεκβολία quid 506
Dyſpnœa in genere quid 345. Dyſpnœa propriè dicta quæ, 346. Eius cauſæ 348 Signa 349. Prognoſtica 350. Curatio 351
Dyſuria quid 731. Eius cauſæ 732. Signa ibid. Prognoſtica 733. Curatio ibid.
Dyſuria in febribus ardentibus 735

E

EBrietatem arcentia 45
ἑιλεὸς ἢ ἴλεος, *vide* Ileus ſeu voluulus.
ἔκλυσις quid 426
ἐκπυησμὸς quid 234
ἐκτροπὴ quid 206
ἐκφρακτικὰ medicamenta quæ 903
Elephantiaſis 868. Eius cauſæ ibid. Signa ibid. Prognoſtica 870. Curatio 869
ἕλμινθες, *vide* Lumbrici.
Empyema quid propriè ſignificet 395. eſt affectus varius prout variè ſumitur ibid. Eius cauſæ 396. Signa 397. Prognoſtica 399. Curatio 400
in Empyemate lateris apertio an tentanda 401
ἐνθυσιασμὸς 184
ἐνεργοῦντες qui dicuntur 742
Enterocele, *vide* Ramex.
ἐπιφλὶς quid 406
Ephemera vnde dicta 881. Ephemera quid ibid. Eius cauſæ 882. Signa ibid. Prognoſtica ibid. Curatio Ephemeræ à ſolis vſtione, à frigore, à fame, à cruditate 887. ex adenum tumore ibid.
Ephemeron animal 881
Ephialtes vnde dictus 164. Ephialtes quid ibid. Eius cauſæ 165. Signa 166. Prognoſtica ibid. Curatio 167
Epiala febris vnde dicta 929
Epiala quæ 930. Eius cauſæ ibidem. Signa 930. Prognoſticum 931. Curatio ibid.
ἐπιβολὴ, *vide* Ephialtes.

Epilepsia vnde nominata 127. Epilepsia quid 128. quomodo differt ab alijs affectibus cerebri ibid. Epilepsiæ causæ 129. Signa 130. Prognostica 134. Curatio 136. Curatio Epilepsiæ per consensum ventriculi 143. per consensum aliarum partium 144
Epilepsia à vermibus 145
Epilepsia ab vtero ibid.
Epilepsia cur non finitur in Paralysin vt Apoplexia 103
Epilepsia potius est cũ conuulsione quàm sit conuulsio 133
Epilepsia triplex 131
Epileptici motus non sunt veri Spasmi 134
Epiplocele, *Vide* Ramex.
Ἐπισπασία 915
Errhina quos lædant 53
Euphorbium 56
Ἔξις quid 942
Extenuatio corporis quibus modis reparatur 415
Extremarum corporis partium resolutio 127
Exulceratio renum 719. Eius causæ ibid. Signa ibid. Prognostica 721. Curatio ibid.
Exulceratio vesicæ 754. Eius causæ 755. Signa, ib. Prognostica 756. Curatio 757
Exulceratio vteri, *Vide* Vteri exulceratio.
Ἧλος quid 234
Ἡπατικοὶ qui sint dicti 617
Ἡπατικοὶ veteribus dicti sunt qui hepatis inflammationem patiebantur 633
Ἡπίαλος, *Vide* Epiala.
Ἦχος, συριασμὸς καὶ συριγμός, *Vide* Aurium sonitus.

F

FAcultas animalis quomodo transeat per neruos 114
Facultates cerebri an diuersis locis perficiantur 67
Facultatum cerebri cur vna lædi potest, alijs illæsis 61
Fatuitas seu stultitia 93
Faui 22
Febris quid 876
Febris an aliqua sit frigida ibid.
Febris continens & Febris continua in quo conueniunt, & in quo dissident 899
Febris superueniẽs Apoplexiæ an vtilis 103
Febris vnde sic dicta Latinis 876
Febris vulgo inflatiua 888
Febrium cognitionis vtilitas ac necessitas 875
Febrium differentiæ sumptæ à caloris modo 879

à subiecta materia, ibid. ab accidentibus 880
Febres compositæ 950
Febres morbi sunt totius corporis 875
Febres Scheticæ quæ 942
Ficus pediculos generant 18
Ficus seu Mariscæ 572
Focus putredinis seu mineræ 912
Fœtus mortui extractio 827
Fomentum oculis admouẽdum 216
Frictio capitis an Vertigini curandæ conueniat 64
Frigidæ loco quæ iam dantur potanda 910
Frigidæ propinandæ ratio 897
Furor, *vide* Mania.
Furor duplex, quidam à corpore, quidam diuinitus immissus 184

G

GAlenus cùm esset puer, Phrenitide laborauit 69
Galeni dictum, quando sanguis putrefit cholera fit, quomodo intelligẽdum 894
Galeno morbi appellantur qui veræ sunt causę morborum 876
γαργαρεὼν, *vide* Gurgulio
Genitalia ἄπτεσθαι quę 769
Glandulæ quid 323
γλαύκωμα quid 243
Gonorrhœa vnde dicta 759. Gonorrhœa quid ibid. Causæ 760. Signa 761. Prognostica ibid. Curatio 762
Gonorrhœa alia notha 761
Gonorrhœa impropriè dicta 760
Grauedo, *vide* Coryzæ curatio,
Gurgulio quid 317. Gurgulionis inflammatio, ibid. Eius causa 318. Signa, ibid. Prognostica, ibid. Curatio 319
Gurgulionis si citra inflammationem nimium humectus laxior fiat, & propterea linguæ radici ac faucibus propensus incumbat, curatio 322
Gutta serena quid 251

H

HAbitus malus cõmunis 671
Habitus malus, *vide* Cachexia
Hæmorrhagia simpliciter dicta quid 294. Causæ, ibid. Signa 295. Prognostica 296. Curatio 297
in Hæmorrhagia an caput deorsum spectare debeat 298
in Hæmorrhagia asinini stercoris

ſtercoris vſus 299
in Hæmorrhagia res rubræ nõ ſunt inſpiciendæ 288
Hæmorrhois quid 572. Hæmorrhoidum differentiæ, ibid. Cauſæ 574. Curatio Hæmorrhoidũ cæcarum 576. Curatio fluentium 579
Hectica febris 942. Hecticæ ſpecies, ibid. Cauſæ 944. Signa 945. Prognoſtica 946. Curatio ibid.
Hemicrania 55. Eius cauſæ, ibid. Signa, ibid. Prognoſticon, ibid. Curatio 56
Hemitritæus, *Vide* Semitertiana febris.
Hepatici qui, *Vide* ἡπατικοί.
Hepatis imbecillitas 617. Eius cauſæ 619. Signa 620. Prognoſtica 622. Curatio ſi eſt ab intemperie calida hepatis 623. à frigida 625. ab humida 626. à ſicca 627
Hepatis inflammatio 633. Eius cauſæ, ibid. Signa 634. Prognoſtica 636. Curatio 638
Hepatis obſtructio 628. Eius cauſæ, ibid. Signa 629. Prognoſtica 630. Curatio ibid.
Hepatis Scirrhus 641. Eius cauſæ 642. Signa 643. Prognoſtica 644. Curatio 645
Hermodactyli ſtomachum lædunt 865
Hernia, *Vide* Ramex.
Hippocrati Phrenitis interdum dicitur omnis affectus in quo mens oblæſa eſt 65
Hiſtoria Pauſaniæ Sophiſtæ apud Galenum 120
Hiſtoria Scholaſtici (apud Galenum) qui ex nimio ſtudio in catalepſin inciderat 91
Homines à Dæmonibus teneri non negandum eſt apud Medicos: ſed non id protinus in Maniacis recipiendum 184
Humorũ prauitas duplex, communis & propria 4
Humorum prauorum appellatione ſerum humorum intelligitur 3
Hydrocele, *Vide* Ramex.
Hydrops quid 675. Hydropis differentiæ tres, ibid. Cauſæ 677. Signa 678. Prognoſtica 680. Curatio Leucophlegmatiæ 685. Curatio Aſcitis 686. Curatio Tympanitis 688

I

ICterus vnde dictus 647. Eius cauſæ 648. Signa 650. Prognoſtica 652.

Curatio Icteri à veneni potione vel morsu ferarum 653. à calore immodico partium solidarum ibid. ob intemperiem iocinoris, inflammationem, scirrhum, ib. ab obstructione vesicæ fellis 654. ab imbecillitate eiusdem vesicæ 657
Icterus niger quid 658. Eius causæ, ibid. Signa 659. Prognostica, ibid. Curatio icteri nigri ab intemperie lienis, ibid. ab eiusdem obstructione 660
Icteri qui Symptoma febris est curatio 968
Ichores qui sint 14
Ileus seu voluulus quid 600. Ilei causæ 601. Signa 602. Prognostica 603. Curatio Ilei ab inflammatione 604. à stercorũ multitudine 605. ab humoribus crassis tenacib. 606. à cruditate & ciborum corruptione, ibid. à veneno epoto ibid.
Inappetentia, *Vide* Cibi fastidium.
Incubus, *Vide* Ephialtes.
Indicationes vniuersales curandarum febrium 902
Inflammatio duplex, humida & sicca 372
Inflammatio renum 712, Eius causæ, ibid. Signa, ibid. Prognostica 713. Curatio 714
Inflammatio vesicæ 751. Eius causæ, ibid. Signa ibid. Prognostica ibid. Curatio 752
Inflammatio vteri, *Vide* Vteri inflammatio.
Inflammationis ventriculi causa 502. Signa, ibid. Prognostica 503. Curatio 504
Inflammationibus arcendis idoneum rosaceum 47
Inflatio ventriculi quid 513. differentia inter inflationem vẽtriculi & œdema 514. Eius causa, ibidem. Signa, ibid. Prognostica 515. Curatio 516
Ingenioſi cur Melancholici 175
Ingenioſi homines in Epilepſiam propenſiores 130
Intermiſſionis febriũ cauſa 913
Intermittentes febres vnde ſic appellatæ 911
Intermittentium febrium genera ibid.
Inteſtini recti reſolutio 126
Iſchias quid 849. Iſchiadis cauſæ 850. Signa, ibid. Prognoſtica 851. Curatio 852
Iſchuria quid 735. Eius cauſæ 736. Signa 737. Prognoſtica 738. Curatio Iſchuriæ ab imbecillitate veſicæ

vesicæ 739. ab obtuso vesicæ sensu, ibid. à negotiorũ importunitate, ib. ab inflammatione 740. ob caruncũlam aut callum, ibid. à lapide vesicę obstruente grumo, pure, pituita crassa 741
Isthmus quid 323
Iugularium venarum sectio 106.

K.

Καρδία pro ore ventriculi sumitur 453
Καρδιακὴ quid 454
Καρδιαλγία seu cordis dolor, ibid. Eius causæ 455. Signa 456. Prognostica, ibid. Curatio extra accessionem 457. Curatio in accessione 459
Καρδιωγμὸς quid 454
Κάρος, vide Carus
Κατοχὴ, κατοχὸς, κατάληψις vide Catalepsis.
Κατοχοὶ καὶ κατεχόμενοι veteribus Græcis qui nam sunt appellati 90
Κῆτος, vide Pisca.
Κίων, κιονὶς, columna, columella, vide Gurgulio.
Κυνώδης ὄρεξις, vide Canina appetentia.

L.

Lac bubulũ vel caprillum biliosis fluxionibus per aluũ commodum 544
Lactis genera diuersa 411
Lactis inopia seu defectus 441. Eius causæ 442. Signa, ibid. Prognostica 443. Curatio ibid.
Lactis in grumos seu casei speciem conuersio 447. Eius causæ 448. Signa, ibid. Prognostica, ibid.
Lactis redundantia 445. Eiusdem causæ, ibid. Prognostica 446. Curatio ibid.
Lactis vsus in Phthisi 411
Lactis vsus in reiectatione sanguinis 371
Lachrymarũ effluxus quid 216. in eo quæ pars affecta sit 217. & quænam sit affectio dubium est, ibid. Eius effluxus causę 217. Prognostica, ibid. Curatio lachrymarum acrium 218. frigidarum & aquosarum 219
Lanificus puer Phrenitide laborans apud Galenum 67
Laryngis vel OEsophagi resolutio 125
Lateralis morbus, vide Pleuritis.
Laterales dolores à Pleuritide diuersi 376
Lipopsychia quid 426
Lipothymia quid ibid.
Λειποψυχία ἢ λειποθυμία quid 868

Lethargus quid 80. morbus an ſymptoma 81. in quibus differt ab alijs affectibus cerebri 80. Lethargi cauſæ 81. Signa, ibid. Prognoſtica 82. Curatio 83
Lethargus alios morbos ſequitur ibid.
Lethargus eſt ex acutorum morbo rum genere, ibid.
Lethargus nothus 81
Λευκώματα, vide Albugines.
Lienis inflammatio 661. Cauſæ 662. Signa, ibid. Prognoſtica, ibid. Curatio ibid.
Lienis tumor quidam mollis & laxus 664
Lienteria vnde dicta 518. Lienteriæ nomen falsò inditum, vt cenſuit Galenus, ibid. Lienteria quid, ibid. Eius cauſæ 519. Signa 520. Prognoſtica 521. Curatio 522
Λιθίασις quid 700
Linguæ reſolutio 124
Lippitudo, vide Ophthalmia.
Lotum affectio quæ 318
Lumbrici 607. Lumbricorum differentiæ, ibid. Cauſæ 609. Signa 610. Prognoſtica 612. Curatio lumbricorum rotundorum 614. latorum 616. Aſcaridum ſeu teniuum ibid.
Luſcioſus, luſcitioſus & Nuſcitioſus quis 255
Λυγξ καὶ λυγμὸς, vide Singultus.

M

Macula oculi quid 223
Mammarum cancer 450
Mammarum inflammatio ibid. Eiuſdem cauſæ, ibid. Signa, ibid. Prognoſtica ibid.
Mammarum ſcirrhus, ibid.
Mammarum vſus 441
Mania quid 183. Mania in quibus differt à Melancholia & Phrenitide, ibid. Maniæ cauſæ 184. Signa 185. Prognoſtica 186. Curatio Maniæ à bile aſſata genitæ 189. ab humore atro adusto 190. per conſenſum ab vtero ibid.
Maraſmus quid 943
Maraſmus quotuplex ibid.
Mariſcæ ſeu ficus 572.
Maſticatoria quibus conueniant 53
Matthæi Gradenſis filius repentino tubarum clangore Epilepticus factus 136
Melancholia quid 168. in quibus differt à Phrenitide & Mania, ibid. Symptoma

proma est potius quàm morbus 169. Eius differentiæ tres 170. Causæ ibid. Signa 171. Prognostica 174. Curatio 175
Melancholia hypochõdriaca 173
Melancholia non modò à sanguine fit crasso, sed & putri & corrupto, vt quidam volunt 170
Melancholiæ nomen vnde 168
in Melancholia sanguinem tenuem statim sistẽdum si mittitur, ex Galeno quomodo intelligẽdum 177
Melancholici cur mœsti & timidi 376
Melancholicus humor quotuplex 933
Μῆλον quid 234
Menses quid 773
Menses immodici seu sanguinis ab vtero profluuium 781. Causæ 782. Signa 783. Prognostica 784. Curatio 785
Mensium suppressio quid 771. Causæ 774. Signa 775. Prognostica 776. Curatio ibid.
Mola quid 809. Molæ generatio & causæ 810. Signa 811. Prognostica, ibid. Curatio ibid.
Morbum omnem in solidis partibus esse quomodo intelligendum 880
Motus omnis Phreniticis interdicendus, & strepitus cauendus 73
Mulier tanto mare est imperfectior, quanto frigidior 772
Musculi ferè semper referuntur ad sua capita, rarissimè ad finem 148
Μυδρίασις 236
Μύλη quid, vide Mola.
Μυοκέφαλος quid 234
Μύωψ quis 255

N

NArcoticorum vsus cauendus 78
Narcoticorũ vsus in Ophthalmia 212
Naturalis appetentia 260
Naturalis calor, vide Calor naturalis.
Nausea quid, vide Vomitus.
Nephritis generaliter sumpta quid 700. Nephritidis causæ 701. Signa 703. Prognostica 704. Curatio 705
Nomæ quid 312
Nonanæ & similes febres 941
Nyctalopia quid 255. Eius causæ ibid. Prognosticon 256

O

OBliuio quid 97
Obliuionis causæ 98. Signa, ibid. Prognostica 99. Curatio si est à pituita 100. à melancholico succo, ibid. ab alijs causis 99
Obliti sunt quidam in tantum, vt ne nominū quidem suorum meminissent 97
Oculi confusio quid 235
Oculi macies seu atrophia 239
Oculi procidētia quid 234. Eius differentiæ, ibidem. in ea partes affectæ 235. affectus est varius, ibid. Causa, ibid. Prognostica, ibid. Curatio ibid.
Oculorum cicatrices 228. Earum causæ 229. Prognostica, ibid. Curatio, ibid.
Oculorū pustulæ Celso dictæ, vide Phlyctænæ.
Oculorum vlcera quæ 225. Eorum differētiæ plures, ibid. in ijs partes affectæ 226. Vlcerum causæ, ib. Signa, ibid. Prognostica, ibid. Curatio ibid.
Odoratorum sensus quo loco fiat 285
Olfactus læsio 284. Eius causa 285. Signa, ibidem. Prognostica, ibid. Curatio 286
Ὄνυξ ἢ πάνωσις quid 220
Ophiasis 1
Ophiasis vnde sic dicta ibid.
Ophthalmia quid 204. Ophthalmia duplex, ibid. Ophthalmia & Epiphora differunt, ibid. Ophthalmiæ causæ 205. Signa, ibid. Prognostica 208. Curatio Ophthalmiæ à plenitudine 210. ab acribus humoribus 213. à crassis humoribus 214. à flatuoso spiritu 216
in Ophthalmia quatuor tēpora quomodo dignoscenda 207
in Ophthalmia vini vsus an concedendus, & quando 210
Orthopnœa quid, vide Dyspnœa.
Oxymel quibus noxium 117
Oxymel Scilliticum 142
Οὐλαὶ ἢ νεφέλια, vide Oculorum citatrices.
Οὐρητικοὶ qui vocati 691
Ozænæ quid 287. in quo differunt à Polypo, ibid. ab alijs vlceribus narium ibid. Earum causæ, ibid. Prognostica 288. Curatio ibid.
Ὠταλγία, vide Aurium dolor.

P

Palpitatio 163. Eius curatio 164
Palpitatio quid 416
Palpitatio vt à Tremore differt 417
Palpitatio cordis quid, ibid. Eius causæ 418. Signa 419. Prognostica 420. Curatio 421
Palpitationis à pulsu discrimen 416
in Palpitationis cordis accessione agenda quæ 425
Papyrus antiquorum 26
παρὰ in compositione minuit 110
Paracentesis quid 688
Parallella morbi Gallici 14
Paralysis quid 110. in quo differt à stupore, ibid. ab Apoplexia, ibid. Paralyseos causæ 113. Signa 114. Prognostica 115. Curatio ibid.
Paralysis succedens Apoplexiæ sæpe in Apoplexiam recurrit 115
in Paralysi & affectibus cõgeneribus vinum quando concedendum 116
in Paralysi qui fit vt interdum motus, interdum sensus pereat 112
Paraplegia quid 103
παραφροσυνη quid 65
πάρεσις, vide Paralysis.
Peristhmia quid 323
Parotis quid 278. Eius causæ 279. Signa 280. Prognostica 281. Curatio ibid.
Parotides criticæ ibid.
Parotides sunt interdũ abscessus maligni & pestiferi ibid.
Parotidum, quæ sunt Symptomata febrium, curatio 568
Paroxysmus quid 911
Partus difficultas 821. Eius causæ, ibid. Signa 822. Prognostica 823. Curatio ibid.
Partus naturalis quomodo fiat 821
Pedicularis morbus 17. Eius causæ 18. Prognostica 19. Curatio ibid.
Pediculorum species ibid.
Periodus quid 910
Periodi cur statis diebus recurrant 912
Periodorũ in febribus causę 911
Peripneumonia, vide Pneumonia.
Peripneumonia spuria 389
Peripneumoniam non soluit fluxu sanguinis ex Galeno quomodo intelligendum 391

Peſtis præcaucdæ ratio 957
Peſtilens febris 953. Eius cauſæ, ibid. Signa 954. Prognoſtica 957. Curatio 958
Peſtilens febris in quo differt ab alijs febribus 953
φαγέδαινα quid 466
φίμωσις quid 206
Phlyctęnę & Phlyctides vnde dictæ 230. Phlyctænæ quid 231. Quis affectus, ibid. Earum cauſę ibid. Prognoſtica, ibid. Curatio 232
Phœnigmus 86
φρένες quid 65
Phrenitis quid, ibid. Phrenitis morbus eſt: nomen tamen eius quandoque vſurpatur pro Symptomate 66. Phrenitidis differētiæ ſumptæ à materia 67. aliæ differentię ex læſione facultatis animalis deſumptæ, ibid. Phrenitidis diſcrimen à Paraphroſyne 66. Eius cauſæ, ibid. Signa 68. Signa Phrenitidis per cōſenſum diaphragmatis 70. Prognoſtica 71. Curatio 72
Phrenitis quandoque ſuperuenit Peripneumonię 71
Phrenitis ſalutaris quomodo iudicatur 72
Phrenitidis in Lethargum commutatio mala 71
Phrenitidis tres ſpecies à Galeno deſcriptæ, ſunt Paraphroſynæ potiùs quàm Phrenitides 68
Phrenitidem cur febris acuta ſequitur ibid.
in Phrenitide cur delirium perpetuum 69
Phrenitici cur exiguo potu vtantur ibid.
Phrenitici cur robuſti ſunt 70
Phrenitici cur trem ũt, ibid.
φθειρίασις, *Vide* Pedicularis morbus.
Phthiſis vnde dicta 403. Phthiſis propriè quid, ib. in Phthiſi partes variæ afficiuntur 404. Phthiſeos cauſæ 405. Signa 406. Prognoſtica 407. Curatio 409
Pica ſeu Malacia vnde dicta 470. Eiuſdem cauſæ, ib. Signa 471. Prognoſtica ibid. Curatio 472
Picturæ parietum Phrenitici auferendæ 72
Pituitæ ſpecies quatuor 923
πιτυρίασις, *Vide* Porrigo.
Pleuritidis etymologia 372. Pleuritis exquiſita quid, ibid. Pleuritidis differentiæ 373. Eiuſdem cauſæ, ibid. Signa 374. Prognoſtica 377. Curatio 380

Pleuritis ſpuria ſeu notha, ibid.
Pleuritis notha alia ibid.
Pleuritis in quibus differt ab Hepatide ſeu inflammatione hepatis 377
Pleuritidi quæ conferunt à proprietate occulta 388
in Pleuritide dum ſanguis mittitur, quatenus caloris mutatio expectanda 383
in Pleuritide quatuor temporum luculenta diſtinctio 377
Pneumatocele, ſide Ramex.
Pneumonia ſeu Peripneumonia quid 388. Eius cauſæ 389. Signa, ibid. Prognoſtica 391. Curatio 392
πνιγαλιὼν, ſide Ephialtes.
Polypus vnde dictus 290. Polypus quid, ibid. Eius cauſæ 291. Signa, ibid. Prognoſtica, ibid. Curatio 292
Populeon vnguentum 79
Porci ſtercus hæmorrhagiam ſiſtit 302
Porrigo, ſeu furfures 13. in Porrigine ſquamarum ſeu furfurum differentiæ 14. Porriginis cauſæ, ib. Signa 15. Curatio, ibid.
Priapiſmus vnde nomen ſumpſit 764. Priapiſmus quid, ibid. Eius cauſæ 765. Signa 766. Prognoſtica, ibid. Curatio, ibid.
πρόπτωσις ἀρχῆ, ſide Ani exitus ſeu procidentia.
πτερυγώδης 403
Pupillæ dilatatio, quæ & πλατυκορία dicitur 236. Eius cauſa 237. Prognoſtica, ibid. Curatio 238
Pupillæ Tabes ſeu Phthiſis, ſeu conſtrictio quid 239. Eius cauſæ, ib. Prognoſtica 241. Curatio, ibid.
Pus in thorace collectũ tribus modis vacuari poteſt 402
Puris à crudo humore diſtinctio 397
Putredo à quo calore fit 893
Putredo qualis in febribus ſalutaribus, & ſuppurationi ſimilis ibid.
Putredinis natura diligenter conſideranda ibid.
πῦρ Hippoc. vehementiſſimã febrẽ ſignificat 876
πυρετὸς, ἢ πυρεξία quid, ibid.

Q

Quartana febris cur ſic vocata 932. Eius cauſæ, ibid. Signa 935. Prognoſtica 935. Curatio ibid.
Quartanæ an Theriaca, mithridatium, & ſimilia

medicamenta conuenientia 939
in Quartana an cõueniant vomitoria — ibid.
Quintanæ febres 941

R

Rabies, *Vide* Mania.
Ῥαχάδες seu ῥήξεις quid 581. Earum causæ 582. Signa 583. Prognostica 582. Curatio 583
Ramex quid 843. Ramicis differentiæ ibid. Causæ 844. Signa 845. Prognostica ibid. Curatio 846.
Rapti qui dicuntur 90
Raucedinis curatio 203
Resoluta pars cur in aduersam deflectatur 122
Resolutio extremarũ corporis partium 127
Respiratio ad quas actiones referenda sit 102
Respiratio magna & exlongis interuallis delirantium communis nota 69
Rhabarbarũ torrefactum 559
Rigor ex febre vt curandus 967
Risus Sardonius 123
Ῥοώδης idem quod Diarrhœa Hippoc. & Galeno 535

S

Sanguis si in ventrem defluxerit, discutientia grumos sanguinis vsurpanda sunt 302
Sanguis quare nõ statim putrescit, & cur à sanguine imputri fit febris 889
Sanguis tanquam humor quartus cur non efficit febrem intermittentẽ, vt reliqui tres humores 894
Sanguinis expuitio seu cruenta reiectatio quid 357. in ea partes affectæ variæ, ibid. Eiusdem causæ ibid. Signa 358. Prognostica, ibid. Curatio reiectationis sanguinis ex gingiuis 364. ex ore, ibid. ex faucibus, palato, gurgulione 365. è capite, ibid. ex distillatione, ibid. ex ventriculo, liepate, splene per vomitum 366. ex refrigeratis partibus spiritalibus 367. ex diruptis aut apertis vasis spiritus ab alijs causis, ib. ex erosis vasis seu distillatione acri 369
Sanguinis febris, *Vide* Febris sanguinis.
Sanguinis missio an conueniat Paralysi & alijs frigidis affectibus 117
Sanguinis missio conuenit Phreni-

Phreniticis, multis cautionibus adhibitis 74
Sanguinis missio & potio frigidæ curant synochos 890
Sanguinis missio vsque ad syncopen remedium nostris temporibus suspectum 896
Sanguinis serum per medicamenta purgatur, non item sanguis 6
Sanguinis sputũ & sanguinis fluor in quo differũt 357
Sarcoma quid 291
Sartago ignitâ capiti admota vt ne vrat tamen, postponenda est Sinapismis 109
σαπυρίασις, conuulsio pudendi 146
σαπυρίασις interdum pro Elephantiasi sumitur 808
Satyriasis quid 764
Satyriasis vnde dicta 765
Scammonium 425
Scirrhus vteri 840. Causæ, ibid. Signa, ibid. Prognostica 841. Curatio ibid.
Sebel quid 221
Secunda derelicta quomodo curanda 819
Semitertiana vnde sic appellata 950. Semitertiana duplex 951. Eius causa, ib. Signa, ib. Prognostica 952. Curatio, ibid.
Septanæ febris 941
Sextanæ febres ibid.
Sideratio, Vide Apoplexia.
Sinapismus 86
Singultus quid 485. Singultus an sit cõuulsio, ib. in quo differt ab alijs cõsimilibus affectibus, & in quo conuenit, ibid. Singultus causę 486. Signa 487. Prognostica 488. Curatio singultus ab inanitione, ibid. à calidis & mordacibus succis 489. à frigiditate ibid.
Sitis quid 480. Sitis immoderatæ causæ 481. Signa ibid. Prognostica 482. Curatio sitis à siccitate, ibid. à calore simul & siccitate 483. ab inflammatione 485. à ciborum copia, ibid. à potu vini, ibid. à calore pulmonis, ibid.
Sitis ex febre curatio 966
Sitis superficialis quæ 482
σκίρρος καὶ σκληρὸς quid 641
σκλήρωμα, ibid.
σκώληκες 607
σκοτόδινος, Vide Vertigo tenebricosa.
σκότωμα, Vide Vertigo.
Spasmus quid 145. Spasmi differentiæ 146. discrimen inter Spasmum & Epilepsiam 147. in Spasmo quæ partes afficiun-

tur, ibid. Spasmus quis affectus 148. Eius causæ ibid. Signa 150. Prognostica 151. Curatio Spasmi. ab inanitione 152. à repletione 154. à plenitudine cum inflammatione 158. à flatibus, ibid. per consensum cum vētriculo, ibid. ab acribus humoribus, ibid. ab ictu animalis 159. à punctura nerui, ibid. à frigore & alijs causis 158
Spasmus Cynicus vnde dictus 121. Eius causæ 122. Signa 123. Prognostica, ibid. Curatio ibid.
Spasmus flatulentus 147
in Spasmo an excitanda febris, vt præcipit Auicenna 157
in Spasmo an frigidæ perfusio sit admittenda, ibid.
in Spasmo cucurbitulæ vt applicandæ 155
Spirandi difficultas, *vide* Dyspnœa.
σπληνώδεις qui dicantur seu splenici 665
Spumæ generatio 103
Sputorum conditio 378
σταφύλωμα quid 233
Stercus caninum 326
Sterilitas quid 813. Sterilitas duplex in viris & fœminis, ibid. Sterilitatis causæ 814. Prognostica 816. Curatio si est à frigiditate, ibid. à caliditate 817. ab humiditate 818. à siccitate, ibid.
Sternutatoria quibus nocent 53
Stomachici qui vocētur 455
Stomachus quandoque significat os ventriculi, & quandoque œsophagum 453
Stomomatis squama quibus datur 669
στραβισμὸς, conuulsio oculorum 146
στραγγαλίδες 447
Strangulatus vteri, *vide* vteri suffocatio.
Stranguria vnde dicta 726. Stranguria quid, ibidem. Eius causæ, ibid. Signa 727. Prognostica 728. Curatio stranguriæ ab acrimonia vrinæ, ibidem. ab intēperie frigida 731
στρόφοι qui sint 548
Stupor quid, & eius causæ 121. Curatio ibid.
Sudor diaphoreticus seu syncopticus 429
Sudor ex febre quî curatur 967
Sudores mouentia 911
Suffusio quid 242. Quisnam est affectus variæ sunt sententiæ, ibid. Suffusionis causæ 243. Signa 245. Pro-

245. Prognostica 246. Curatio 247
Suffusio per consensum 245
Sugillatio oculorum quid, 223. in ea quæ partes affectæ, ibidem. Sugillatio quinam affectus ibidem. Eius causæ, ibidem. Signa 224. Prognostica ibid. Curatio ibid.
Suppressio mensium, *Vide* Mensium suppressio.
Suppuratio notha 396
Surditas 273. Eius causæ 274. Signa 275. Prognostica ibidem. Curatio surditatis à bilioso humore, 276. à crudis & crassis humoribus ibid.
Sycosis quid 572
Symptomata febriũ quando curanda 964
Symptomatũ lethargo aduenientium curatio 86
Syncope quid, 426. Eius causæ 428. Signa 430. Prognostica 431. Curatio syncopes à crudis succis 435. à bile os ventriculi infestante 438. à tenuibus succis 440
Syncope cardiaca 453
Syncope frigida 104
Syncope stomachica 430
in Syncopes Paroxysmo agenda quæ 433
Synochi seu continentes febres 888
Synochus imputris quid ibidem. Synochi imputris differentiæ ibid. Eiusdem causę, 889. Signa ibid. Prognostica 890. Curatio ibid.
Synochus putris quid 894. Synochus putris triplex 895. Eius causæ, ibidem. Signa ibid. Prgonostica ibid. Curatio ibid.

T

TAbes, *Vide* Phthisis.
Tabis differentiæ tres Hippocrati 103
τάραξις quid 206
τενεσμὸς, ἢ τρῖσμὸς, ἢ τραυσμὸς 565
Tenesmus quid 565. Eius causæ 566. Signa 567. Prognostica ibidem. Curatio Tenesmi à stercorum multitudine 568. ab inflammatione 569. à bile, ibidem. à pituita 570. à frigore, 571. ab vlcere ibid.
Terebinthina 729
Tertiana febris exquisita cur sic dicta 915. Eius causæ, ibidem. Signa ibidem. Prognostica 917 Curatio 918
Tertiana notha 921
Tertianæ nothæ seu extensæ causa 921. Signa ibid. Prognostica 922. Curatio ibid.

Thapsia 8
Theophilus Medicus Phrenitide laborãs apud Galenum 67
Theriaca appositа an feras trahat venenum 158
θρομβωσις quid 447
Thymus quid 572
Tinea vnde dicta 21
Tineæ lumbrici 607
Tonsillæ, vide Antiades.
Tophorum curatio 867
Tormina, vide Dysenteria.
Tremor quid 160. Tremoris differentia, ibidem. Eius causæ, 161. Signa, ibidem. Prognostica, ibidem. Curatio 262. Tremoris à contactu hydrargyri curatio 163
in Tremore ablutio manuum ex frigida nocet 163
τρισμὸς cõuulsio mandibularum 164
Tussis quid 337. Tussis accidens naturale 338. Duo Tussis genera ibidem. Causæ Tussiculæ 340. Causæ Tussis violentæ, 339. Signa 340. Prognostica, 341. Curatio 342. Curatio Tussis ab intemperie, ibidem. à destillatione acri & tenui 343
Tussis vulpina 406
Tusses per consensum 340
Typhomania 96

V

VENARVM ad sedem pertinentium origo dubia Medicis 573
Venenorum curatio 144
Venereorum impotentia, 769. Eius causæ, ibidem. Signa 770. Prognosticon ibid. Curatio ibid.
Ventriculus vtrum similia humoribus in se contentis appetat, an contraria 471
Ventriculi phlegmone, Vide inflammatio ventriculi.
Vertigo quid, 58. in quo differunt vertigo & suffusio, ibidem. in quo discrepat vertigo ab Epilepsia, 59. Vertiginis causæ, ibid. Signa 60. Prognostica 61. Curatio 62. Curatio vertiginis per consensum ventriculi, lienis, vteri 64
Vertigo tenebricosa 58
Vesicæ resolutio 126
Veternus quid 80
Vigiliarum in febribus curatio

ratio 965
Vigiliarum in Phrenitide curatio 79
Vinaceorum calcatio ſtupori curando proficua 121
Vinum quo tempore concedi poteſt Phreniticis 74
Viſus offuſcatio & hebetudo, 250. Earum cauſæ ibidem. Signa 251. Prognoſtica 252. Curatio ibid.
Vlcera circa gurgulionem vt curanda 328
Vlcerum quæ ſunt in auribus curatio 278
Vnguis oculi ſeu Pterygion quid 220. in eo quæ partes affectæ ibidem. Eiuſdem cauſæ ibidem. Signa 221. Prognoſtica ibid. Curatio ibid.
Vomitus quid 492. Diſcrimen inter ſingultum & vomitum ibid. Vomitus cauſæ 493. Signa 494. Prognoſtica 496. Curatio 497
Vomitus vomitu curatur 500
Vrinæ difficultas, *vide* Dyſuria.
Vrinæ incontinentia quid ſit 742. Eius cauſæ 743. Signa ibid. Prognoſtica ibid. Curatio 744
Vrinæ ſtillicidium, *vide* Stranguria.
Vrinas mouentia 910
Vteri carcinoma ſeu cancer 841. Eius cauſæ ibidem. Signa 841. Prognoſtica ibidem. Curatio ibid.
Vteri exulceratio 838. Eius cauſæ ibid. Signa ibid. Prognoſtica 837. Curatio ibid.
Vteri fluor quid 789. Eius cauſæ 790. Signa 791. Prognoſtica 792. Curatio fluoris biliosi 793. Pituitoſi vel feroſi ibid. à cute denſata. 794
Vteri inflammatio 820. Eius cauſæ ibidem. Signa 831. Prognoſtica 832. Curatio 833
Vteri prolapſus ſeu procidentia quid 805. Cauſæ ibidem. Signa 806. Prognoſtica 807. Curatio ibid.
Vteri ſcirrhus, *vide* Scirrhus vteri.
Vteri ſuffocatio 796. Eius cauſæ 797. Signa 798. Prognoſtica 802. Curatio quæ debet inſtitui tempore acceſſionis. 801. Præſeruatio ab acceſſione 803
Vua nomen affectionis

est potiùs quàm partis 317

Y

Υδρωψ ἀσάμιδα, vide Diabetes

τὸ παραδιαῖοι qui 769

τὸ πόφθάλμιον ἢ ὑπόσφαγμα, vide Sugillatio.

τὸ πύχυσις καὶ ὑπόχυμα, vide Suffusio.

τὸ πίασμὸς quid 492

τὸ πώπυον quid 223

FINIS.

BIBLIOTECA MAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

ADMONI-

Pagina 618 & 619 exemplaris margini adscripta erant hæc quæ sequuntur, nullo addito signo ubinam inserenda essent. nos igitur cum ea nec temere inserenda existimaremus, nec planè omittenda, hic in calcem reijcienda censuimus, ut lector pro suo arbitratu in paginarum istarum alterutra, aut ubi placuerit locum eis assignet. Additionis ergo illius verba sunt hæc:

Quod per aluũ reddãtur potius quàm per alia loca huiusmodi excrementa, propterea quod natura magna ex parte expellere solet succum imperfectè transmutatum à iecore ob eius debilitatem per intestina. Propterea quod via sit magis propinqua quàm per vrinarios meatus, per quos tamen contingit aliquando huiusmodi superfluitates loturã carnis referentes quoque excludi. nam contingit decipi, quia calculo hoc fieri existimant. Contingit queq; per aluum subinde simul eum sanguinem excludi, & id quidem absque dysenteria & hepate bene constituto, id potissimum fit cum rupta est aliqua vena in partibus inferiorib. iecoris. Contingit rursum per aluum excludi sanguinem magis nigricantem, qui præ se fert atram bilem. ab ea tamen differt, quòd lintea ea tincta rubent. hoc autem fit dum vena aliqua rupta est in superioribus partibus. Sanguis etiam redditur per aluum consueta vacuatione omissa, & mutilato membro.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRDI
Apud hæredes Andreæ Wecheli,
MDLXXXV.